487. An assistere possit matrimonio, alterivè dare licentiam assistendi.

488. An cognoscere possit causas feudales, & infeudare.

489. An exequi possit ultimas voluntates, eásque mutare, cogere item executores ad exequendum, reddendásque rationes de facta executione.

490. An exigere possit rationes ab administratoribus piorum locorum.

491. An adire possit hæreditatem ecclesiæ legatam.

492. An authorizare possit alienationem bonorum ecclesiæ inferioris.

493. An alienare possit bona ecclesiæ propriæ vacantis.

494. An litem super ecclesiæ bonis & juribus inchoare, aut à Prælato defuncto inchoatam, sive agendo, sive respondendo prosequi possit.

495. An judicare queat de causis pertinentibus ad Episcopum.

496. An præbere possit consensum renunciationi immunitatis à sæcularibus exactionibus.

497. An accipere possit mutuò pecunias; eóque nomine ecclesiam seu ejus bona obligare.

498. An postulare possit subsidium charitativum.

499. An accipere possit bona Prælati defuncti, aut sede vacante obvenientia.

500. An inchoari possit, aut inchoata contra ecclesiam præscriptio currat sede vacante.

501. Num visitare possit diœcesim.

502. Per quem Capitulum visitare possit.

503. An visitare possit exemptos & in specie monasteria monialium exempta.

504. An concedere possit monialibus exemptis licentiam exeundi monasterio in casu urgentis necessitatis.

505. An dare possit licentiam ingrediendi monasteria Monialium.

506. An dare possit licentiam Novitiis disponendi de bonis temporalibus.

507. An dare possit licentiam Clericis transeundi ad aliam diœcesim.

508. An convocare & celebrare possit Synodum.

509. An, & qualiter Capitulum Episcopo alicui sede vac. committere possit exercitium pontificalium, & in specie quò ad collationem Ordinum.

510. An possit revocare licentiam exercendi pontificalia concessam alicui ab Episcopo defuncto, & si eam non revocavit, possit Antistes pergere ibidem exercere pontificalia.

511. An Capitulum sede vac. intra primum annum vacantiæ possit non arctatis subditis suis dare literas testimoniales ad Ordines.

512. An, & qualiter Capitulum sede vac. dare possit dimissoriales.

513. Per quem Capitulum sede vac. concedere possit dimissoriales.

514. Quam pœnam incurrat Capitulum vel alius ejus loco concedens dimissorias non arctatis intra primum annum vacantiæ.

515. An dimissoriæ legitimè concessæ per Capitulum sede vac. exspirent per ingressum novi Episcopi.

516. An dum Episcopus defunctus est simul Princeps Imperii, Capitulum sede vac. comparere possit in Comitiis imperialibus.

## CAPUT TERTIUM.

### De Potestate Capituli sede vacante in materia beneficiaria.

517. AN Capitulum sede vac. dare possit licentiam ædificandi ecclesiam, & quidem ita, ut ædificanti acquiratur juspatronatus.

518. An possit erigere beneficium ecclesiasticum.

519. An donare possit juspat. in beneficio, vel donationem jurisp. confirmare.

520. An præsentare possit ad beneficium jurispatronatus competentis Episcopo.

521. An, & qualiter Capitulo sede vac. competat præsentatos instituere, dum nimirum institutio spectabat ad Episcopum.

522. An possit electos confirmare, vel etiam electiones infirmare, dum confirmatio spectabat ad Episcopum.

523. An possit administrationem tantisper committere electo à se, usque dum is à Superiore, v.g. Papa confirmetur.

524. An sicut electiones confirmare, sic etiam admittere possit postulationes.

525. An ad Capitulum transeat potestas conferendi beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi quà Ordinarii collationem spectant.

526. An penes Capitulum sit potestas conferendi beneficia debita conferri certi generis personis.

527. An, & qualiter Capitulo sede vac. competat alternativa mensium, dum aliàs ei competit privativè, vel simultaneè cum Episcopo collatio.

528. An Capitulum conferre possit beneficia, quorum collatio ob negligentiam inferiorum Collatorum devoluta ad Episcopum, aut ad eum devolvenda, si supervixisset.

529. Quid possit Capitulum sede vac. circa collationem beneficiorum parochialium, aliorúmque curatorum.

530. Quid possit quoad habendum concursum pro parochialibus.

531. Quid possit quo ad deputationem Examinatorum Synodalium.

532. Quid possit circa commendationem beneficiorum & constitutionem Administratoris & œconomi.

533. Quid possit quo ad recipiendas resignationes beneficiorum & resignatorum collationem.

534. Quid possit circa uniones beneficiorum.

535. Quid possit circa dissolutionem unionis beneficiorum.

536. Quid possit quò ad dismembranda & dividenda beneficia.

537. Quid possit circa supprimenda & extinguenda beneficia.

538. Quid possit circa alterationes beneficiorum.

539. An possit beneficiatum privare suo beneficio?

## CAPVT QVARTVM.

### De Constitutione & Qualitatibus Vicarii Capitularis.


540. AN Capitulum sede vac. teneatur constituere Vicarium, per quem jurisdictionem ad se devolutam exerceat.

541. An Capitula alia præter Cathedralia arctentur à Tridentino defuncto Prælato suo constituere Vica-
434 rium.

542. An Capitulum in aliis casibus præter casum mortis aut captivitatis Episcopi possit aut debeat con-
4 stituere Vicarium.

543. Intra quod tempus à morte Episcopi constituendus Vicarius.

544. An, & ad quem fiat devolutio Capitulo negligente intra statutum terminum constituere, aut constituente inidoneum.

545. Termino illo octo dierum pendente an & qualiter Capitulum administret, & exerceat jurisdictionem.

546. An Capitulum possit & teneatur existentem Episcopi Vicarium assumere in suum Vicarium.

547. An Capitulum possit duos simul constituere Vicarios.

548. Quid circa pluralitatem hanc Vicariorum possint plura Capitula ecclesiarum sibi unitarum.

549. An Capitulum possit unum eundémque constituere Vicarium generalem tam in temporalibus quàm spiritualibus.

550 Qualiter deputandus seu eligendus Vicarius Capitularis.

551. Quot suffragia requirantur, ut quis electus sit in Vicarium Capitularem.

552. An si ob non habitam pluralitatem votorum electio Vicarii Capitularis fuit nulla, revalidari possit ex subscriptione literarum patentium facta à majore parte Canonicorum.

553. An electio Vicarii ex hoc vitietur, quòd quis idoneus rejiciatur à numero concurrentium & eligendorum.

554. Nullitas electionis Vicarii Capitularis qualiter, & coram quo deducenda, & objecta qualiter repellenda.

555. An Vicarius eligi possit ad certum & determinatum tempus.

556. An eligi debeat Vicarius de gremio Capituli.

557. An Vicarius debeat esse Doctor Juris Can. promotus in Universitate.

558. An Parochus eligi possit in Vicarium.

559. Quætas requiratur in Vicario Capitulari.

560. An Vicarius Capitularis sede vac. debeat esse in Ordinibus sacris.

561. An illegitimus eligi possit in Vicarium Capituli.


## CAPVT QVINTVM.

### De Iurisdictione & Potestate Vicarii Capitularis.


562. AN, & qualiter Vicarius Capitularis dicatur Vicarius Episcopi, vel etiam Vicarius Capitularis jurisdictionis.

563. In qua jurisdictione Vicarius Capituli succedat Episcopo.

564. Qualiter jurisdictio illa resideat penes Vicarium.

565. A quo Vicarius habeat illam jurisdictionem, sivè à quo committatur illi istius jurisdictionis exercitium.

566. An tota illa jurisdictio Capituli quò ad exercitium transeat ad Vicarium, ita ut Capitulum nihil sibi per se exercendum reservare possit.

567. An Capitulum, postquam deputavit Vicarium absque reservatione aliqua vel limitatione, possit dein se immiscere.

568. An omnis jurisdictio (dum simpliciter sine ulla positiva reservatione deputatus est Vicarius) ita transeat ad illum, ut transeant quoque ad eum, quæ speciale alias mandatum Episcopi requirunt respectu Vicarii generalis illius.

569. An Vicarius Capituli majorem potestatem habeat quàm Vicarius generalis Episcopi, & sicut hic, ita & ille habeat jurisdictionem ordinariam, faciatque idem tribunal cum Capitulo.

570. An à Vicario Capitulari ad Capitulum appellari possit.

571. Quid agendum, & quò recurrendum, dum Vicarius recusatur ut suspectus.

572. An Vicarius electus jurisdictionem exercere possit ante literas patentes electionis expeditas, eique traditas.

573. An excommunicato Capitulo, alitérve suspenso suspensa quoque sit jurisdictio Vicarii Capitularis.

574. Quid possit Vicarius quò ad condenda statuta nova & vetera abroganda, puniendúmque transgressores.

575. An Vicarius possit quoque de aliis delictis cognoscere, eáque punire.

576. Quid possit quò ad infligendas censuras.

577. An possit privare beneficiis, & procedere ad actualem degradationem.

578. An uti debeat carceribus aliisque ministeriis Episcopi, an verò Capituli habentis aliàs suam jurisdictionem.

579. An possit sibi applicare mulctas pecuniarias.

580. An possit pœnas, etiam ad quas quis damnatus à defuncto Episcopo, remittere & absolvere à censuris.

581. An dispensare possit in casibus, in quibus dispensat Episcopus.

582. Quid possit circa cognoscendas causas matrimoniales.

583. An possit per seipsum assistere matrimonio.

584. Quid possit circa cognoscendas causas civiles & feudales.

585. Quid possit circa cognoscendas causas criminales, & in specie hæresis.

586. An possit esse Delegatus Papæ sicut Vicarius Episcopi.

587. Quid ergo possit quò ad executionem commissionum Apostolicarum delegatarum Officiali seu Vicario Episcopi.

588. An possit amovere officiales à Capitulo constituros.

589. An possit visitare diœcesim sine speciali commissione Capituli.

590. An celebrare possit Synodum sine speciali commissione Capituli.

591. An dare possit licentiam adificandi nova monasteria.

592. An dare possit licentiam Novitio disponendi de rebus suis temporalibus.

593. An possit exigere subsidium charitativum.

594. An possit supplere consensum ut ecclesiastici graventur exactionibus.


595. An

595. *An immutare possit voluntates ultimas in casibus, in quibus id potest Episcopus.*
596. *An approbare possit Confessarios & approbatos revocare.*
597. *An possit interponere suam authoritatem in alienatione bonorum ecclesiarum inferiorum Cathedrali.*
598. *An sine speciali consensu Capituli possit ordinare processiones.*
599. *An uti possit sigillo suo particulari, an verò teneatur uti sigillo Capituli.*
600. *An dare possit licentiam Episcopo extero exercendi pontificalia, & in specie conferendi Ordines.*
601. *Quid possit quò ad dandas dimissorias.*
602. *An concedere possit facultatem construendi vel dotandi ecclesiam in ordine ad acquirendum juspatronatus construenti vel dotanti.*
603. *An instituere possit præsentatos, & confirmare electos.*
604. *Quid possit circa beneficiorum collationes.*
605. *Quid possit circa receptionem resignationum beneficiorum.*
606. *Quid possit vacante parochia, & in specie circa habendum concursum.*
607. *An transferre possit beneficia ab ecclesiis collapsis.*
608. *Quid possit circa uniones beneficiorum faciendas & rescindendas, item circa dismembrationem beneficiorum.*
609. *Quid possit quò ad emolumenta jurisdictionis.*
610. *An hic Vicarius occupatus in hoc munere suo, & ideo absens à Choro, lucrari possit distributiones.*
611. *An sibi substituere possit alium.*

## CAPVT SEXTVM.

### De Vicarii Capitularis præcedentia, salario, exspiratione officii, reddendaque ab eo ratione administrationis.

612. *AN, & qualem Vicarius Capituli habeat, aut prætendere possit præcedentiam.*
613. *An debeatur il, i salarium, quantum, & unde sumendum.*
612. *An, & qualiter addictum ei salarium solvere teneantur Episcopi successores.*
615. *Vicarii Capitularis officium quando exspiret.*
616. *An Capitulum ad libitum revocare possit Vicarium à se constitutum sine prædefinitione temporis.*
617. *Quænam sint justæ causæ revocandi Vicarium.*
618. *Qualiter per constitutionem secundi Vicarii censeatur revocatus primus.*
619. *An Vicarius Capituli ante adventum novi Episcopi teneatur reddere rationes Capitulo.*
620. *An teneatur dare rationes novo Episcopo, non obstante, quòd eas dederit Capitulo.*

# TRACTATVS IV.

## De Archidiacono.

## CAPVT PRIMVM.

### De Nomine, Dignitate, Qualitatibus Archidiaconi, eorumq; numero.

621. *UBinam, & à quibus materia hæc de Archidiacono tractetur.*
622. *Unde nomen Archidiaconi, & quid importet.*
623. *Quænam aliàs Archidiacono tribuantur nomina & tituli.*
624. *In quo Archidiaconus differat à Vicario generali Episcopi.*
625. *In quo differat ab Archipresbytero.*
626. *An Archidiaconus sit beneficium, cui incumbat cura animarum.*
627. *An Archidiaconus sit Dignitas.*
628. *Qualis Dignitas sit Archidiaconatus.*
629. *An Archidiaconus præcedat alias dignitates, & in specie Abbatialem.*
630. *An major sit Præposito, Archipresbytero seu Decano & Primicerio.*
631. *An quandoque in contrarium sit consuetudo, speciale statutum.*
632. *An Archidiaconus in celebratione Missarum solennium similiúmque functionum pontificalium sacerdotalium præferendus Archipresbytero.*
633. *Dum concurrerent in funeralibus Archidiaconus, ubi is est prima dignitas, & Archipresbyter, ubi is est secunda dignitas, & nulla stat pro alterius parte consuetudo, cui in via danda præcedentia.*
634. *An Archidiaconus sacerdos in celebratione illa solennium Missarum aliorúmve functionum pontificalium præferendus Primicerio.*
635. *Num ad Archidiaconum spectat exercere istiusmodi actiones, is impeditus, aut nolens eas exercere sibi substituere possit, quem libuerit.*
636. *An Archidiaconus Dignitate & loco præcedat Vicarium generalem Episcopi.*
637. *Unde factum, quòd Archidiaconus tanta polleat tam in Archipresbyteros quàm Clericos inferiores authoritate.*
638. *Quot sint, aut esse possint in diacesi aliqua Archidiaconi.*

## CAPVT SECVNDVM.

### De Iurisdictione & Potestate Archidiaconi.

639. *AN jurisdictionem habeant Archidiaconi.*
640. *An jurisdictio Archidiaconi sit ordinaria an delegata.*
641. *An, & qualiter jurisdictio Archidiaconi sit subordinata Episcopo.*
642. *In quas personas & loca se olim extenderit, & modò extendat illa Archidiaconorum jurisdictio.*
643. *An Archidiaconus jurisdictionem habeat in Regulares ab Episcopo non exemptos, & Monasteria sita intra fines Archidiaconatûs.*
644. *An sede Episcopali vacante, usque dum eligitur Vicarius Capitularis, jurisdictionem exerceat Archidiaconus.*
645. *Quænam complectatur potestas Archidiaconi.*
646. *Quæ jurgia & quas causas cognoscere possit Archidiaconus.*
647. *An, & quas pœnas infligere possit Archidiaconus.*
648. *An excessus puniri possint ab Archidiacono pœnis pecuniariis.*
649. *An mulctas pecuniarias à se impositas sibi applicare possit.*
650. *An, & qualiter ferre possit censuras, & in specie excommunicationem.*
651. *An, & qualiter possit visitare.*
652. *Quid possit circa visitanda monasteria Regularium.*
653. *An, & quomodo visitare possit Regulares expositos ad curam animarum.*

654. *Quæ-*

654. *Qualiter in praxi ab eo alióve Visitatore instituenda visitatio.*
655. *Quibus maximè opùs Archidiacono similibúsque Visitatoribus ad ritè justèque procedendum in istiusmodi judicio Synodali puniendísque excessibus.*
656. *Archidiaconus an & qualiter concedere possit dimissorias.*
657. *An unire & dividere possit beneficia.*
658. *An, & qualiter instituere possit in beneficiis, maximè curatis.*

## CAPVT TERTIVM.

### De Officio & Qualitatibus Archidiaconi.

659. *QVid muneris sit Archidiaconi circa examen promovendorum ad beneficia, vel etiam ad Ordines.*
660. *An, & qualiter, dum non examinavit, seu non inquisivit in idoneitatem ordinandorum, sive de sibi ignotis adhuc testari possit Episcopo, illos dignos esse, qui promoveantur ad Ordines.*
661. *Quid faciendum Archidiacono, dum novit defectum ordinandi, quò minùs Ordines suscipere valeat.*
662. *Quodnam de cætero sit officium Archidiaconi.*
663. *An exercere possit suum officium, v.g. examinare, visitare &c. contra prohibitionem Episcopi.*
664. *Quid muneris sit Archidiacono circa institutionem corporalem seu missionem in possessionem.*
665. *Quodnam sit officium Archidiaconi quo ad chorum.*
666. *Quodnam sit officium illius circa celebrationem missarum solennium.*
667. *Quodnam sit officium illius in assistendo & ministrando Episcopo.*
668. *Quod sit officium illius circa custodiendas res sacras.*
669. *An, & quid sit Archidiacono officii circa convocationem Capituli.*
670. *Quæ ætas requiratur in Archidiacono.*
671. *An, & qualem S. Ordinem annexum habeat Archidiaconatus.*
672. *An, & quo gradu insigniri debeat Archidiaconus.*



TRACTA-

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM.



*VIn olim à ſacris Cæſareis Majeſtatibus Rudolpho II. Mathia, Ferdinando III. Leopoldo I. felici ſimæ memoriæ, & ſacra Cæſarea Majeſtate Ioſepho nunc glorioſiſſimè regnante, diplomate edito Anno 1705. 12. Decembris, omnibus Typographis, Bibliopolis; & aliis librariam negotiationem exercentibus inhibitum ſit, ne quis Libros, Scripta, & Icones à PP. Societatis Ieſu edita, ſine Superiorum ejuſdem Societatis licentiâ intra S. Romani Imperii, ac Regnorum & Dominiorum ſuorum fines, ſive in toto, ſive in parte recudere, in aliam linguam convertere, vel recudendos alio mittere, aut alibi impreſſos adducere, ac diſtrahere audeat aut præſumat, ſub mulcta 20. Marcarum auri puri Fiſco Imperiali pendenda. Concedo ego Ioannes Dircking Societatis IESV Rheni inferioris Præpoſitus Provincialis jus hujus Cæſarei Privilegii pro una Impreſſione Ioanni Everardo Fromart civi ac Bibliopolæ Colonienſi ad decem annos uſurpandi, ac excudendi Librum, cujus Titulus:* R. P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ Doctoris, & SS. Canonum Profeſſoris VICARIUS EPISCOPALIS, ſive Tractatus Quaternarius &c. *In cujus rei fidem hoc ei Teſtimonium manu mea, ac officii Sigillo munitum dare volui. Coloniæ 12. Iulii Anno 1707.*

L.S.

IOANNES DIRCKING
Societ. Ieſu.

# APPROBATIO
## R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis JESU Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi factâ ab Admodùm R. P. nostro Angelo Michaele Tamburino Præposito Generali, Librum, cujus Titulus est: *R. P. Petri Leurenii, Societatis Iesu SS. Theologiæ Doctoris, & Sacrorum Canonum Professoris* VICARIUS EPISCOPALIS, sive TRACTATUS QUATERNARIUS &c. à deputatis ad id Societatis ejusdem Patribus lectum & approbatum typis mandari permitto. In cujus rei fidem has literas manu propriâ subscriptas, & officii Sigillo munitas dedi. Coloniæ 12. Julii Anno 1707.

IOANNES DIRCKING S.I.

SYL-

# TRACTATUS
# DE VICARIO GENERALI EPISCOPI.
## CAPUT PRIMUM.

De Vicarii nomine, definitione, variis ſpeciebus, conſtitutione, qualitatibus.

### PARAGRAPHUS. I.

Vicarius Epiſcopi quis propriè ſit, & quibus de cetero id nomen competat?

*Quæſtio* 1. *Ubinam in jure, & à quibus potiſſimùm hæc materia de Vicario Generali Epiſcopi tractetur.*

1. Eſpondeo ad primum; In jure exſtat *Titulus* 28. *L.* 1. *de officio Vicarii*: verùm ibi potiſſimùm tractatur de Vicariis beneficialibus, nec non de Vicario Papæ eſt c. 5. Idem eſt *Titulus* 13. *l.* 1. *in ſexto*: ſed magis ibi de Vicario jurisdictionis, ſeu Epiſcopi.

2. Reſpondeo ad ſecundum. Tractare hanc materiam de Vicario Generali Epiſcopi Authores ſolent ad *c. ult. de offic. Vic. in* 6. In ſpecie verò tractavit illam ſpeciali tractatu Jacob. Sbrozius, Pariſ. *de reſignat. benefic. l.* 7. *q.* 24. Lancellot. *Inſtitut. Juris Can. l.* 1. *tit. de offic. Vic.* Zechus *de rep. eccleſiaſt. c. de Vicar. Epiſc.* Leo. *Theſ. fori eccleſiaſt. p.* 1. *c.* 10. Rebuf. *in prax. benef. tit. de Vicar. Epiſ.* & *Rubric. Vicariatus Apoſtol.* Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. Garc. *de benef. p.* 9. *c.* 8. Zerola. *In prax. Epiſc. v. Vicar.* Barbos. *Juris Eccleſ. l.* 1. *c.* 15. & *in ſum. deciſion. Apoſtolic. v. Vicar.* Aldan. *compend. reſolut. canonic. c.* 43. & plures alii apud Garciam *loc. cit.* Ex recentioribus verò Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 28. *n.* 124. *& ſeq.* & *lib. eod. q.* 16. *n.* 63. *& ſeq.* Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. ſect.* 2. *per* 9. §§. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. Ventriglia *Tom.* 2. *annot.* 14. *per* 2. §§.

*Quæſtio* 2. *Nomen Vicarij unde, & qui hoc nomine in jure veniant?*

1. Reſpondeo ad primum. Vicarius dicitur à *vice* quam gerit, vel quâ alicujus muneri vel loco ſuccedit. Sbroz. *de offic. Vicar. l.* 1. *q.* 1. *n.* 2. citans Ciceronem *in Verrem act.* 6. ubi is: *Succedam ego Vicarius muneri tuo. Et pro Roſcio Amerino: Propterea, P. Leuren. Vicarius Epiſc. quòd quibus rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his vicaria fides amicorum ſupponitur.* Unde

2. Reſpondeo ad ſecundum. Latiſſimè ſumendo hoc nomen, veniunt ſub eo, quotquot vices aliorum, in quorum locum ſufficiuntur, gerunt. Azor. *Inſtit. moral. l.* 3. *c.* 6. *q.* 1. Sbroz. *loc. cit. q.* 2. *n.* 6. Aliquantò ſtrictius hoc nomen uſurpatur in Jure civili, & veniunt ſub eo, quotquot in locum alterius Magiſtratûs, abſentis ſcilicet, mortui aut impediti, ſubſtituuntur ab iis, qui à lege hanc ſubſtituendi poteſtatem habent. Barboſ. *Juris Eccleſ. l.* 3. *c.* 6. *n.* 1. In jure namque civili Magiſtratus & Judices Vicarios ſuos habere poſſe, quorum operâ utantur, patet ex *tit. eod. de off. vicar.* Strictiùs adhuc in Jure Canonico, ut dicantur Vicarii, qui legitimâ auctoritate conſtituti ſunt, ut Epiſcopi alteriuſve Prælati, Parochi, aut Clerici vices gerant in divinis myſteriis celebrandis, aut juriſdictione exercenda. Pirh. *ad Tit. de offic. vicar. num.* 1. Siquidem in Jure Canonico rectè conſtitutum conſtat, ut Prælati & Rectores Eccleſiarum, qui quandoque variis negotiis occupati non omnibus, quæ officii ratio exigit, intereſſe, eáque per ſe præſtare poſſunt, Vicarios ſibi adſciſcere valeant, quorum operâ in officiis ſibi commiſſis uterentur, ne quid in his cum damno Eccleſiæ negligatur.

*Quæſtio* 3. *Qualiter Vicarius differat à vicegerente, locumtenente & delegato?*

1. Reſpondeo ad primum, & ſecundum: qui ab ipſo Prælato conſtituitur in loco Vicarii, dicitur vices gerens: qui verò ab ipſo Vicario ſibi ipſi ſubſtituitur, dicitur Locumtenens; cùm Vicarius Vicarium ſibi ſubſtituere non dicatur juxta *c. Clericos. de offic. vicar.* Barboſ. *loc. cit. n.* 4. *&* 5.

2. Reſpondeo ad tertium: Vicarius non niſi per ordinariam juriſdictionem, quam gerit, diſtinguitur à delegato. Sbroz. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 7. *&* 8. ubi is ex Bartol. illum intelligi Vicarium, qui gerit in eodem loco vices Ordinarii, in quo ipſe Ordinarius judicare ſolet; aliàs eſſe delegatum, & non Vicarium, etiamſi ſpeciali titulo Vicarii crearetur. Pro quo etiam citat Marant. *de ordin. Judic. p.* 4. *diſtinct.* 5. *princip. n.* 8. Didac. *de pract. quæſt. c.* 4. *n.* 8.

*Quæstio 4. Quot sint Vicariorum species in Jure Canonico?*

1. REspondeo, variæ ac diversæ eorum species à juris interpretibus constitui solent. Sbroz. *l. 1. q. 3. n. 1.* Et primò quidem duæ sunt eorum species, dum quidam in divinis ministeriis, cura animarum, ac ijs, quæ ad internum forum conscientiæ spectant, aliorum vices gerunt, vocanturque Vicarii in divinis. Huc spectant Vicarij beneficiales, & Ecclesiarum Parochialium, de quibus egi fusè in *Foro Benef. p. 1. à q. 109.* Alii verò, qui in foro contentioso, seu externo jurisdictionem vice aliorum exercent; dicunturque Vicarii jurisdictionis. Pirrh. *loc. cit.* ex Abb. *ad rubric. h. t.*

2. Species illa Vicariorum jurisdictionis subdividitur bifariam, vel potius trifariam, dum eorum quidam constituuntur à lege seu canone; alij ab homine, seu facto hominis. Sbroz. *loc. cit. num. 2.* citans Mandos. *ad reg. cancel. 14. q. 6. n. 16.* Pirrh. *loc. cit. n. 25.* Laym. *ad c. 1. de off. Vicar. in 6. n. 1.* Ita, ut, qui à Canone constituuntur, ab eodem propriam, & ordinariam jurisdictionem obtineant, diversam à jurisdictione principalis, cujus vices gerunt, quamvis ipsi subjectam, & subordinatam. Cujusmodi Vicarius juris, seu à jure constitutus respectu Episcopi est Archidiaconus, juxta *c. 1. de off. Archid.* Laym. Pirh. *LL. cit.* Quò tamen minus aptè à Sbroz. *loc. cit. à num. 3.* reducuntur Summi Pontifices JESU Christi in terris Vicarii, utpotè quibus, non quidem à facto hominis puri, non tamen etiam tam à lege, quàm voce & institutione Redemptoris nostri claves æternæ vitæ, juráque terreni simul, & cœlestis imperii, ut inquit Sbroz. *num. 3.* commissa sunt. Minus quoque aptè Episcopi uti vicesgerentes Apostolorum, alijque Sacerdotes Parochi, seu curati, uti vicesgerentes discipulorum Domini. 3. Eorum verò, qui constituti ab homine, nimirum à Superiore Ordinario seu jurisdictionem ordinariam habente, in cujus locum substituuntur, alij ita constituuntur, ut potestatem, seu jurisdictionem diversam à jurisdictione constituentis obtineant, etsi subordinatam, & ab eo dependentem. Quorum aliqui delegatam habent ad universitatem causarum; alii ordinariam. Tales quo ad jurisdictionem fori externi sunt Vicarii, seu Decani rurales, seu foranei, in certo tantùm loco, seu districtu Diœcesis jurisdictione delegatam, & omninò dependentem ab Ordinario habentes, à quo pro ipsius arbitrio deponi possunt; quandoque tamen ordinariam quandam habent subordinatam Episcopo, dum nimirum constituuntur per electionem Capituli ruralis ab Episcopo ejusve Vicario generali confirmatam. Laym. *ad c. 1. de off. Archipresb.* Tales verò quo ad jurisdictionem fori interni sunt Vicarij parochiarum, quorum item aliqui jurisdictionem, seu curam animarum ordinariam habent, intellige secundùm exercitium, seu utilem, non directam, ut Laym. *ad c. 1. de off. Vicar. in 6.* alii jurisdictionem, seu partem jurisdictionis, delegatam, qui dici solent cooperatores Parochorum.

3. Alii denique eorum ita ab homine constituuntur; ut jurisdictionem non diversam, sed eandem habeant cum constituente, quamvis alio modo, nempe cum dependentia ab illo, cui substituti sunt in eodem tribunali, sive in eadem jurisdictione exercenda. Laym. Pirh. *locis cit.* qui licet, ut Laym. jurisdictionem ordinariam sibi concessam habent, nullum tamen in eo jus vel titulum obtinent, sed veluti operâ locatâ deserviunt, ideoque temporales sunt & amovibiles, & propriè dicuntur substituti in eadem jurisdictione. Tales sunt Vicarii Generales in Spiritualibus Episcoporum, qui vice eorum jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem, & non delegatam, ut benè probat Laym *loc. cit.* in tota Diœcesi exercent.

*Quæstio 5. Quæ fuerit Vicariorum generalium Episcoporum olim nuncupatio, & quæ origo?*

1. REspondeo: Vicarii generales Episcoporum, qui &, ut inquit Thomasin. *in veteri & novâ Ecclesiæ disciplina de benef. p. 1. l. 2. c. 7. n. 1.* depositam apud se Episcoporum authoritatem habebant, & universales erant sacræ jurisdictionis administri, vel potius ii, qui in ruralibus Parochiis generalem Episcopi exercebant Vicariatum, Chorepiscoporum olim veniebant nomine, juxta illud Isidori *in collectione ad explanandum ancyran canon. Vicarii Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant.*

2. Inter eos verò Vicarios arbitrarios, quos seligebant quandoque Episcopi, ut in eos Episcopalis sarcinæ partem aliquam rejicerent, jam tum fuit Gregorius Nazianzenus, quem pater ejusdem nominis Episcopus Nazianzi vi factâ eremo abduxit, & reluctantem adegit, ut regendæ sibi Ecclesiæ Coadjutor accederet. Testatur enim ipse, se Episcopum Nazianzi nunquam fuisse, sed Parentis solùm veluti Vicarium & cooperatorem. Thomasin. *loc. cit. num. 2.* ex Baron. *ad annum Christi 336. n. 10. 18.* Sic divus Basilius ab Eusebio Cæsareensi ascitus præstantissimi Vicarij specimen exhibuit, pro ut eum depingit Gregorius Nazianzenus *in orat. 2. in laudem Basilii.* De quibus duobus Vicariis sic inquit Thomasin. *loc. cit. n. 3. magna erat inter utrumque, hunc Cæsareæ, illum Nazianzi generalem Vicarium affinitas, magna virtutum cognatio; cùm enim esset uterque tum voluntaria, tum contentiosæ administer jurisdictionis, episcopalem curam & laborem in se suscipiebat omnium, honorem Episcopo reservabat*, &c. Erant autem D. Gregorius & Basilius presbyteri tantùm, cùm ad Vicarii generalis munus accesserunt. D. verò Chrysostomus, cùm Diaconus solummodo esset, concreditâ ei Antiochenæ Ecclesiæ cura absente Episcopo Flaviano. Qui dein factus presbyter longè majore cum fructu, & flagrantiore zelo episcopalibus obeundis vicibus Episcopum levare cœpit. Thomasin. *n. 4.* ex Baron. *ad annum Christi 382. n. 48. & ad annum 386. n. 43.*

3. Præter tria hæc Vicariorum Generalium in Oriente exempla absolutissima, in Ecclesia latina Vicarius D. Ambrosii fuit B. Simplicianus, ejusdem dein in Episcopatu successor, qui Romæ factus presbyter à Damaso Mediolanum missus, ut inter prima Episcopatûs exordia adesset Ambrosio. Thomasin. *num. 5.* Item Valerii Episcopi Hipponensis Vicarius fuit Div. Augustinus, eo tantum consilio ordinatus à Valerio presbytero, ut haberet, in quem vices suas & solicitudinis magnam partem conferret, ut Possid. *in vita August. c. 4. 5.* Baron. *ad annum Christi 391. n. 22.* apud Thomasin *n. 6.* D. Augustinum verò paulò antè obitum asciviisse sibi in Vicarium generalem Eraclium presbyterum, testatur Thomasin. *n. 11.* uti & Mamertum Viennensem Episcopum Claudianum fratrem suum sibi adlegisse Vicarium generalem.

4. De cetero neque in decreto Gratiani, neque in Gregorianis seu antiquis Decretalibus ullum exstat vestigium Vicariorum Generalium aut Officialium istiusmodi, quales modò ab Episcopis assumuntur

tur. In Decretalibus ſunt quidem certi tituli de officio Archipresbyteri, de offic. Archidiaconi (qui & ipſi ſunt & vocantur Vicarii Epiſcoporum; quin & Archidiaconum eſſe Vicarium Epiſcopi generalem ſatis teſtatur Innocentius III. *in c. ad hæc. de offic. Archidiac.* dum de eo ait: & ipſius Epiſcopi Vicarius reperitur, omnem ſolicitudinem & curam tam in Clericis quam in Eccleſiis eorum impendendo) non tamen veniunt in illis dicti Epiſcoporum Vicarii generales. Titulus etiam qui inſcribitur *de officio Vicarii*, non agit, niſi, ut dictum *q.* 1. de iis Vicariis ſive perpetuis, ſive temporalibus, quos Parochi aliique Beneficiarii inferiores ſuis in Eccleſiis inſtituere poſſunt. In *cap. ſuæ nobis.* agitur de Vicario, quem Papa creabat Romæ, cum ab ea aliquando abfuturus erat, quin & ſpirituali jurisdictione inſtruebat in Urbem univerſam; verùm id ſolùm attinet Romanum Præſulem, & eo tantùm tempore, quo is Româ abeſt. In Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. c. *quoniam. de offic. Jud. ordinar.* ſtatutum quidem fuit, ut, ſi qua in urbe vel diœceſi plures eſſent populi non unâ lingua, diverſis moribus, aliis & aliis eccleſiaſticis ritibus utentes, totidem ab Epiſcopo conſtituerentur Vicarii Generales, qui ſingulis adminicula ſalutis neceſſaria ſuppeditare poſſint; ſed ea, ut inquit Thomaſin. *l. c. c.* 8. *n.* 2. ſingularis erat ſpecies, ex qua inferre etiam licet, aliàs in more poſitum non fuiſſe, ut Vicarios generales Epiſcopi quique ſuos deligerent. Facit quoque in eodem decreto Innoc. 3. copiam Epiſcopo iſtiuſmodi, ut alium ſibi ſubjungat Epiſcopum tanquam Vicarium generalem, qui diverſi ſermonis rituſque populum regat. Sed & hæc rara ac ſingularis omnino eſt ſpecies, ut idem Thomaſin. Item in eodem Concilio Patres hortati ſunt Epiſcopos, ut, ſi non poſſent numeros omnes ſui officii implere, adjutores & cooperatores ſibi accerſerent. Sed & hinc rurſus liquet, ne quidem id uſitatum tunc fuiſſe, cùm ad id admonendi erant Epiſcopi.

5. Erant tamen etiam tunc in nonnullis diœceſibus Vicarii generales Epiſcoporum, quemadmodum Gilduinum Abbatem S. Victoris apud Pariſios fuiſſe Vicarium generalem Epiſcopi Pariſienſis teſtatur Thomaſin *l. c. n.* 3. ex *Hiſtor. Univerſitat. Pariſienſ. Tom.* 2. *pag.* 131. Item Abbatem Monaſterii canonicorum Præmonſtratenſium ex antiquo uſu eſſe Vicarium Epiſcopi Virdunenſis; ſed ait Thomaſin. ea tunc parum frequentia fuiſſe exempla; ſubditque perquam veriſimile eſſe, increbreſcentes Epiſcopos inter & Archidiaconos diſſenſiones eo remedio eſſe ſedandas, ut Vicarii generales ab Epiſcopis crearentur, qui paulatim ſupra Archidiaconos aſſurgerent, eorumque in ſe transferrent jurisdictionem, eam videlicet, quam cum vice & delegatione arbitraria Epiſcoporum olim obtinuiſſent, conſtante dein titulo & officio explicuiſſent tanquam ſibi propriam: cujus rationis momenta tanta fuere, ut titulus *de offic. Vicar. in* 6. totus omnino ſit in illuſtrandis Epiſcoporum Vicariis generalibus eorumque muneribus. Unde ſæculo demum 13. univerſim invaluere Vicarii, & deinceps viguere in omnibus Epiſcopatibus.

6. Porrò unum eundemque tunc fuiſſe Officialem & Vicarium generalem; eo, quòd necdum tunc forſan tam accuratè diſcernerent jurisdictionem contentioſam à voluntaria, oſtendit Thomaſin. *cit. c.* 8. *n.* 8. de cetero de officialibus Epiſcoporum ſpeciali capite, nimirum 9. agit Thomaſin. quem vide.

F. Lauren. *Vicarius Epiſc.*

*Quæſtio* 6. *Num præter Vicarios Epiſcopales dentur quoque aliorum Prælatorum Vicarii?*

1. Reſp. Affirmativè; nam primò datur Summi Pontificis in Urbe Vicarius, qui ibi velut Ordinarius eſt in ſua Diœceſi, & jurisdictione habet in Clericos. Sbroz *l.* 1. *q.* 3. *n.* 19. citans Vantium *de nullitat. ex defect. jurisdiction. n.* 13. Mandoſ. *ad regul.* 14. *q.* 6. *n.* 5. Dantur item Vicarii Papæ generales per eum ad certam Eccleſiæ provinciam regendam deſtinati, ut exequantur illa ibi, quæ ſunt fori contentioſi. Sbroz. *l. c. n.* 20. citans Capram *Reg.* 92. *n.* 8. *ac* remittens ad Roman. *conſ.* 59. Pavin. *de poteſtat. Capitul. ſed. Vac. p.* 2. *q.* 10. *in fine.* ubi is de Vicariis quondam Ferrariæ, Piſauri, Arimini, aliarumque Civitatum Eccleſiæ. Item ad Ruin. *conſ.* 148. *n.* 8. Alphonſ. Carmon. *de incompatibilitate benef. c.* 15. *n.* 1. *p.* 1. ubi illi de aliis Vicariis Apoſtolicis. Et inter hos Vicarios Papæ magnam authoritatem habet vices gerens Apoſtolicus Avenionenſis, qui eſt loco Auditoris Cameræ. Sbroz. *cit. n.* 20.

2. Secundò ſunt Vicarii Cardinalium Legatorum de Latere. Sbroz. *n.* 21. & de his Pavin. *l. c. n.* 35. Item Vicarii Cardinalium in Eccleſiis eorum titulis ſubjectis, in quibus Cardinales habent jurisdictionem Epiſcopalem. Sbroz. *n.* 22.

3. Tertiò ſunt Vicarii Capitulorum ſede vacante, de quibus infra.

4. Quartò ſunt Vicarii adminiſtratorum Epiſcopatuum ſede vacante. Sbroz. *loc. cit. n.* 30. *& q.* 62. ubi, quod Adminiſtrator talis conſtituere debeat Vicarium, quia ſuccedit in ordinaria jurisdictione Epiſcopi, & à pari procedunt Adminiſtrator talis, & Capitulum ſede vacante.

5. Quintò ſunt Vicarii Vicariorum Papæ, & vicariorum Epiſcopalium. Sbroz. *n.* 31.

6. Sextò ſunt Conſervatorum Vicarii. Sbroz. *n.* 33. & de his apud illum Baldus *in l. aliquando. n.* 5. *ff. de offic. Proconſ.* Abb. *in c. ſtatutum. extra. de offic. delegat.*

7. Septimò Vicarii Archidiaconorum. Sbroz. *n.* 34. de quibus apud illum Gl. in Clem. & ſi principal. de reſcript. v. Epiſcopi, qui in hiſce partibus dicuntur Commiſſarii Archidiaconales.

8. Vicarii Archipresbyterorum, Plebanorum, & Sacriſtarum majorum, qui ad miniſteria Eccleſiæ Vicarios conſtituunt. Sbroz. *n.* 36. de quibus apud illum Ferret. *conſ.* 327. *n.* 3. Pariſius. &c.

9. Nonò Vicarii Abbatum, qui habent uſum mitræ, & baculi, & jurisdictionem in Eccleſiis, & locis Abbatiæ ſubjectis. Sbroz. *n.* 39. & de his apud illum Pariſ. *conſ.* 22. *n.* 19. *in* 4. Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Epiſc. n.* 24. *&* 169. & alii.

10. Decimò Vicarii Abbatiſſarum, Prioriſſarum habentium quodammodo jurisdictionem in ſubjectos. Sbroz. *n.* 42. & de his textus eſt in c. dilecta. Et ibi Abb. *de majorit. & obedient.* Pavin. *loc. cit. prætud. 6. num.* 22.

11. Undecimò Vicarii Ordinum Regularium, qui Generalatu vacante creari ſolent à Papa. Sbroz. *n.* 40. *&* 41. & de his apud illum ſunt textus in *clem. dudum.* §. *ſtatuimus de ſepult.* in *clem. exivi*, §. *ceterum* & ibi Cardin. *de verb. ſignif.* Mandoſ. *loc. cit. n.* 14. de quibus quoq; vide Card. de Luc. *de Regular. d.* 9. *num.* 6.

12. Duodecimò Vicarii Provincialium Miniſtrorum, aliorumque Superiorum Regularium. Sbroz. *cit. n.* 40. *&* 42. denique Vicarii quoque plurium in

jure Civili reperiuntur. De quibus vide Sbroz. *loc. cit. à num.* 43.

*Quæstio* 7. *Vicarius Episcopi quis propriè sit?*

REspondeo quamvis, ut constat ex jam dictis, loquendo in genere is dici possit Vicarius Episcopi, qui gerit vices Episcopi, Sbroz. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 1. quia tamen vel sic comprehenduntur & alii Vicarij Episcopales, qui jurisdictionem Episcopalem non habent, v. g. Archipresbyteri civitatenses, non nisi in quibusdam ministeriis spiritualibus vices Episcopi gerentes. Sbroz. *n.* 2. *juncto n.* 7. Item ij, qui ad sola Pontificalia exercenda assumuntur, quique, ut Barbos. *Juris Ecclesiast. l.* 1. *c.* 15 *num.* 7. hodie suffraganei dicuntur, hinc, ut descriptio conveniat solis Vicariis Episcopi, de quibus nobis hic sermo & tractatus, nempe qui Vicarii sunt jurisdictionis, sic melius formabitur: Vicarius Episcopi est is, qui vices Episcopi gerit, exercendo jurisdictionem Episcopalem. Vel strictiùs adhuc, ut Sbroz. *num.* 4. ex Bartol. *in l.* 1. *in fine. ff. quis & quo* Marant. *de ord. judic. p.* 4. *dist.* 5. *n.* 8. Covar. *pract. qq. c.* 4. *n.* 3. & aliis, quos citat: qui gerit vices Episcopi in eodem cum Episcopo tribunali, utpote per quam descriptionem jam etiam excluduntur Archidiaconi, qui, etsi jurisdictionem ordinariam habent, non judicant tamen ex eodem cum Episcopo tribunali; quin & Vicarii foranei, qui solùm jurisdictionem delegatam habent.

*Quæstio* 8. *Quotuplex sit Vicarius Episcopi jam à nobis descriptus?*

1. REspondeo primò: Vicarius Episcopi alius est Generalis seu Principalis (nulla enim inter Vicarium Generalem & Principalem est differentia, ut Sbroz. *l.* 1. *q.* 29. *n.* 3. *& seq.* citans Glos. *in Clem.* 2. *de rescript. v. Foraneus.* & *ibidem* Ancharan. *col.* 1. Cardin. *n.* 3. *&* 24. Innoc. *n.* 17. *& seq.*) qui principaliter super eodem tribunali Episcopi vices gerit, cognoscendo causas omnes ad forum illud spectantes. Sbroz. *l.* 1. *q.* 3. *n.* 26. ita tamen, ut ad Vicariatum Generalem requiratur administratio in spiritualibus ei generaliter commissa quo ad omnia loca, seu totam Diœcesin. Pirh. *loc. cit. num.* 7. si enim constitutus solùm sit limitatè, tantùm pro ijs, qui in civitate Episcopali, seu in qua est sedes Episcopalis & Episcopi degunt, non potest censeri is esse Generalis, etsi sic appellaretur. Pirh. *loc. cit.* Laym *ad c. Romana, de off. Vicar. in* 6. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 36. Sbroz. *cit. q.* 29. *n.* 1. qui etiam dicit eum appellandum foraneum; uti id ipsum expressè ait C. de Luca *ad Trident. d.* 4. *n.* 5. ubi: *etiam ii, qui in ipsa civitate deputantur, foranei vel speciales Delegati dicuntur, quamvis Generalis titulus seu nuncupatio cum aliqua etiam Delegatione universitatis causarum ei tribuatur; quoniam erit quidem Vicarius Foraneus, sed cum aliqua majore prærogativa & jurisdictione, quàm regulariter hujusmodi Vicariis competat.* Quia hoc ipso ita restrictus ad civitatem duntaxat non faciet idem Consistorium cum Episcopo. Sbroz. *loc. cit. n.* 2. citans Glos. *in cit. Clem.* 2. *de rescrip. v. Foraneus.* Item Glos. *in c.* 2. *de consuetud. in* 6. *v. Officialis.* Innoc. *in c. Romana. de off. ordin. in* 6. Paris. *cons.* 89. *num.* 10 *in* 4. Rot. *decis.* 371. *in nov.* Sed habebit jurisdictionem à jurisdictione Episcopali divisam, eamque delegatam, non absimilem jurisdictioni Vicariorum ruralium. Laym. Pirh. *locis cit.* consequenter jam esse non poterit Delegatus seu Judex Apostolicus (nisi fortè aliunde habeat dignitatem, vel sit Canonicus Cathedralis. Pirh. *loc. cit.*) Garc. Pirh. *locis. cit.* neque expedire literas Apostolicas dispensationum, similesve directas Officiali seu Vicario v. g. Monasterienſi; utpotè quæ verba intelliguntur tantùm de Officiali Principali & Generali. Garc. *loc. cit.* contra Flores de Mena. Hæc ipsa tamen declarat Sbroz. *cit. q.* 29. *à n.* 7. ut procedant, dum Vicarius constitutus esset limitatè & expressè tantùm pro civitate: si verò simpliciter constitutus esset (intellige pro civitate, absque expressa illa positiva limitatione & particula exclusiva *tantùm.* Hanc enim mentem fuisse Sbrozii, patet ex rationibus, quibus suam declarationem probat.) censendum tunc esse constitutum quoque in reliqua Diœcesi, & per consequens dicendum esse Generalem; eò quòd cui commissa cura civitatis, dicatur commissa cura districtûs. Pro quo postremò citat 1. *secunda.* §. *Cùm urbem. ff. de off. Præf. urbis.* Abb. & Felin. *in c. Rodulphus. de rescrip. n.* 8. & specialiter, quòd concessâ alicui civitate, intelligatur etiam concessa Diœcesis. Pro quo citat Alexand. *in addit. ad Barthol. in cit. l.* 2. *n.* 3. Benedict. de Vald. *in addit. ad Felin. cit. c. Rodulphus. n.* 8. *tit.* 13. &c. Et sic Vicarium Papæ positum simpliciter in aliqua urbe dici quoque positum in ejus territorio, ait Sbroz. *n.* 15. firmari à Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 2. *princip. n.* 10. ac denique *n.* 16. tutiùs nihilominus esse ait, in litteris commissionis Vicariatûs exprimere etiam (ut communiter solet) Diœcesin. Pro quo citat Rebuff. *in pr. tit. forma Vicariatûs Archiepis.* quia forma talis commissionis Vicariatûs attendenda, ut Cardin. *in Clem. 1. de off. Vicar. n.* 17. *&* 18. Et meritò hanc cautionem addit Sbrozius, cùm dicta ab eo difficiliùs habere locum videantur, dum Diœcesis ampla est, & præter urbem sedis Episcopalis plures alias civitates & oppida continet: facilius verò, dum Diœcesis præter dictam urbem exiguum districtum & territorium continet. Certius videtur illud, quod tradit idem Sbroz. *l.* 1. *q.* 30. quòd constitutus in & pro Diœcesi Vicarius censebitur etiam constitutus pro dicta urbe Episcopali; quia concessâ Diœcesi, censeatur etiam concessa urbs illa, & appellatione Diœcesis veniat etiam urbs illa. Pro quo multos citat Authores. Deinde ad eundem Vicariatum generalem requiri, ut præfert ejus descriptio, ut omnes causæ, quæ ad forum Ecclesiasticum, etiam externum pertinent, ipsi commissæ sint, licèt nil obstet, quo minùs certum aliquod causarum genus alteri committi possit. Pirh. *cit. num.* 27. uti & quòd plura sibi reservare possit Episcopus. Alius verò Vicarius Episcopi est minùs principalis, & Priori seu Generali subordinatus pro certo districtu Diœcesis; vel etiam qui Consistorio Episcopali præest in certis tantùm causis v. g. matrimonialibus. Qui esse nequit Delegatus Apostolicus, nisi aliunde, ut dictum, dignitatem habeat. Pirh. *locis citatis* citans Laym. *de jurisdict. ordinar. conclus.* 92.

2. Respondeo secundò: Vicarius Generalis Episcopi alius est simpliciter Generalis, cui tam in spiritualibus quàm temporalibus administratio commissa est. Alius Generalis secundùm quid, nempe vel in spiritualibus tantùm, vel temporalibus tantùm. Pirh. *loc. cit.* Vicarius in spiritualibus tantùm simpliciter Vicarius, vel etiam cum addito Vicarius in Spiritualibus Generalis vocari solet, ut patet ex Trident. *Sess.* 13. *c.* 1. 2. 3. 4. & ex Brevibus Apostolicis, cùm aliqua committuntur Episcopis seu eorum Vicariis, vicarii in Spiritualibus appellantur Generales, dicendo v. g. *Venerabili Episcopo Monasterienſi, seu dilecto Filio ejus Vicario in Spiritualibus*

Ge-

*Generali.* Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 122. & 123. citans Marcheſan. *de commiſſis. p.* 2. *c.* 6. *de commiſſ. appellat. n.* 38. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *num.* 11. Pariſ. *de reſign. l.* 8. *q.* 7. *num.* 187. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *l.* 1. *q.* 25. *num.* 4. contra plures, quos citat *ibidem n.* 1. Et ſic commiſſa Vicario ſeu Officiali ſimpliciter poterunt per Vicarium in ſpiritualibus generalem expediri, licet non ſit Vicarius in temporalibus. Garc. *l. c. num.* 124. Vicarius verò in temporalibus tantùm appellatur Oeconomus Pirh. *l. c.* & non ſolet appellari Vicarius generalis. Pirh. *ibidem.* Sbroz. *loc. cit. q.* 26. *num.* 1. citans Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Epiſc. & in form. Vicar. Archiepiſc. num.* 16. Melill. *de præcedent. Vicar. c.* 1. *num.* 5. Sed neq; Vicarius hic in temporalibus tantùm eſſe poteſt delegatus Apoſtolicus, niſi fortè aliunde (ut dictum aliquoties) obtineat dignitatem. Pirh. *l. c.* Neq; his obſtant, quæ ſubjungit Sbroz. *cit. q.* 26. *n.* 2. quòd cùm Generalitas Epiſcopalis juriſdictionis ſpiritualia & tēporalia cōprehendat, Vicarius in una ſpecie tantùm conſtitutus non erit generalis, cùm aliam ſpeciē non comprehendat; inde ſequitur quidem, quòd neuter vicariorum, quorum unus tantùm eſt in ſpiritualibus, alter tantùm in temporalibus Vicarius, dici poſſit ſimpliciter & ſine addito generalis, nihil tamen vetat, ut ipſe Sbroz. declarat *num.* 3. & 4. quominus uterque ſit generalis reſtrictim ad propriam ſuam juriſdictionem; cùm duæ dentur in juriſdictione Epiſcopali generalitates, una reſpiciens & comprehendens omnia temporalia, alia comprehendens omnia ſpiritualia. Quò minùs autem Vicarius conſtitutus ad omnia temporalia tantùm dicatur ſimpliciter Vicarius, aut Vicarius generalis, aut cum addito Vicarius generalis in temporalibus, ſicut dictum de Vicario in ſpiritualibus tantùm, nil obſtat, niſi uſus & praxis, quæ in uno ſic obtinet, non in alio. Quamvis & hanc rationem det Pirh. *loc. cit.* quòd ſpiritualia ſint digniora temporalibus.

*Quæſtio* 9. *Appellatione Vicarii, & Vicario ſimpliciter conſtituto quis Vicarius veniat?*

1. REſpondeo ad primum: Appellatione Vicarii venit generalis. Sbroz. *l.* 1. *q.* 48. *num.* 6. citans Felin. & Decium, & hanc addens rationem, quòd Vicarius regulariter omnia poſſit, quæ Epiſcopus; Vicarius autem ſpecialis non poſſit hæc omnia, adeoque non venit nomine Vicarii ſimpliciter prolato.

2. Reſpond. ad ſecundum: Conſtituto uno Vicario ſimpliciter, hoc eſt, abſque expreſſione ſpiritualitatis & temporalitatis (taliter enim conſtituti dicuntur Vicarii conſtituti ſimpliciter. Sbroz. *l.* 1. *q.* 9.) cenſetur conſtitutus Vicarius generalis in ſpiritualibus. Sbroz. *l.* 1. *q.* 27. *num.* 1. citans Diaz. *in pract. crimin. canon. c.* 3. *num.* 3. Federic. de Senis *q.* 302. *num.* 4. *verſ. ex verbis.* Probatque hoc ipſum à ſimili, nempe quòd mandatum juriſdictionis ſit ſimile mandato procurationis, juxta *L. & quia. ff. de juriſdict. omn. Judic.* & Abb. *conſ.* 87. *n.* 2. *in* 1. Innoc. *in c. ſuſcitata. de reſtitution. in integ.* quos citat. At, ubi mentio fit de procuratore, intelligatur de illo, cui univerſa negotia mandata ſunt. Pro quo citat *L. ædiles.* §. *procuratoris. ff. de ædil. edict.* Bald. *in l. fin. c. de ædil. act.* & *c. petito. de procurat.* ubi cononiſtæ. Adeoque per conſequens, quando Vicarius erit ſimpliciter conſtitutus, dicetur conſtitutus generalis in ſpiritualibus, tanquam illi univerſa negotia ſpiritualia cenſeantur mandata, ea ratione, quia ſpiritualia digniora ſunt temporalibus, & digniora cenſeantur in dubio demandata juxta Gl. *in Clem.* 2. *v. principal. de reſcript.* & *in c. quoniam. Abb. v. ſubſtitutum. de offic. delegat.* contrarium his ſentiente Azor. *Inſt. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 46. *q.* 1. §. *dicitur in ſpiritualibus.* Ubi: *quod ſi concederetur alicui facultas adminiſtrandi ſimpliciter, vel ſi generalis ſimpliciter Vicarius crearetur, & non exprimeretur in ſpiritualibus & temporalibus, reſpondeo non eſſe Vicarium generalem; quia exprimi debet in ſpiritualibus & temporalibus.* Eadem ferè habet *loc. cit. c.* 43. *q.* 7. Verùm facilè ad hoc reſpondetur, ad ſummum non fore generalem ſimpliciter & ſine addito.

*Quæſtio* 10. *Vicarius in particulari oppido conſtitutus independens à generali conſtituto in civitate & diœceſi, an & ipſe ſit generalis, & dicatur generalis, ſaltem reſpectu illius loci, pro quo conſtitutus?*

REſpondeo negativè: Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 3. citans Campanil. *diverſ. jur. can. rubric. rubric.* 11. *c.* 23. *num.* 150. qui volunt potius cenſendum foraneum, & proinde ab eo ad inſtar foranei dari appellationem ad Epiſcopum; quod ſecus dicendum, ſi eſſet Vicarius generalis; ab eo enim non ad Epiſcopum, ſed ad Metropolitanum daretur appellatio. Sequitur ex dictis à nobis ſupra, ubi ad Vicarium generalem requiſivimus, ut commiſſa ei adminiſtratio quò ad omnia loca diœceſis, ſeu quò ad totam diœceſin.

*Quæſtio* 11. *Vicarius foraneus quis propriè ſit, & num ſit propriè Vicarius Epiſcopi?*

1. REſpondeo ad primum: Vicarius foraneus (quem etiam pedaneum vocat Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. §. 3. *num.* 9. vel etiam ruralem vocant alii apud Sbroz. *l.* 1. *q.* 26. *num.* 2.) eſt, qui ab Epiſcopo in certa diœceſis parte, vel ad certos actus deputatur. Sbroz. *l.* 1. *q.* 13. *num.* 1. citans Covarr. *qq. pract. c.* 4. *num.* 8. Gl. *in Clem.* 2. *de reſcript. v. foraneo.* & ibi Anchar. Cardin. &c. Proindè dicitur foraneus, vel quia extra fores ſeu civitatem, in qua Epiſcopus reſidet, conſtituitur; vel potiùs, quia forum & judicium non generale, ſed ſpeciale tenet, v. g. conſtitutus pro oppido vel oppidis aliquot. Caſtropal. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 30. *n.* 1.

2. Reſpondeo ad ſecundum: multum in hoc videtur eſſe quæſtionis de nomine, num talis Vicarius dicendus propriè & in rigore Vicarius Epiſcopi. Affirmant idipſum apud Sbroz. Gl. *in Clem.* 2. *de reſcript. v. foraneos.* dicens hujuſmodi Officialem gerere vices Epiſcopi in illa parte diœceſis, in qua conſtitutus, ergo eſt Vicarius à vice quam gerit. Item Abb. *in c. cauſam. il. primo. num.* 7. Felin. *num.* 8. *de off. delegat.* Bertach. *de Epiſc. p.* 8. *l.* 4. *tit. de Vicar. Ep. num.* 17. Sylv. *in ſum. v. Vicar.* & alii apud Sbroz. *loc. cit.* qui etiam hos Vicarios appellant generales, quando ſunt ab Epiſcopis delegati ad univerſitatem cauſarum certi loci. Contrarium tenent Bartol. *in l.* 1. *ff. quis & à quo.* Marant. *de ordin. judic. p.* 4. *diſt.* 5. *num.* 8. Alex. *conſil.* 12. *num.* 2. *in* 6. Covar. *pract. qq. c.* 4. *num.* 8. plures alii apud Sbroz. *loc. cit. num.* 3. illis conſentientem.

Secundum quos authores ille non est propriè appellandus Vicarius, qui non gerit vices Episcopi in eodem loco ac tribunali, quo ipse Ordinarius, sed est delegatus. Adeoque licet tales Officiales foranei gerant vices Episcopi in eâ parte Diœcesis, seu in illis actibus, in quibus fuerunt constituti, quia tamen gerunt illas vices non nisi delegati, non erunt propriè Vicarii. Ampliatque hoc ipsum Sbroz. *n. 6.* ut adhuc verè & propriè Vicarii non sint, etsi Episcopus seu ejus Vicarius generalis diceret: facio vos Vicarios in illa parte Diœcesis. Dicendos nihilominus illos largo modo Vicarios Episcopi, cùm gerant largo quodam modo vices Episcopi, ait Sbroz. *n.* 10. quin & (intellige similiter largo modo) dicendos esse Vicarios generales secundùm generalitatem causarum vel actuum illis commissorum, ait *num.* 11. de cetero esse illos & dici non nisi delegatos ad universitatem causarum (qualis dicitur omnis, cui omnes causæ alicujus territorij committuntur. Sbroz. *l. 1. q. 22. num. 1.* secundùm Gl. *in* l. 4. *ff. quis & à quo.* Felin. *in c. causam matrimonii num. 7. de off. delegat.*) vel delegatos ad certum genus causarum [qualis dicitur ille, qui est constitutus ad omnes causas certæ speciei, puta fideicommissi, feudi, vel versantes inter Titium & Cajum. Sbroz. l. c. n. 3.) ait item Sbroz. *l. c. à num. 7.* Item C. de Luca *ad Trident. D. 4. num. 5.* ubi: *qui pro aliis Diœcesis partibus deputantur, foranei vel speciales delegati dicuntur, quamvis generalis titulus seu nuncupatio, etiam cum aliqua delegatione universitatis causarum ei tribuatur; quoniam erit quidem Vicarius foraneus, sed cum aliqua majore prærogativa & jurisdictione, quàm regulariter hujusmodi Vicariis competat.*

*Quæstio* 12. *In quo talis Vicarius foraneus differat à Vicario Generali?*

1. REspondeo: Differentiæ inter utrumque, ut fere jam insinuatum, sunt sequentes: Prima, quòd Vicarius generalis seu principalis Episcopi sit Ordinarius. Sbroz. *l. 1. q. 23. num. 5.* citans *c. 2. de appellat. in 6.* gloss. *in c. 1. ordinariam. de off. vicar. in 6.* & *ibid.* Host. *num. 2.* Archid. *in c. 2. de consuetud. in 6.* Abb. *in c. decernimus. num. 12. de Judic.* Covar. *l. 3. var. resol. c. 20. n. 4.* & alios plures: ordinariamque habeat jurisdictionem. Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. q. 15. in fine.* Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 30. n. 1.* censeatur item una eademque persona cum Episcopo, faciat idem cum eo auditorium & consistorium. Sbroz. *loc. cit. num. 7. juxta c. Romana. de appellation. in 6. & c. 2. de consuetud. in 6.* Idemque sit tribunal Vicarii generalis & Episcopi, & hinc à Vicario ad Episcopum non datur appellatio tanquam ab eodem ad seipsum. Engels. *ad Tit. 28. de off. Vicar. num. 6.* Sbroz. citans Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. num. 6.* Bertach. tr. *de Episc. tit. de Vicar. Episcopi num. 17.* & plures alios juxta *cit. c. Romana.* Econtra Vicarius foraneus non est Ordinarius, sed delegatus. Sbroz. *loc. cit. n. 6.* & solùm jurisdictionem commissam seu delegatam habet. Azor. Castrop. &c. habet separatum tribunal, & ideo ab eo ad Episcopum (aut ad ejus Vicarium generalē, ut expresè Sbroz. *cit. q. 23. n. 9.*) appellatur. Sbroz. *ibid. n. 8.* citatis pluribus. Azor *loc. cit.* Engels *cit. n. 6.* qui etiam addit, sic usu quoque receptum, ut ab Archidiaconis ad Episcopum appelletur, & hinc eos rectè Vicariis foraneis annumerari. Item n. 7. tradit, in quibus casibus appelletur à Vicario generali ad Episcopum, quem vide. Unde jam etiam ex hoc capite differt Vicarius generalis à Judice delegato ad universitatem causarum, utpotè qui diversum tribunal habuit, à quo ad Episcopum datur appellatio. Azor *loc. cit. q.* 12.

2. Secunda, quod Vicarius generalis sit in dignitate, & hinc habilis, ut sit delegatus & executor causarum Papalium. Engels *loc. cit. n. 5.* Azor *cit. q. 15.* Secus est de Vicario foraneo, cùm dignitas sit administratio cum jurisdictione & præcedentia, qualis singularis præcedentia non competit Vicario foraneo, adeò, ut nequidem Præpositos Ecclesiarum collegiatarum præcedat, nisi fortè de consuetudine pro dignitate habeatur. Engels *cit. num. 5.*

*Quæstio* 13. *In quo Vicarius generalis differat à delegato ad universitatem causarum?*

REspondeo: Differt in eo, quod Vicarii censeatur idem Tribunal cum Episcopo, quod non convenit tali delegato, utpote à quo datur appellatio ad Episcopum. Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. n. 12.*

*Quæstio.* 14. *Vicarius generalis Episcopi qualiter differat à Suffraganeo?*

1. REspondeo, Suffraganei alii sunt & dicuntur hodiedum tales, qui in Episcopali ordine constituti, & actu carentes propriâ Diœcesi assumuntur ab Episcopo diœcesano tanquam Coadjutores & Vicarii ad exercenda in ejus Diœcesi pontificialia. Barbos. *Juris Eccles. l. 1. c. 15. n. 7.* & ab his differre Vicarium generalem, vel ex hoc ipso patet, quod hi eo ipso jurisdictionem non ordinariam neque delegatam ullam habeant, sed solum exercendi ibidem Pontificalia, quæ potestas non est jurisdictionis. Laym. *in c. quoniam. de off. Judic. ordinar. num. 2.*

2. Dantur & alii Suffraganei viciniùs accedentes ad rationem Vicariorum generalium; dum etsi in una civitate aut Diœcesi regulariter plures esse nequeant Episcopi, ne una sponsa duos viros, unum corpus duo capita habeat C. de Luca ad *Trident. d. 14. n. 22.* nil tamen obstat, quò minùs dum in una Diœcesi (idem est de amplis quibusdam civitatibus) vigent diversi ritus v. g. latinus & græcus, duo sint Episcopi, unus pro ritu latino, alter pro græco, ita ut duæ illæ personæ materiales pro meliore administratione Ecclesiæ habentis utrumque ritum efforment unam personam formalem seu intellectualem, sicut plures Ecclesiæ materiales sociativo quodam jure concurrere possunt ad efformandam unicam Cathedralem sine unitatis præjudicio: vel ut unus revera sit Episcopus & Ecclesiæ sponsus, ille scilicet ritûs latini, alter verò adjutoris ac Vicarii potiùs partes gerat, sicut multi qualificati Præsules in Germania retinent pro Vicariis personas in Episcopali ordine constitutas, præsertim Episcopos naturales. C. de Luca *cit. n. 22. & 23.* sic enim disponitur in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. & de hoc est *cit. c. quoniam. de off. Jud. ordinar.* ut ob dictam causam, populorum nimirum diversarum linguarum ac rituum in eadem civitate aut Diœcesi degentium catholicum Præsulem tanquam Vicarium sibi subjectum constituere possit. Atque talis Suffraganeus seu Vicarius Episcopus secundùm Gloss. communiter receptam, *V. Vicarium.* habet jurisdictionem in Canone ordinariam ac perpetuam Episcopo subordinatam, quemadmodum habent Archidiaconi. In quo jam plurimum differt à Vicario generali, utpotè qui jurisdictionem eandem cum Episcopo habet. Laym. *loc. cit.*

ubi

ubi etiam addit: ad Sedem Apoſtolicam pertinebit examinare, num ob aliam ſimilem neceſſitatis cauſam opus ſit Epiſcopo perpetuum Vicarium ac Coëpiſcopum in juriſdictione exercenda ſubordinatum adjungere; cùm id à jure communi exorbitans, & non niſi diſpenſativè permitti poſſit, ut notat Gl. *in cit. c. quoniam. v. neceſſitas.*

*Quæſtio 15. Qualiter Vicarius generalis differat à Coadjutore Epiſcopi?*

Reſpondeo: Cùm Coadjutor dicatur propriè is, qui Epiſcopo infirmo, vel ſenio confecto, aut iniquo Adminiſtratori adjungitur, ut in officio & adminiſtratione coadjuvet. Barboſ. *Juris Eccl. l. 1. c. 15. n. 6.* juxtà *c. 1. de Cler. ægrot. in decretal. & in 6.* & *c. grandi. de ſuppl. negl. prælator. in 6.* patet, differre ab illo Vicarium generalem in plurimis.

*Quæſtio 16. Qualiter Vicarius generalis Epiſcopi differat ab Archidiacono?*

1. Reſpondeo, Tametſi Archidiaconus quoque de jure communi in quibuſdam conveniat, Barboſ. *loc. cit. n. 50.* differt tamen ab eo Vicarius generalis in tribus potiſſimum. Primò, quod ab Archidiacono ad Epiſcopum appelletur, Barboſ. *loc. cit.* juxta *c. Romana. de appellat.* Sicut & à ſententia Vicarii foranei & alterius inferioris. A Vicario generali verò non niſi ad Epiſcopi ſuperiorem. Laym. *in c. ut Archidiaconus. de off. Archid.* niſi fortè conſuetudo habeat aliud, ut ait Barboſ. *loc. cit.* Verùm hæc differentia fundatur in ea, quòd Vicarius non ſolùm ordinariam, ſed eandem cum Epiſcopo juriſdictionem, ſeu idem tribunal habeat; ſecus ac contingit in Archidiacono, qui etſi habeat ordinariam, non tamen eandem juriſdictionem cum Epiſcopo.

2. Secundò, quod officium Archidiaconi non expiret per mortem Epiſcopi; ſecus ſit de officio Vicarii, niſi, ut addit Barboſ. eſſet conſtitutus cum conſenſu Capituli. Hæc quoque differentia fundatur in alia, nempe, quod Archidiaconus non ab homine, ſed à jure conſtitutus ſit; & juriſdictionem ſuam habeat, dùm ipſo jure eſt Vicarius Epiſcopi; cùm officium vicariatûs ejus dignitati annexum ſit, ideoque ei aufferri non poteſt, & ſic ſit Vicarius natus, intitulatus perpetuus. Vicarius verò ſit Vicarius factus (nempe ab Epiſcopo juxta authoritatem & inſtitutionem Canonum) non intitulatus, ac temporalis, & pro libitu amovibilis. Laym. *loc. cit.* ubi etiam ex Hoſtienſ. qualiter juriſdictio ordinaria Archidiaconi proveniat directè à lege, indirectè ab homine v. g. ab Epiſcopo conſtituente Archidiaconum. Juriſdictio verò ordinaria Vicarii generalis directè ab homine, nempe Epiſcopo creante Vicarium, indirectè à lege dante authoritatem inſtituendi Vicarium. De quo plura infra, ubi de Archidiacono.

3. Tertiò, quod Archidiaconus poſt Vicarium cum cæteris dignitatibus & Canonicis ſedet; Vicarius verò generalis omnibus poſt Epiſcopum præferatur. Barboſ. verùm, ut vides, differentia hæc extrinſeca eſt.

*Quæſtio 17. Qualiter Vicarius generalis differat ab Officiali?*

1. Reſpondeo primò: Vicarius generalis & Officialis (intellige principalis) idem ſignificant, & in effectu nulla inter eos niſi in nomine verſatur differentia. Barboſ. *loc. cit. n. 12.* citans Rimin. *in rubric. de off. Vicar. num. 113.* Covar. *l. 3. var. c. 20. n. 46.* Mandoſ. *in reg. 14. cancell. q. 6. n. 16.* Menoch. *conſ. 51. num. 38.* Item Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 26.* Pignat. *To. 6. conſult. 6. n. 7.* Laym. *in c. Romana. de off. Vic. in 6. n. 3.* citans Sylv. *v. Vic.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 2. 9. n. 11.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 4. q. 7.* uti id colligitur ex Trident. *ſeſſ. 24. c. 16.* Dixi ab Officiali principali; nam quandoque duo ſunt in Diœceſi Officiales, unus principalis, qui generatim vices Epiſcopi gerit, ſaltem in ſpiritualibus, alter verò Officialis minùs principalis & priori ſubordinatus, v. g. qui Conſiſtorio Epiſcopi præeſt in certis tantùm cauſis, v. g. in matrimonialibus, decimalibus, &c. Pirh. *cit. num. 7.* Et patet, hunc Officialem minùs principalem, etſi ſimpliciter quoque dicatur Officialis, non eſſe eundem cum Vicario generali; quia ei ſubordinatus eſt, ejuſque juriſdictio delegata. Et de hoc Officiali minùs principali loqui videntur authores apud Sbroz. *l. 1. q. 7. n. 1. & ſeq.* cenſentes eſſe differentiam inter Officialem & Vicarium, & adducentes pro hoc varios textus, quos lege ibidem.

2. Reſpondeo Secundò. Tametſi igitur Officialis principalis Epiſcopi & Vicarius generalis idem ſint, ex uſu tamen & conſuetudine tam Datariæ quam Cancellariæ Apoſtolicæ literæ Sedis Apoſtolicæ (quæ ſemper committuntur Vicariis Epiſcoporum, ſive beneficiales ſint, ſive diſpenſationum matrimonialium, ſive continentes mandatum aliquod aliud ad gratiam. Roſa. *loc. paulò poſt citand.*) ſi ad regiones ultra montanas (puta ad Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Africam, &c.) dirigantur, ſemper inſcribuntur Officiali, ſive adhibetur terminus *Officialis* v. g. *dilecto filio venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Monaſterienſis Officiali*; vel ſimpliciter: *Dilecto filio Officiali Monaſterienſi.* Literæ verò deſtinatæ ad regiones Cismontanas v. g. (ut expreſsè Barboſ. & Sbroz. loco paulò poſt citand.) ad Italiam, Ungariam, Dalmatiam, Albaniam, Sclavoniam, Cyprum, Cretam & partes Orientales, item Siciliam, Corſicam, Sardiniam, &c. deſtinantur, inſcribuntur Vicario generali. v. g. *Dilecto Filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Bononienſis in ſpiritualibus Generali*, &c. Barboſ. Pirh. *locis cit.* Laym. *in c. ſtatutum. de reſcrip. in 6. n. 2.* Roſa *de Executorib. liter. Apoſt. p. 1. c. 3. n. 22.* Sbroz. *l. 1. q. 2. n. 10.* citans Gemin. *in c. fin. de off. Vic. in 6. n. 5.* Mandoſ. *ad reg. 14. cancell. q. 6. n. 8.* ex quo eodem Mandoſio ſubjungit Sbroz. quod iſta ſit forma inſcribendi literas, quâ prætermiſſâ literæ ſeu Bullæ non careant ſuſpicione falſitatis, uti pro hoc citat Cuchum *inſtitut. Juris can. de Vicar. tit. 8. num. 5. l. 2.* Alphonſ. Carmon. *tr. de incompat. benef. p. 1. c. 15. n. 1.* Sic itaque apud nos termino *Officialis* intelligitur Officialis principalis, cui videlicet jurisdictio Epiſcopalis generatim tam quo ad cauſas, quàm quo ad loca Diœceſis commiſſa eſt, qui apud nos, ut dictum, Vicarius in ſpiritualibus generalis appellari ſolet, Laym. *loc. cit.* Quod ſi verò in Diœceſi aliqua duo ſunt Officiales æque principales, ſeu duo Vicarii generales concurrentes in ordinaria Epiſcopali ſibi commiſſa juriſdictione, commiſſiones Apoſtolicæ inſcriptæ Officiali utrique ex illis delegari poſſunt. Laym. *ibidem* juxta Gl. marginal. recept. *v. principalis in Clem. 2. de reſcrip.* Si verò plures ſint Officiales Epiſcopi ſive Vicarii, unus in temporalibus, alter in ſpiritualibus, vel unus in certa parte Diœceſis, aut quò ad certas cauſas; alter generatim, tunc is ſolus tanquam principalis literas

teras Apostolicas, quæ Officiali inscribuntur, accipiet. Laym. *l. c.* citans Gl. *in cit. Clem. v. principali. & v. foraneo.* Sbroz. *l. 2. q. 29.* Garc. *de benef. p. 5. c. 8. n. 36. & 120.*

*Quæstio 18. Quibus præterea nominibus veniat Vicarius generalis?*

Respondeo: Imprimis venit nomine Ordinarii. Rosa *loc. cit. num. 21.* ubi: *Ordinarii nomine pro certo tenendum est, quòd venit Episcopus ac ejus Vicarius seu Officialis generalis.* Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. in 6. n. 9.* Sbroz. *l. 1. q. 2. n. 16.* Paris. *de resign. l. 3. q. 11. num. 22.* citans quam plurimos alios. Item intelligi quandoque debet nomine Episcopi & diœcesani, ut in casu Trident. *Sess. 23. c. 15.* ubi de approbatione Confessariorum (quam à Vicario etiam fieri posse, probabiliter docet Suar. *Tom. 4. d. 28. sect. 5.*) Laym. *loc. cit.* & in casu Trident. *Sess. 25. c. 3.* ubi agitur de excommunicatione intentari solita ad inventorum restitutionem faciendam, ita ut licet dicatur: *& à solis Episcopis promulganda*: eo tamen nomine etiam comprehendatur Vicarius, ut docent Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. num. 16* Garc. *de benef. p. 5. c. 8. num. 95.* apud Laym. *loc. cit.* Item dicitur quandoque Commissarius. Sbroz. *l. c. n. 11.* citans Pavin. *de pot. Capit. Sed. vac. p. 2. q. 10. in princip.* Mandos. *ad Reg. 14. Cancell. q. 6. num. 10.* Item dicitur quandoque Vicedominus. Sbroz. *l. c. n. 21.* citans Abb. *in c. 2. num. 3. ne Prælat. vices suas.* Speculator. *l. 1. tit. de Vicedom. &c.* Item locum tenens. Sbroz. *loc. cit. num. 19.* citans Federic. de Senis. *Cons. 302. num. 1. in fine.* Covar. *l. 4. variar. resolut. c. 20. num. 4. &c.* Item procurator Episcopi. Sbroz. *l. c. num. 17.* citans *c. petitio. de Procurator.* & ibi DD. Gemin. *in c. licet. de off. Vicar. in 6. num. 12.* Plura alia nomina, quibus veniat Vicarius, vide apud eundem Sbroz. *cit. q. 2.* ubi etiam *num. 23.* ait, omnia hæc nomina, Ordinarius, Deputatus, Commissarius, Missus, Dominicus, Visitator & Suffectus, Substitutus, Procurator Episcopi, Oeconomus, Vicegerens, locum tenens, Vicedominus, dùm de Vicario Episcopi dicuntur, esse Synonyma juxta Jo. And. Rebuff. Diaz. Papazon. &c. idemque fusè probat *l. 1. q. 7. a. n. 7.*

*Quæstio 19. Sub nomine generalis Vicarii Episcopi quinam veniant præter Vicarium propriè ac specialiter talem?*

Respondeo: Venit imprimis Capitulum Sede vacante. Sbroz. *l. 1. q. 3. num. 14.* Tametsi enim illud propriè non dicatur Vicarius Episcopi, sed potiùs successor Episcopi, eademque cum eo persona. Sbroz. *l. 1. q. 15. num. 4.* juxta dicenda à nobis aliàs, inter Vicarios tamen Episcoporum numerandum est. Sbroz. *cit. q. 15. num. 1.* Numerantur quoque inter Vicarios Episcoporum eorum Coadjutores, utpote qui in pluribus eorum morbo ac senio impeditorum vices gerunt. Barbos. *juris Eccles. l. 1. c. 15. num. 1. junctis. num. 6.* Item Episcopi plerumque titulares hodiedum dicti suffraganei ab iis assumpti, ut vices eorum gerant in exercendis pontificalibus. Item Archidiaconi, qui à jure constituti, Vicarii nati Episcoporum dicuntur. Sbroz. *cit. q. 3. à num. 15.* Item Archipresbyteri Civitatenses, qui quoque Vicarii nati Episcoporum dicuntur quò ad spiritualia quædam ministeria, de quibus *in tit. de off. Archipresb.* Sbroz. *cit. q. 3. num. 18.* Ac denique sunt Chorepiscopi: hi enim olim erant quasi suffraganei & Vicarii simul Episcoporum, quibus scilicet plurima cum Episcopis ministeriorum communis erat dispensatio. Barbos. *loc. cit. num. 1.* ubi, uti & *c. 16. per totum.* eorum, quod olim gerebant, munus & diversas species explicat.

## PARAGRAPHUS II.

### De constitutione, seu creatione Vicarii.

*Quæstio 20. An & qualiter Vicarius generalis constituatur ab Episcopo?*

Respondeo: Præter ea, quæ dicta sunt, quòd Vicarii quidam constituantur à lege, alii ab homine seu hominis facto, & inter hos sit Vicarius generalis Episcopi, de quo hic, constituitur seu deputatur hic Vicarius hodiedum ab Episcopo, & quidem solo, sine requisitione consensûs aut consilii Capituli. Barbos. *cit. c. 15. num. 15.* Sbroz. *l. 1. q. 54. num. 1.* Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num. 28.* Pax Jord. *l. 12. tit. 1. num. 22.* Azor. *Instit. mor. p. 2. l. 3. c. 6. & c. 43. q. 2.* citans Hostiens. *in sum. tit. de off. Vicar. §. in quibus. vers. sed nunquid.* Abb. *in c. tua nobis. tit. eod. num. 4.* Pavin. *tr. de pot. cap. sed. vac. p. 2. q. 10.* Rebuff. *pr. benef. tit. de Vicar. Episc. num. 1.* Approbaturque id ipsum consuetudine receptâ, quæ in hoc servanda est. Azor. *cit. c. 6.* Pirh. *l. c.* Sbroz. *l. c. num. 2.* citans Bertach. *tr. de Episc. p. 7. c. 10.* Rebuff. *ubi ante.* Cuchum. *Instit. juris can. tit. 8. de Vicar. Episc. num. 36. l. 2.* Bero *cons. 23. num. 4. vol. 1.* Dixi hodiedum; quia olim necesse erat adhiberi consensum Capituli in creatione Vicarii Episcopi, ut satis indicat Sbroz. *l. 2. q. 55. num. 11.* ubi ait: Vicarius Episcopi non fit à solo Episcopo, sed cum consensu & auctoritate Capituli, & sic ab universitate, quæ in Capitulo & Episcopo consistit. Nec dicatur, quòd Vicarius Episcopi à solo Episcopo fiat *c. 1. cum gl. ne Prælati vices suas. & c. 2. de off. Vicar in 6.* quia, ut inquit Bero, per illa jura non excluditur Capitulum, à quo Vicarius de jure fieri dicitur. Vel respondetur secundùm Bero, quòd illa jura loquantur de consuetudine, secundùm quam hodie Episcopi adversus Capitula omnia jura, quæ ei competebant, usurparunt. Ut dicitur *in c. ea noscitur. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu capit.* Quâ consuetudine, ut per Sbroz. sic stante, hodie Episcopus non dat jurisdictionem Vicario, sed consuetudo, cujus authoritate hodie solus Episcopus Vicarium facit, & ideo Vicarius olim à Capitulo & Episcopo, & sic ab universitate, & hodie à consuetudine habet jurisdictionem, & sic dicitur habere ordinariam.

*Quæstio 21. An tam parvarum quàm magnarum urbium & diœcesium Episcopi constituere sibi possint Vicarium generalem?*

Respondeo affirmativè: nam præter Vicarios natos seu nativos Episcopi à canone deputatos (quales sunt Archidiaconi & Archipresbyteri) facultas constituendi Vicarium generalem conceditur simpliciter Episcopo, ut patet ex *tit. de off. Vicar. in 6.* Pax Jord. *l. c.* citans Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc.* Scacciam *de Judic. l. 1. c. 12. n. 12.*

*Quæſtio 22. Num quoque Cardinales (intellige non Epiſcopi) in Eccleſiis ſui tituli creare poſſint Vicarium generalem?*

REſpondeo affirmativè; habent enim ibidem hi Cardinales juriſdictionem Epiſcopalem. Sbroz. *l. 1. q. 3. num. 22.* videntur tamen hi Cardinalium Vicarii dici poſſe Vicarii quaſi Epiſcopales, ſeu adinſtar Epiſcopalium, propter juriſdictionem, quam vice ſuorum principalium ſeu Cardinalium exercent quaſi Epiſcopalem. Num verò dici poſſit, habere hos Vicarios juriſdictionem ordinariam, & idem cum ſuis Principalibus tribunal, ſicut habent Vicarii Epiſcopales generales, meritò dubitari poteſt; cum nihil quò ad hoc de iis in jure diſpoſitum inveniatur. Habent quoque & conſtituunt hi Cardinales Officiales ſuos & Vicarios Eccleſiarum ac Monaſteriorum, quæ per eos in commendam, vel ex alio titulo poſſidentur: C. de Luca *in miſcell. d. 23. num. 12.* ubi etiam, quod Vicarii iſti Cardinalium non ſint eorum familiares in ordine ad regulas Cancellariæ pro reſervationibus Apoſtolicis, & pro Jure Cardinalium in nominationibus.

*Quæſtio 23. An & quando Archiepiſcopus conſtituere poſſit Vicarium generalem in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum?*

1. REſpondeo primò: Præſcindendo à caſu devolutionis ob negligentiam Epiſcopi, id non poſſe Metropolitanos: Siquidem canones prohibent Archiepiſcopis ingreſſum Diœceſium Suffraganeorum ſuorum, ut ibi authoritate propria judicent, aliudve agant. Sbroz. *l. 1. q. 63. num. 1.* juxta *c. Romana. de off. Vicar. in 6.* Unde neque conſtituere poſſunt in Suffraganeorum ſuorum Diœceſibus Officiales ſeu Vicarios foraneos pro incipiendis vel cognoſcendis contractibus coram illis, aut ad faciendas citationes & inhibitiones in cauſis appellationis à dictis Suffraganeis ad ipſum Archiepiſcopum devolvendis, etſi in cauſis jam devolutis vices ſuas alteri committere poſſit Archiepiſcopus in Diœceſibus ſuorum Suffraganeorum. Sbroz. *loc. cit. à n. 2.* juxta quod hæc omnia diſponuntur *in cit. c. Romana.* Sane à fortiore hinc ſequitur, non poſſe Archiepiſcopum in dictis Diœceſibus conſtituere Vicarium generalem Epiſcopi, ſeu committere ei univerſitatem cauſarum ſpectantium ad juriſdictionem dicti Epiſcopi.

2. Reſpondeo ſecundò: Ubi tamen Epiſcopus negligeret conſtituere *Vicarium*, ubi ad hoc teneretur, poteſt & debet Metropolitanus præfigere illi terminum ad conſtituendum *Vicarium*, quo elapſo, ſi non conſtituat, ipſemet Metropolitanus *Vicarium* conſtituet, vel Epiſcopum ad illum conſtituendum cogere poteſt. Pirh. *loc. cit.* citans Ugolin. *de offic. Epiſc. p. 1. c. 4. §. 6. num. 2.* Sbroz. *l. 1. q. 46. num. 4. & exactiùs q. 57. per tot. citans & cum ſimus. 9. q. 3.* ubi dicitur; ſi Epiſcopus non ſatageret ſtatuere Oeconomum in ſua Eccleſia, Metropolitanus eum conſtituere poteſt; accipiendo Oeconomum pro Vicario. & *c. nova 16. q. 7.* Item Trident. *c. 16. ſeſſ. 24.* & pro dicta practica ſeu modo in hoc procedendi præfigendo terminum *citat. Abb. in C. quoniam. de off. Ordinar. n. 4.* Cuch. *Inſtit. Juris can. de Vicar. tit. 8. num. 13. l. 2. & num. 39.* Quod ſi verò Eccleſia ſit exempta ſeu ſubjecta Metropolitano, Epiſcopo illius negligente conſtituere *Vicarium*, non Metropolitanus, ſed propinquior Epiſcopus in ea deputabit *Vicarium*. Et ſi ipſe Metropolitanus in ſua Eccleſia negligat conſtituere *Vicarium*, eum conſtituet antiquior ex Suffraganeis. Sbroz. *l. 1. q. 58.* citans Cuchum *ubi ante* citat quoque Trident. *ſeſſ. 24. c. 16.* verum illùd loquitur ibidem tantùm de Capitulo Sede vacante negligente conſtituere *Vicarium*. Videtur tamen id à pari procedere in Epiſcopo Metropolitano vel exempto, negligente conſtituere *Vicarium*, dum ad hoc tenetur.

*Quæſtio 24. Num Adminiſtrator Epiſcopatûs, qui quandoque ei à Papa dari ſolet, conſtituere poſſit Vicarium generalem?*

REſpondeo affirmativè; Quia ſuccedit in ordinaria juriſdictione Epiſcopi, & æquiparatur quò ad poteſtatem Capitulo Sede vacante. Pirh. *ad tit. de off. vicar. n. 29. in fine.* Num verò Adminiſtrator Epiſcopatûs datus Epiſcopo vivente, v.g. quia hic eſt adhuc in minore ætate, &c. ſubſtituere poſſit *Vicarium* generalem, dubitatur. Videtur id poſſe, quia gerit juriſdictionem & poteſtatem ordinariam Epiſcopi, qui id poteſt.

*Quæſtio 25. An Capitulum Epiſcopo vivo abſente vel negligente Vicarium poſſit conſtituere?*

REſpondeo: Sive Epiſcopus ſit negligens in conſtituendo *Vicario*, ſive ſit abſens, eo refragante Capitulum non poſſe conſtituere Vicarium aſſerit Sbroz. *l. 1. q. 59. ex Bero. conſ. 23. à n. 4. ad finem uſque vol. 1.* Quod imprimis certum eſt de Epiſcopo negligente; quia in eo caſu jura ſtatuunt modum alium ſupplendi hanc negligentiam, citra quod dicta conſtitutio *Vicarii* devolvatur ad Capitulum juxta dicta *quæſt. præced.* verum in caſu abſentiæ diuturnæ, v.g. Epiſcopo ducto in captivitatem, aut verſante in remotis, *Vicario* illius, quem ipſe conſtituerat interea mortuo, videtur dicendum contrarium; cùm enim in utroque illo caſu adminiſtratio Diœceſis devolvatur ad Capitulum, quemadmodum fit ſede vacante (in illis enim caſibus Eccleſia quaſi vacat) juxta dicenda *in ſeq. q. 3.* poteſt conſtituere *Vicarium*, penes quem ſit juriſdictionis exercitium ſeu adminiſtratio. *Vide* dicenda quæſtione poſt hanc 2. De cetero, ut dicetur alibi, iſte *Vicarius* à Capitulo tunc conſtitutus, dicendus non erit propriè *Vicarius* generalis Epiſcopi, ſed Capituli, & *Vicarius* generalis juriſdictionis Epiſcopalis.

*Quæſtio 26. An à Papa quoque ſoleat quandoque conſtitui Vicarius generalis Epiſcopi?*

REſpondeo affirmativè. Pignat. *To. 10. conſult. 129. num. 6.* ubi etiam ex Pariſ. *conſil. 80. num. 22. l. 4.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 31.* quòd *Vicarius* ille Epiſcopalis à Papa conſtitutus, majorem habeat facultatem, præſertim in ſubſtituendo ſibi alium, quam Vicarius generalis ab Epiſcopo conſtitutus. Et ex Gratian. *diſcept. for. diſcept. 106. n. 29. ac. 30. & diſcept. 111. n 56.* quòd iſte *Vicarius* Epiſcopi à Papa conſtitutus habeat omnes qualitates, quæ ipſi Epiſcopo inſunt, & propterea ſit æqualiter honorandus, & quæ ſit differentia inter utrumque remiſſivè ad gratiam. Quâ verò de cauſa ſtatuatur talis *Vicarius* à Sede Apoſtolica, quamque juriſdictionem habeat reſpectivè quò ad Epiſcopum, & qualiter ab eo ſit inamovibilis, dicetur *q. ſeq.*

Quæ-

*Quæstio. 27. Num Episcopus teneatur constituere Vicarium?*

REspondeo: Non convenire in hoc authores, absolutè loquendo, non teneri Episcopum habere Vicarium, tenent Gonz. *Gl. 4. num. 66.* ubi: *cùm non teneatur habere Vicarium seu Officialem secundùm veriorem opinionem, quam tenet Rota*, &c. Pignat. tom. 9. cons. 105. a. n. 4. ubi: *Nullo jure cavetur, quod Episcopus necessariò teneatur habere Vicarium, juxta verioren & magis communem sententiam.* Pax Jord. *lib. 12. tit. 1. num. 4.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 4.* C. de Luca, *ad Trid. d. 4. num. 8.* Engels *ad tit. de off. vic. num. 9.* ubi: *Si Episcopus velit & sufficiat causas per se tractare, non potest cogi ad Vicarium constituendum; quia ipsi Episcopo principaliter incumbit jurisdictio & exercitium ejus.* Barbos. *Juris Eccles. l. 1. c. 15 n. 16.* ubi ait, hanc sententiam amplexam esse Rotam apud Puteum *decis. 43. l. 2.* & Mohed. *decis. 4. de off. vicar.* citaturque pro hac sententia à Pignat. *loc. cit. num. 4. & 5.* Rota *in Calciatensi, jurisdictionis 1624.* in qua etiam dicitur, quod etsi duæ Diœceses sint inter se unitæ, adhuc Episcopus non teneatur habere Vicarium. Item *in Viterbiensi Vicarii 13. Martij. 1617.* in qua etiam dicitur, quòd licet Diœceses essent distinctæ, & æquè principaliter unitæ, tamen quo ad Episcopum reputatur una Diœcesis, exemplo præsidis duarum provinciarum. Citantur insuper pro ea ab eodem Pignat. *num. 6.* Genuens. *in pr. c. 70. num. 3.* & *in manual. pastorum. c. 31. num. 7. & 8.* ubi, quod Episcopi habeant intentionem fundatam in jure divino, ut non constituant Vicarium, sed per se ipsos regant. Marches. *de commiss. appellat in causis alim. p. §. 1.* ubi, quòd officium Vicarii dicitur voluntarium, & sine illo stare potest Episcopus, etiamsi solitus fuerit illum detinere. Paris. *de resign. q. 16. num. 59. l. 1.* Covar. *var. c. 20. num. 3. l. 3.* Barbos. *de off. Epis. alleg. 54. num. 125.* & *in c. quoniam. num. 5. de off. ordinar.* Ricc. *in pr. for. Eccles. p. 1. decis. 562.* &c. Proceditque hæc ipsa sententia sine difficultate in Episcopatu exiguo; cùm tunc data idoneitate Episcopi dubitandum non sit, quin per seipsum valeat sine subditorum incommodo causas cognoscere. Pignat. *loc. cit. num. 7.* addens & hanc rationem, quòd Vicarius Episcopi sit instar procuratoris, ut Abb. *in cap. ad hæc. de off. vicar. num. 7.* in jure autem receptum sit, quòd nemo cogatur constituere procuratorem ad negotia quantumvis ardua *c. 2. de procurat. & ibi* Gl.

2. Neq; refragatur huic sententiæ, quòd alii Episcopi antecessores constituerint Vicarium generalem; non enim idcirco est debita manutenentia contra successorem. Pignat. *num. 8.* citans Barbos. *ubi ante.* Gratian. *discept. 655. num. 48.* Idq; ex Regulâ communi, quòd in facultativis non datur manutenentia contra superiorem. Pignat. *ibid.* ex Gratian. *loc. cit. num. 49.* Neq; obstat huic sententiæ textus *c. nonnulli.* & *c. relatum. de clericis non residentib.* per quos disponitur, ut quilibet per se, seu in persona debeat deservire Ecclesiæ suæ. Nam dicta jura loquuntur de Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, in quibus est diversa ratio, dum ijs regulariter prohibitum est constituere Vicarios; Episcopi verò non reperiuntur astricti personaliter, ut prohibeantur adimplere officium per Vicarium, multaque committi possunt Vicariis Episcoporum, quæ aliis non possunt. Sbroz. *l. 1. q. 46. a. num. 6.* Neque obstat textus *in c. quoniam. de off. ordinar.* quia speciale est, quòd in casu istius *cap.* Episcopus debeat sibi eligere Vicarium alterum Episcopum propter linguarum vel rituum diversitatem, quæ est in populis alicujus Diœcesis, quibus tenetur Episcopus providere de catholico Præsule, qui illis nationibus sit conformis, & iisdem Sacramenta ministret. Sbroz. *loc. cit. num. 10. & 11.*

3. Nihilominus contrarium, nempe teneri Episcopum sibi constituere Vicarium, etiam extra casum necessitatis, sive etiam ubi Episcopus posset per se ipsum omnia expedire, quæ sui sunt muneris, docent apud Sbroz. *loc. cit. à num. 2.* Bald. *in l. aliquando. ff. de off. proconsi. n. 1.* Abb. *in cit. c. quoniam. num. 3.* Ruin. *consil. 148. num. 4. vol. 2.* Boerius. *decis. 347. num. 6.* Lancellot. *Instit. juris can. de off. vicarii. in princip.* Rebuff. *tr. de nominat. q. 4. num. 61.* Foller. *in pr. crimin. can. p. 1. n. 74.* Cuch. *Inst. jur. can. de Episc. num. 27. tit. 6. l. 2. & plures alii.*

4. Mediam viam ingrediuntur alii limitando primam sententiam, nimirum, quòd si nulla urgeat necessitas, quia Diœcesis parva est, vel quia Episcopus ita industrius & exercitatus in negotiis gerendis, ut per se solus omnia commodè agere possit, quæ ad munus Episcopale spectant, non debeat, nec cogi possit constituere sibi Vicarium. Si verò id non possit solus, adeoque jam urgeat necessitas, debeat constituere Vicarium. Pirh. *ad tit. de off. vicar. num. 28.* Sbroz. *loc. cit. num. 12.* Ventrigl. *loc. cit.* ubi expresè sic limitat suam sententiam: *Et hoc nisi aliud suaderet necessitas; nam tunc tenetur constituere Vicarium*; pro quo citat Meroll. *Theol. mor. p. 3. d. 7. c. 6. dub. 9. num. 73.* Pignat. *loc. cit. num. 11.* ubi ex Gratian. *discept. 561. num. 16. & seq.* quòd sic intelligendi DD. qui volunt Vicarium esse constituendum ab Episcopo. Hinc etiam ex praxi S. Congregat. propositæ negot. Episcopor. si Episcopus negligat expeditionem causarum, præcipuè, si Theologus est, non Jurista, S. Congregat. nedum ei præcipere solet, ut Vicarium generalem constituat, sed etiam quando opus est, transmittat Vicarium Apostolicum pro Diœcesis regimine. Qui Vicarius sic missus, ut notat Nicol. *in flosc. hor. v. num. 39.* revera est Vicarius Apostolicus, & jurisdictionem habet privativè quò ad Episcopum; nec Episcopus eum removere potest ex declarationibus ejusdem S. Congregat. quas plures refert. Sic pariter inquit Barbos. *jur. Eccles. l. 1. c. 7. num. 40.* cogi posse ab Archiepiscopo Episcopum ad constituendum Vicarium, quando non est idoneus ad regendum, vel commodè regere non potest. Econtra tradit Pignat. *loc. cit num. 2.* Hojed. *de incompat. benef. p. 2. c. 10. num. 9.* Si Episcopus est Jurisperitus, & habilis per se ipsum, & Episcopatus tenuis (adde & parvus, ut communiter sunt in Italia) tunc nullatenus est compellendus ad instituendum Vicarium, nisi fortè Diœcesani essent diversi ritus & idiomatis, prout sunt nonnulli in Calabria, qui vivunt juxta ritum græcum per textum *c. quoniam. de off. ordinar.* Et notandum, quòd si nullus sit locus, qui distet à Cathedrali per unam integram Diætam ligalem, non potest applicari ratio amplitudinis Diœcesis, quo in casu constituendi sunt Vicarii foranei ad cognoscendas causas minores juxta facultates ipsis à jure concessas, ut Gl. *in Clem. 2. de rescrip. v. foranei.* & ibi Jo. And. & Cardin. Sbroz. *l. 1. q. 13. num. 1.* &c.

5. Jam verò quia propter multitudinem occupationum Episcopus etsi diligentissimus sit, per se solum plerumque non sufficit omnibus negotiis, saltem commodè expediendis, quæ ad regimen Episcopale & curam animarum pertinent, & ut inquit Pignat. *loc. cit. num. 12.* quando Episcopatus est amplus

plus; & magnus numerus Clericorum, Eccleſiaſticorum, Monialium, haud vero ſimile eſt, quod poſſit Epiſcopus munus ſuum adimplere abſque Vicario generali; hinc inquam eſt, quod authores plures dicunt, quòd Epiſcopus non tantùm poteſt, ſed & debet ordinariè Vicarium conſtituere, cujus operâ adjuvetur. Pirh. *loc. cit.* citans Ugolin. *de off. Ep. p. 1. c. 4. §. 6. num. 1.* Unde & Sbroz. *cit. q. 46. num. 12.* ait: Reſpondetur, quòd Epiſcopus ſemper dici poſſit conſtitutus in neceſſitate propter ingentes occupationes, in quibus Epiſcopale regimen & cura animarum verſatur, & ſi hæc neceſſitas attenditur, erit potiſſima cauſa conſtituendi Vicarium, &c. Atque ita jam in caſu, ubi ob Diœceſis amplitudinem, aliaſque occupationes & difficultates per ſe ſolum ea præſtare nequeat, ratio naturalis id exigit, ut Juſtitiæ, litigantibus, & ſtatui Eccleſiaſtico per deputationem Vicarii conſulatur. Engels *loc. cit.*

*Quæſtio* 28. *Epiſcopus in quo caſu nequeat conſtituere Vicarium?*

1. REſpondeo: Epiſcopus captus à Turcis (idem eſt de infidelibus aliis quibuſcunque; cùm C. ſi Epiſcopus. de ſuppl. negl. Prælator. in 6. loquatur de paganis. Pax Jord. *l. 12. tit. 1. num. 7.* item de hæreticis & ſchiſmaticis, ut Gl. *in cit. c. v. paganis*) non poteſt ſibi conſtituere Vicarium; eo quòd in iſto caſu tota juriſdictio devolvatur ad Capitulum, ac ſi ſedes vacaret per mortem Epiſcopi. Sbroz. *l. 1. q. 46. num. 4.* citans plures. Pax Jord. *loc. cit. num. 6.* Rebuff. *in concord. rubric. de collat. §. teneatur.* Mandoſ. *in reg. 24. cancell. q. 6. n. 13.* Dominic. & Franc. *in cit. c. Epiſcopi.* Extenditque hoc ipſum Pax Jord. *cit. num 7.* ad Epiſcopum captum à fidelibus bello juſto, rationem deſumens *à l. hoſtes. ff. de capt. & poſtlimin.* Secus verò eſſe ait de Epiſcopo capto à fidelibus bello non juſto aut extrà bellum; eo quòd tunc non dicatur verè mortuus civiliter.

2. Quin etiam, ſi tempore captivitatis haberet Vicarium, ceſſaret illius officium; quia ſicut procurator cenſetur revocatus per mortem Prælati, etiamſi dominus litis ſit effectus. *Clem. fin. de procurat.* ſic etiam in caſu præſente, in quo civilis mors æquiparatur naturali. Pax Jord. *loc. cit. num. 8.* Videtur hoc confirmari ex eo, quòd ſi in iſto caſu, ut dictum, tota juriſdictio tranſeat ad Capitulum, & haberet ſe res, ac ſi ſedes vacaret; Capitulum autem ſede vacante non teneatur confirmare Vicarium Epiſcopi, & huius officium exſpiret, ſic etiam in præſente caſu.

*Quæſtio* 29. *An Epiſcopus ante adeptam poſſeſſionem Epiſcopatus & conſecrationem poſſit conſtituere Vicarium?*

1. REſpondeo ad primum negativè: Sbroz. *loc. cit. num. 15.* Pax Jord. *loc. cit. num. 5.* citans Felin. *conſ. 40. n. 71.* Abb. in *c. qualiter. de elect.*

2. Reſp. ad ſecundum: Poteſt verò captâ poſſeſſione ante ſuſceptam conſecrationem eundem conſtituere. Sbroz. *l. 2. q. 23. num. 4.* Pax Jord. *cit. n. 5.* citans. Gl. *in Clem. etſi principalis. de reſcrip. v. Epiſcop.* Pavin. *de poteſt. capit. ſede vac. p. 1. q. 10. num. 6.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 27. num. 37.* Gavant. *in prax. v. Vicar. Epiſc. num. 1.*

*Quæſtio* 30. *An Epiſcopus poſſit conſtituere duos Vicarios generales, ſeu Officiales principales?*

1. REſp. poteſt Epiſcopus (ubi Diœceſis magna eſt, & unus non ſufficit. Ventrig. *tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 2.* vel ut expeditioni cauſarum facilius conſulatur, ut Barboſ. *jur. Eccleſ. l. 1. c. 15. num. 31.* Pirh. *loc. cit. n. 29.*) conſtituere Vicarios generales ſeu Officiales principales duos aut plures à ſe invicem independentes, ſive ſingulos cum poteſtate & juriſdictione in ſolidum. Ita præter jam citatos Azor. *inſtit. mor. p. 2. l. 3. c. 43. q. 4.* (ubi tamen ait, id poſſe Epiſcopum, ſi id conſuetudine receptum fuerit) Pax Jord. *loc. cit. num. 24. junctо n. 27. citans* Ugolin. *de offic. Epiſc. c. 4. §. 6. n. 4.* Cuchum *inſtit. jur. can. tit. 8. de vicar. n. 4.* Sbroz. *l. 1. q. 50. n. 1. junctо n. 5.* citans plures alios. Non ſecus, ac plures conſtitui poſſunt Procuratores, Actores, Tutores, Curatores, Adminiſtratores. Sbroz. *loc. cit. n. 2.* & ex eo Pax Jord. *loc. cit. n. 25.* juxta *l. ſi quis. §. pluribus l. qui duo ff. de procurat. C. duo de procurat. in 6.* Ac proinde per conſtitutionem ſecundi Vicarii non cenſetur revocatus primus, niſi tacitè vel expreſsè colligatur aliundè mens conſtituentis revocare volentis primum. Pax Jord. *loc. cit. num. 28.* citans Rebuff. *in prax. de form. vicar. a. n. 202.* Quod ipſum tamen limitat Azor. *loc. cit.* ut nimirum procedat, ubi eſt conſuetudo habendi plures Vicarios; ſi enim nulla talis ſit conſuetudo, & ab Epiſcopo in conſtitutione ſecundi Vicarii nihil dictum, ait, per conſtitutionem ſecundi cenſeri revocatum primum. Idem cum Azor tenet Cuch. *loc. cit.* apud Pax Jord. Porrò cenſeri adhuc conſtitutos duos Vicarios generales, etſi eorum unus reſideat in civitate Epiſcopali, alter extra illam in Diœceſi, tenet Ventrigl. *loc cit.* exemplificátque hoc ipſum in Vicariis Toletanis, quorum unus reſidet Toleti, alter Compluti. Econtra, ut duo Vicarii generales conſtituti cenſeantur, requirit Pirh. ut ambo conſtituti ſint in loco, ubi ſedem habet Epiſcopus, cum generalis & principalis Vicarius dicatur ille, qui conſtitutus eſt cum generali poteſtate ad omnia loca, ſeu totam Diœceſim, & ad univerſitatem cauſarum in civitate cathedrali, in qua reſidet Epiſcopus. Idem tenet Garc. *p. 5. c. 8. num. 36. ubi*: *Infertur Vicarium, quem ponit Archiepiſcopus Toletanus in civitate Toletana, non videri Vicarium generalem & principalem, ſi non eſt poſitus cum poteſtate generali ad totam Diœceſim, nec etiam Vicarium Compluti; cùm non ſint poſiti ad totam Diœceſim, nec in civitate, ubi eſt Sedes, quamvis generales appellentur.* Item *num. 39.* ubi ait: *Tunc tantùm Vicarius generalis poſitus in oppido diœceſis eſt generalis, quando in civitate non eſt alius Vicarius generalis, ſed eſt in illo oppido cauſâ majoris commoditatis, ut videmus in Epiſcopatu Caleguritano, in quo Vicarius reſidet Lucronii.* Idem tenet Flores de Mena, quem citat Garc. *loc. cit. n. 38.* dum ait: Revera ſolus Vicarius, ſeu Vicarii generales poſiti in civitate, & non poſiti extra, etiamſi habeant generalem commiſſionem ad totam Diœceſim, ſunt principales.

2. Notandum etiam hic, quòd habet Card. de Luca *de benef. d. 10. num. 7.* quòd dum in caſu *capitis quoniam. de off. ordinar.* duo ſunt Epiſcopi in eadem Diœceſi, unus v. g. pro ritu græco, alter pro latino, quilibet ex iis ſuum deputare poſſit Vicarium, quorum quilibet erit generalis, & unicus in Diœceſi reſpectivè.

*Quæſtio* 31. *An Epiſcopus cogi poſſit ad conſtituendos plures Vicarios, dum plures Diœceſes unitas habet?*

1. REſp. negativè. Pax Jord. *loc. cit. n. 39.* (qui etiam ait, id nequidem Epiſcopum poſſe,

eo

eo minus principio, quòd Vicarius constitutus extra locum habitationis & Sedis Episcopi non sit generalis, & quòd Vicarius constitutus in loco Sedis Episcopalis censetur generalis pro utraque Diœcesi) Cardinalis de Luca *ad Trident. d. 4. num. 7.* ubi: *si fuerint plures Diœceses æquè principaliter unitæ, tunc in quacunque unius earum parte residendo suæ obligationi satisfaciat, ibique tribunal erectum pro utraque rectè habet cum unico Vicario generali, absque aliqua necessitate retinendi duo tribunalia distincta, duosque Vicarios generales habendi.* Item Carolus de Luca *num. 1. in observatione ad Ventrig. Tom. 2. annot. 14. §. 1.* ubi, quòd non teneatur habere duo tribunalia ac duos Vicarios, nisi obstet centenaria consuetudo; adeoque subditi unius Diœcesis evocari possint ad locum residentiæ Episcopi in altera Diœcesi.

2. Contrarium tamen censere videtur Pignat. *to. 4. consult. 32. num. 1.* ubi, quod Episcopus pro causis Diœcesanorum unius Diœcesis (dum duæ Diœceses seu Cathedrales unitæ sunt, de his enim loquitur) debeat deputare Vicarium generalem in illa Diœcesi. Causam etiam addit *num. 2.* (quam eandem etiam tangit Pax Jord. *loc. cit. num. 40.*) nempe, quod licet respectu Episcopi sit una Diœcesis, respectu tamen Ecclesiarum duæ sint, & negotia unius non confundantur cum alia. Expressius verò *tom. 9. consult. 135. num. 3.* ubi, quòd Episcopus unitarum inter se Diœcesium in ea, à qua Episcopus abest residens in alia, debeat deputare Vicarium generalem, tùm, dum duæ Diœceses sunt æquè principaliter unitæ inter se, quælibet conservet sua jura & privilegia, propriisque regatur Legibus, eisque judicari debeat à suis Judicibus, prout declaratum ait à S. Congregat. Concil. *in Vulvensi & Sulmon. 3. sept. 1650.* Item ne subditi istius Diœcesis magno suo incommodo tenerentur curare administrari sibi Justitiam in alieno territorio. Unde jam à fortiore æquitur, Episcopum possidentē duas Diœceses non unitas inter se, teneri in ea saltem, in qua non residet, constituere Vicariū generalē, & alium quoq; in ea, in qua residet, si nec ibi solus administrare possit omnia.

3. Quòd si verò duarum istarum Diœcesium una alteri unita esset accessoriè, tantùm procedere potest prima sententia, nimirum opus non esse duplici Vicario generali; eo quòd tunc jura & privilegia Diœcesis accessoriè unitæ transissent in alteram, cui unita, & consurgat jam ex utraque una: sicut dicitur de duobus beneficiis, quorum unum accessoriè unitum alteri efficitur hujus veluti prædium.

### *Quæstio 32. Num ob amplitudinem nimiam Diœcesis cogi possit Episcopus ad constituendum duos Vicarios generales?*

REspondeo negativè: Ita à fortiore sentire videntur Card. de Luca, & Carol. de Luca *loc. citatis*, qui nequidem id admittunt, dum duo Episcopatus inter se æquè principaliter uniti possidentur ab Episcopo. Et certè si verum est, quòd tradunt iidem cum aliis, solùm illum dicendum Vicarium generalem pro tota Diœcesi, qui Episcopo in civitate illius residentiali assistit, patet esse contradictionem in adjecto, nempe constitui unum in dicta civitate, & alium in alia quadam parte Diœcesis, etsi in solidum cum priore. Sed & præscindendo ab hoc, & dato, talem aliquem constitutum in alia parte Diœcesis posse esse quoque generalem cum alio constituto in civitate, adhuc cogi nequit Episcopus ad constituendum duos, tametsi ob dictam Diœcesis amplitudinem ratione magnæ distantiæ, asperitatisque viarum maximum subditorum resultaret incommodum, si in causis suis tam civilibus quàm criminalibus cogantur accedere ad locum tribunalis & residentiæ Episcopi, ejusve ei assistentis Vicarii generalis, & vel hinc æquitati consonet constitui plures in diversis partibus Diœcesis Vicarios generales in eo sensu, quòd ad universitatem causarum delegati sint; adhuc tamen de jure postulare nequeunt dicti subditi à tribunali Episcopi remoti, ut à proprio tali Vicario seu Officiali apud se degente judicentur. Carol. de Luca *loc. cit. n. 2.* dicens, opinionem contrariam magis communiter reprobatam per Abbat. & alios collectos per Barbos. *de potest. Episc. allegat. §4. num. 27.* & Rotam *decis. 537. n. 10. p. 4. recent. tom. 3.* Item Card. de Luca. *loc. cit. num. 6* ubi: *De jure non subsistit aliquorum Diœcesanorum* (intellige, etiam tanta viarum longinquitate & asperitate à residentia Episcopi sejunctorum) *prætensio, quod non possint extra proprios lares trahi, quodque ibi à proprio & particulari Vicario eorum causæ debeant cognosci.* Sed ad summum dictam subditorum necessitatem urgere ad deputandos plures Vicarios foraneos & particulares pro levium & minorum causarum cognitione, ne pro illis subditi magnum & incongruum illud incommodum adeundi tribunal Episcopi pati cogantur, ait Carl. de Luca *loc. cit. num. 3.*

### *Quæst. 33. An Episcopus creare possit plures Vicarios foraneos & speciales in diversis Diœcesis partibus?*

REspondeo: Posse Episcopum plures Vicarios foraneos seu speciales in diversis Diœcesis partibus vel ad certos actus seu causas v.g. matrimoniales constituere, habet communis. Pirh. *cit. n. 29.* Sbroz. *l. 1. q. 50. n. 4.* quin & posse Episcopum sibi Vicarium constituere in qualibet Diœcesis parte, vel particulari loco tradit Sbroz. *l. 1. q. 47.* ex Gemin. *in c. cùm Episcopus. num. 7. de off. ordinar. in 6.* qui tamen id limitat: Nisi in illa parte adsit Archidiaconus, habens ex consuetudine jurisdictionem privativè. Num verò Episcopus deputare possit Vicarium specialem ad conferenda beneficia, dicetur infra. Vide tantisper Sbroz. *l. 1. q. 52. per tot.*

### *Quæstio 34. Dum duo constituti Vicarii seu Officiales æquè principales & in solidum, cui commissæ censeantur delegationes Apostolicæ?*

1. REspondeo: Dum nullus in iis designatur in rescripto delegationis, nec constat, de quo illorum senserit Papa, sive rescriptum, sit contentiosum seu ad lites, sive sit gratiosum, v.g. dispensationis faciendæ, beneficii conferendi, &c. Validum erit, & non reddetur delegatio nulla. Barbos. *Jur. Eccles. l. 1. c. 15. num. 3.* Pirh. *loc. cit. num. 30.* citantes Sanch. *de matrim l. 8. d. 27. num. 32.* Neque obstat, quòd rescriptum delegationis propter incertitudinem vitietur, adeoque ad Papam rescribendum sit, ut novam commissionem faciat. *c. ad hæc. de rescrip.* Verum enim id est, quando Judex omnino incertus datus est, secus si ex certis incertus sit delegatus. Pirh. *loc. cit.* ex Sanchez. *loc. cit.* Hoc supposito,

2. Respondeo ad quæstionem primò. In rescripto gratiæ ille ex istis duobus Vicariis erit Judex seu delegatus, cui illud ab impetrante fuerit præsentatum; eò quod in illo casu & rescripto de nullius alterius præjudicio agitur, nihilque in eo continetur, de quo inter partes agitatur, sicut contingit in re-

in rescripto Justitiæ seu ad lites. Sanch. Barbos. Pirh. *locis cit.* Postquam verò tale gratiosum rescriptum præsentatum est uni ex dictis Vicariis æquè principalibus, jam alter adiri non potest, ut illud exequatur, nec is se immiscere. Barbos. citans Squillante *de Privileg. Cleric. c. 2. num. 203.* Pirh. *loc. cit.* citans Sanch. *ubi ante.* & Laym. *in c. 1. de off. Vicar. in 6. num. 7.*

3. Respondeo secundò : Dum rescriptum est contentiosum, consentientibus partibus, sive si adversarius, contra quem impetrata est commissio, consentiat, vel nihil opponat, quilibet eorum ab impetrante eligi potest, & is causam delegatam expedire, cui impetrans priùs præsentavit literas commissionis. Partibus dissentientibus, sive si adversarius excipiat opponendo incertitudinem, etsi rescriptum sit & maneat validum, ut dictum, effectum tamen non habebit, donec Papa (qui proinde adeundus) declaret, quem eorum elegerit. Barbos. citans Bonacin. *de LL. d. 1. q. 3. p. 8. §. 1. num. 8.* Pirh. *locis cit.* Sanch. *cit. num. 27.* cum Gl. *in c. quoniam. de off. deleg. v. substitutum.* Et idem, nempe neutrum illorum cum effectu esse judicem, donec princeps declaret, de quo senserit, sicut dicitur, quando nominatus est tutor incertus *l. duo sunt Titii. ff. de Testam. tutel.* Sentiunt apud Barbos. Host. Jo. And. Cardin. Imol. *in cit. c. quoniam.* Tiraq. *de jure primogen. q. 17. opin. 6. num. 13.* contra Bero *in idem c. num. 77.* putantem ambos simul esse judices, neutrum tamen seorsim. Item contra alios minùs rectè sentientes, illum esse judicem, quem actor elegerit.

4. Respondeo Tertiò : De cetero, dum ex duobus Vicariis alter esset principalior, & delegatio à Papa fit simpliciter Vicario seu Officiali, censetur ea facta soli illi principaliori ; eò quòd nomen dignitatis prolatum stat pro principali. Sbroz. *l. 2. q. 62. num. 3.* ex Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 10. num. 9.* ubi is, quòd causa intelligatur delegata principali, licet plures Vicarii sint in solidum constituti. Pirh. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. num. 32.* citans Gl. *in cit. c. quoniam. v. substitutum.* Gl. *in Clem. etsi principalis. de rescript. v. principalis.* Squill. *ubi ante num. 201.* Sanch. *ubi ante num. 36.* qui etiam ex Bellam. *in cit. c. quoniam.* & Abb. *num. 4.* Imol. *num. 5.* dicat in simili, quòd ubi commissio fit Archidiacono, & sunt plures Archidiaconi, intelligatur de principaliore.

## *Quæstio 35. Quæ forma servanda in constitutione Vicarii, & num constitutio hæc egeat Scripturâ?*

1. REspondeo ad primum : Tametsi nulla certa verborum forma servanda in constitutione Vicarii præscripta reperiatur in jure, formas tamen varias constitutionis Vicarii reperire est ad fusum apud AA. talem exhibet Sbroz. *l. 1. q. 70. num. 10.* Rebuff. *in pr. tit de forma Vicar.* quam recitat quoque Pax Jord. *l. 12. tit. 2. num. 287.* Item Azor. *p. 2. l. 3. c. 46. q. 1.* ubi etiam in singulas illius clausulas fusè commentatur, uti facit etiam ipse Rebuff.

2. Respondeo ad secundum : Ad substantiam constitutionis Vicarii scriptura non est necessaria ; cùm absolutè solo verbo Episcopi validè constitui possit Vicarius. Pirh. *loc. cit. num. 32.* Pax Jord. *l. cit. num. 121.* Sbroz. *l. 1. q. 64. num. 13. & 19.* ubi : secus est quò ad essentiam constitutionis & commissionis Vicariatûs remotam à contentione probatio-



nis ; quia tunc scriptura non est necessaria. Pro quo citat quam plures. Requiritur tamen scriptura publica & solennis ad probationem Vicariatûs, si à partibus negetur constitutum Vicarium, vel id in dubium revocetur. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *loc. cit. à num. 7.* Mandatum enim principis probari nequit nisi per scripturam. Sbroz. *loc. cit. num. 8.* juxta *l. unic. cod. de mandat. Princip.* & *c. cùm in jure. de offic. delegati.* juncta Gl. *v. injungi.* qui textus etsi loquantur de mandato Imperatoris & Papæ, idem tamen esse in Vicario Episcopi, ait Sbroz. *ibid.* citatis Rebuff. *tr. de nominat. q. 14. num. 71.* Ægid. *decis. 110. de offic. delegat.* & Rota. Et scripturæ authoritas requiritur ad probandum judicem ordinarium. Pirh. *loc. cit.* ex Sbroz. *loc. cit. num. 9.* citante Jason. *in l. more. ff. de jurisdict. omn. judic. num. 53.* Unde jam etiam non sufficiunt testes, argumento citatæ *l. unic.* quæ, cùm requirat scripturam, & testes omittit, hi pro omissis debent haberi. Sbroz. *l. cit. num. 12.* citans Tiraq. *tr. de retract. lign. §. 2. gl. 1. num. 15. & 20.* Dixi etiam scriptura publica & solemni ; scripturâ enim privatâ vel etiam publicâ sine solemnitatibus in ea requisitis non probatur Vicariatus Episcopi. Pax Jord. *l. cit. num. 120.* Sbroz. *num. 17.* citans Paris. *cons. 80. num. 3. & 4.* jurisdictio enim ordinaria (qualis est Vicarii Episcopi) debet probari per publica instrumenta. Sbroz. *num. 18.* citans Jason. *ubi ante num. 53.* & Bald. *in l. prohibitum. col. 4. c. de jure Fisci. l. 10.* Tale autem instrumentum publicum faciens fidem de Vicariatu sunt literæ Episcoporum eorum sigillo munitæ. Pax Jord. *cit num. 120.* Sbroz. *l. cit. n. 15.* citans Gl. & DD. *in c. post cessionem. de probat.* Cravet. *cons. 122. n. 14. vol. 1. &c.*

3. Limitatur tamen hæc doctrina de necessitate scripturæ ad probandum Vicariatum. Primò, ut valeant acta coram Officiali alicujus Episcopi, licet non probetur per literas patentes ejus potestas, modò non negetur à partibus ; quia, cùm sit Ordinarius, præsumitur pro fundamento suæ jurisdictionis. Sbroz. *l. c. num. 20.* citans Milis. *in repertor. v. Vicarius.* Menoch. *de præsumpt. l. 2. præsump. 33. num. 20.* Secundò, dum Vicarius Episcopi esset Cardinalis S. R. E. quia assertioni tanti viri credendum absque literis. Pax Jord. *num. 122.* Sbroz. *num. 21.* pro quo citat quamplurimos. Supponit autem ex Rebuff. Cardinalem posse esse Episcopi Vicarium, quod ridiculum aliis videtur, & ab iis negatur. Tertiò, si Vicarius Episcopi & ipse esset Episcopus ; eo quòd tunc non includatur in generali dispositione citatæ *l. unic.* quò ad illa, quæ veniunt ex generali commissione, crederetur verbo illius, secus quò ad ea, quæ speciale mandatum requirunt. Pax Jord. *num. 123.* citans Host. & Jo. And. *in c. 1. de off. Vicar. in 6.* cum aliis adductis per Sbroz. *num. 25. & seq.* Quartò ut procedat, quando Vicarius Episcopi vellet exercere jurisdictionem absente Episcopo ; quia tunc Vicariatus probari nequiret per testes, secus, si Episcopo præsente. Pax Jord. *num. 124.* Sbroz. *num. 28.* citans Bald. *in l. aliquando. num. 4. ff. de offic. Proconsul.* Barbat. *tr. de Cardin. Legat. à Latere. q. 1. num. 9.* Quintò, ut procedat quò ad generalem constitutionem Vicarii, secus in commissione illi facta vivæ vocis oraculo ; eò quòd tunc ejus potestas probari possit per testes. Sbroz. *num. 29.* citans Paris. *cit. cons. 80.* Rebuff. *cit. tit. de Vicar. Episcopi. num. 8. &c.* Sextò, nisi literæ Vicariatûs essent deperditæ, tunc enim tenor illarum per testes probari potest. Pax Jord. *num. 25.* Sbroz. *n. 30.* citans Menoch. *de remed. adipisc. in 4. num. 918.* & *de*

*Scriptura delegationis deperdita. Vantium de nullitat. tit. de nullitat. sent. ex defect. jurisdiction. num.* 28. Idque, etiamsi aliàs Scriptura esset de substantia. Sbroz. *num.* 31. citans Menoch. *ubi ante num.* 919. Vant. *à num.* 20. Septimo, nisi probaretur, quòd communiter habebatur, nominabatur, & reputabatur Vicarius; quia tunc gesta per eum valent juxta *l. Barbarius. ff. de off. Prætor.* Pax Jord. *num.* 126. Sbroz. *num.* 32. citans Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 3. Mascard. *de probat. concl.* 648. *num.* 6. *vol.* 1. & alios quam plurimos. Octavò, ubi jurisdictio Vicarii esset notoria; quia tunc alia non requireretur probatio. Sbroz. *loc. cit.* Pax Jord. *num.* 128. Alias limitationes vide apud eundem Sbroz. *loc. cit.* In summa itaque ob dicta non nisi per mandatum in publicum instrumentum redactum, in quo continetur potestas Vicario commissa, constitui solet & debet Vicarius Episopi. Pirh. *l.* 6.

## PARAGRAPHUS III.

### De qualitatibus Vicarii generalis Episcopi.

*Quæstio* 36. *Qualis debeat deputari ab Episcopo Vicarius generalis?*

REspondeo: Qualitates, præsertim internas requisitas in tali Vicario rectè enumerari à Sbroz. *l.* 1. *q.* 33. Pax Jord. *loc. cit. num.* 23. Cuch. *instit. Jur. Can. tit. de Vicar. Episc. à num.* 44. Dum inquiunt, in deputatione hujus Vicarii non oscitanter, sed maxima cum circumspectione, prudentia, consilio & advertentia gerere se debere Episcopum, ut personam qualificatam, circumspectam, providam, bonæ conversationis & famæ, literat m, timentem Deum, veridicam, liberalem, fortem, temperantem, magnanimam, mansuetam, non declinantem ad dexteram vel ad sinistram, ac tanto munere dignam eligat, cavendumque, ut Cuch. *loc. cit.* ne Vicario illud Virgilianum objici queat: *hic alienas oves custos bis mulget in hora: & succus pecori & lac subducitur agnis. Eclog.* 3. *Bucol.*

*Quæstio* 37. *An Vicarius Episcopi generalis necessariò debeat esse Clericus?*

1. REspondeo primò: Laicus deputari nequit ab Episcopo in Vicarium generalem in spiritualibus, sed debet esse ad minimùm Clericus primæ tonsuræ. Barbos. *juris eccl. l.* 1. *c.* 15. *n.* 14. Card. de Luca *de benef. d.* 73. *n.* 4. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n.* 31. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 5. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 96. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 8. citans Suar. *Tom.* 5. *d.* 2. *s.* 3. *n.* 8. *& seq.* Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. n.* 35. Cuch. *Instit. major. l.* 2. *tit.* 8. *n.* 46. Sbroz. *l.* 1. *q.* 31. *à num.* 1. citans insuper alios quam plurimos juxta expressum textum *c. in nova.* 16. *q.* 7. ubi: *indecorum est, Vicarium Episcopi esse laicum, & viros Ecclesiasticos judicare.* & juxta Canonistas communiter *in c. decernimus. de Judic.* ubi, quòd laici Ecclesiastica negotia tractare non præsumant, & quòd Episcopi, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis, maximè de illis, quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum judicio non disponant &c. Sic vi hujus canonis laicus causas Ecclesiasticas neque principaliter, neque incidenter cognoscere potest sine licentia Papæ. Sbroz. *l. c. n.* 3. Proceditque responsio, etiamsi de cetero laicus esset magnæ sanctitatis, Pax Jord. *l. c. n.* 97. ex Sbroz. *l. c. n.* 4. citante Ripam *in cit. c. decernimus. n.* 56. Dec. *n.* 15. contra Sicul. & Barbatiam. non enim dicta sanctimonia tollit incapacitatem jurisdictionis spiritualis provenientem ex defectu Clericatûs. Pax Jord. *cit. n.* 97.

2. Respondeo secundò: Potest nihilominus purè laicus de licentia & concessione Papæ esse Vicarius generalis Episcopi in spiritualibus. Pax Jord. *n.* 101. Sbroz. *l. c. n.* 13. citans *c. Hadrianus. dist.* 63. Gemin. *in c.* 2. *de prab. in* 6. Ripam *in c. decernimus. de Judic. n.* 56. Bertach. *tr. de Episc. n.* 14. *&c.* Potest enim Papa laico demandare causas clericorum, etiam criminales. Sbroz. *l. c. n.* 14. citans Gl. *in c. bene quidem. dist.* 96. *v. præter Romanum.* Clarum *in pr. crimin.* §. *fin. q.* 41. Paul. de Castro *cons.* 220. ubi se conjugatum ex decreto Pontificis Martini V. tunc Florentiæ præsentis fuisse ibidem Vicarium in spiritualibus.

*Quæstio* 38. *An Clericus bigamus vivens in cælibatu possit esse Vicarius Episcopi generalis in spiritualibus?*

REspondeo negativè: Sbroz. *l. c. n.* 5. Pax Jord. *n.* 99. citantes Cuch. *instit. Jur. Can. de Vicar. Episc. n.* 55. Garc. *l. c. n.* 4. citans insuper Sayr. *de censur. l.* 6. *c.* 5. *n.* 8. Zech. *de Republ. Eccl. c.* 23. *de Vicar. Episc. n.* 2. Item Barbos. *l. c. n.* 15. Ventrigl. *n.* 5. Pirh. *cit. n.* 31. Bigamus enim, etiam soluto matrimonio, ex quo inducta bigamia, caret privilegiis clericalibus, & habetur pro laico. Pirh. *l. c.* Garc. *l. c. n.* 6. citans Suar. *Tom.* 5. *d.* 49. *s.* 5. *à n.* 4. Poterit tamen esse Vicarius in spiritualibus, ubi fuerit ab hoc impedimento bigamiæ, & inde contracta irregularitate dispensatus. Barbos. Garc. Sbroz. Pax Jord. Cuch. *locis cit.* De cetero autem bigamus, etiam admissus ad Ordines & effectus Clericus (intellige citra illam dispensationem) adhuc non potest esse Vicarius in spiritualibus citra dispensationem illam (intellige Ordinibus illis susceptis supervenientem) Sbroz. *c. n.* 5. ubi: *Ampliatur, ut nec etiam bigamus admissus ad Ordines Ecclesiasticos possit esse Vicarius Episcopi.* Barbos. *cit. n.* 15. ubi: *modò non eligat bigamum etiam effectum Clericum &c.* Si verò ante promotionem ad Ordines fuerit dicto impedimento solutus, poterit esse Vicarius absque eo, quòd alia dispensatione egeat. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *q.* 12.

*Quæstio* 39. *Num Clericus conjugatus cum una eaque Virgine, sive non bigamus esse possit Vicarius Episcopi in spiritualibus?*

REspondeo negativè: Pax Jord. *loc. cit. num.* 98. Barbos. *cit. num.* 15. Pirh. *num.* 31. Garc. *loc. cit. num.* 3. citans Suar. *Tom.* 5. *d.* 2. *s.* 3. *num.* 10. Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. Vicarius. dub.* 7. Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 46. *num.* 14. Rebuff. *in pr. tit. Vicar. Episc. n.* 36. *&c.* Sbroz. *cit. num.* 5. citans quam plurimos alios. Clericus enim cum Virgine conjugatus censetur Laicus Sbroz. *loc. cit. num.* 6. cum communi. Insuper Vicarius Episcopi debet vivere in cælibatu. Pax Jord. *l. c.* Procedit responsio, etiamsi talis Clericus conjugatus non bigamus incederet in habitu, & tonsura clericali. Pax Jord. *cit. num.* 98. ex Sbroz. *n.* 8. citans Gemin. Franc. Ancharan. &c. eò quòd delatio illa habitûs clericalis non impediat, quo minùs talis Clericus conjugatus habeatur in jure pro laico. Atque ita etiam Clerico conjugato facta commissio seu delegatio, non solùm post contractum matrimonium nulla est, sed etiam jurisdictio ei commissa ante matrimonium, eo contracto amittitur. Garc. *l. c. n.* 10. juxta *c.* 1. *de Cleric. conjugat. in* 6.

*Quæstio*

*Quæſtio* 40. *Num ſaltem Aſſeſſor vel Auditor Epiſcopi poſſit eſſe Clericus?*

REſpondeo affirmativè. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *q.* 10. citans Abb. Ripam. Felin. *in c. de his. & c. decurrimus. de Judic.* Pax Jord. *l. c. n.* 103. citans Cuchum. *ubi ante n.* 49. Sbroz. *cit. q.* 31. *n.* 12. *de Conſultor. & Aſſeſſor. Epiſc.* citans plures alios.

*Quæſtio* 41. *Num purè laicus poſſit eſſe Vicarius Epiſcopi, ſaltem in temporalibus tantùm?*

REſpondeo affirmativè: Talis enim gerit vices Epiſcopi in juriſdictione ſeu adminiſtratione ſæculari, & temporali, cujus capax eſt laicus. Pax-Jord. *l. c. num.* 102. Pirh. *cit. n.* 31. Sbroz. *cit. q.* 31. *n.* 11. citans Anton. de Prætis. *tr. de juriſd. Epiſ. c.* 6. *n.* 43. Pavin. *de poteſt. capit. ſed. vac. p.* 2. *q.* 10. *n.* 15. Milis. *in repertor. v. Vicarius Epiſc.* & plures alios.

*Quæſtio* 42. *Vicarius Epiſcopi num debeat eſſe conſtitutus in ordinibus majoribus?*

REſpondeo negativè: Barboſ. *l. c. num.* 14. ubi: *Sacerdos vel Clericus primæ tonſuræ eſt aſſumendus*, intelligè in Vicarium. Ventrigl. *Tom.* 2. *Annot.* 14. §. 1. *n.* 5. Pirh. *cit. num.* 31. Sbroz. *l.* 1. *q.* 32. In regnis tamen Caſtellæ & Legionis Officialem vel Vicarium generalem ſeu Judicem ordinarium Epiſcopi, vel alterius Juriſdictionem ordinariam obtinentis, debere eſſe conſtitutum in ſacro aliquo ordine, & aliàs deputationem, & electionem fore nullam & invalidam, & nullius momenti vi Brevis Clem. 8. miſſi, & intimati Epiſcopis, aut etiam Proviſoribus pro parte Capitularium Eccleſiarum Cathedralium; quòd Breve comprehendat etiam Vicarios ad præſens exiſtentes, teſtatur Garc. *l. c. n.* 11. & 12. Quamvis addat *n.* 13. dictam conſtitutionem videri non ligare ex defectu publicationis & promulgationis factæ Romæ, aut in curia Regis, ubi Nuncius reſidet. lex autem ſeu conſtitutio, ut liget, requiratur, quòd ſolenniter ſit edita factaque publicatio ſolennis & publica promulgatio illius, ante quam etiam datâ ſententiâ non liget. Pro quo citat textus Juris & AA. plurimos. De cetero indubitatum eſt, dum aſſumitur Vicarius ad exercendum quoque pontificalia, vel qui non tantùm in ſpirituali Juriſdictione externa, ſive in iis, quæ ad forum eccleſiaſticum externum, ſed etiam quæ ad forum internum pœnitentiæ pertinent, Epiſcopi vices ſuppleat (qui vulgo pœnitentiarii appellantur:) epiſcopali vel ſacerdotali ordine inſignitum eſſe debere. Pirh. *l. c.* Unde etiam dum in eadem urbe epiſcopali aut diœceſi ſunt populi diverſarum linguarum (adde, & rituum) aſſumendus eſt ab Epiſcopo Vicarius, qui ſit Epiſcopus. Sbroz. *l.* 1. *q.* 31. *à n.* 16. juxta *c. quoniam. de off. ordinar.*

*Quæſtio* 43. *Quæ ætas requiratur in Vicario generali?*

1. REſpondeo requiritur ætas 25. annorum inchoatorum. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *n.* 10. Pirh. *l. cit.* Pax Jord. *l. c. n.* 95. Sbroz. *l.* 1. *q.* 35. *n.* 2. ea enim ætas requiritur in iis, quibus cura animarum imponitur juxta *c. licet. & c. cùm in cunctis. de elect. in* 6. Item nemo ad quaſcunque dignitates, quibus animarum cura ſubeſt, promoveri poteſt, niſi qui annum 25. ætatis ſuæ attigerit. Trident. *Seſſ.* 24. *c.* 12. Intelligendumque idipſum de omnibus habentibus ſpiritualem Juriſdictionem, etiamſi ſit ſolùm fori externi. Barboſ. *ad Trident. Seſſ.* 24. *c.* 12. *n.* 2. & *de Canonic. c.* 13. *n.* 20. Fagn. *in cit. c. cunctis. n.* 32. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 49. *n.* 24. Item minor 25. annis ad officium vel dignitatem, quæ adminiſtrationem continet, admitti non debet. Sbroz. *l. c. n.* 4. juxta *l. ad rempubl. ff. de mun. & hon.* & Bartol. *in l. quidam ff. de re judic. num.* 2. Jam verò Vicarius generalis Epiſcopi habet curam animarum, & ſpiritualem Juriſdictionem, ſaltem quo ad forum externum, ut conſtat. Item habet dignitatem cum adminiſtratione rerum ſpiritualium. Sbroz. *loc. cit. num.* 5. citans Gl. *in Clem.* 2. *de reſcript. v. delegatus.* & *ibidem* Abb. Anchar. *in princ.* Cardin. *n.* 2. Imol. *n.* 18. Anton. de Prætis *tr. de juriſd. Epiſc. c.* 6. *n.* 51. Milis. *in repertor. v. dignitas* & plures alios.

2. Sed neque Epiſcopus diſpenſare poteſt (ne quidem pro una die, ut Pax Jord. *loc. cit.*) ſuper ætate ſui Vicarii. Sbroz. *loc. cit. num.* 6. citans Cardin. *in Clem.* 1. *q.* 38. *num.* 25. *de off. Vicar.* Abb. *in c. cùm in cunctis.* §. *inferiora. num.* 3. Decium *ibidem num.* 8. contra Archid. *in c. licet canon. de elect. in* 6. Et ratio eſt, quia in genere Epiſcopus diſpenſare nequit in ætate, non tantùm quò ad beneficia curata, ſed nec ad beneficia, quæ de jure directè & per ſe certam ætatem requirunt. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 5. *q.* 9. Laym. *in cit. c. cùm in cunctis.* §. *inferiora n.* 4. Ego *fori benef. p.* 1. *q.* 228. *num.* 1.

*Quæſtio* 44. *An illegitimus eſſe poſſit Vicarius generalis Epiſcopi?*

REſpondeo negativè: Cùm Vicariatus hic ſit dignitas, & quidem extra Ordinem cum authoritate Judicis ordinarii, etiam ſupra Superiores ordinarios, nempè Parochos. Barboſ. *in c.* 1. *de filiis Presbyt. num.* 8. Majol. *de irregularit. l.* 1. *c.* 10. *num.* 3. Peyrin. *in Prælato. q.* 2. *c.* 5. *num.* 135. Sed neque in hoc diſpenſare poteſt Epiſcopus; cùm hic cum illegitimo diſpenſare nequeat quo ad beneficia curata, juxta *c.* 15. *qui. de fil. Presbyt. in* 6. Ego *fori benef. p.* 1. *q.* 267. *num.* 1. Adeóque multo minùs ad dignitates habentes annexam curam animarum. Cùmque diſpenſatio etiam papalis ſit ſtricti juris *c.* 1. *de fil. Presbyt. in* 6. Barboſ. *de offic. Epiſc. allegat.* 13. *num.* 7. Adeòque diſpenſatus à Papa ad Ordines, etiam ſacros, non ſit hoc ipſo diſpenſatus ad beneficia. Sylv. *in ſum. v. illegitimus.* Laym. *ad cit. c.* 1. Item diſpenſatus ad beneficia curata non poſſit obtinere dignitates. Rebuff. *de diſpenſ. ſuper defect. natal. num.* 57. Neque diſpenſatus ad dignitates, obtinere adhuc poteſt dignitates curatas. Rebuff. *loc. cit.* ſequitur à fortiore, quòd illegitimus ex diſpenſatione factus Clericus, vel etiam Sacerdos, citra novam papalem diſpenſationem, ſaltem ad dignitatem cum cura animarum deputari nequeat. Cujus contrarium tenere videtur Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 109. ubi *Clerici ſæculares, etiam illegitimi, non prohibentur conſtitui Vicarii.* quia & *loc. cit. num.* 86. expreſsè ait, poſſe Vicariatum ab Epiſcopo concedi illegitimo abſque diſpenſatione, quia dignitas amovibilis, qualis eſt Vicariatus ille, concedi poteſt illegitimo abſque diſpenſatione. Et ſic ſibi reſponſum eſſe ab Officialibus primariis Curiæ Romanæ, & aliis peritiſſimis: ſecus verò fore, ſi eſſet dignitas perpetua; eò quòd Epiſcopus diſpenſare non poſſit cum illegitimo ad duplicia, qualis eſt iſta dignitas Vicariatûs. Verùm, quòd contra eſt; non minùs manet dignitas curata, ſi non eſſet perpetua, quàm ſi

esset. Observandum quoque hic, quòd idem Pax-Jord. *l. c.* habet: nempe Campanilem *in rubric.* 11. *c.* 13. *num.* 118. cum Paleot. Majol. & Rodric. *in qq. Regular.* defendere, illegitimum, quamvis per ingressum Religionis consequatur legitimitatem, aut etiam fuerit aliàs in ea legitimatus pro dignitatibus suæ Religionis, non posse adhuc assumi ad Vicariatum Episcopi.

*Quæstio 45. Num excommunicatus, suspensus, interdictus constitui possit Vicarius?*

Respondeo ad primum negativè. Sbroz. *l.* 1. *q.* 34. *num.* 2. citans Franc. *in c.* 1. *de off. Vicar. in* 6. Foller. *in pr. crimin. can. p.* 1. *moral. num.* 116. Cuch. *Instit. Juris Can. tit. de Vicar. Episc. num.* 54. & cum his Pax Jord. *l. c. n.* 110.

2. Respondeo ad secundum: Sed neque interdictus aut suspensus deputari potest Vicarius. Pax Jord. *loc. cit. num.* 111. Et in omnibus his par est ratio cum excommunicato; quia nimirum impediuntur exercere spiritualia & jurisdictionem. Pax Jord. *loc. cit.* videnda sunt hic, quæ in genere dicuntur de excommunicatis, interdictis, suspensis, irregularibus nō eligendis ad beneficia aut dignitates.

*Quæstio 46. An, qui Judex fuit maleficiatorum, deputari possit Vicarius?*

Respondeo: qui quandoque fuit Judex laicus maleficiatorum, & protulit sententias mortis, quæ fuerunt executioni mandatæ, aut alio quovis modo immiscuit se in Judicio sanguinis, unde contraxerit irregularitatem, non potest constitui Vicarius Episcopi. Sbroz. *l.* 1. *q.* 41. *num.* 1. & ex eo Pax Jord. *loc. cit. num.* 113. citantes Bald. *in proœm. decretal. num.* 18. Pavin. *de potest. capit. Sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 34. Abb. *in c. ne Clerici. v. monachi. ante finem.* Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 23. *num.* 13. Quibus Pax Jord. addit Gavant. *in pr. v. Vicarius num.* 9. Rationem dat hanc Sbroz. *à num.* 2. quòd talis, quia participavit in causa sanguinis sit irregularis juxta D. Thom. & alios passim; irregularis autem ad ordines promoveri nequeat; qui verò ad ordines ascendere nequit, etiam non possit judicare ordinatos. Unde etiam, si talis fuit dispensatus (quod fieri posse ab Episcopo, uti & ab omnibus aliis irregularitatibus non deductis ad forum contentiosum, tradit Sbroz. *loc. cit. num.* 6.) posse constitui Vicarium ait Sbroz. *num.* 5. Quod intelligendum de dispensatione in ordine ad primam tonsuram suscipiendam; irregularitas namque directè arcendo ab ordinibus non solùm sacris, sed & à prima tonsura indirectè arcet à Vicariatu Episcopi, utpote requirente primam tonsuram. De cetero enim habita, & obtenta legitimè prima tonsura seu clericatu, sive ante sive post illum obtentum exercuerit talis Judicis Officium citra dispensationem aliam deputari poterit Vicarius Episcopi. Ita expresè docet Garc. *p.* 5. *c.* 8. *à num.* 7. ubi: hæc sententia (nimirum quòd talis nequeat esse Vicarius, etiamsi postea vel antea sit factus Clericus, quia est irregularis, & sic incapax jurisdictionis ecclesiasticæ, quàm sententiam tenent Ferret. *cons.* 8. *num.* 1. & 2. Felin. &c. apud eundem Garciam) mihi videtur falsa, quando iste vel antea vel postea fuit factus Clericus; nam licèt incurrerit irregularitatem ex homicidio, non ex eo amittit privilegia Clericalia; sed id solùm reperitur cautum in irregularitate bigamiæ. Nec Baldus, & Decius loquuntur, quando ille fuit factus Clericus, ut Baldo imponit Felin. Et ita videmus aliquando causas Ecclesiasticas committi Clericis primæ Tonsuræ, qui fuerunt Judices sæculares, & condemnare aliquos ad pœnam mortis, quæ fuit executa. Et hanc sententiam tenet Ugolin. *de irregularit. c.* 65. §. 4. *num.* 2. dicens, quòd irregularis, si jurisdictionem aliquam ecclesiasticam habeat, exercere eam poterit, modò ordinis functiones non exerceat (de quo vide meipsum *fori benef. p.* 2. *q.* 278. ubi cum communi, quòd irregularitas impediat actum ordinis non jurisdictionis) quod non solùm (pergit Garcias *num.* 9.) procedit, quandò commissio facta ante irregularitatem incursam, ex qua non amittitur vel ligatur jurisdictio ante commissa. Suarez *Tom.* 5. D. 40. *s.* 2. *num.* 28. Sed etiam, quandò commissio seu delegatio facta est post irregularitatem incursam; nam etiam facta Clerico irregulari est valida. Suarez *ubi ante à num.* 42. excepto casu de Clerico conjugato seu bigamo; nam in illo non solùm commissio seu delegatio facta post contractum matrimonium seu bigamiam non valet, sed etiam jurisdictio ante commissa amittitur ipso facto, juxta *cit. c.* 1. *de Clerico conjugat.* & *de bigamis in* 6.

*Quæstio 47. An tam externus quàm originarius possit esse Vicarius generalis Episcopi?*

1. Respondeo non esse assumendum in Vicarium externum, sed indigenam, ut conversatio & mores Vicarii noti esse possint Episcopo, tradit Sbroz. *l.* 1. *q.* 41. *num.* 1. citatis Foller. *in pr. crimin. Can. p.* 1. *moral. num.* 117. Cuch. *Instit. Juris Can. de Vicar. Episc. num.* 53. E contra Vicarium generalem Episcopi non debere, nec posse poni originarium civitatis vel diœcesis asserit, & pluribus stabilit Pignat. *Tom.* 9. *consult.* 162. *num.* 1. ubi plura pro hoc citat decreta in specie & in genere S. Congregat. super negot. Episc. & Regular. (in quibus quoque ratio hujus sententiæ continetur, & sunt sequentis tenoris: *Originarius civitatis vel diœcesis non potest esse Vicarius; nam propter consanguinitates, affinitates, familiaritates & alias attinentias potest deviare à recto tramite Justitiæ, vel certè se reddere partibus suspectum.* Sic dicta Cong. *in Senogallien.* 10. *Feb.* 1598. *in Sutrin.* 16. *Novemb.* 1640. *&c.* Pro hac sententia quoque citatur apud Pax Jord. *l. c. num.* 112. Segura *in director. Judic. Ecclesiast. c.* 9. ubi, quòd civis alicujus civitatis aut Provinciæ non possit esse in eadem Officialis, vel Assessor, vel Judex. Sic in 5. Concil. Provinc. Mediolan. cautum fuisse, quòd Vicarius esse debeat alienæ diœcesis. Adjicit quoque ex Gavanto Pax-Jord. in magnis Civitatibus propter munus, & alia multa per Vicarium exercenda longè aptiores videri exteros quàm proprios, ceteris tamen paribus; nam probitas, doctrina, experientia, & cetera hujusmodi magis attendenda quàm origo. Unde jam etiam limitatur à Segura dicta opinio, nempe non esse eligendum originarium, nisi esset vir eminentissimæ scientiæ & experimenti. Pari ratione idipsum limitat Pignat. *l. c. n.* 2. ubi: solet tamen aliquando eadem Congregatio dispensare, ut Episcopus, præsertim residens, tenere possit Vicarium diœcesanum, dummodo non præbeat occasionem querelarum, idque multis de causis: quòd Episcopus extraneum idoneum reperire nequierit, quòd Vicarius externus tam citò non possit accedere, propter fructuum tenuitatem. Propter aëris intem-

intemperiem : propter notitiam bonarum qualitatum talis Vicarii diœceſani. Quòd ſit eximius in regimine, uti conſtant hæc ex declarationibus ejuſdem S. Congregat. congeſtis per Nicolium *in ſuis floſc. v. Vicarius generalis. num. 36.* De cetero addit idem Pignat. *n. 3.* diœceſanos non tantùm non poſſe conſtitui Vicarios, ſed & conſtitutos removendos, ne fortè amicitiâ, propinquitate, gratiâ metu adducti jus interdum aliquo modo violent, minuſque liberè dicant, ut proinde his rationibus motus S. Carolus Borromæus Vicarium externum adhibuerit teſte Carolo à Baſilica S. Petri *in ejus vita. l. 7. c. 36.* & Homobon. *de ſtat. hum. vit. c. 7.* Quin etiam aſſerit Pignat. id eſſe de jure; quia Officium Vicariatûs præſefert juriſdictionem, quam in propria patria exercere non permittitur *l. ult. c. de crim. ſacrileg. & l. 3. de diverſ. off.* aliiſque congeſtis per Menoch. *l. 5. præſumpt. 12. n. 18.*

2. Neque his obſtat, quòd prædeceſſores Epiſcopi retinuerint Vicarios diœceſanos ſeu originarios; quia, ut inquit Pignat. *l. c. n. 4.* in fine, non eſt exemplis judicandum, præſertim quando non concurrit eadem ratio; dum potuit in eis eorum Vicariis concurrere aliqua cauſa ex ſupra relatis habendi Vicarium originarium.

## *Quæſtio 48. Quæ ſcientia requiratur in Vicario Epiſcopi?*

1. REſpondeo primò: Non debet eſſe illiteratus. Sbroz. *l. 1. q. 36. n. 3.* Pax Jord. *l. c. n. 114.* Siquidem imperiti & illiterati Judices eſſe non poſſunt; & munus judicandi ſcientiâ deſtitutis non eſt credendum. Sbroz. Pax Jord. *locis cit.* & apud illos Bald. *in l. ult. q. 16. c. de hæred. inſtitut.* & plures alii, quos cumulat Menoch. *conſ. 110. num. 241. vol. 1.* & in ſpecie de Vicario Rebuff. Sed debet eſſe inſtructus ſcientiâ, quæ ad hoc ejus munus eſt neceſſaria. Concilium enim Trident. *Seſſ. 24. cap. 12.* diſponit & ait: *ad quaſcunque dignitates, quibus ſubeſt cura animarum, nullus admitti debet, niſi illâ doctrinâ commendetur idoneus, quæ ad ſuum munus exequendum eſt neceſſaria*: Sed Vicariatus eſt dignitas, cui ſubeſt cura animarum, ut dictum ſupra: unde, ut inquit Azor. *p. 2. l. 3. c. 43. q. 12.* Debet eſſe rerum & cauſarum forenſium peritus. Et in ſpecie, cùm cauſæ matrimoniales tractandæ ſint per Judices, qui non ignorant ſtatuta Canonum, juxta *c. fin. de conſang. & affinit.* & *ibi* Abb. Sed Vicario Epiſcopi competit cognitio cauſarum matrimonialium. Sbroz. *à n. 5.* citans *c. penult. de reſtit. in integ.* Bertach. *tr. de juriſdict. Epiſc. l. 4. p. 7. tit. de Vicar. Epiſc. num. 14.* & pro ut dicetur à nobis infra: ergo. Quare licet dicat Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect. in 6.* quòd, ſi accidat, ut ex duobus tanquam præ aliis omnibus idoneis ad Prælaturam promovendus ſit, quorum unus purè Theologus Juris Canonici peritiam vix ullam ſeu exiguam habens, alter ſit purè canoniſta, in Theologia vix quicquam verſatus, præferri haud dubie debeat Theologus; quia cognitio veritatis fidei magis neceſſaria eſt, quippe fundamentum Eccleſiaſticæ gubernationis ac diſciplinæ: ſubjungit tamen: ſed, ſi fieri poſſit, quærendi ac promovendi ſunt tales ad Vicariatus & ſimiles dignitates, qui in utroque ſtudio verſati & exercitati ſint.

2. Videtur tamen doctrinam hanc de ſcientia Vicarii limitare aliquantùm Sbroz. dum *cit. q. 36. num. 13.* ait, poſſe quandoque imperitos (meliùs dixiſſet minùs peritos:) eſſe Judices & Rectores civitatum, dum aſſumunt Aſſeſſores doctos, quos conſulere poſſunt. Pro quo citat Jaſonem ſcilicet *in l. penult. de Judic.* & Felin. (qui loquitur de Judice ſpirituali:) *in c. ſuſcitatus. de reſcript. num. 9.* Et ſic ait Sbroz. vidiſſe ſe in Epiſcopatu Fanenſi deputatum Vicarium Theologiæ Profeſſorem; qui Aſſeſſorem Doctorem Juris Canonici conſulebat. Tametſi Garcias *p. 5. c. 7. n. 17.* dicat teneri Epiſcopum idoneum & literatum Vicarium conſtituere, qui per ſeipſum valeat Officium exercere, & graviter peccare Epiſcopos, qui aliquando conſtituunt Vicarios Theologos, ſeu aliàs ad officium ineptos, tenerique illos ad reſtitutionem damnorum inde ſecutorum.

## *Quæſtio 49. An Vicarius Epiſcopi teneatur eſſe graduatus, & in qua facultate?*

1. REſp. ad primum: Eligendum eſſe in Vicarium, qui ſit ad Doctoris aut Licentiati in Jure Canonico gradum promotus, abſolutè pronunciat Azor. *p. 2. l. 3. c. 43. q. 13.* Eligendum, qui ſit Doctor in Jure Canonico aut Licentiatus, aut aliàs, quantum fieri poteſt, idoneus, dicit Sbroz. *l. 1. q. 36. num. 12.* Barboſ. *juris Eccleſ. l. 1. c. 15. n. 14.* Cardin. de Luca *ad Trident. D. 31. num. 14.* ait: tametſi nullibi cautum ſit, quòd Vicarius (intellige Epiſcopi) debeat eſſe Doctor; Tridentinum enim *Seſſ. 24. c. 16.* requirens in Vicario Doctoratum aut Licentiatum, loquitur tantùm de Vicario Capituli, nihilque quò ad hoc diſponit Concilium aut S. Congregatio. Pax Jord. *l. c. num. 115.* S. Congregatio tamen Epiſcoporum, quando concurſus habetur, demandare ſolet Epiſcopo, ut teneat Vicarium Doctorem. Garc. *l. c. num. 17.* abſolutè ait: Vicarius Epiſcopi non debet eſſe neceſſariò Doctor vel graduatus. Sic quoque cum Sbroz. *l. c. num. 13.* inquit Pax Jord. *cit. num. 115.* Quòd ſi Vicarius ſibi aſſumat Aſſeſſorem Doctorem, non erit neceſſarium, quòd ipſe ſit Doctor, ſi loquamur de Vicario Epiſcopi. Multoque proinde minus requiritur in Vicario Foraneo, ut is ſit Doctor aut Licentiatus. Pax Jord. *num. 116.* ex Sbroz. *loc. cit. num. 15.* De cetero qui veniant hic nomine Doctorum, vide apud Cardin. de Luca *l. c. num. 12.* & dicenda infra de Vicario Capituli quo ad hoc punctum. Sic quoque nomine Licentiatorum non veniunt hic alii, quàm qui in publica univerſitate vel Collegio juxta regionum mores & ſtylum Licentiaturâ tanquam gradu ſolenniter decorati ſunt. Cardin. de Luca *l. c. num. 13.* Proinde, ut *ibidem* Cardin. de Luca, licèt in Italia (ubi iſte Licentiatorum uſus non eſt) qui aliquo tempore ſtudiis in aliqua Univerſitate vacarint, atque ordinario curſu expleto ab aliquo Magiſtro Licentiam reportent, & vulgo Licentiati de facto nuncupari ſolent, verè tamen tales non ſunt, neque decretum illud Tridentini illos complectitur.

2. Reſpondeo ad ſecundum: Si graduatus eſſe debet Vicarius, debere eſſe Doctorem aut Licentiatum in Theologia, vel Jure Can. aſſerit Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num. 31.* Verùm Doctoratus in Theologia in hoc propoſito non habetur in conſideratione, ſed requiritur Doctoratus aut Licentiatura in utroque jure, vel ſaltem in Jure Canonico, ſpectato nimirum fine vel effectu; eò quòd, cùm Vicarius deputetur ad juſtitiam adminiſtrandam, atque ad

decidendas causas tam civiles quàm Ecclesiasticas & mixtas, idcirco debet esse versatus in ea facultate, quæ ad id necessaria est, ait Card. de Luca *loc. cit. num.* 14. testaturque idem *num.* 17. respondisse S. Cong. Concil. desuper interrogatam, doctoratum in Theologia non sufficere in concursu Doctorum in decretis seu Jure Canonico. Num verò sufficiat Doctoratus tantùm in jure civili, disputat idem Cardin. *loc. cit. à num.* 16. ubi etiam in affirmativam propendet, dum ait; quòd dum decretum conciliare præcisè ac taxativè se non restringat ad Doctoratum in decretis; sed adhibeat dictionem *saltem*, ita excludere non videatur aliam speciem Doctoratûs, qui causarum determinationi magis congruus est ex vulgari dicterio: quòd Legista sine canonibus imperfectus judex est, parumque valet; sed canonista sine legibus nihil valet. Menoch. *de arbit. caus.* 420. Ideoque magis opportuna est peritia in legibus, quàm in canonibus. Vide tamen, quæ pro opposito subjungit *ibidem* idem Cardinalis.

*Quæstio* 50. *Num Regulares seu Religiosi esse possint Vicarii Episcopi?*

1. Respondeo primò: Non tantùm Canonicus sæcularis deputari potest Vicarius Epicopi. Sbroz. *l.* 1. *q.* 42. *num.* 1. citans quam plurimos (qualiter verò percipere possit distributiones quotidianas, & excusetur à residentia, & in absentia percipere possit fructus sui beneficii, vide apud Sbroz. *l.* 1. *q.* 43. & meipsum *fori benef. p.* 1. ubi de residentia beneficiatorum) verùm etiam Canonicus Regularis Pirh. *loc. cit.* Pax Jord. *loc. cit. num.* 109. Sbroz. *l.* 1. *q.* 37. *num.* 1. citans Paris. *cons.* 40. *num.* 10. *vol.* 4. Cuch. *in instit juris can. l.* 2. *n.* 57. *&* DD. *in c. si quis. dist.* 68. Confirmat id Sbroz. *loc. cit. num.* 5. à pari, quo nimirum Canonicus Regularis creari possit Archidiaconus, qui & ipse est Vicarius Episcopi, pro quo citat Gl. 2. *in c. præterea. de præb.* Innoc. *cons.* 165. *num.* 40.

2. Respondeo secundò: Monachus quoque deputari potest Vicarius Generalis Episcopi. Pirh. Pax Jord. *locis cit.* Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *num.* 16. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *q.* 12. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 4. Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Episc. num.* 30. Cuch. *ubi ante.* Fusc. *de visitat. & Reg. Eccles. l.* 2. *c.* 17. *num.* 100. Vantium *de nullit. ex defect. jurisd. deleg. num* 82. & plures alios, quos omnes moveri ait per Gl. *in c. Monachi. v. Abbate, ead. q.* ubi Monachus ab Episcopo Judex constitui potest. Item per Gl. *in c. si quis.* & *ibi* DD. *v. majorem dist.* 58. ubi *Monachus potest esse Vicarius Episcopi.* Et, ut Sbroz. *loc. cit. num.* 8. Quòd Monachi possint utilitatis gratiâ per Episcopos à claustro avocari. Pro quo citat. Rotam *decis.* 3. *tit. de off. Vicar. in antiq.* Cardin. *in Clem.* 1. §. *ad Prioratus. de regular. in* 6. Debere tamen in eo casu habere Monachum socium Religiosum de suo ordine; quia solus stare non debet. Azor. Pax Jord. Pirh. *locis cit.* Sbroz *l. c. n.* 15.

3. Respondeo tertiò: Religiosus tamen ex ordine mendicantium assumi nequit in Vicarium. Azor. Pirh. Barbos. *locis cit.* Engels *ad tit. de off. Vicar. n.* 9. Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. num* 32. juxta *Clem.* 1. §. *ad Prioratus. de regular.* & Clem. *in plerisque. de elect.* contra Meroll. *Th. mor. p.* 3. *d.* 7. *c.* 6. *dub.* 5. *n.* 36. apud Ventrigl. *l. c.* qui solùm à Vicariatu removet mendicantes Ordinis Fratrum Minorum. Quorum quoque solorum mentionem facit Sbroz. *l. c. n.* 5. dum ait, in Fratribus Ordinum Minorum ea locum habere, quæ in contrarium objiciuntur contra Monachos, quò minus esse possint Vicarii Episcopi, utpote qui funditus pro mortuis habentur, & secus esse de Monachis. Denique testatur *l.* 1. *q.* 36. *n.* 13. in Episcopatu Fanensi deputatum fuisse in Vicarium Fratrem Joannem Mariam Brunellum Ordinis S. Dominici, qui quoque ordo inter mendicantes numeratur.

4. Respondeo quartò: Arcentur quoque à Vicariatu Episcopali Religiosi illegitimè nati. Engels *l. c.* citans Majol. *de irregular. l.* 1. *c.* 3. *num.* 10. juxta dicta à nobis supra, ubi, num illegitimus esse queat Vicarius Episcopi.

*Quæstio* 51. *Num Regulares in hoc, ut sint Vicarii Episcoporum, egeant licentiâ suorum Superiorum seu Prælatorum?*

Respondeo affirmativè: Pax Jord. Pirh. Ventrigl. Barbos. Engels *locis cit.* Sbroz. *cit. q.* 38. *n.* 10. citans Rebuff. *ubi ante. n.* 30. Cuch. *num.* 58. Cravet. *Consil.* 325. *n.* 8. & plurimos alios juxta dispositionem *Trident. Sess.* 25. *c.* 4 *de regular.* ubi expressè prohibetur, ne quis Regularis sine sui Superioris licétia electionis aut cujusvis pii operis prætextu se subjiciat obsequio alicujus Prælati, Principis, Universitatis aut cujuscunque personæ. Idem extendit Sbroz. *l. c. n.* 11. ut similiter monachus sine licentia Abbatis aut Superioris sui nequeat esse Vicarius Capituli sede vacante, pro quo citat Pavin. *de potest. capit. sede vacant. p.* 2. *q.* 10. *n.* 15.

2. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz *l. c. n.* 13. ut procedat in Monacho claustrali; secus in Monacho habente administrationem, pro quo citat Cardin. *in Clem.* 2. *de rescript. n.* 17. Vantium *ubi supra. num.* 82. Datque rationem, quòd cum tali Monacho concedatur administatio, & consequenter conversatio, & frequentatio cum hominibus laicis, & aliis in causis sæcularibus, multò magis possit præsidere in causis spiritualibus. Sic etiam in specie de Abbate ipso habente administrationem, quòd possit esse Vicarius Episcopi, tradit Sbroz. *l. c. n.* 16.

3. Porrò in eò, cujus Superioris licentiâ egeat, non conveniunt AA. Rodriq. *qq. regular. Tom.* 3. *q.* 76. *a. ult.* vult requiri necessariò licentiam Generalis vel Provincialis. Probabilius verò esse, sufficere licentiam immediati Superioris conventûs, putà Prioris, Præpositi & similium, defendit Meroll. *ubi ante n.* 29. apud Vintrigl. *l. c.*

4. Quòd si etiam Regularis non est exemptus à jurisdictione Episcopi, præter licentiam Superioris requiritur quoque licentia Episcopi, cui subjectus talis Religiosus (intellige, dum hic diversus est ab Episcopo assumente illum in Vicarium) Meroll. *l. c.* Sbroz *l. c. num.* 11. citans Cardin. *ubi ante.* Et, si discordant iste Episcopus & Abbas seu Superior dicti Religiosi, sufficere licentiam Episcopi, tenet Meroll. è contra debere Monachum tunc potiùs obedire Abbati suo quàm Episcopo, tenet Sbroz. ex Cardinale *l. c.*

*Quæstio* 52. *Num valeat Sententia aliaque acta à tali Religioso assumpto in Vicarium Episcopi sine licentia sui Superioris?*

Respondeo in hoc non convenire AA. non valere illa, defendit Sanch. *in Sum. Tom.* 2. *l.* 6.

*l. 6. c. 13. num. 97.* apud Ventrigl. *loc. cit.* item tenere videtur Biſignet. *ad deciſ. 4. Rotæ tit. de off. vicar. in antiq.* apud Sbroz. *l. 1. q. 39. num. 1.* Affirmativam econtra tenet Meroll. *loc. cit. num. 45.* apud Ventrig. qui ait, hanc Merollæ ſententiam eſſe probabiliorem; opinionem verò Sanch. eſſe omnino veram & ſecuram in religioſo ordinis Minorum. Item hanc affirmativam tenet Sbroz. *loc. cit. n. 4.* dicens hanc opinionem eſſe æquiorem & receptiorem. Citat pro ea Vantium *ubi ſupra num. 82.* Guido. Papam *deciſ. 563. num. 1.* in fine. Fundamentum hujus ſententiæ ait eſſe, quòd ex quo Epiſcopus talem Vicarium toleravit, præſumptio eſt quòd canonicè & cum licentia Abbatis illummet conſtituerit, &, ob hujuſmodi erroneam præſumptionem & publicam utilitatem ſententia ab illo prolata valebit; quia ob communem errorem & publicam utilitatem geſta per erroneum Judicem ſuſtinentur juxta *l. Barbarius. ff. de off. Proconſ.* & ſic toleratus ab Epiſcopo habet juriſdictionem, & quidem ordinariam, ut Felin. *in c. ſciſcitatus. num. 5. de reſcrip.* ubi dicit, Ordinarium toleratum à Superiore habere juriſdictionem ordinariam. Veruntamen non quærebatur, num in caſu talis publici erroris, & erroneè præſumptæ licentiæ valerent acta talis Regularis; ſed num ea valerent, etiam dum conſtat Epiſcopo eum aſſumenti aliiſque palam, eum non habere eam licentiam à ſuo Superiore.

*Quæſtio 53. Num præter dictam licentiam requiratur quoque utilitas Monaſterij, cujus Regularis ille membrum eſt, ad hoc, ut valeat eligi ab Epiſcopo in Vicarium?*

Reſpondet affirmativè Ventrigl. *cit. num. 55.* juxta generalem diſpoſitionem *Cap. Monach. ib. 2. 16. q. 1.* & *c. 2. de poſtul.* ubi diſponitur, ad hoc, ut regularis valeat exercere officium, indirectè requiri duo, nempe licentiam Superioris, & utilitatem Monaſterii; quam tamen utilitatem largo modo accipiendam, ita ut, dum inſervit Epiſcopo Regulari, ea utilitas dicatur concurrere ex hoc, quod vel ſic negotia Monaſterii faciliùs promoveantur, ait Ventrigl. ex Sanch. *in ſum. tom. 2. l. 6. c. 13. num. 92.* qui, licèt id reſtringat tantùm ad ſervitium Epiſcopi loci, in quo eſt Monaſterium; Meroll. tamen *loc. cit. num. 40.* putat eſſe verum, etiamſi intra illum Epiſcopatum, in quo Religioſus eſt Vicarius, non ſit Monaſterium, modò ſint ibi alia bona vel jura Religionis; eo quòd adhuc procedat ratio adducta à Sanchez.

*Quæſtio 54. Num Parochus poſſit eſſe Vicarius Epiſcopi?*

Reſpondeo negativè: (Saltem ſi ſermo ſit de longo tempore, ſeu ultra bimeſtre, aliàs conceſſum Parochis ad abeſſendum) Gonz. *ad regul. 8. cancell. Gl. 6. num. 255.* Garc. *de benef. p. 3. c. 2. num. 40.* Pirh. *ad tit. de Cleric. non reſident. num. 16.* Ventrigl. *loc. cit. num. 54. ego in foro benef. p. 1. q. 386. n. 4.* contra Navar. *conſ. 15. de Cleric. non reſid.* quatenus docet Parochum etiam poſt Trident. poſſe de licentia ſui Ordinarii ex cauſa juſta, nempe ut ſit Vicarius generalis, etiam alterius quàm ſui Epiſcopi, etiam ad multum tempus abeſſe (quòd ipſum admittit Pirh. *loc. cit. num. 41.* dum alii idonei ad iſtud munus non adſunt) eò quòd Tridentinum jus antiquum permittens Epiſcopo ex gravi cauſa dare licentiam Parocho abeſſendi ultra duos menſes, non abrogarit. Extant pro reſponſione noſtra claræ deciſiones S. Congregat Concilii ad *c. 1. ſeſſ. 23.* ejuſdem Concilii, quas recitat Garc. *loc. cit. num. 42.* quarum prima ſic habet: *Epiſcopus non poteeſt uti operâ Parochi in viſitatione, vel alio ſervitio ſuæ Diœceſis, niſi pro tempore permiſſo duorum menſium*, &c. Altera: *Non licet Epiſcopo ſuorum, vel etiam Cathedralis Eccleſiæ negotiorum cauſâ permittere, ut curati extra ipſorum curam maneant, etiam conſtituto Vicario*, &c. Quibus declarationibus conſonant Bononienſe & Mediolanenſe apud Garciam *loc. cit.* Textus verò concedentes illam abeſſendi licentiam adſcitis in ſervitium proprii Epiſcopi loquuntur ſolùm de Canonicis, adeoque hi extendendi non ſint ad alios, maximè curatos; quia eſt materia damnoſa Eccleſiis & curæ animarum. Sed neque id (nempe quòd Parochus ſit Vicarius Epiſcopi:) permitti poſſe ob conſuetudinem aut paucitatem ovium, tradit poſt Garciam *loc. cit.* Meroll. *loc. cit. n. 61.* apud Ventrigl. qui tamen teſtatur, ſolere quandoque S. Congregationem concedere licentiam Parocho, ut valeat abeſſe à reſidentia per ſex menſes cauſa exercendi officium Vicariatûs. Subjungit quoque, quòd licet prædicta vera ſint, videre nos tamen in praxi in multis locis, in quibus Vicarius habet parvam occupationem, Parochum ejuſdem urbis exercere officium Vicariatûs, idque tolerari, ex quo cura animarum nullum recipit detrimentum. Quòd idem facilius dixero, ubi aliàs Parochus habet Sacellanos alioſque adjunctos, qui curæ animarum invigilent, eamque adminiſtrent.

*Quæſtio 55. Num Epiſcopus alius eſſe poſſit Vicarius generalis Epiſcopi?*

Reſpondeo: Epiſcopos, quin & Cardinales poſſe eſſe Vicarios alicujus alterius Epiſcopi, ſupponunt Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. Archiep. num. 35. 39. & 68.* Mandoſ. *ad reg. Cancell. 24. de male promotis. q. 6. num. 13.* apud Sbroz. *l. 1. q. 44. num. 1.* contrarium apud eundem *num. 2.* tenentibus Milis. *in Repertor. V. Vicarius Epiſ.* Anton. de Pretis. *tr. de juriſd. Epiſc. c. 6. num. 43. in fine* & aliis. Et ſane de Epiſcopo nullatenenſi, ſeu actu non habente, & adminiſtrante Diœceſim ullam aliam propriam, id certum eſt, ut habet praxis communis, quòd eſſe poſſit Vicarius tam in Pontificalibus quàm Spiritualibus, ſeu tota Juriſdictione Spirituali. Quin & teneri Epiſcopum talem Epiſcopum titularem, ſeu nullatenenſem aſſumere Vicarium non tantum pro Pontificalibus, ſed & pro reliqua Juriſdictione exercenda in Diœceſi, ubi ſunt populi diverſarum linguarum & rituum, juxta *c. quoniam. de off. ordinar.* dictum eſt ſupra, de quo etiam vide Sbroz. *l. 1. q. 31. a. num. 16.* Verùm de Epiſcopo, qui & ipſe propriam Diœceſim, illiuſque actualem adminiſtrationem habet, meritò dubitari poteſt. Videturque eadem eſſe in eo ratio quæ eſt de Parocho; cùm & ipſe oves proprias habeat, quarum cura detrimentum patiatur per ſervitium impenſum alteri Epiſcopo in curandis ovibus illius: Et de tali Epiſcopo ſentire videntur Authores illi paulò ante citati negantes, poſſe Epiſcopum eſſe alterius Epiſcopi Vicarium. Veruntamen & de tali Epiſcopo id expreſsè tenet Pignat. *Tom. 3. conſ. 22. n. 1.* quòd poſſit munus Vicarii gerere ſaltem interea, quo operitur commodam occaſionem tranſeundi ad ſuam Eccleſiam. Porrò talem Epiſcopum aſſumptum in Vicarium alterius Epiſcopi non habere per hoc majorem poteſtatem quàm ceteri Vicarii, tradit Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. q. 9.*

# CAPUT SECUNDUM.

## De Dignitate, Præcedentia, & Jurisdictione Vicarii generalis.

### PARAGRAPHUS I.

### De Dignitate & Præcedentia illius.

*Quæstio 56. Vicariatus Episcopi num sit beneficium Ecclesiasticum, & num conferri possit in titulum?*

REspondeo negativè. Azor. p. 2. *l.* 3. *cap.* 13. *q.* 8. *& c.* 43. *q.* 8. Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num.* 33. cum communi. Etsi enim percipiat fructus hujus sui muneris, sui potiùs detur illi & debeatur salarium tanquam merx laboris; hi tamen fructus seu reditus annui ei assignati, jusque ipsum illos percipiendi ratione præstiti laboris, non conferuntur ei in titulum stabilem ac perpetuum, cùm ad nutum Episcopi amoveri possit; dum interim beneficium suaptè natura est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *l.* 1. *q.* 45. *num.* 8. *&* 9. ubi, quòd in titulum non confertur Vicariatus Episcopalis juxta *c. cum eo. de electione. in* 6. & *c. pervenit. de appellat.* quos textus citat; quia ad libitum Episcopi amoveri potest. Quin & Vicariatus per obitum aut amotionem Vicarii ab officio non vacat, sed finitur ac desinit. Azor *cit. c.* 13. *q.* 8. & vel in hoc etiam à beneficio manuali distinguitur, quòd licet sit aufferibile ad nutum, dum tamen auffertur, vacat, & non desinit esse in rerum natura sicut Vicariatus.

*Quæstio 57. Num Vicarius generalis Episcopi sit in dignitate Ecclesiastica constitutus?*

1. REspondeo affirmativè: Azor *loc. cit.* Pirh. *loc. cit. num.* 34. Ventrigl. *loc. cit. num.* 7. Barbos. *juris. Eccles. l.* 1. *c.* 15. *num.* 26. citans Pavin. *de potest. cap. sede vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 16. Fusc. *de visitat. l.* 1. *c.* 15. *num.* 32. Anton. de Pretis. *de jurisd. Episc. c.* 6. *num.* 50. (ubi etiam dicit Vicarium esse spectabilem & de mediis Magistratibus) Sbroz. *l.* 2. *q.* 22. *n.* 1. citans quam plurimos alios. Qui Sbroz. etiam *n.* 3. & ex eo PaxJord. *loc. cit. num.* 89. id extendit ex presse ad Vicarium Episcopi electi & confirmati nondum consecrati. Fagn. *in cap. ad hæc. de Præb. num.* 26. ubi: *per Vicariatum consequitur dignitatem*: & quam citat Gl. *in Clem. etsi principalis. de rescrip. v. delegatus.* Quæ dicit Officialem Episcopi tanquam constitutum in dignitate comprehendi *c. statutum. de rescrip. in* 6. Habet enim præeminentiam cum jurisdictione conjunctam, & ex eadem provenientem. Pirh. *loc. cit.* dignitas autem consistit in tali præeminentia. Fagn. *loc. cit. num.* 31. &, ut idem *ibidem num.* 34. ex Archidiacono *in c.* 1. *de consuetud. in* 6. Dignitas Ecclesiastica cognoscitur ex eo, quòd habeat administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione. Quod ipsum declarat Sbroz *loc. cit. n.* 7. dicendo, id verum esse quo ad præeminentiam seu prærogativam ortam ex jurisdictione, & tribunali Episcopi vel Consistorio, secundùm quòd ipse est una eademque persona cum Episcopo, & quo ad illam jurisdictionem corruscat radiis dignitatis Episcopi, sicut Augusta radiis dignitatis Principis, ut idem Sbroz. *num.* 8. citatis Abb. & Cardin. *in Clem.* 7. *de rescrip.* Rebuff. *in tr. de Paris. possessor. num.* 79. &c. Secus quò ad dignitatem Ecclesiasticam Pontificalem, ut Sbroz. *num.* 9. quæ propriè residet in Episcopo, & non est communicabilis, & divisibilis; adeoque quo ad illam Vicarius non facit idem consistorium cum Episcopo. Unde etiam Vicarium non dici habere dignitatè propriè & per se stantem ait Sbroz. *n.* 10. eò quòd, ut ait *n.* 11. si haberet Vicarius propriè dignitatem per se stantem, eò mortuo remaneret dignitas vacans; cùm illa non exspiret, sed sit perpetua; Vicariatus autem exspiret morte Vicarij, juxta *Clem. ult. in Glos. fin. de procurator.* quamvis quò ad hoc contrarium opinetur Cuch. *Institut. can. de vicar. tit.* 8. *num.* 7. *& seq. l.* 2. nempe Vicariatum Episcopalem dignitatem perpetuam continuatamque esse, & in ea dari successionem, delegationemque ad successorem in officio manare. Contra quem vide quamplurimos citatos à Sbroz. *l.* 1. *q.* 45. *a. num.* 7. Sic quoque Vicarium non habere dignitatem strictè, quæ cum alio beneficio sit incompatibilis (de quo paulò post) habere tamen quo ad præeminentiam in jurisdictione provenientem, & ex tribunali Episcopi, secundùm quòd est una persona cum Episcopo, ait Fagn. *loc. cit. n.* 28. De cetero Vicarium generalem Episcopi habere dignitatem cum administratione patet. Sbroz. *l.* 1. *q.* 35. *n.* 5.

2. Secus verò est in Vicario foraneo, qui licet administrationem aliquam habeat, nullam tamen habet dignitatem. Sbroz. *l.* 2. *q.* 22. *num.* 14. citans Cardin. Innoc. Anchar. *in cit. Clem.* 2. *de rescrip.* Rebuff. *in pr. ubi ante n.* 4. Vant. *de nullitat. ex defectu jurisdict. delegat. num.* 66. Item in Vicario Archidiaconi, vel alterius Prælati inferioris ab Episcopo. Sbroz. *cit. q.* 22. *num.* 17. citans Gl. *in cit. Clem. V. Episcopi. & ibi* Abb. *num.* 5. *contra* Menoch. *cons.* 257. *col.* 3. *vol.* 3. Quid verò jam possit Vicarius generalis ratione hujus suæ dignitatis quò ad delegationes ei factas à Sede Apostolica, dicetur infra, ubi de potestate illius.

*Quæstio 58. Vicarius generalis Episcopi num sit verè Prælatus?*

REspondeo: Absolutè eum Prælatum dicunt Ventrigl. Barbos. *locis cit.* PaxJord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 86. Pignat. *Tom.* 3. *consult.* 64. *num.* 4. *ubi Vicarium esse Prælatum constat ex eo, quòd exercet totam illam jurisdictionem, quam habet Episcopus; hæc enim jurisdictio constituit Prælatum.* Sbroz. vero *cit. q.* 22. *num.* 3. ait per Gl. in Clem. auditor de rescrip. Vicarium latè intelligendo dici Prælatum ratione jurisdictionis, quam habet cum administratione. Quin & Prælati nomen ei non congruere, indicat Card. de Luca *in miscellan. d.* 1. *num.* 21. dum ait: *quamvis autem alii adsint Ecclesiasticam jurisdictionem exercentes, ut sunt Vicarii generales vel capitulares, atque cathedralium & collegiatarum Capitula Sede vacante; attamen non nativa, sed dativa, vel accidentalis est hæc jurisdictio, vicaria vel provisionalis, adeoque Prælatura nomen eis non congruit.*

*Quæstio 59. Num dignitas Vicariatus generalis Episcopalis sit compatibilis cum alia dignitate, vel etiam beneficio curato?*

REspondeo: Vicariatus generalis Episcopi non est incompatibilis cum aliis dignitatibus, officiis, personalitatibus, beneficiis curatis, vel etiam non

non curatis. Et hinc Vicariatus neque amittitur, neque vacat per alterius dignitatis vel beneficii, etsi curati, neq; vice versa dignitas alia aut beneficium per Vicariatus adeptionem. Juxta Pirh. *cit. num.* 33. Pax Jord. *l. c. n.* 86. Sbroz. *l.* 1. *q.* 45. *num.* 10. *& l.* 2. *q.* 22. *num.* 15. qui citat Rebuff. *ubi ante. num.* 7. Cuchum *ubi ante num.* 8. Abb. *in cap. de multa. de præb. num.* 23. & alios. Fagn. *in c. ad hæc. de præb. n.* 25. *juncto num.* 28. ratio jam data est, nempe quia non est beneficium, & licet sit dignitas, non est tamen dignitas per se stabilis. Authores iidem. Verùm his non obstantibus, sive sit beneficium sive non, sive sit dignitas perpetua sive non, Vicariatus adhuc non videtur posse stare cum beneficio Parochiali requirente residentiam personalem, à qua juxta dicta supra, ubi, num Parochus esse possit Vicarius Episcopi, non excusat officium Vicariatûs assumptum; adeoque respectu talis officii non censebitur legitimè absens.

*Quæstio* 60. *Num Vicarius generalis Episcopi dignitate præcedat ceteros omnes Canonicos Cathedrales, etiam dignitates, & in specie Archidiaconum?*

REspondeo: Spectato jure communi præcedit omnes alios Prælatos Episcopo inferiores, etiam Archidiaconum; quia locum Episcopi tenet, ejusque personam repræsentat, ex quo in eodem tribunali jurisdictionalem Episcopalem exercet. Archidiaconi verò tribunal inferius est, & subjectum consistorio Episcopali, cui præest Vicarius generalis. Pirh. *loc. cit. num.* 34. Sbroz. *l.* 2. *q.* 25. *à n.* 1. citans immensam Authorum turmam. Unde jam etiam præ omnibus dignitatibus, & in specie præ Archidiacono honorandus est. Sbroz. *loc. cit. num.* 3. ubi: *Cum Vicarius Episcopi Episcopo associetur in jurisdictione, repræsentante reverentiam Episcopalem, non dabitur medius gradus inter Episcopum & Vicarium, tanquam tribunal unius sit tribunal alterius, persona unius sit persona alterius, unum agens, una actio, tanquam Episcopus honorandus.* Pro quo citat 2. *cum Gl. de consuetud. in* 6. *c. Romana. de appellat. in* 6. Gl. *in Clem.* 2. *de rescrip. c. præcipimus.* ubi dicitur: *Sicut illius locum tenens honorabitur.* Et *num.* 4. ex Anton. de Pretis (qui fuit Vicarius Archiepiscopi Florentini) *de jurisdict. Episc. c.* 6. *num.* 44. ait, quòd sicut Papa Christum repræsentat, & facit idem tribunal cum illo, & omnibus post Christum præhonoratur, ita Vicarius repræsentat Episcopum, facitque idem cum eo tribunal, omnibus post Episcopum præhonorandus est; siquidem honorificatio sequitur dignitatem, & pro majore dignitatis præcellentia major honor impertiendus.

*Quæstio* 61. *An igitur Vicarius, sicut dignitate præcedit alios quoscunque, sic quoque præ illis habeat præcedentiam in sessione, processione, & aliis similibus?*

1. REspondeo: Quantum iterum est de jure communi, Vicarius præcedit omnes Canonicos, & dignitates tam intra quàm extra Ecclesiam (intellige quò ad locum & similia) Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 15. §. 2. *num.* 1. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 15. *num.* 34. Pax Jord. *loc. cit. num.* 242. Pignat. *tom.* 4. *consult.* 26. *num.* 17. ubi *Vicarius generalis respectu Jurisdictionis locum habet supra omnes dignitates & Capitulum Cathedralis.* Abb. *cons.* 20. *l.* 1. Gratian. *discept.* 111. *num.* 2. 24. *&* 27. Rota *decis.* 200. *num.* 4. *p.* 1. *diversar. & sæpius declaravit S. Rituum congregat.* &c. Item *tom.* 3. *cons.* 64. *à num.* 3. ubi: *Dicendum est, Vicario generali Episcopi deberi præcedentiam in omnibus actibus, & locum eminentiorem super quibusvis dignitatibus, & canonicis, est communis sententia, pro qua ibidem* citat Fusc. *de visitat. c.* 2. *num.* 19. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. vicarius.* Bottæ. *de Synod. p.* 3. *num.* 20. Mallet. *de Hierarch. Eccles. l.* 3. *p.* 1. *tit.* 7. *num.* 6. Chassan. *in catalog. glor. mundi.* Gamb. *de legat. l.* 3. *num.* 103. & plurimos alios. Et *num.* 10. ait, quòd hanc sententiam amplexa sit S. Rituum congregat. quæ sæpius censuerit, quòd Vicarius Episcopi in choro, in Ecclesia, & ubique præcedat omnibus Canonicis & dignitatibus, etiam primæ post Pontificalem, sive Archidiaconus sive quomodocunque vocetur, ut *in una Fanens.* 5. *Octob.* 1586. *in Vicentina.* 16. *May.* 1604. *in Miletens.* 13. *Jul.* 1619. censuit, ut de præcedentia & loco Vicarii Episcopi illuc observetur, ut in choro & extra chorum præcedat dignitates & Canonicos omnes publicè privatimque uti eorum Superior, ita tamen, ut certum & immutabilem nullius locum occupet; quin & illas dignitates & Canonicos, qui in habitu Protonotarii incedunt, *ut in Brunduſin.* 16. *Jul.* 1605. idem Canonicos incedentes in habitu canonicali; etsi rocheto & cappa utatur, *ut in Nolana & Lauret.* 25. *Martii* 1610. Et sic in specie Vicarium præferri Canonicis & Archidiacono, tam in actu, in quo est Vicarius, quàm in aliis actibus necessariò antecedentibus & consequentibus actus jurisdictionales, & in promiscuis & indifferentibus, ut in conviviis & similibus, fusè probari à Gratian. *Discept.* 111. *per tot. ait* Ventrigl. *loc. cit. n.* 20. qui etiam pro hoc citat Manriq. *de præcedent. q.* 52. *num.* 1. *& seq.* Idem fere habet Fagn. *in c. adhuc. de præb. num.* 29. Item Vicarium præcedere Archidiaconum tam in choro quàm ubilibet, ait Barbos. *loc. cit. num.* 34. citans Valenz vel. *cons.* 101. *num.* 59. *&* 60. & testans sic declarasse S. Congregat. Rituum *in Theatin.* 6. *Jul.* 1618. Item Sbroz. *loc. cit. num.* 1. §. *at Vicarium.* Id fusissimè probat & citat pro hoc quamplurimos, & inter ceteros Jo. de Arnono *sing.* 28. ubi is appellat Archidiaconos, qui volunt præcedere Vicarium generalem Episcopi, temerarios & arrogantes. Abb. *consil.* 21. *per tot. vol.* 1. Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. num.* 7. Cassan. *catal. gloriæ mundi. p.* 4. *consid.* 46. Melillo *tr. de præcedent. vicar. c.* 1. *&* 4. *per totum.* Bottæ. *de Synod. p.* 3. *num* 20. &c. quin & extendit hoc ipsum Sbroz. *l.* 1. *num.* 7. Etiamsi Archidiaconus haberet privilegium obtinendi primam sedem post Episcopum, pro quo citat Abbatem *cons.* 21. *num.* 5. qui declarat privilegium illud respectu aliorum Clericorum non habentium jurisdictionem in Archidiaconum, non autem respectu Vicarii. Pari quoque ratione Vicarium præferendum esse Abbati & Archipresbytero, etsi de cetero Abbas immediatè post Episcopum sedere debeat, & aliis Prælatis circa Episcopum præferri, tradit Sbroz. *n.* 8. citatis pluribus. Pro quo citat Melil. *cit. c.* 4. *&* 5. Ant. de pretis. *c.* 6. *n.* 55. & alios contra Bottæ *loc. cit. p.* 3. *num.* 15. Menoch. *cit. cons.* 257. *num.* 30. *&* 78. Picard. & alios. Eò quòd Vicarius omnibus Diœcesanis præfertur post Episcopum, ut multis probat Cassan. Melillo. *locis cit.* Cuch. *tit. de vicar. Episc. n.* 29. *& seq.* Quinimo extendit illud *num.* 11. ita ut præcedat quoque Episcopum [intellige non illum, cujus est Vicarius, sed alium] v. g. dum aliquis ex Canonicis esset Episcopus eò quòd ille Episcopus, non ambulet in processionibus, aut est in choro ut Episcopus, sed ut Canonicus. Citat pro hoc Anton. de pretis *cit. c.* 6. *n.* 55.

2. Sic

2. Sic jam in ſpecie præcedet omnes alias dignitates in choro. Bar. boſ. *loc. cit. num.* 35. ubi : *præcedit Archidiaconum in choro.* Quamvis addat *num.* 34. Barboſ. & ex eo Ventrigl. *loc. cit.* quòd dum Epiſcopus ipſe præſens eſt, & ſtat in choro intra Canonicos extra Sedem Pontificalem, Vicario debeat aſſignari alius locus conveniens, ut declaravit S. Congregatio præpoſitâ negot. Epiſcopor. & Regularium *in Biſignan.* 16. *Maij.* 1600. Item Lotter *l.* 1. *q.* 16. *num.* 65. ubi : Si Vicarius vel non eſt Canonicus, vel non intereſt tanquam Canonicus, ſed tanquam Vicarius, debet ſedere in prima ſede, & præferri omnibus Canonicis, & Capitulo. Item habere debet locum ſupra omnes Canonicos in congregationibus capitularibus, dum fortè Vicarius ab Epiſcopo pro negotiis tractandis ad Capitulum deſtinatur, ſic expreſsè definiente S. Rituum congregat. *in Biſinian.* 16. *Maij* 1610. & *in Egitanienſ.* 3. *Auguſt.* 1602. apud Pignat. *cit. conſ.* 64. *num.* 11. recitantem *ibidem* ipſa congregationis verba. Quòd ſi Vicarius eſt ſimul Canonicus, & intervenit Capitulo ut Canonicus, & non eſt Prælatus, debet ſedere in loco, in quo aliàs ſederet, ſi Vicarius non eſſet. Tondut. *qq. benef. p.* 1. *c.* 109. *num.* 5. Confirmans id exemplo Epiſcopi, qui ſimul præbendam haberet, qui quoque ipſe, dum intervenit non ut Epiſcopus, ſed ut Canonicus, ſedere debet in loco, ubi ſederet, ſi Epiſcopus non eſſet. Item Ventrigl. *loc. cit. num.* 14. ubi etiam, quòd in loco ſuo canonicali habito reſpectu antiquitatis & dignitatis Canonicorum ſedere debeat, citatque pro hoc Barboſ. *de Canon. & dignit. c.* 35. *num.* 13. & apud hunc Abb. *conſ.* 21. *Vol.* 1. Grilenzon *conſ.* 121. *num.* 5. Quòd ſi Canonicus non eſt, non debet Capitulo intervenire, etiam abſente Epiſcopo juxta diſpoſitionem Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 6. unde nec Canonici illum admittere tenentur, licet poſſint, ut teſte Barboſ. *loc. cit. num.* 12. declaravit S. Congregat. *in Amerienſ.* 24. *April.* 1632. apud Ventrigl. *loc. cit. num.* 15. qui tamen addit, quòd ſi Canonici tumultuarentur in Capitulo, tum ad ſedanda ſcandala intervenire poſſe Vicarium, & Canonici teneantur illum admittere, licet non poſſit dare votum, ſed tantùm aſſiſtere repellendo ſcandala, & id eſſe conſonum rationi, & ſervari in praxi. Quod ſi tamen Vicarius eſt Canonicus, vel etiam alia dignitas, & tanquam talis ad participandas diſtributiones Canonicali habitu indutus aſſiſtit in choro, debet ſedere ſuo loco ſeu ſtallo ſui Canonicatûs vel dignitatis. Fagn. *in c. poſtulaſtis. de conceſſ. prob. num.* 26. Sbroz. *l.* 2. *q.* 25. *num.* 17. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 16. *num.* 63. Barboſ. *juris Eccleſ. loc. cit. num.* 38. Pignat. *cit. conſult.* 64. *num.* 11. & 13. teſtans ſic reſponſum à S. Congregat. Rituum *in una civitatis Pennæ* 12. *April.* 1605. & *in altera civitatis Plebis* 26. *Aug.* 1645. quæ ſic habet : *Si Vicarius incedit in habitu Vicariali, præcedit omnes dignitates & Canonicos quantumvis Protonotarios; ſi verò aſſiſtat ut Canonicus, debet ſedere in loco ſuæ receptionis*, &c. unde etiam Ventrigl. *loc. cit. num.* 11. uti & Pignat. *loc. cit. num.* 21. ait : *Quando Vicarius generalis Epiſcopi eſt Canonicus, licet uti Vicarius poſſit præcedere Canonicos omnes & dignitates, nihilominus ad finem fruendi dicta præcedentia, & ad hoc ut juſtè præcedere poſſit, debet deponere habitum Canonicalem, & aſſumere habitum Vicarialem, qui uti Vicario ei competit, uti voluit S. Congregat. Rituum in Compoſtellana.* 4. *Febr.* 1600. Si verò, ut habet Ventrigl. *n.* 12. ad hunc finem præcedendi dimittat habitum Canonicalem, ſi choro interſit extra ſuum locum Canonicalem, non lucratur diſtributiones, quas alii Canonici tunc lucrantur; quia ad finem illas diſtributiones lucrandi debet in habitu Canonicali intereſſe, & in ſuo ſtallo ſedere. Citat pro hoc Genuenſ. *in pr. c.* 86. *in annot. in principio.* Lotter. *l.* 1. *q.* 16. *num.* 63. (ubi is: *Vicarius, dum eſt in apparatu Canonicali, debet ſedere in loco ſuo tanquam ſimplex Canonicus*) teſtaturque ſic voluiſſe S. Congregat. Rituum in multis adductis per Barboſ. *de Canon. & dignitatib. c.* 18. *num.* 32. Quo ſpectat & illud, quod habet Barboſ. *loc. cit. num.* 38. quòd cum Vicarius Archiepiſcopi Lancianenſis tanquam Canonicus in choro, in Capitulo & Proceſſionibus, & aliis actibus publicis, quæ Archiepiſcopo abſente ad primam dignitatem ſpectant, peragere prætenderet, S. Congregatio 8. *Martii & 3. Auguſt.* 1615. decreverit Archipresbyterum dictum Vicarium ut Canonicum præcedere. Ex quibus jam etiam illud inferri videtur, quòd ſi Vicarius generalis non ſit Canonicus, ſed ſimplex Clericus, vel ſaltem non ſit Canonicus iſtius Capituli, vel etiam non habeat habitum vicarialem proprium, poſſit nihilominus frui dictâ præcedentia. De cetero, ubi Vicarius Canonicus, vel etiam non Canonicus [adeoque non potens intervenire ut Canonicus) intereſt ut non Canonicus, ſed ut Vicarius divinis, debere illum ſedere in choro & Eccleſia in loco, quem illi conſuetudo aſſignavit, & illum non debere mutare, tradit Ventriglia *loc. cit. num.* 7. teſtans ſic declaraſſe S. Congregat. Rituum *in Alexand.* 15. *Mart.* 1608. & *in Neritonenſ.* 4. *Maii* 1606. Item non eſſe ei parandam ſedem cum tapetis & pulvinari, ait idem Ventrigl. juxta citatam declarat. *in Neritonenſ. & Aldan. in compend. Canon. reſolut. l.* 1. *tit.* 43. *num.* 30. & uti dictum *in Brunduſin.* 16. *Jul.* 1605. non licere Vicario occupare locum ipſius Epiſcopi eo abſente, ſed eundem debere eſſe locum eo abſente, quem illo præſente habere conſuevit.

3. Sic quoque locũ habere debet ante Canonicos, & dignitates in proceſſionibus. Pax Jord. *loc. cit. n.* 343. citans deciſ. S. Congregat. Rit. *in Eugubin.* 3. *Aug.* 1602. *in Lauretan.* 6. *Decemb.* 1608. *in Tiburtin.* 6. *Martii.* Pignat. *cit. num.* 11. juxta ejuſdem Cong. deciſ. quam recitat. *in Egitanienſ.* 3. *Aug.* 1602. Item in Synodo, in qua indiſtinctè debet habere locum ante Canonicos, & dignitates, etiam Eccleſiæ Cathedralis, ut S. Congreg. Concil. 19. *Sept.* 1637. contrarium expreſsè tenente Ventrigl. *loc. cit. num.* 20. Item vicario debent dari candelæ, palmæ, &c. ante Canonicos, & dignitates. Pax Jord. *loc. cit. n.* 247. (ubi etiam, quod in receptione candelæ in die Purificationis B. M. V. atque palmarum anteferatur Canonicis, etiam paratis, de quo tamen paulò poſt) Barboſ. *loc. cit. num.* 40. Ventrigl. *loc. cit. num.* 3. juxta quòd cenſuit S. Congreg. Rit. *in Biſignan.* 16. *Maij* 1600. quam citant, excepto tamen eo Canonico vel dignitate, qui Epiſcopo candelam miniſtravit. Ventrigl. *loc. cit. num.* 4. Pax Jord. *loc. cit.* prout voluit S. Congregat. Rit. *in Lauret.* 14. *Maij.* 1608. Item thurificatur ante Canonicos & dignitates immediatè poſt celebrantem. Ventrigl. *num.* 5. Pignat. *loc. cit. num.* 11. Circa quòd & illud notandum, quòd licet Vicarius primus ſit thurificandus, non debeat tamen triplici ſed tantùm duplici ductu thuribuli thurificari, niſi ſit Prælatus. Ventrigl. *l. cit. num.* 9. citans Aldan. *compend. Can. reſolut. l.* 1. *tit.* 43. *num.* 40. Barboſ. *de Can. & dignit. c.* 34. *num.* 29. Pignat. *loc. cit. num.* 19. ubi ait : *Si Vicarius non eſt Prælatus, licet abſente Epiſcopo cum ſuo habitu ordinario Sutana & Manteletto nigro ſedeat in choro primo loco ſupra Canonicos, thurificandus eſt duplici, non autem triplici ductu: quin neque Vicarius thurificandus eſt duplici tractu in prin.*

*principio Missæ, post Evangelium, & in Offertorio, sed in Offertorio tantùm absente Episcopo ter, præsente bis ducto thuribulo. Neque ei deferri debet liber Evangelii deoscu-landus. Item in adoratione Crucis & acceptione cinerum.* Ventrigl *num.* 8..

*Quæstio 62. An ergo in his omnibus & similibus Vicarius fruatur dictâ præcedentiâ etiam præsente Episcopo?*

1. REspondeo affirmativè : Ita contra Menoch. *cons.* 51. *&* 257. & Maresch. *var. l.* 3. *c.*69. tenent Sbroz. *l.* 2. *q.* 25. citans Melik. *tr. de præced. Vicar. c.* 4. *num.* 2. *&* 5. Anton. de Pretis. *tr. de jurisd. Episc. c.* 6. Cuch. *in instit. jur. Can. tit. de Vicar. Episc. num* .33. *cum sequent.* (ubi is etiam dicat, ineptum esse illum mihi antecellere, in quem Jus dicere possum ; seu adsit seu absit Episcopus) Carol. de Luca *num.* 1. *ad Ventrigl. tom.* 2. *annot.* 14. §. 2. citans Riccium. *in pr. Tom.* 2. *resol.* 390. Barbos. *in sum. decis. Apostol. v. Vicarius general.* Fagn. *in c. ad hæc. num.* 29. ubi : *Vicarius sive præsens sit Episcopus sive absens, debet sedere in prima sede ratione suæ locumtenentiæ, & præferri omnibus Canonicis & Capitulo, tam in actibus, in quibus intervenit ratione suæ jurisdictionis, quàm in aliis omnibus indifferentibus, præcedendo ipsum Archidiaconum & Archipresbyterum, ut reprobatis duobus consiliis Menochii, num.* 51. *&* 52. *respondit Robusterius Rotæ auditor in quodam suo voto apud Gratian. discept. for. c.* III. *num.* 23. Eadem ferè habet Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 16. *num.* 65. & sic Sbroz. *l.* 2. *q.* 24. *num.* 16. ubi ex Anton. de Pret. *tr. de jurisdict. Episc. c.* 6. itridet eos, qui sentire dicuntur, Vicarium præsente Episcopo non deberi honorari, ne duo videantur capita. Et inter alios pleno calamo, ut inquit Carol. de Luca, Pignat. *cit. consult.* 64. *num.* 3. ubi : *Nam Vicarius etsi non esset Prælatus, est tamen Superior etiam in præsentia Episcopi, licet non exerceat jurisdictionem ; quia est electus ad jurisdictionem exercendam, habet gradum, titulum, atque ideo præcedentiam respectu ceterorum.* Et *num.* 6. ubi : *Quare de præsente est subrogatus in locum Episcopi, in quo est præsens, & in præsente constitutus in dignitate pro exercenda jurisdictione ; & ideo tanquam de præsente subrogatus, & de præsente habens dignitatem subrogationis, debet etiam de præsente frui privilegiis illius, in cujus locum est subrogatus. Nam tunc solùm non debet frui, si existat is, in cujus locum est subrogatus, quando subrogatio non dat de præsenti gradum & dignitatem, &c.*

2. Contrarium nihilominus tradit Ventrigl. *cit. n.* 20. ubi : *Non solùm in Synodo diœcesana Vicarius non præcedit Capitulum, sed generaliter in omni casu, in quo Episcopus interveniunt uti collegium, ut est in processionibus & in similibus actibus ; his enim casibus præfertur Capitulum Vicario ; quia Episcopus & Capitulum faciunt corpus, nec Capitulum, & Canonici debent separari ab Episcopo, qui est caput ; quia inconveniens est & contra naturam membra separari à corpore, ita tenent, & fusè probant Mandos. de vas concell. l.* 1. *divers. juris argument. c.* 1. *per totum. Gratian. discept. for. c.* III. *per tot. pergitque* Ventrigl. *num.* 21. *ex dictis intellige dictum aliquorum ; Vicarium præsente Episcopo non debere honorari, nec præcedere Capitulum & dignitates. Id enim intelligitur, quando Episcopus & Capitulum interveniunt collegialiter & capitulariter, ita ut faciant unum corpus & collegium. Exemplificant DD. in choro, funeralibus, processionibus, & similibus actibus, in quibus actibus absente deinde Episcopo omnes concludunt, præferendum esse Vicarium Capitulo & Canonicis.* Idem tenere videtur Pignat. *Tom.* 4. *consult.* 90. *num.* 6. ubi ait : *Vicarius Episcopi non potest se collocare inter Episcopum & Clerum, ne membra separentur à corpore.* Verum ad hæc respondet ipse Pignat. *loc. cit. num.* 8. quòd Vicarius etiam constituat unum caput moraliter cum Episcopo, sicut constituit cum eo unum ac idem tribunal. Fateturque ipse Ventrigl. *cit. num.* 2. prædicta à se in choro non indistinctè servari ; cùm videamus passim interveniente Episcopo, Vicarium sedere ante omnes Canonicos & dignitates.

*Quæstio 63. Num itaque dicta de præcedentia Vicarii non patiantur exceptiones & limitationes?*

1. REspondeo negativè : Sunt enim exceptiones sequentes. Prima, quòd præcedet Archidiaconum & Archipresbyterum similesque dignitates, dum illi subditi sunt Vicario ; sicus si ei subditi non sint, ut contingit v.g. dum est Vicarius Papiensis, & Archidiaconus Cremonensis in aliena, seu in tertia aliqua Diœcesi, & contendunt de loco priore, præcedere enim tunc debere Archidiaconum, secus, si uterque subditus eidem Episcopo asserit. Sbroz. *loc. cit. num.* 22. ex Cucho *tit. de Vicar. Episc. num.* 35.

2. Secunda, quòd quando consuetudo esset in contrarium quò ad acceptionem candelæ, palmæ, cinerum, thurificatione, adoratione Crucis, &c. ita ut ea accipere ac facere soleat Vicarius post alios Canonicos, ea consuetudo servanda sit, prout voluisse S. Congregat. Rit. *in Neocastrens.* 16. *Jan.* 1618. *in Alexandrin.* 15. *Mart.* 1608. testantur Ventrigl. *l. cit. n.* 8. Pax Jord. *loc. cit. num.* 247. Sic. de facto in multis Ecclesiis observatur contrarium, nempe quòd Vicarius generalis intra & extra Ecclesiam subsequi debeat Archidiaconum, Præpositum, & Decanum ; imò etiam in quibusdam locis omnes Canonicos Cathedrales (intellige, ubi Vicarius non esset Canonicus Cathedralis) Laym. *in c. ut Archidiaconus. num.* 4. & ex eo Pirh. *cit. num.* 34. dicentes difficile esse talem consuetudinem damnare. Pro qua consuetudine sustinenda hanc afferunt rationem & declarationem ; quòd cùm unus idemque diverso respectu possit esse major & minor altero, eidemque præferri & postponi in ordine ad diversas causas & loca, ut constat ex *l.* 1. *cap. de off. Vicar.* ubi habetur, Vicarium etiam Præfecti Prætorii in causis civilibus & judiciis esse præferendum comitibus militaribus, sed in rebus militaribus postponendum : Hinc Vicarius Episcopi poterit esse superior & major dignitate in tribunali suo, aliosque præcedere debet, quatenus actu ibi vices Episcopi gerit, & jurisdictionem in omnes Clericos etiam Archidiaconum exercet : extra tribunal verò suum post alios sequi, iisque postponi in processionibus, choro & aliis conventibus, & ita respectivè (ut Pirh. nam Laym habet ita, ut absolutè censeatur minor) potest Vicarii dignitas esse minor quàm aliæ quædam dignitates Ecclesiæ Cathedralis. De tali quoque consuetudine testatur Engels *ad tit. de major. & obed. n.* 6. eamque retinendam astruit ex Navar. *cons.* 1. *de major. & obed.* quin & eam extendit, ita ut Abbates quoque in locis & casibus, in quibus præcedunt Canonicos, præcedant quoque Vicarium juxta axioma : Si vinco vincentem te, multò magis vinco te. His tamen non obstantibus contrarium, nempe Vicarium frui dictâ præcedentiâ supra Canonicos & dignitates (saltem absente Episcopo, ut Ventrigl. & Barbosa paulò post citandi) non obstante consuetudine aliisque in contrarium tenent

Barbos.

Barbos. *de Canonic. & dignit. c. 5. num. 56.* Pignat. *Tom. 3. conſ. 64. num.* 10. Ventrigl. &c. juxta quod teſtantur iidem Authores expreſsè declaraſſe S. Congregat. Rit. *in Andrienſ. 7. Aug.* 1610. *& Ferrar. 20. Decemb.* 1604. ſic Sbroz. *l. 2. q. 25.* ubi poſtquam *num. 5.* dixiſſet: *ampliatur dicta concluſio; niſi conſuetudo vel ſtatutum exſtaret in contrarium*, citaſſétque pro hoc Melillo *ubi ante c. 5. num. 3.* Rebuff. *cit. num. 7.* Bottæ. *loc. cit. num. 26.* Caſſan. *loc. cit.* & plures alios, & retuliſſet in contrarium aliquarum Eccleſiarum conſuetudines, item Authores plures, puta Menoch. *conſ. 207. num. 36.* Boër. *tr. de ordin. grad. utriuſque for. p. 1. num. 12.* ubi dicit quòd ſtante conſuetudine Præpoſitus præfertur Archidiacono, etiam electo in Vicarium Epiſcopi, &c. tandem ſubjungit Sbroz. *tamen præcedens opinio eſt majore DD. calculo fulcita & communis*, deteſtabiliſque probatur illa conſuetudo tanquam ratione carens, & ex quadam ambitione, & ſtultitia inducta, contrariáque primò juri divino. Secundò ordini naturali. Tertiò juri pontificio. Quartò juri Cæſareo, ut probant Rebuff. Jo. de Arnano, Melillo *loc. cit.* Unde jam inferendum eſſet, uti plures inferunt apud Pirh. *cit. num.* 34. per conſuetudinem aut ſtatutum induci non poſſe, ut Archidiaconus præcedat Vicarium generalem, quia id foret abſurdum, ut Felin. *in rubric. de major. & obed. num.* 10. Tuſc. *v. Vicarius concl.* 482. *n.* 21. &, ut inquit Pignat. *loc. cit. num.* 7. foret irrationabile, ſi ſubditus præcederet Superiorem.

3. Tertia eáque principalis & omnibus, in quibus præcedentiam habere Vicarium diximus, communis limitatio eſt; quod nunquam dignitates aut Canonicos præcedat, quotieſcunque hi incedunt, aut aſſiſtunt divinis parati, hoc eſt, induti paramentis ſeu veſtibus ſacris, puta pluvialibus, dalmaticis, &c. Barboſ. *Juris Eccl. l. 1. c. 15. num.* 40. Ventrigl. *loc. cit. num. 3.* Pax Jord. *l. cit. num.* 244. (ubi etiam quòd hoc procedat, etſi Vicarius ſit Protonotarius Apoſtolicus, & utatur rochetto & manteletta) citans declarat. expreſſam S. Congregat. Rit. *in Nolana & Lauretana 23. Mart.* 1602. Pignat. *cit. conſ. 64. num.* 11. *&* 14. Unde etiam ad evitanda ſcandala & indecentia eadem S. Congregat. Rit. *in Lauret. 6. Sept.* 1603. apud Pignat. *& in Camerin.* 14. *Jun.* 1608. *& in Caſalen. 5. Jul.* 1614. apud Pax Jord. *num.* 245. ordinavit & præcepit, ne Vicarius in ordinario ſuo habitu incedat inter Canonicos paratos. Et in ſpecie, quòd Vicarius in choro & proceſſionibus non debeat præcedere Canonicos, qui in choro aſſiſtunt Epiſcopo, vel in proceſſionibus induti paramétis ſacris, tradit Ventrigl. *l. cit. n.* 2. citans plures deſuper S. Congr. Rit. declarationes. Item quòd in acceptione candelæ, palmæ, cinerum non debeat præcedere Canonicos, qui Epiſcopo aſſiſtunt aut inſerviunt induti pluvialibus, planetis, aut aliis veſtibus ſacris. Vétrigl. *n. 3.* citans Congreg. Rit. *in Monopolitana 7. Aug.* 1628. & alias plures illius declarationes, contrarium tenente Pax Jord. hiſce expreſſis: *In receptione tamen candelæ in die Purificationis B. V. atque palmarum antefertur ipſis Canonicis etiam paratis.* Sed neque ſub prætextu illius conſuetudinis præcedere poteſt Vicarius Canonicos paratos. Pax Jord. *loc. cit. num.* 246. Ventrigl. *num. 6.* Pignat. *l. cit. n. 16.* citantes declarat. Cong. Rit. *in Caſtellan. 25. Sept.* 1621. quin etiam non poſſe allegari conſuetudinem immemorialem ait Pignat. *l. cit. num.* 24. eò quòd per dictam S. Cong. Rit. non tantum ſimpliciter ſit derogatum tali conſuetudini (in quo caſu admitti poſſet, quòd abrogando conſuetudinem non abrogarit, ſeu non comprehenderit immemorialem) ſed etiam damnavit illam tanquam abuſum, iniquam, irrationabilem, adeoque & immemorialem comprehenderit, etiamſi non addidiſſet dictione univerſalem ut Covar. *var. reſol. l. 3. c. 13. num. 5.* Gonz. *ad reg. 8. Gl. 33. n. 9.* quos citat Pignat. Addit & aliam limitationem Pignat *Tom. 3. Conſult. 64. num. 19. in fine.* quòd ſi adſit Canonicus aliquis Epiſcopus, tali aſſignetur locus ſuper omnes Canonicos & dignitates.

4. Dicta quoque hucuſque reſtringenda ſunt ad Vicarium generalem Epiſcopi, ita ut locum non habeant in Vicario generali Capituli ſede vacante; illi enim competit præcedentia ſuper omnes Canonicos & dignitates, exceptâ primâ poſt Pontificalem, ut cenſuit S. Cong. Rit. *in Aſſien. menſe Aug.* 1630. quia cùm habeat auctoritatem & juriſdictionem à Capitulo, eſt inferior Capitulo, & ideo non debet præcedere primam dignitatem, in qua repræſentatur Capitulum. Ita Pignat. *loc. cit. num.* 22. Sbroz. *l. 2. q. 25. n. 20.* ubi: Declaratur, ut non præcedat in Vicario ſede vacante, quia illi Archidiaconus eſt præferendus. Neque etiam locum habeant in Vicario foraneo, qui præcedentiam ſuper alios Presbyteros non habet ex eo ſolùm, quòd eſt Vicarius foraneus, niſi contrarium haberet conſuetudo. Pignat. *num. 23.* Sic reſolutum teſtans à S. Congreg. Epiſcorum *in Nolana 15. Sept.* 1600. & *in Tranenſ. 7. April.* 1601 & alibi. Idem habet Pignat. *Tom. 4. conſult. 183. num. 4.* Engels *ad tit. de major. & obed. n. 60.*

### *Quæſtio 64. Quam ſedem præſente aut abſente Epiſcopo occupare debeat Vicarius generalis Epiſcopi in Eccleſia?*

REſpondeo: Præter dicta jam in antecedentibus, debet ſedere in choro, & in Eccleſia in loco, quem illi conſuetudo aſſignavit, nec debet illum pro libitu mutare. Pignat. *cit. conſult. 64. num. 19.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 7.* ſic declaratum teſtans ex ſell. *à S. Congreg. Rit. in Alexand. 15. Mart.* 1608. & *in Neritonenſ. 4. Maij* 1606. Neque abſente Epiſcopo debet locum illius occupare, ſed debet eſſe idem locus abſente Epiſcopo, quem illo præſente habere conſuevit. Ventrigl. Pignat. *l. cit.* Pax Jord. *l. 12. tit. 1. n. 234.* citantes declarat. ejuſdem cong. *in Brunduſ. 16. Jul.* 1605. Neque paranda eſt illi ſedes cum tapetibus & pulvinari. Pignat. Ventrigl. *locis. cit.* Neque poteſt ſibi baldachinum erigere in Cathedrali, aut alibi. Pax Jord. *l. c. n.* 238. juxta eandem declarat. S. Congreg. Quod ſi dignior ſedes eſſet occupata, dignitates & Canonici deſcendere debét uno gradu inferiùs. Pignat. *cit. n. 19.* ſic declaratũ teſtans à S. Congreg. Epiſcopor. 28 *Aug.* 1599. & aliàs. Notanda etiam hic ſunt, quæ habet Cardin. de Luca. *de Regular. d. 17. num. 2.* quod nimirum juxta plures Declarat. S. Cong. Rit. interveniente Vicario generali in choro, in quo ſedes Epiſcopi eſt in medio, ita ut prope eundem alias à dextris ſedeat prima dignitas, & à ſiniſtris ſecunda dignitas, Vicarius occupet primam ſedem à dextris Epiſcopi, & prima dignitas non ſedeat poſt Vicarium, ſed relictâ illi dextrâ ſedeat à ſiniſtris pròpe Epiſcopum; quia ſemper locus dignior per digniorem occupandus eſt.

### *Quæſtio 65. An & qualiter Vicarius generalis Epiſcopi præcedat gubernatores, alioſque Judices & Commiſſarios generales?*

1. REſpondeo primò: Debet præcedere Gubernatores, Rectores, Prætores urbium, Judices, Commiſſarios, Poteſtates ſimileſque Magiſtratus omnes ſæculares ſuæ Diœceſis. Sbroz. *l. 2. q. 26. num. 5.* Barboſ. *juris Eccl. l. 1. c. 15. num. 36.* Pignat. *Tom. 4. conſ. 64. num. 8.* juxta plures S. Cong. Rit.

Rit. declarat. quas citat, puta *in Nucerina 15. Maii. 1610. in Forolivien. 24. Novemb. 1668.* Et de commissariis ubique, & in omni loco tam præsente quam absente Episcopo *in Ravennaten. 28. April. 1607.* quòd postremum est contra Sbroz. *num. 33.* ubi: declaratur, & non procedat, quando Episcopus est præsens; tunc enim sæcularem Magistratum Vicario Episcopi præferendum refert Menoch. fuisse decisum ab Episcopo Bellimensi *cons. 257. n. 49. vol. 3.* Vicarius enim ille in honore præferendus est omnibus Diœcesanis, & honorandus sicut Episcopus, cujus locum tenet, & specialiter in Ecclesia præcedere quamlibet aliam dignitatem primam post Episcopum. Pignat. *cit. n. 5.* citans *c. præcipimus. dist. 93.* Anton. de Pretis. *tr. de jurisdict. Episc. c. 6. n. 46.* Cas. san. *de glor. mund. p. 3. consid. 46. & 50 & p. 7. consid. 10.* Melill. *de præcedent. Vicar. c. 4. & 5. num. 3.* &c. Tum etiam vel ex eo Magistratibus illis sæcularibus præferendus; quia gerit jurisdictionem Ecclesiasticam, & ordinariam quidem in foro quoque externo, quæ utique major est jurisdictione sæculari dictorum Magistratuum juxta *C. solitæ. de Major. & Obed.* ubi Canonistæ. Sbroz. *l. cit. n. 7.* citans Boer. *tr. de auth. Magistrat.* Cephal. *cons. 360. num. 5. vol. 3.* ubi is, quòd Judex animarum dignior sit Judice sæculari: & prout simpliciter Judicem Ecclesiasticum esse majorem judice sæculari, notat Gl. *in c. licet. de except. in 6.* Lancell. *de attent. p. 2. c. 20. n. 78.* Et quidem talem Judicem, qui præest aliis Sacerdotibus, Canonicis, Archidiacono, Archipresbitero, Abbatibus aliisque inferioribus Prælatis. Sbroz. *num. 8.* Anton. de Pretis *loc. cit à num. 40.* Quantò autem quis melioribus præest, tantò etiam major est. Sbroz. *num. 11.* citans *Authen. de defens. civ. §. dos igitur.* Abb. *cons. 21. num. 10. vol. 1.* Menoch. *cons. 51. num. 10. vol. 1.*

2. Limitatur nihilominus responsio multifariam à Sbroz. ac primò quidem *num. 21.* ita ut procedat in his, quæ pertinent ad spiritualia, non autem in iis, quæ spectant ad temporalia. Citat pro hoc Abb. *in c. conquerente. de off. ordinar. num. 2.* eò quòd in temporalibus Vicarius Episcopi æquiparetur legato Proconsulis; adeoque eum quo ad temporalia præcedent Magistratus sæculares ordinis majoris. Secundò *à num. 24.* ut non procedat in Officialibus deputatis per Episcopum in iis terris, quæ per Ecclesiam tenentur in feudum acceptum à Rege, aliove domino temporali, qui tunc subsunt cuilibet regio Officiali superiori; eò quòd Ecclesia quò ad ea bona feudalia, quæ tenet à Rege, aliove domino temporali ligetur legibus feudalibus Laicorum, subestque domino temporali, juxta *c. verum. de foro competente. & c. solitæ. de majoritate & obedientia.* Tertiò *à num. 26.* ut non procedat in Præsidibus, & Gubernatoribus provinciarum, & civitatum Ecclesiæ subjectarum, qui immediatè creantur à Papa, eo quòd isti Præsides provinciarum comparentur Archiepiscopis & Proconsulibus, & majores sint omnibus in provinciis post Papam, juxta *c. cùm venerabilis. de consuetudine, c. mandata. de præsumpt.* & utrobique Canonistas. Sic quoque ait Barbos. *l. cit. n. 41. & 42. Vicarius Gubernatorem, vulgo Capitaneum in functionibus Ecclesiasticis præcedit, non tamen Gubernatores civitatum, quæ sunt capita provinciarum,* ut Narniensi Episcopo rescripsit S. Congreg. præposita negor. Episcop. 30. *Julii 1592.* Quin &, ut testatur Pignat. *loc. cit.* extat decretum S. Congregat. Rit. quo censuit, quod Gubernatores civitatum, & provinciarum circa eorum præcedentiam cum Vicariis Episcoporum, si fuerint Præsides provinciarum, ut Bononiæ, Marchiæ Anconitanæ, Umbriæ & similium, thuriferentur, & accipiant pacem immediatè post Episcopum, etiam Episcopo absente, ac Gubernatores civitatum minorum præsente Episcopo immediatè post ipsum; eo verò absente, si fuerint Episcopi, ante Vicarium propter dignitatem Episcopalem, si verò non fuerint Episcopi, post Vicarium immediatè ante dignitates, & Canonicos. Sic gubernatorem urbis Vicario, qui non sit Cardinalis, præferendum ait Sbroz. *loc. cit. num. 28.* ex Picardo. Sic gubernatorem Perusii habere potestatem Legati, & esse majorem Vicario Episcopi, & quolibet alio post Principem ait Sbroz. *ibid. num 30.* ex Abb. *cons. 25. in fine vol. 1.* & gubernatorem Beneventi majorem Vicario Episcopi asserit Mandos. *tr. de inhibit. q. 4. n. 7. & 8.*

## *Quæstio 66. Num Vicarius habeat eandem prærogativam, privilegium & immunitatem, quam habet Episcopus?*

1. REspondeo negativè. Sbroz. *l. 2. q. 24. à n. 6.* citans Baldum *in l. sed si. ff. de in jus vocando,* ubi dicat majorem honorem deberi Episcopo quam Vicario. Et *ibid.* Jason. *n. 6.* Item Felin. *in c. cum olim. il. 2. de off. delegat.* Menoch. *cons. 257. n. 89. cum seq. vol. 3.* ubi, quòd non sit pater omnium, nec honoretur ut Episcopus. Franc. *in c. non putamus. col. 2. vers. delegatus tamen. de consuetudine in 6.* ubi is: *quòd si conceditur aliquid Principi ratione suæ dignitatis, illud non extenditur ad ejus Vicarium.* Unde jam, licet Vicarius repræsentet personam Episcopi & authoritatem; non tamen hinc sequitur, quod in omnibus sit honorandus, aut immunitatem habeat sicut Episcopus. Sbroz. *l. cit. n. 1. 2. juncto n. 9.* cùm adhuc fons scaturiens sit major quàm rivulus inde proveniens, majorque sit potestas & imperium Episcopi, nec Vicarius in omnibus sit superior ut Episcopus.

2. Nihilominus responsionem limitat ipse Sbroz. primò *n. 13.* ut procedat quando Vicarius creatur ab Episcopo, non autem, si crearetur à superiore per suspensionem vel per mortem Episcopi; quia tunc gaudere illum eodem privilegio ait juxta *l. Vicarius. ff. de legatis.* citatque pro hoc more suo quam plurimos. Sic etiam ait Sbroz. *l. 2. q. 134. n. 6.* ubi Vicarius esset constitutus à Papa, omnes prærogativas Episcopi consequeretur, adeò etiam causas Episcopo delegatas poterit cognoscere. Pro quo citat Bartol. *in l. filius. ff. de legat.* Alexand. *in l. more. n. 41. de jurisd. omnium Jud.* Item *ibidem n. 7.* ex Ruin. *cons. 548. n. 5. in 4.* dat hujus rationem, nimirum quia Vicarius à Papa creatus magis repræsentare videtur Episcopū quàm creatus ab Episcopo. Secundò *n. 14.* ut procedat in actibus quas exercendo non repræsentat Episcopum. Secus in illis, in quibus Episcopum repræsentat, quia in illis habet eandem prærogativam. Citat pro hoc Felin. *in cit. c. cùm olim. il 2. de off. delegat. col. 1. n. 1.* Tertiò. *n. 15.* ut procedat, quando Episcopus esset præsens, secus si absens; eò quòd tunc eadem illi debeatur reverentia ac honor, qui Episcopo, etsi absente Episcopo honorari quoque debeat Vicarius juxta dicta supra. Citat pro hoc Picard. *cons. 52. n. 69.* qui sic nitatur conciliare utramque sententiam, dum concordari possunt hæc duo: non deberi Vicario in præsentia Episcopi tantum honorem ac reverentiam sicut Episcopo: & deberi tantum illi honorem ac reverentiam, etiam Episcopo præsente. Ac denique *n. 19.* ait Sbroz. id non procedere de consuetudine, secundùm quā indistinctè servetur, quòd Vicarius gaudeat Episcopi immunitate, ut testetur Felin. *l. cit.* Card. *in Clem. 1. de off. Vicarii.*

*Quæstio 67. Num Vicario liber Evvngeliorum in missa osculandus tradi debeat?*

REspondeo negativè. Ventrigl. *cit.* §. 2. *n.* 9. (qui etiam addit, nequidem id competere Vicario Apostolico, juxta dicta à nobis supra ex Pignat.) Barbos. *loc. cit. n.* 43. ubi sic rescriptum ait à S. Congregat. Episcop. negot. præposit. Episcopo Melfitano 28. *Aug.* 1589. cùm id solùm competat Episcopo, & celebranti, ut eadem congreg. 14. *April.* 1592.

## PARAGRAPHUS II.

## De jurisdictione Vicarii generalis.

*Quæstio 68. Num ratione officii sui jurisdictionem habeat Vicarius Episcopi?*

REspondeo affirmativè. Pignat. *Tom.* 4. *cons.* 37. *n.* 4. juxta repetita à nobis sæpiùs in antecedentibus, & juxta communem AA. qui quia id supponunt, quæstionem de eo non faciunt. Est enim & dicitur Judex ecclesiasticus spectabilis, & de mediis Magistratibus. Sbroz. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 18. *& q.* 26. *n.* 17. citans Pavin. *de pot. capit. sede vac. p.* 2. *q.* 10. *n.* 16. Anton. de Pret. *de jurisd. Episc. c.* 6. *n.* 46. &c. Dicitur præesse territorio. Sbroz. *l.* 2. *q.* 55. *n.* 21. citans Felin. *in c. Rodolphus. n.* 8. *de appellat in* 6. patebunt hæc à fortiore & sequentibus.

*Quæstio 69. Num habeat jurisdictionem ordinariam, an delegatam?*

1. REspondeo: habere illum jurisdictionem ordinariam. Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 7. *q.* 12. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 42. Barbos. *l. cit. n.* 17. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 7. Pignat. *Tom.* 4. *cons.* 37. *n.* 4. Laym. *in c.* 1. *de off. Vicar. in* 6. Lotter *de re benef. l.* 1. *q.* 26. *n.* 130. Pirh. *ad eund. tit. q.* 35. citans Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *q.* 1. *n.* 3. Covar. *l.* 3. *var. resol. c.* 20. *num.* 4. Sbroz. *l.* 2. *q.* 55. *n.* 9. citans Gl. *in c. Romana. de appellat. in* 6. *v. generaliter.* & *ibi* DD. Host. *in sum. tit. de off. Vicar. n.* 2. Bertach. *de Episc. l.* 4. *p.* 6. *tit. de off. Vicar.* Marant. *in specul. Advocator. p.* 4. *dist.* 5. *num.* 12. Cuch. *in instit. Juris Can. de Vicar. tit.* 8. *num.* 15. *l.* 2. & plurimos alios. Et sic dicitur Judex ordinarius. Barbos. Ventrigl. Pignat. *loc. cit.* Et simpliciter est, & dicitur Ordinarius. Sbroz. *l.* 1. *q.* 23. *num.* 5. citans immensam turbam Author. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *num.* 21. ubi, quòd Vicarius sicut Episcopus est Ordinarius. Citat præter jam citatos Pavin. *de potest. Capit. Sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 3. 4. *& 9.* Coras. *de benef. p.* 2. *c.* 8. *num.* 3. Ugolin. *de censur. tab.* 1. *c.* 1. §. 20. *n.* 6. Mirand. *de ordin. Jud. q.* 2. *a.* 6. & plures alios contra Goffred. *in sum. de off. Vicar. n.* 2. Alciat. *in rubric. de offic. Ordinar. n.* 24. Morla *in Empor. juris. p.* 1. *tit.* 2. *q.* 27. Anton. Gomez. *in explicat. Bull. cruciat. c.* 4. *n.* 21. apud Garc. *l. cit.* Et sic decretis generaliter loquentibus de Ordinario non solùm comprehenditur Episcopus, sed & Vicarius generalis Episcopi. Rosa. *de execut. literar. Apost. p.* 1. *c.* 3. *n.* 21. ubi: *Ordinarii nomine pro certo tenendum est, quòd veniat Episcopus ac ejus Vicarius, seu officialis generalis, & secundùm communiorem ordinariâ jurisdictione potitur.* ut Carol. Peregrin. *in pr. Vicariatûs p.* 1. *sect.* 1. *subsect.* 3. Sbroz. *l.* 3. *q.* 6. *n.* 12. ubi ex Archid. *in c. Reatina.* 63. *dist.* quòd facta métione de Episcopo subintelligitur: *vel Vicario.* Pignat. *cit. cons.* 37. *n.* 4. Probatur nunc responsio nostra à Sbroz. *cit. q.* 55. *n.* 15. & à Pirh. & Pignat. *locis cit.* ex eo, quod jurisdictio Episcopi & Vicarii sit eadem, unum idemque utriusque tribunal & consistorium, (sive ut Ventrigl. *l. cit. n.* 6. repræsentent certum & idem tribunal & curiam) *juxta c.* 2. *de consuetud. in* 6. *juncta Gl. & c. Romana. de appellat. in* 6. quodque faciat unam eandemque personam Vicarius cum Episcopo. Ventrigl. *l. cit.* ubi, quòd Episcopus & Vicarius idem sunt. Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in* 6. *n.* 8. Pignat. *l. cit.* ubi, quòd persona unius sit alterius, unum Judicem, unum judicium juxta eosdem textus. Dicitur quoque in jurisdictione associatus Episcopo. Sbroz. *loc. cit. num.* 27. Pignat. *cit. num.* 4. citantes Abb. *cons.* 21. *num.* 2. *p.* 1. Menoch. *cons.* 51. *num.* 2. *vol.* 1. juris. dictio autem Episcopi est ordinaria. Sbroz. citans Specul. *in Rubric. de off. ordinar. p.* 2. *num.* 1. Vantium *de nullit. tit. de nullitat. ex defectu jurisdict. deleg. num.* 5. Alex. *in rubric. ff. de jurisdict. omn. Judic. num.* 5. juxta *c. cùm Episcopus. de off. Ordinar. in* 6. ergo etiam jurisdictio Vicarii generalis seu Officialis principalis ejusdem est ordinaria. Item probatur à Pirh. *loc. cit.* & à Pignat. *loc. cit. num.* 5. ex eo, quòd à Vicario Episcopi (saltem in iis, ut addit Pirh. quæ ipso jure ratione officii Vicariatûs competunt Vicario) non datur appellatio ad Episcopum, ne ab eodem ad eundem appellari videatur, juxta textus citatos. *c.* 2. *de consuetud. & c. Romana.* adeoque Vicarius non sit Judex delegatus sed ordinarius; siquidem à Judice delegato, ad delegantem potest appellari. C. *super quæstionum. de offic. delegat.* quia jurisdictio delegata est diversa, & distincta à jurisdictione ordinaria, licet ab eadem sit derivata & dependens. Probationes alias adjicit Sbroz. nimirum *num.* 17. quòd Episcopus æquiparetur Duci, Comiti, &c. juxta Jason. *in l.* 1. *ff. de offic. ejus.* Bartol. *in l.* 2. *ff. de Verbor. observ.* Substitutus autem Ducis, Comitis, &c. dicatur Ordinarius juxta Marant. *de ordinar. Jud. num.* 10. adeoque & substitutus Episcopi, qualis est Vicarius ejus generalis. Item *num.* 19. quòd dum conceditur alicui jurisdictio in certo territorio, dicitur concedi jurisdictio ordinaria, ut Bartol. *in l. more. & ibidem* Jason. *num.* 53. *ff. de jurisd. omn. Jud.* Episcopus autem concedendo Vicario jurisdictionem in sua Diœcesi, concedit eam in certo territorio; quippe Diœcesis dicitur territorium ipsius Episcopi juxta Anchar. *in Clem.* 2. *de rescript. q.* 1. ubi, quòd Vicarius Episcopi præsit in territorio, ut Felin. *in c. Rodolphus. de appellat. in* 6. *num.* 8. Item *num.* 24. quod ille, qui dare potest Judicem, habeat ordinariam jurisdictionem juxta *cit. l. more. de jurisd. omn. Judic.* Vicarius autem generalis Episcopi possit dare Judicem juxta *c. Clericos. de offic. Vicarij. & c.* 1. *tit. eodem in* 6. & utrobique Canonistæ: quin & non solùm potest dare Judicem, & decretum interponere in alienationibus minorum, ut Sbroz. *num.* 22. *juxta l.* 2. *ff. de off. ejus, qui vicem alterius gerit*, sed etiam curatorem dare minoribus juxta *c.* 2. *de Judic.* quæ interpositio decreti, & datio curatoris, cum requirant causæ cognitionem, delegari non possunt. *l. ne quicquam de offic. Proconf.* adeoque fiunt auctoritate ordinaria, & sic in Vicario arguunt jurisdictionem ordinariam non delegatam.

2. Neque opponas primò; Vicarium non posse habere eandem jurisdictionem Episcopi ordinariam; ergo necessariò habere jurisdictionem diversam ab illa jurisdictione ordinaria Episcopi, adeoque delegatam. Antecedens probatur, sicut enim non potest unius ejusdemque

rei

rei possessio vel dominium simul esse penes duos in solidum *l. 3. de acquirend. possess. l. si ut certò. ff. commodat. l. 3. de precario.* Ita neque potest simul penes duos esse eadem jurisdictio in solidum, dum à possessione & dominio rectè arguatur ad jurisdictionem, quæ & ipsa est jus aliquod. Nam respondetur, quòd licet duo non possint eandem rem in solidum simul possidere eodem modo, quod volunt citati textus, & ut expressè habetur in *c. licet. §. expræmissu. de præb.* possint tamen diverso modo & respectu possidere, scilicet ut unus possideat naturaliter, alter civiliter, unus nomine alterius, alter per seipsum nomine suo ac proprio: quomodo etiam ejusdem rei dominium potest esse penes duos in solidum diversa ratione, ita ut penes unum sit dominium directè, penes alterum utile; sic licet non possit eadem jurisdictio æquè principaliter, eodemque modo simul esse penes duos in solidum, non est tamen absurdum, ut eadem jurisdictio sit penes Episcopum principaliter ac proprio nomine: qui ratione dignitatis Episcopalis quasi dominium jurisdictionis habeat; penes Vicarium accessoriè & secundariò, & non suo sed principalis nomine, & quasi exercitium jurisdictionis, utpotè qui non suo nomine, sed nomine principalis, & quasi exercitium jurisdictionis, utpotè qui non suo nomine, sed vice Episcopi jurisdictionem dicitur exercere. Ita ferè Pirh. *l. cit. n. 36.* citans Sanch. *ubi supra n. 13.* Barbos. *de potest. Episc. Alleg. 54. num. 38. & 39.* Quòd si instes: vel ex hoc ipso, quòd Vicario Episcopi jurisdictio competat, & insit non suo, sed nomine alterius, scilicet Episcopi, sequitur illum non habere jurisdictionem ordinariam, sed solùm delegatam, utpotè quæ in hoc distinguitur ab ordinaria, quòd Judex ordinarius propria jurisdictione utatur, & proprio nomine, delegatus vice alterius, qui mandavit, non suâ fungatur, juxta *l. qui mandatum. ff. de off. ejus cui mandat. jurisd. l. solet. ff. de jurisd. omn. Jud.* respondet Pirh. *l. c. n. 30.* ex Sanch. *l. c.* eum, qui vices alterius gerit in diverso tribunali, esse Judicè delegatum, non autem eum, qui vices alterius ita gerit, ut constituat idem tribunal cum ipso, sicuti Vicarius cum Episcopo; tunc enim erit Judex ordinarius, cùm Episcopi jurisdictio sit ordinaria. Unde generaliter loquendo, ex eo, quòd quis gerat vices alterius, non sequitur, quòd non habeat jurisdictionem ordinariam, sed delegatam, ut patet in legato Papæ, qui ejus vices gerit. *c. 1. de off. legat.* & tamen habet jurisdictionem ordinariam *c. 2. tit. eodem in 6.* proinde requiritur insuper, ut vices alterius gerat non ex ullo proprio officio, cui talis jurisdictio cohæreat. Vicarius autem Episcopi exercet jurisdictionem vice Episcopi ratione officii Vicariatûs, non ex nuda commissione, & in eodem tribunali juxta Barbos. *l. cit. n. 43.* Ad ea, quæ contra hoc ipsum obmoveri possent, dicendo nimirum; jurisdictionem officio Vicariatûs non esse annexam à lege, sicut ea annexa est ex Canone officio Archidiaconi, sed concedi ab Episcopo, qui cùm ipse non sit Princeps supremus, constituere nequit Judicem ordinarium, adeoque nec concedere jurisdictionem ordinariam, ad ea inquam respondebitur paulò post, ubi quæretur, à quo Vicarius suam habeat jurisdictionem.

3. Neque opponas secundò jurisdictionem ordinariam esse perpetuam, irrevocabilem, & non exspirare morte concedentis, sicut jurisdictio delegata exspirat morte delegantis, re adhuc integra, & qualiter jurisdictio Vicarii non est perpetua, sed ad nutum Episcopi revocabilis, & exspirat morte Episcopi, etsi res adhuc sit integra. Nam respondetur; de ratione ordinariæ jurisdictionis esse, ut sit perpetua & irrevocabilis, neque morte concedentis exspiret, quando alicui per se primò, seu principaliter, & proprio nomine inest & competit; secus, quando jurisdictio ordinaria alicui non inest principaliter ac per se, & nomine proprio, sed solùm accessoriè, ita ut vice & nomine alterius exerceatur, sicut est in Vicario Episcopi solùm accessoriè, & quòd ad exercitium. Pirh. *loc. cit. n. 28.* ex Sanch. *loc. cit.* & Barbos *l. c. n. 44.*

4. Neque opponas tertiò; Episcopum non posse constituere Judicem ordinarium, cùm id sit solius Principis supremi *c. à Judicib. de arbitris.* & *ibi* Gl. & nullus inferior Princeps possit officium suum seu totam jurisdictionem suam alteri committere. Maranta *de Jurisd. p. 4. distinct. 5. num. 51.* & Authores communiter *in c. penult. de Judic.* apud Layman. *in c. ut Archidiaconus. de off. Archid. n. 3.* adeoque jam non nisi delegatam jurisdictionem concedere poterit Vicario. Nam respondetur, quòd licet Episcopus nequeat constituere Judicem ordinarium, qui distinctum ab eo tribunal & jurisdictionem habeat, possit tamen constituere, qui idem cum ipso tribunal & jurisdictionem habeat, sitque Episcopo substitutus in eadem jurisdictione. Pirh. *loc. cit. num. 37.* Adde, quòd juxta plures habeat jurisdictionem, non ab Episcopo, sed à lege, de quo paulò infra.

*Quæstio 70. An quoque pari modi Vicario capituli Sede vacante, & Vicario foraneo Episcopi competat jurisdictio ordinaria?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Sbroz. *l. 2. q. 55. n. 31.* citans Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 8.* de quo vide dicenda ct. seq.

2. Resp. ad secundum negativè. Sbroz. *l. c. n. 33.* citans Gl. *in Clem. 2. de rescript. v. foraneus.* Marant. *de ordin. Jud. p. 4. dist. 5. n. 14.* Milis *in repertor. v. Vicarius foran.* Covar. *qq. pract. c. 4. n. 7.* Cuch. *instit. juris can. tit. 8. de Vicar. n. 16. l. 2.* & plurimos alios. Idem tenet Lotter. *l. 1. q. 23. n. 46.* citans Gutier. *de matrim. c. 68. n. 11.* Barbos. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 22.* Garc. *p. 5. c. 8. n. 29.* ubi, quod is dicatur delegatus, nec faciat idem tribunal cum Episcopo, unde à tali Vicario appelletur ad Episcopum vel ejus Vicarium. Citat pro hoc Sanch. *de matrim l. 2. d. 29. n. 12.*

*Quæstio 71 In quibus Vicarius generalis habeat jurisdictionem ordinariam?*

1. RResp. habet primò in iis, quæ ex generali officio Vicariatûs ei competunt, & in generali mandato Vicariatûs ei committuntur. Sbroz. *l. 2. q. 55. n. 35.* citans quamplurimos. Pirh. *l. c. n. 40.* citans Laym. *de jurisd. ordinar. concl. 105.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 28. c. 8. n. 8.* Garc. *l. c. n. 40.* cum communi.

2. Secundò etiam in iis, quæ speciali commissione opus habent, modo in prima commissione generali vicariatûs officio specialiter annectantur, seu simul & unà cum jurisdictione generali, & ordinaria potestate committantur. Secus est in casibus, quæ speciale mandatum requirentia in prima comissione seu constitutione Vicarii ipsi specialiter non committuntur, sed postea seorsim ac separatim per speciale mandatum, ita ut in his delegatam solùm jurisdictionem habeat Vicarius. Sbroz. *l. c. n. 38. & 39.* Garc. *l. c. n. 40. & 41.* citans Felin. *in c. licet in corrigendis. de off. ordinar. n. 1.* Auffrer. *ad Capell. Tholosan. decis. 443.* Gamb. *de off. legat. l. 9. n. 33. & seq.* Bero. *consil. 22. n. 14. & 19. vol. 1.* Sanch. *ubi ante.* Pirh. Laym. *locis cit.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 49.* ubi etiam: *quòd, quidquid sit in jure, in praxi videmus servari, quòd*

*Vicarii in his, quæ speciale mandatum requirunt, semper procedant ut Ordinarii, non ut delegati. Nam, se subscribunt in actis. NN. Vicarius generalis.* Contrarium reponsioni nostræ tenentibus Lapo *in c. 2. de off. Vicar. in 6.* Dominic. *ibidem.* Anchar. *num. 2.* Marc. Anton. Genuens. in *pr. cur Archiep. Neapol. c. 66. num. 25.* apud Garc. *l. cit. num. 45.* in quantum tenent; quod sive in simul, sive in diversis temporibus fiat commissio specialis alicujus vel aliquorum requirentium speciale mandatum, & addatur clausula generalis: *& ad omnia alia requirentia speciale mandatum:* tunc tota jurisdictio sit ordinaria; eo quòd ille ordinarius est, cui committitur universitas causarum. Si verò non adjicitur dicta clausula generalis, tunc in expressis requirentibus specialem commissionem erit jurisdictio delegata. Verùm nostræ responsionis bonam, & generalem rationem dat Pirh. ex Sanch. *loc. cit.* quòd in priore casu jurisdictio quò ad actus specialem commissionem exigentes, datur tanquam annexa, & accessoria ad ipsum officium generale Vicariatûs, & ideo, sicut jurisdictio principalis ipsius officii generalis Vicariatûs est ordinaria, ita & jurisdictio quò ad actus specialiter commissos accessoriè illi annexa transit in ordinariam; quia accessorium sequitur principale, juxta *reg. juris 42. in 6.* Secus est in posteriore casu, in quo jurisdictio ad actus specialiter commissos non accessoriè, sed separatim & singulariter, & independenter à generali officio Vicariatûs datur, ideoque delegata censeri debet. Specialiter quoque doctrinam & rationem adversariorum elidit Garc. *cit. num. 45.* nempe, quòd sola commissio universitatis causarum non faciat verè Ordinarium, & quòd dum in simul cum potestate ordinaria fit commissio aliquorum requirentium speciale mandatum, tota jurisdictio sit ordinaria, etsi non addatur dicta illa clausula generalis, ex quo una est commissio juxta *c. translato. de constit.* Unde jam etiam in his casibus ita singulariter ac separatim commissis appellari potest à Vicario ad Episcopum delegantem. Pirh. *loc. cit.* è contra in requirentibus speciale mandatum, simul tamen cum potestate ordinaria committi solitis à Vicario ad Epscopum non datur appellatio. Garc. *loc. cit. n. 42.*

3. Tertiò etiam in iis, quæ specialem commissionem requirentia committuntur quidem singulariter ac speciatim à commissione generali Vicariatûs, committuntur tamen tanquam Vicario generali, seu intuitu officii Vicariatûs. Pirh. *loc. cit.* Sic quoque tradit Joan. And. *ad Speculator. in Rub. de off. Vicar.* apud Garc. *num. 43.* quòd quando divisim ac separatim committuntur, quæ requirunt speciale mandatum, tota jurisdictio sit ordinaria, si in commissione fiat mentio Vicariatûs, sive in salutatione dicendo: *Tali Officiali vel Vicario nostro*; sive in progressu dicendo: *Tibi Officiali nostro committimus, quòd possis*, &c. sic dicendo: *potestatem tibi aliàs per nos commissam extendimus, prorogamus, ampliamus.* Joannem And. sequitur Sanch. *l. cit.* Hanc tamen doctrinam sibi non placere ait Garc. *n. 44.* nisi in eo solùm casu, dum diceret Episcopus, quòd potestatem aliàs commissam extendat vel ampliet; non verò si in commissione illa separatim facta fieret solùm mentio Vicariatûs sive in salutatione, sive in progressu; eo quòd sola Vicariatûs mentio non operetur extensionem, prorogationem, aut ampliationem potestatis aliàs commissæ, sed solùm sit causa demonstrationis personæ, cui datur nova illa commissio.

*Quæstio 72. A quo jurisdictionem suam ordinariam accipiat Vicarius generalis Episcopi?*

REspondeo: Accipere Vicarium hanc jurisdictionem non tam ab Episcopo quàm ab ipsa lege; eò quòd licèt nulla lex Canonica in toto Jure Canonico reperiatur, quæ expressè hanc jurisdictionem tribuat isti vicario, cùm tamen Jure Canonico licitum sit, & permissum Episcopis constituere & assumere Vicarios. *c. cùm Episcopus. de off. ordinar. in 6. c. ult. de hæret. in 6.* qui vice eorum jurisdictionem Episcopalem exerceant, hoc ipso, quòd Episcopus nominat & constituit Vicarium ex permissione juris, jus ipsi det, & conferat jurisdictionem ordinariam, supposita tamen & interveniente dicta nominatione seu institutione Episcopi. Sic inquam docent Sbroz. *l. 2. q. 14. & 26.* & alii plures citati à Garc. *loc. paulò post citand.* Item Pirh. *l. cit. num. 37.* citans pro hoc Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. n. 40. & 44.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. q. 1. n. 13.* Idem tenet Pignat. *Tom. 4. consult. 37. n. 6.* ubi *lex ipsa est, quæ dat jurisdictionem Vicario generali secundùm Gl. in c. Romana. v. generaliter. de appellat. rejecta opinione Gosfred. & aliorum.* Citat quoque pro hoc Abb. *in c. quoniam. etiam in fine*, ubi is asserat, quòd Episcopus propriè non dat jurisdictionem Vicario, sed lex ipsa ministerio & facto Episcopi interveniente: eadem habet Pignat. *Tom. 3. cons. 64. n. 4.* ubi Vicarius accipit jurisdictionem à lege, ubi primum Vicarius constituitur; unde habeat jurisdictionem ratione officij, & titulo Vicariatûs, juxta *c. 2. de off. Vicar. in 6.* ut notant Abb. *cons. 21. n. 3. l. 1.* Covar. *qq. pract. c. 4. n. 4. in fine.* Fagn. *in c. quod nobis. de clandest. desponsat. n. 45.* &c. Quorum sententiam secutus fui in foro benef. *p. 2. q. 681 n. 2.* citatis Castropal. Molin. Azor & aliis. Contrarium tamen tradit Garc. *de benef. p. 5. c. 8. n. 24. & 25.* ubi is: *dicitur Ordinarius ex eo, quòd juris permissione & consuetudine ab Episcopo constituatur, ut ejus locum teneat, & jurisdictionem generaliter exerceat, & sic perinde, ac si à lege constitueretur. Non tamen ex eo est Ordinarius, quod lex det jurisdictioem Vicario intervenie nte ministerio & facto Episcopi, ut tenent Rota decis. 4. de off. Vicar. aliàs 378. in Novis. Marant. in speculo Advocator. p. 4. dist. 5. n. 12. Thom. Sanch. nam verius est, Vicarium accipere jurisdictionem ab Episcopo eum deputante, ut tenet Vestrius in pr. Curiæ Roman. l. 3. c. 3. n. 2. nec id negari potest.* Idem ijsdem verbis ex Garcia tenet Pax Jord. *l. 12. tit. 1. n. 43.* & distinctiùs aliquantum ex Hostiens. *tit. de off. delegat.* tradit Laym. *in c. ut Archidiaconus. de off. Archid. n. 3.* quòd jurisdictio illa ordinaria Vicarii directè proveniat ab Episcopo, creante seu assumente Vicarium; indirectè verò à lege seu Canone, nimirum concedente Episcopis potestatem assumendi seu creandi Vicarium; sicut è contra jurisdictio ordinaria Archidiaconi directè provenit à lege & indirectè ab homine, v. g. Episcopo, instituente Archidiaconum, seu conferente Archidiaconatum.

*Quæstio 73. An & qualiter idem cum Episcopo consistorium seu tribunal habeat Vicarius, & in quibus casibus habeat idem tribunal?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Barbos. *Juris Eccles. l. 1. c. 15. n. 18.* Pax Jordan. *l. c. n. 58.* Lotter. *de re benef. l. 1. q. 23. n. 45.* Sbroz. *l. 2. q. 25. n. 3. & q. 57. n. 1.* Laym. *in c. non putamus. de consuetud. in 6. n. 2.* Ego *in foro benef. p. 2. q. 681. n. 2.* citatis pluribus juxta dicta in antecedentibus frequenter.

2. Resp. ad secundum: Vicarius non habet in omnibus idè consistorium seu tribunal cum Episcopo, Sbroz.

*l. 3.*

*l. 3. q. 6. n. 24.* Sed in iis tantùm, quæ competunt Episcopo ratione jurisdictionis ordinariæ; non verò in iis, quæ ei competunt de jure speciali aut consuetudine. Sbroz. *l. 1. q. 30. num. 12. & l. 2. q. 175. num. 16.* Sic etiam in causa per Episcopum delegata, Vicarius non habet idem tribunal cum Episcopo; nam delegatus ille Episcopi in illa causa major est Vicario. Sbroz. *l. 3. q. 6. num. 24.* citans Cassan. *in catalog. glor. mund. p. 7. consid. 20.* Item Vicarius non habet idem consistorium cum Episcopo quo ad supplicationem juxta Franc. *in c. non putamus. de consuetud. in 6.* post Joh. And. *in c. Romana. de appellat. in 6. in princip.* apud Sbroz. *l. 3. q. 12. n. 3.* sed de hoc paulò post. An verò pari modo non faciat idem tribunal cum Episcopo quò ad recusationem ut Archid. & Franc. *in cit. c. non putamus. apud* Sbroz. *l. 3. q. 13. n. 3.* vide apud eundem *ibidem*, & dicenda à nobis paulò infra. Limitat quoque dictum illud, quòd Vicarius idem tribunal cum Episcopo habeat, Barbos. *l. cit.* dum ait, id intelligi de causis spiritualibus; in temporalibus enim (ubi Episcopus jurisdictionem habet temporalem) ab ejus Vicario, quamvis ordinario, ad Episcopum tanquam altius tribunal appellatur, argumento *Clem. 2. de rescrip.* juncta Glos. Illud quoque observandum hic ex Laym. *in cit. c. non putamus. n. 4.* quòd licet idem utriusque sit tribunal, eademque jurisdictio, nihilominus jurisdictio Episcopi à jurisdictione Vicarii differat, non quidem substantialiter, sed accidentaliter, quatenus hæc ab illa dependens est, adeóque jurisdictio firmior sit in Episcopo quàm Vicario: Sicut aqua potentior est in fonte quam in rivulo. De cetero quòd unum idemque tribunal habeat Vicarius cum Episcopo, intelligendum non esse de Vicario foraneo, dictum in antecedentibus, & spiritualiter de Vicario deputato ad civitatem tantùm, quòd non faciat idem tribunal cum Episcopo, dictum est aliàs ex Sbroz. *l. 1. q. 29. num. 2.* citante pro hoc plures.

## *Quæstio 74. An appellari possit à sententia Vicarii ad Episcopum?*

1. REspondeo: Non datur appellatio à Vicario ad Episcopum tanquam ab eodem ad se ipsum. Sbroz. *l. 1. q. 23. n. 8. & l. 3. q. 1. n. 1.* citans *c. Romana. de appellat. in 6.* & *ibi* DD. *C. non putamus de consuetud. in 6.* & *ibi* Archid. Anchar. Franc. Gemin. *c. si quis. de off. deleg. in 6.* Lancellot. *institut. juris can. de off. Vicarii.* & plurimos alios. Laym. *in cit. c. Romana. n. 2. & in c. ut Archidiaconus. de off. Archid. n. & in c. non putamus. n. 1.* ubi, quod non valeat consuetudo immemorialis appellandi à Vicario ad Episcopum, eo quòd consuetudo, quæ est contra substantiã rei, de jure impossibilis atque irrationalis judicari debet; Ratio verò ac veluti substantia appellationis in eo consistat, quòd sit ad alium eumq; majorem Judicem provocatio *l. 1. §. si quis ff. de appellat. c. placuit. causa 2. q. 6.* Episcopus autem ejusque Vicarius, seu Officialis principalis unum idemque tribunal habent, adeóque repugnet ab hoc ad illum appellare; uti etiam talem consuetudinem non valere, ait Azor. *p. 2. l. 3. c. 43. q. 6.* Pax Jord. *loc. cit. num. 64.*

2. Extenditur responsio primò, ita ut si de facto interponatur talis appellatio, etiam partibus consentientibus, commissio causæ, & processus inde secutus sit invalidus & nullus. Sbroz. *cit. q. 2. n. 11. & 12.* Barbos. *de pot. Episc. p. 3. alleg. 54. num. 48.* Tusch. *Lit. a. concl. 349. num. 3.* Pax Jord. *loc. cit. n. 61.* Secundò, ut ne quidem detur appellatio talis in requirentibus speciale mandatum, dum ea simul cum potestate ordinaria commissa sunt. Garc. *loc. cit. n. 42.* Ego, *fori benef. p. 2. q. 693.* Tertiò ut procedat tam de appellatione judiciali quàm extrajudiciali. Sbroz. *loc. cit. num. 10.* & ex eo Pax Jord. *n. 62.* Barbos. *ubi ante.* Quartò ut procedat quoque in supplicatione. Sbroz. *l. 3. q. 12. per tot.* Barbos. *l. c. n. 49.* Pax Jord. *num. 63.* sed de hoc inferius specialiter.

3. Limitatur è contra responsio primò, ut non procedat respectu causarum specialiter delegatarum Vicario ab Episcopo extra commissionem generalem Vicariatûs; quotiescunque enim Vicarius non ut ordinarius, sed ut delegatus Episcopi procedit, appellatio detur ad Episcopum delegantem. Garc. *loc. cit. n. 40.* citans quamplures. Sbroz. *l. 2. q. 55. n. 35.* Barbos. *loc. cit. n. 52.* & ex eo Pax Jord. *l. cit. n. 71.* citantes Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. n. 6.* Unde jam etiam à Vicariis quantumcumque delegatis ad universitatem causarum, cùm semper maneant delegati, conceditur appellatio ad Episcopum delegantem, non ad Superiorem. Pax Jord. *l. cit.* citans eosdem quos ante, ac dicens, pro indubitato recipi à communi.

4. Limitatur secundò, ut non procedat in appellatione ab interlocutoria Vicarii: nihil enim vetat, quò minus ab ea ad Episcopum appellatio per viam recursûs à gravamine interponatur. Barbos. *l. cit. n. 50.* & ex eo Pax Jord. *n. 67.* citantes præter alios Put. *l. 2. decis. 502.* Jacob. Laurent. *de Jud. suspect. c. 24. n. 12.* sicut enim Judex ipse decretum suum, quòd interloquendo pronunciavit revocare, mutare, & emendare (etiam sæpius, ut addit Pax Jord. *n. 68.*) potest. *Barbos. num. 51.* citans Cardos. in *pr. judicum V. Judex. num. 66. & 67.* Ricc. *in collect. p. 5. collectan. 1474.* Calder. Pereiram. *qq. forens. l. 1. q. 9.* Gratian. *discept. for. c. 474. n. 11.* &c. juxta *l. quod jussit. ff. de re jud. l. dicere. ff. de arbit. c. cùm cessante. de appell.* (modò tamen sententia illa interlocutoria non sit mandata executioni. Barbos. *cit. n. 51.* Pereira *l. cit n. 8.* Pax Jord. *n. 68.* nec finem imponat judicio aut processui. Barbos. Pax Jord. *locis cit.* Pereira *n. 9.* nec sit geminata, aut ab ea transierint decem dies; quia tunc efficitur irretractabilis, seu revocari non potest ad petitionem partium, seu partes eam retractationem petere nequeunt. Barbos. Pax Jord. *locis cit.* citato Gratian. *c. 155. num. 35.* quamvis (ut addit Pax Jord. Judex non impediatur eam ex officio concedere) sic etiam Episcopus, cùm eandem jurisdictionem, & auditorium cum Vicario habeat, sententiam, quam Vicarius ipse interloquendo pronunciavit, tanquam à se ipso probatam corrigere, & emendare poterit. Barbos. *cit. num. 51.* & ex eo Pax Jord. *num. 7.*

5. Observandum quoque hic, quod tradit Sbroz. *l. 3. q. 2. num. 9.* ex Franc. *in c. non putamus. de consuetud. in 6.* quod à Vicariis (intellige quibuscunque) detur appellatio ad eorum principales, à quibus constituti, dum hi sunt supremi Principes, non agnoscentes Superiorem propter defectum superioritatis. Sic etiam tradit Pax Jord. *l. cit. num. 6.* à Vicario Papæ ad Papam appellari posse.

## *Quæstio 75. Num pari modo à Vicariis foraneis Episcopi appellari nequeat ad Episcopum?*

REspondeo negativè. Quòd enim Episcopi, & ejus Vicarii seu Officialis unum sit tribunal, de Vicario solùm generali intelligitur, seu ad universitatem causarum Ordinario. Garc. *p. 5. c. 8. n. 29.* citans quamplures. Laym. *in c. non putamus. de consuetud.*

*n. 6. num. 5.* Barbos. *Jur. Eccles. l. 1. c. 15. num. 18.* juxta *Clem. 2. de rescrip. & c. Romana. de appellat in 6.* contra Germon. *de indult. Cardin. l. 1. c. 7. num. 88.* Et sic in specie, etiamsi Vicarius resideat in civitate, restrictè tamen ad illam tantùm, aut ad alium locum vel loca & partem Diœcesis, non ad totam, adhuc ab eo appellari possit ad Episcopum; quia remaneret foraneus. Garc. *loc. cit. num. 30.* ubi ait *in Abulens. matrim. de Anno 1542.* resolutum à Rota, à Judice Metropolitano Archiepiscopi Compostellani residente in civitate Salmantina deputato ad cognoscendum de causis appellationum certorum Episcopatuum Suffraganeorum tanquam Vicario foraneo posse appellari ad Archiepiscopum. Pax Jord. *loc. cit. num. 50.* Sbroz. *l. 1. q. 23. num. 4.* ubi dicit, talem Vicarium restrictè constitutum ad civitatem non dici generalem, sed delegatum *juncto num. 9.* ubi dicit, à Vicarii foranei sententia dari appellationem ad Episcopum, aut ejus Vicarium generalem. Item *q. 29. num. 1. & 2.* ubi talem dicit esse Vicarium foraneum, & non habere idem tribunal cum Episcopo. Unde mirum est, quòd hic auctor tam manifestè sibi contradicat *l. 3. q. 2. num. 5.* ubi is expressè: *Ampliatur primò, etiam non dari appellationem ad Episcopum à sententia Vicarii generalis constituti in Civitate tantùm*, &c. quia is non est verè & absolutè generalis, ut Garc. *loc. cit num. 53.* & ipse Sbroz. confessus erat *cit. q. 29.* Sic itaque appellari poterit à Vicario foraneo ad Episcopum, cujus est Vicarius foraneus, vel ejus Vicarium generalem. Garc. *loc. cit. num. 29.* citans quamplures. Sbroz. *l. 2. q. 62. num. 6.* ubi expressè: *Quia foraneus Vicarius dependet à Vicario generali seu principali, & eidem subditus est, ab ejus sententia ad Vicarium generalem appellatur.* Citat pro hoc Archidiac. *in c. 2. de consuetudine in 6. in fine.* Cardin. *in Clem. 2. de rescrip. num. 25.* Felin *in c. si quis contra. De foro compet. num. 5.* & plures alios. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. *cit. q. 62. num. 8. & 9.* ut non procedat appellatio à foraneo ad Vicarium generalem, dum appareret, quòd propter causas delegatas ab Episcopo potestas detracta esset ab ordinaria potestate Vicarii generalis, & concessa foraneo; eò quòd tunc Vicarius quò ad illas causas non subsit Vicario generali. Sed neque à Vicario tali foraneo appellari potest præterito Episcopo, ejusque Vicario ad Metropolitanum. Sbroz. *l. 3. q. 2. n. 6.* nisi forte consuetudo haberet aliud. Sbroz. *ibidem n. 7.*

## *Quæstio 76. Ad quem ergo detur appellatio à sententia diffinitiva Vicarii generalis?*

REspondeo: Ad Archiepiscopum seu Metropolitanum Episcopi, cujus est Vicarius, vel ad Papam, sive ad illum, ad quem appellaretur ab Episcopo. Sbroz. *l. 3. q. 1. num. 1.* juxta *c. Romana. de appellat. in 6.* & *ibi* Innoc. & Archid. Idque non obstante in contrarium consuetudine etiam immemorali. Sbroz. *ibid. num. 2.* Ita tamen, ut procedat in appellationibus à diffinitiva, vel ab alia habente vim diffinitivæ, & cujus gravamen per appellationem à diffinitiva reparari nequit; secus enim est ab interlocutoria, vel à quocunque alio gravamine ante diffinitivam. Sbroz. *num. 3.* De cetero Metropolitanus cognoscere non poterit de negotio principali omisso articulo appellationis, etiam cum consensu Vicarii Episcopi Suffraganei, nisi ejusdem adsit mandatum speciale. Sbroz. *num. 4. & 5.* citans Jo. Baptist. Ferret. *cons. 307. num. 1. & 2.*

## *Quæstio 77. An à sententia Vicarij generalis supplicari possit ad Episcopum?*

1. REspondeo negativè. Barbos. *de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 54. num. 49.* citans Marches. *de commiss. p. 1. c. 6. n. 118.* Pax Jord. *l. cit. num. 63.* ex Sbroz. *l. 3. q. 12. à n. 2.* citante pro hoc Host. & Archid. *c. Romana.* Cardin *in Clem. 2. de rescrip. n. 8.* Auffrer. *in addit. ad Tolosan. q. 439.* &c. Rationem ex ijsdem Authoribus dat Sbroz. primò. Quòd si à sententia Vicarii supplicari posset ad Episcopum, fieret fraus prohibitæ appellationi contra mentem *cit. c. Romana. & c. 2. de consuetud. in 6.* & contra *regul. Juris in 6. quòd unâ viâ prohibetur, ad illud alia via non debet admitti.* Secundò, quòd vel sic non esset idem consistorium Vicarii cum Episcopo, si à consistorio Vicarii supplicari posset ad consistorium Episcopi; adeoque jam prohibitâ appellatione ab ipso, prohibitum quoque est supplicare ad Episcopum, non obstante ut Sbroz. *l. cit. num. 6.* quòd supplicatio de cetero differat ab appellatione: siquidem differentia illa procedat in casibus expressis, in aliis verò supplicatio & appellatio procedant pari passu, ut Roland à Valle *cons. 94. n. 9. & seq. vol. 3.* Imol. *cons. 146. col. 4. in fine.* Uti etiam differentiam illam inter supplicationem & appellationem locum habere dicit *n. 7.* si fieret Principi habenti jurisdictionem diversam à suo Judice; non verò si fiat Episcopo habenti eandem jurisdictionem cùm suo Vicario.

2. Ampliat quoque hanc doctrinam de supplicatione prohibita ad Episcopum Sbroz. *l. cit.* ut locum quoque habeat in Vicario Capituli sede vacante, citans pro hoc Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 10. num. 14.* Jo. And. *in cit. c. Romana. de appel. in 6.* Zenzel. *in Clem. 2. de rescrip.*

3. Limitatur tamen etiam à Sbroz. *l. cit. n. 10.* responsio nostra, ut procedat de supplicatione strictè tali, non autem, ubi agitur de restitutione largè tali, qualem vocat, quæ concernit, seu respicit commodum restitutionis in integrum; eò quòd, si supplicatio porrigatur ad solum effectum restitutionis in integrum, seu suam intentionem unicè fundet in hoc remedio restitutionis, poterit interponi, & poterit Episcopus eidem supplicationi deferens restituere in integrum adversus Vicarii sui sententiam, non secus ac ipse Vicarius contra sententiam à seipso latam potest concedere condemnato hanc restitutionem. Sbroz. *cit. n. 10.* Pax Jord. *cit. n. 63.* Barbos. *cit. n. 51.* citante pro hoc Capell. Tholosan. *decis. 479.* Cabellin. *millelo q. 747.* Bertach. *de Episc. p. 5. l. 4. n. 67.* Cuch. *Instit. major. l. 3. lit. 9. de Episc. n. 308.* Zerol. *in pr. p. 1. v. Vicarius §. 5.* &c. pro cujus ulteriore declarat. sit

## *Quæstio 78. Num igitur & qualiter Vicarius tam contra suam, quàm Episcopi sui sententiam restituere possit in integrum?*

1. REspondeo primò: Posse Vicarium contra sententiam à se ipso latam restituere in integrum jam dictum est, stabilitque id ipsum Sbroz. *l. 3. q. 13. n. 1. & 2.* citatis quam plurimis, & insuper hac ratione desumpta ex *c. causa. junctâ Gl. v. habentibus. de restitution. in integ.* quòd Ordinarij, qui habent jurisdictionem cum administratione (qualiter illam habet Vicarius generalis Episcopi, ut dictum supra) possunt concedere restitutionem in integrum.

2. Ampliatur id ipsum primò à Sbroz. *l. cit. num. 4.* ut procedat tam in restitutione in integrum, quæ

quæ conceditur minori, quàm in ea, quæ conceditur majori ex causa, ut Abb. *in c. ex literis. n. 11. in fine.* Ampliatur ab eodem secundò. *n. 3. junctis n. 12. & 13.* ut procedat quoque in Vicario foraneo delegato ad universitatem causarum. citat pro hoc Abbat. *in c. causa. de restitut. in integ. n. 7.* probatque ait ex *eod. c. causa*, ubi dicatur delegatum ab Ordinario habente administrationem posse restituere in integrum. Veruntamen hæc extensio non videtur subsistere cum eo, quod *n. 2.* dixerat ex *c. causa*, nempe quod Ordinarii, qui habent jurisdictionem cum administratione, possint in integrum restituere; siquidem à sensu contrario patet, quòd qui non est Ordinarius, seu ordinariam jurisdictionem non habet, sed delegatam (qualis est ille Vicarius foraneus) restituere nequeat.

1. Limitatur è contra responsio à Sbroz. *à n. 8.* ut Vicarius adversus sententiam à se latam non possit restituere in integrum, dum sententia illa transisset in rem judicatam; eò quòd Judex sine Principe restituere tantùm possit adversus sententiã in casibus, in quibus ea non transit in rem judicatam, ut quando lata esset in contumaciam illius, qui ex forma statuti habetur pro confesso & convicto, quæ nunquam transit in rem judicatam, ut Natta *cons. 44.* Cephal. *cons. 241. n. 77.* non verò, quando sententia Judicis transiit in rem judicatam; tunc enim non sit concedenda restitutio, nisi à Principe, ut Imol. Franc. Decius *in c. tua. de appellatione.* Afflict. *super constit. Reg. tit. quæ sint regalia. n. 99.* Roland. *cons. 38. & 43. l. 2.* & alii, quos citat Sbroz. *n. 10.*

4. Respondeo secundò, Vicarium quoque restituere posse in integrum adversus sententiam latam ab Episcopo, tradit Sbroz. *l. c. num. 5.* citatis pro hoc Rebuff. *in pr. benef. tit. forma Vicar. Archiep. num. 155.* Marant. *de ordin. Judic. p. 6. tit. & quandoque appell. n. 382.* Innoc. *in c. dilecti. de privileg.* Conrad. *in templo judic. l. 2. c. 6. §. 2. n. 10. &c.* Cumque idem Sbroz. *n. 11.* dixisset: *declaratur* (nempe quòd Vicarius restituere possit) *ut procedat quò ad restitutionem in integrum adversus sententiam suam tantùm, secus contra sententiam Episcopi, contra quam restituere non potest, ut Abb. in c. tum ex literis. de restitutione in integ. n. 3. eò quòd restitutio in integrum contra sententiam tractari debeat coram superiore ipsius judicantis l. primò. c. ubi & apud quem restit. in integ. & l. adversus, c. si adversus rem judicatam.* subjungit: *sed ista declaratio non esset recipienda per ea quæ dicta sunt supra, nempe n. 3.*

5. Atque ex his jam deducitur à fortiore, posse Episcopum adversus sententiam Vicarii sui restituere in integrum. Sbroz. *l. 3. q. 12. num. 10. & 11.* citans Bertach. *de Episc. p. 6. l. 4. tit. de Vicar. Episc. num. 18.* Cuch. *institut. Juris. Can. de Episcopo. n. 308.* Franc. *in c. dilecti. de appell. q. 9. &c.* juxta dicta à nobis *quæst. præced.*

## *Quæstio 79. Num de cetero quoque supplicari possit Episcopo propter gravamen illatum à Vicario generali, aut etiam agi de nullitate sententiæ latæ à Vicario?*

1. REspondeo ad primùm affirmativè. Laym. *in c. non putamus. de consuetud. in 6. n. 3.* citans Jo. And. *in c. Romana. col. 1.* & Jo. Monach. *n. 3. de appellat. in 6.* & sic rejecta appellandi facultate conceditur saltem querelæ, seu supplicationis remedium, juxta *l. si quis. junctâ Gl. & authen. c. de precibus Imperatori offer.* ubi habetur: licet à sententia Præfecti prætorio appellari non poterit, potuisse tamen intra dies decem supplicari ad Imperatorem. Laym. *c. cit.*

2. Respondeo quoque ad secundùm affirmativè Laym. *l. c. n. 4.* citans Franc. *in cit. c. non putamus. n. 10.* Marant. *in speculo aureo*, sive de *ordin. Judic. p. 6. q. 5. Reg. 2. n. 391.* Ait quoque Laym. his non obstare, quòd censeatur esse substantialiter idem tribunal Episcopi & Vicarii; eò quod nihilominus jurisdictio Vicarii differat à jurisdictione Episcopi tanquam ab ea dependens. Eandem doctrinam tradit Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in 6. n. 9. in fine.* ubi: *tametsi à Vicario generali ad Episcopum appellari nequeat, tamen supplicari potest, ut acta ejus rescindantur, vel de nullitate sententiæ cognoscatur, quia talis supplicatio vel petitio etiam ad ipsummet Vicarium dirigi potest, ut notavit* Cardin. *in Clem. 2. de rescrip. q. 7.* Sic Episcopum posse cognoscere de nullitate sententiæ sui Vicarii, & è contra, tradit Sbroz. *l. 3. q. 10. n. 1.* citatis Cardin. *ubi ante. n. 8.* Gemin. *in c. non putamus. n. 3.* Franc. *ibidem col. ult. in fine.* Posse quoque revocare sententiam interlocutoriam, ait Sbroz. *l. c. n. 2.* citatis Franco *ubi ante.* Vant. *de nullit. sent. tit. coram quo null. n. 20.* Cuch. *Instit. Jur. Can. de Vicar. Episc. n. 116.* Limitat tamen idipsum Sbroz. ut Episcopus cognoscere possit de iniquitate sententiæ interlocutoriæ, eámque revocare in casu, quo id posset Vicarius & non aliter. citat pro hoc Glos. *in c. 2. de consuetud. in 6.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 5. tit. pot. Episc. circa judic. n. 44.* quemadmodum etiam revocare potest Episcopus admissionem appellationis factam per vicarium eo casu, quo id posset Vicarius & contra. Sbroz. *l. c. n. 3.* citans Bertach. *ubi ante.*

3. De cetero, si Vicarius quidpiam ex commissione Officii seu Canonicè egit, Episcopus revocare aut impugnare nequit. Laym. *in c. non putamus. n. 5.* Azor. *Instit. mor. p. 2. l. 3. c. 43. q. 6.* citans Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Episc. n. 40.*

## *Quæstio 80. An Episcopus causam pendentem coram Vicario suo ad se revocare possit, aut etiam ei inhibere, ne judicet in certa causa?*

1. REspondeo affirmativè. Laym. *l. c. n. 4.* Sbroz *l. 3. q. 39.* citans Gemin. *in c. licet. de off. Vicar. in 6.* Calderin. *Consil. 2. tit. de offic. Vicar.* Abb. *in c. si quis contra, de foro compet. Lectur. 1. n. 25. & Lectur. 2. n. 30.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 8. tit. de Vicar. Episc. n. 19.* Marant. *de ordin. Judic. p. 3. dist. 16.* Covar. *qq. pract. c. 9.* Rebuff. *de nominat. in præfat. n. 39.* Bero. *cons. 22. n. 37. vol. 1.* Cuch. *ubi ante, n. 189.* Si enim Episcopus potest ex toto revocare Vicarium, poterit etiam à fortiore revocare ex parte, prohibendo, ne in hac vel illa causa judicet. Sbroz. *n. 2.* & sicut quilibet, etiam inferior Episcopo, avocando ad se causam pendentem coram suo Vicario videtur ejus jurisdictionem suspendere quò ad illam causam, ut Abb *in c. ut nostrum. de appellat. n. 3.* Unde jam Vicarius non poterit se intromittere; quia quantùm ad illam causam habetur pro revocato. Sbroz. ex Gemin. *l. c.* & consequenter gesta Vicarii in illa causa post avocationem vel prohibitionem ab Episcopo factam non valent Sbroz.

2. Ampliatur quoque responsio, ut Episcopus non solùm Vicario, sed & ejusdem Vicarii sui delegato inhibere possit, ne procedat in illa causa. Sbroz. *l. c. n. 4.* & apud illum Bertach. *de Episc. l. 4. p. 5. tit. de potest. Episc. circa judic. n. 52.* Avocare tamen ad se causam pendentem coram alio inferiore Ordinario, puta Archidiacono, Abbate &c. non posse Episcopum, ait Sbroz. *n. 6.* citatis Bertach. *ubi ante.* Franc. *in c. nostrum, de appellat. not. ab. 3.* Imol. *&c.*

*Quæstio* 81. *Num appellari possit à delegato Episcopi ad Vicarium?*

1. REspondeo negativè: saltem Episcopo non absente. Sbroz. *l.* 3. *q.* 7. *n.* 20. citat pro hoc Guido Papam. *q.* 272. qui dicat communem. Cassan. *Catalog. de glor. mundi p.* 7. *consid.* 20. Gig. *cons.* 82. *n.* 4. Selvam. *de benef. p.* 2. *q.* 14. *n.* 2. Decium *in c. dilecti de appellat. n.* 2. Abb. *ibid. n.* 3. *& in c. si quis contra. de foro competent. in* 1. *lectura n.* 25. *& in* 2. *lectur. n.* 3. Gemin. *in c. licèt. de consuetud. in* 6. *&* plures alios contra Cuchum *Inst. Jur. Can. de Vicar. Episc. n.* 114. Felin. *in cit. c. si quis contra. n.* 5. Bald. *in c. dilecti. de appellat.* Bart. *in l.* 1. §. 1. *in verb. idem auditorium. ff. de appellat.* Cardin. *in Clem.* 2. *de rescr. n.* 25. & plures alios apud Sbroz. *l. c. n.* 11. Stabilitur responsio argumento *c. studuisti. de off. deleg.* ubi de causa specialiter commissa delegato per Papam Legatus generalis se immiscere non potest; quia quo ad illam causam delegatus censetur major ipso Legato. Ad quod tamen dicent adversarii, id mirum non esse; eò quòd Legatus Papæ non faciat unum tribunal cum Papa, sicut Vicarius cum Episcopo, adeoque malè argumentari à Vicario Episcopi ad Legatum Papæ in hoc puncto appellationis. Verùm tamen contra est, quòd, ut dictum supra, diceturque iterum paulò post, neque quò ad causas delegatas idem est tribunal Episcopi, & Vicarii, & delegatus censetur major ipso Legato. Rationem etiam dat Sbroz. *cit. n.* 2. quòd, ut dictum *q. præced.* Episcopus possit inhibere Vicario, ne in certa aliqua causa judicet, videatur autem eo ipso id ei inhibere, & auferre Vicario suo jurisdictionem, quòd deleget causam illam alteri, adeoque jam in ea causa ad Vicarium appellari non poterit. Quam tamen ultimam sequelam negare possent adversarii dicendo, quòd licèt sublata videatur per hoc Vicario potestas respectu primæ instantiæ principalis, non tamen sublata quoque videatur instantis appellationis, quia talem potestatem non transtulit in alterum, nec sibi specificè seu privativè retinuit, & per dictam delegationem non tollitur, quin Vicarius remaneat Judex ordinarius, habens idem tribunal cum Episcopo. Verumtamen etiam hanc sequelam stabilire videtur Sbroz. *n.* 22. dum ait; præsente Episcopo propter reverentiam delegantis cessare debere jurisdictionem Vicarii in causa specialiter delegata alteri, intellige omnimode, hoc est, tam respectu primæ instantiæ quàm respectu appellationis; pari enim modo respectu utriusque urget reverentia Episcopi præsentis. Neque responsioni obstant, quæ obmovent adversarii. Non primò textus *cit. c. dilecti. de appellat.* ubi Officialis Archiepiscopi cognoscit causam appellationis interpositæ ad Archiepiscopum; nam textus ille, uti *& c. dilectus.* loquuntur de appellationibus interpositis jure ordinario ad Metropolitanum, quas Vicarius illius cognoscere potest tanquam habens idem tribunal cum suo Archiepiscopo; hic verò agimus de speciali appellatione interposita à delegato Episcopi, & sic diversa ab ordinaria appellatione, ac ideo de una ad aliam non est argumentandum. Sbroz. *l. c. n.* 25. Neque secundò, quod Vicarius sit Judex ordinarius habens idem cum Episcopo tribunal. Nam Vicarius semper habet eandem jurisdictionem quam Episcopus, & idem tribunal. Sbroz. *l. c. num.* 24. ut patet in causis specialiter extra generalem commissionem Vicariatûs commissis ipsimet Vicario.

2. Ampliatur responsio, ita ut adhuc appellari à delegato nequeat ad Vicarium Episcopo præsente, dum ipse Episcopus recusatus esset; possit autem in eo casu absente Episcopo appellari ad Vicarium, non ut is causam discutiat, sed ut alteri discutiendam, & finiendam committat. Sbroz. *n.* 26. citans Abb. *in c. si quis contra.* Franc. *in c.* 2. *de Consuetud. in* 6. Poterit tamen etiam consulto Episcopo, sive is præsens sit sive absens, causam hujusmodi appellationis cognoscere. Sbroz. *n.* 27.

*Quæstio* 82. *Num appellari possit ad Vicarium à delegato ipsiusmet Vicarii, aliisque Prælatis inferioribus?*

1. REspondeo ad primùm affirmativè. Sbroz. *l.* 3. *q.* 7. citatis Abb. *in c. super quæstionum. n.* 9. *de off. delegati.* Felin. *in c. si quis contra. de foro compet. n.* 5. Bertach. *de Episc. p.* 6. *l.* 4. *tit. de Vicar. Episc. n.* 17. ita ut in potestate appellantis sit, eligere quem maluerit, Episcopum vel ejus Vicarium. Et quò ad Episcopum patet; cum is, ut dictum *quæst. ante hanc penult.* etiam avocare possit causam pendentem coram delegato Vicarii, adeoque multò magis appellationem in ea causa admittere eamque cognoscere.

2. Respondeo ad secundùm, posse quoque appellari à sententia inferioris Prælati Episcopo subjecti ad Vicarium Episcopi diœcesani. Sbroz. *l.* 3. *q.* 8. citans Melill. *in opusc. de præcedent. Vicar. c.* 3. *n.* 11.

*Quæstio* 83. *Num Vicarius generalis Episcopi habeat jurisdictionem in subditos Prælatorum Episcopo subjectorum?*

REspondet affirmativè Sbroz. *l.* 2. *q.* 60. ex Jo. And. *in c. tua nobis. de off. Vicar. col.* 2. Et quidem tam in civilibus quàm in criminalibus, ita ut sit locus præventioni inter Prælatos & Episcopum, nisi aliud suadeat consuetudo, ut idem Sbroz. ex Abb. *in cit. c. tua nos. col.* 2.

*Quæstio* 84. *An Episcopo præsente ad hunc recurrendum, an verò etiam ad ejus Vicarium recurri possit?*

1. REspondeo primò: Tametsi Episcopus potestatem majorem, majusque imperium habeat quàm Vicarius, regulariter tamen adeundus Vicarius. Sbroz. *l.* 2. *q.* 57. *n.* 16. id probari dicens ex *c.* 3. *de Instit. c.* 2. *de regul. c.* 2. *de off. Vicar.*

2. Respondeo secundo: Præsente Episcopo æquè ac absente in omnibus recurri potest ad Vicarium Episcopi. Sbroz. *l. c. n.* 16. citans Boër. *decis.* 346. *n.* 6. Bertach. *l.* 4. *part.* 5. *tit. de potest. Episc. circa Judic. num.* 92. Jo. And. *in addit. ad specular. tit. de offic. Vicedom. in c. licèt. de off. Vicar. in* 6. Item Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 151. nisi fortè Vicarius constitutus esset pro solo tempore absentiæ, ut responsionem limitat Pax Jord. *l. c.* Potest siquidem Vicarius exercere jurisdictionem suam tam præsente quàm absente Episcopo. Sbroz. *l.* 2. *q.* 64. *n.* 1. citans Gemin. *in c. licèt. de off. Vicar. in* 6. *n.* 12. Federic. de Senis. *cons.* 302. *n.* 4. Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 15. Rebuff. *pr. benef. form. Vicar. Archid. n.* 187. *&c.* Sive potest in præsentia Episcopi omnia, quæ ei competunt sive ex generali, sive ex speciali commissione. Pax Jord. *l. c.* dicens hanc statui regulam communem per DD. quamvis secus sit in reverentialibus. Sbroz. *l. c. n.* 3. & ex eo Pax Jord. *l. c. n.* 152. cujus exemplum uterque affert ex *c.* 1. *de off. ordinar. in* 6. nimirùm quòd Vicarius Archiepiscopi quamdiu Archiepiscopus est in Provincia, non possit exercere jurisdictionem in Episcopos suffraganeos ferendo censuras, de quo infra. Item licèt secus sit in casu *c. nullus. de temp. ordinat. in* 6. ubi prohibe-

hibetur Vicarius præſente Epiſcopo dare dimiſſorias, quas dare abſente Epiſcopo ei permittitur. Sbroz. *num.* 4. Pax Jord. *num.* 153. Sed & de hoc infra. Quarum tamen limitationum neutra, uti nec aliarum locum habet in Vicario Epiſcopi conſtituti à Papa ob inhabilitatem Epiſcopi; is enim abſolutè poteſt omnia etiam præſente Epiſcopo. Sbroz. *n.* 6. Pax-Jord. *num.* 154.

*Quæſtio* 85. *Num Vicarius poſſit eſſe Judex in cauſa ſui Epiſcopi?*

Reſpondeo affirmativam teneri à Papazon. *in Apoſtil. ad rotam deciſ.* 1. *aliàs* 47. *n.* 5. apud Sbroz. *l.* 2. *q.* 137. *n.* 1. qui tamen ipſe ait, negativam ſibi videri certiorem. citat pro ea Bald. *in l. ſi quis. c. de Epiſc. & cler. n.* 6. Sapiam Felin. &c. Ampliat etiam Sbroz. ſuam hanc doctrinam *n.* 5. ut neque etiam eſſe poſſit Judex in cauſa Eccleſiæ ſui Epiſcopi, eo caſu quo Epiſcopus in tali cauſa nequit eſſe Judex. Admittit tamen Sbroz. *n.* 3. & 4. quòd, cùm Epiſcopus ſit piarum voluntatum executor, dicaturque pater & procurator pauperum, poſſit petere miſſionem in petitam per procuratorem poſſeſſionem nomine pauperum inſtitutorum hæredum, & in hoc caſu Vicarium ejuſdem Epiſcopi poſſe eſſe Judicem competentem in cauſa coram ſe mota per procuratorem Epiſcopi nomine pauperum contra laicum excipientem de competentia. Admittit quoque Sbroz. *l. c. n.* 6. quòd Vicarius non prohibeatur coram Epiſcopo teſtificari in cauſa pro actore, ſi neceſſitas immineret. citat pro hoc Gl. *in c. dilecto. v. recuſaſtis. de teſtibus.* Gemin. *conſ.* 115. *n.* 6. Verùm his non obſtantibus non video, cur Vicarius non poſſit eſſe Judex delegatus & conſtitutus à Pontifice in cauſa ſui Epiſcopi.

*Quæſtio* 86. *Num Vicarius generalis Archiepiſcopi habeat juriſdictionem in ſuffraganeos Epiſcopos, aut ſaltem in eorum Vicarios?*

1. Reſpondeo ad primum: Vicarius Archiepiſcopi nullam habet poteſtatem in Coëpiſcopos ſeu Epiſcopos ſuffraganeos, ob dignitatem & eminentiam Officii Epiſcopalis. Azor. *Inſt. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 45. *q.* 10. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n.* 66. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 152. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 39. Sbroz. *l.* 2. *q.* 58. *n.* 2. citans Bertach. *de Epiſc. p.* 7. 4. *tit. de Vicar. Epiſc. q.* 10. Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. Archiepiſc. n.* 164. Cuch. *inſtit. Jur. Can. de Vicar. Epiſc. n.* 123. *&c.* juxtà *c. Romana.* §. *ſi Officiales. de off. Judic. ordinar. in* 6.

2. Limitant reſponſionem Ventrigl. Pax Jord. Azor. *locis cit.* Sbroz. *l. c. num.* 3. ut procedat ſolùm, quando Archiepiſcopus eſt præſens in provincia, non verò, quando eſt abſens; eo quòd tunc Vicarius Archiepiſcopi habeat in dictos ſuffraganeos juriſdictionem cum poteſtate infligendi cenſuras, ſeu proferendi in illos ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti. Pro hac limitatione citat Ventrigl. præter quamplures citatos à Sbroz. Gratian. *diſcept. for. c.* 111. *n.* 19. & 20. & *c.* 169. *num.* 16. Meroll. *Theol. mor. d.* 7. *c.* 6. *dub.* 40. juxta *cit. c. Romana.* vi cujus prohibitum Vicario ferre cenſuras iſtiuſmodi in ſuffraganeos præſente Metropolitano, quas tamen ſi tuliſſet præſente Archiepiſcopo, valituras ſeu validas fore, tenet Gl. *in cit. c. Romana. v. attentans*, & cum eo Sbroz. *l. c. n.* 8. citans quoque pro hoc Foller. *in pr. crimin. can. p.* 1. *moral. n.* 123. quamvis addat, Vicarium eſſe propterea puniendum. Verumtamen melùs cum Jo. Monacho. & Archid. *in idem c. Romana.* eas vim habituras negat Azor. *l. c.* cùm ſententia lata ab eo, qui Judex non eſt (qualis pro tempore dictæ ſententiæ in ordine ad dictum effectum non eſt Vicarius, utpote cujus tunc ſuſpenſa juriſdictio & poteſtas ferendi cenſuras in dictos ſuffraganeos) non valet. Et ſic in ſpecie Vicarium Archiepiſcopi eo abſente in cauſa appellationis ab Epiſcopo ſuffraganeo per viam ſuſpenſionis, interdicti, vel alia poſſe procedere contra Epiſcopum ſuffraganeum, ut pareat ſuis reſcriptis & proviſionibus, tradit Carol. de Luca *ad Ventrigl. l. c. num.* 4. citato Gratiano *diſcept.* 169. *n.* 6. Verùm de hac poteſtate ferendi cenſuras ex profeſſo infra.

3. Reſpondeo ad ſecundùm: Sed neque Vicarius Archiepiſcopi habet juriſdictionem in Vicarios ſuffraganeorum, uti nec in alios eorum ſubditos. Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in* 6. *n.* 8. Pirh. *l. c.* Sbroz. *l.* 2. *q.* 59. *n.* 1. citans pro hoc *cit. c. Romana.* Gl. *in c.* 1. *de off. Vicar. in* 6. *v. ratio.* & *ibidem* Archid. *in prine.* Gemin. *n.* 6. Abb. *in c. paſtoralis. de off. ordinar. &c.*

4. Quòd ſi his opponatur, Archiepiſcopum dici Ordinarium Judicem omnium Epiſcoporum ſuæ provinciæ, & illos illi ſubjectos eſſe lege Metropolitana juxta *c. paſtoralis.* ubi id notat Abb. *n.* 2. & per conſequens etiam Vicarium Archiepiſcopi, utpote qui facit unum tribunal cum ſuo Archiepiſcopo, eſſe Judicem illorum ſuffraganeorum, adeoque etiam eſſe judicem Vicariorum illorum ſuffraganeorum, utpote qui quoque idem faciunt tribunal, eandemque perſonam repræſentant cum ſuis Epiſcopis, ac ita non minùs iſtos Vicarios ſuffraganeorum, quàm ipſos ſuffraganeos ſubjectos eſſe dicto Vicario Metropolitani. Si inquam hæc opponantur, reſpondetur (quæ reſponſio continet quoque limitationem datæ à nobis reſponſionis) imprimis juriſdictionem illam Archiepiſcoporum in Epiſcopos ceſſare hodie quò ad cauſas criminales; cum nequeant citari aut moneri, ſive ex officio procedatur, ſive per inquiſitionem ſeu denunciationem vel accuſationem. Sbroz. *cit. q.* 59. *n.* 1. juxta diſpoſitionem Trident. *Seſſ.* 13. *c.* 6. ita ut pro nullo delicto aut cauſa, etiam graviſſima, & atrociſſima, puta hæreſis, læſæ Majeſtatis &c. citari poſſint ad perſonaliter comparendum per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam S. E. R. Cardinales, niſi de expreſſa ac ſpeciali commiſſione manu Papæ ſignata, pro ut habetur in conſtitutione Pii IV. quâ declaratur & ampliatur dicta Tridentini diſpoſitio, quæque in Bullario eſt 15. & incipit: *In ſuprema militantis Eccleſiæ.* edita anno 1564. Sept. Calend. Decemb. Dumque in Trident. *l. cit.* excipitur cauſa, ob quam deponendus ſeu privandus veniret Epiſcopus, quòd in ea citari & moneri poſſet ad comparendum perſonaliter, id inquam de Epiſcopis non reſidentibus, non verò de reſidentibus, utpote in hoc ob reſidentiam magis privilegiatis, intelligendum. Gonz. *ad Reg.* 8. *gl.* 41. *n.* 5. Subjectos nihilominus Archiepiſcopo Epiſcopos ſuffraganeos quo ad cauſas eorum civiles, quatenus de iiſdem cognoſcunt Archiepiſcopi, ex Abb. *in cit. c. paſtoral.* tradit Sbroz. *cit. q.* 59. *n.* 2. Dein dicitur, quòd Vicarius Epiſcopi ſuffraganei conſideratus ut privata perſona non magis ſubjicitur Metropolitano quam alii Epiſcopo ſubditi, adeoq; ſicut alii illi ſubditi, ubi deliquerunt, non puniuntur nec conveniuntur coram Archiepiſcopo (niſi in caſibus, de quibus Gl. *in c. paſtoralis. v. exceptis* & *ibi* canoniſtæ) ita nec Vicarii ſuffraganeorum puniri à Metropolitano aut conveniri coram eo poſſunt, dum poſſident aut faciunt aliquid,

aut

aut delinquunt tanquam privati, ita ut tunc Metropolitanus non sit Judex comperens eorum. Sbroz. *l. c. n. 3. & 4.* Laym. *l. c.* hanc addens limitationem: nisi etiam in ejusmodi sit appellatum ad Archiepiscopum. Multò igitur minùs in illos ut tales jurisdictionem exercere potest Vicarius Episcopi. Si verò consideretur Vicarius ut persona publica, nempe ut Judex ordinarius in eodem cum Episcopo tribunali jurisdictionem exercens, poterit ratione hujus officii malè administrati, commissæque in eo culpæ v. g. ratione injustæ sententiæ latæ, cognitâ à Metropolitano causâ ab eodem puniri, v. g. excommunicari. Carol. de Luc. *l. c. n. 5.* Pirh. *cit. n. 66.* Laym. *cit. n. 8.* Sbroz. *l. c. n. 6.* juxta *cit. c. Romana. de off. Vicar. in 6.* Quin, & tenebitur Episcopus in hoc casu sistere & exhibere suum Vicarium Metropolitano. Pirh. Laym. *locis cit.* Causas verò rationabiles, ob quas à Metropolitano puniri possit juxta dictum *c. Romana. de off. Vicar.* Vicarius recenseri à Gl. *in idem c. item* ab Archidia. *ibidem in princip. & fine.* & à Gemin. *n. 6.* ait Sbroz. *cit. n. 6.* & inter alias esse, dum Vicarius impediret causam appellationis delatam ad Archiepiscopum. Si uteretur jurisdictione Episcopi excommunicati. Si non servaret sedis Apostolicæ privilegia. Si sit criminosus & incorrigibilis. Intelligendo tamen hæc omnia, si Episcopus sit complex & particeps delicti & culpæ sui Vicarii. Si enim ipse particeps delicti & culpæ de ea cognosceret & judicaret, fungeretur officio partis, & Judicis, & sic in propria causa judicaret, utpote cum quo eandem personam repræsentat Vicarius. Pirh. *l. cit.* Sbroz. *l. 2. q. 138. n. 3.* De cetero namque si Episcopus ipse extra culpam fuit, jam poterit ipse de negligentia & delicto Vicarii sui in officio suo commissa cognoscere & eum punire. Sbroz. *l. 2. q. 138. n. 2.* Laym. *l. c.* citantes Speculator. *l. 2. partic. 1. tit. de compet. Judic. additione. §. sequitur videre. n. 3.* ubi is, quòd de maleficio commisso in officio ab Officiali Episcopi, ut puta in sententia & processu, agendum est coram Episcopo, cujus est Officialis, & non coram Archiepiscopo vel ejus Officiali. Item Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 22.* Bertach. *de Episc. f. 4. p. 5. n. 19.* & plures alii apud Sbroz. *l. c.* Quin & Archiepiscopus se in hoc casu immiscere non poterit, nisi Episcopus requisitus cognoscere recuset. Laym. *l. c.* Sbroz. *l. c. n. 5.* ubi: *quòd si Episcopus requisitus nollet causam cognoscere, Vicarius coram Metropolitano vel ejus Vicario convenire potest:* rationem hujus subdens, nempe quòd Vicarius etiam ratione officii sui quodam modo subjectus & subordinatus sit Episcopo suo, & licèt ejus jurisdictio & potestas eadem sit cum jurisdictione Episcopi, alio tamen modo in Vicario residet, & aliter in Episcopo; in illo videlicet cum dependentia à voluntate & imperio Episcopi, qui propterea invigilare debet Vicario, & quæ malè ab eo acta rescindere. Neque enim culpa Officialis aut Vicarii domino nocere debet, ut ait Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. n. 41.* & *tit. de form. Vicar. n. 140.* Neque hac ratione, etsi Episcopus habeat idem tribunal, sitque eadem cum Vicario suo persona, dicetur agere in causa propria, cùm factum Vicarii, dum is malè egit, non dicatur factum ab Episcopo, nec is illi actui stare teneatur. Sbroz. *l. c. n. 4.* citans Gemin. *cons. 114.* Castrens. *consil. 348. col. 2. vol. 1.* Decium *in c. sanè tit. 2. col. 2. de offic. delegat.* ubi is dicat, quòd tunc Vicarius non gerat vices Episcopi. Abb. *in c. eam te, de rescript. n. 12. & 13.* & plures alios. Unde jam illud conficitur, Vicarios suffraganeorum in tantùm sive quò ad dictas pœnas subjectos esse suis Metropolitanis, & quidem quasi per accidens, nimirum in defectu Episcopi proprii negligentis cognoscere & punire illas culpas Vicarii. Et ulteriùs illud deducitur, quòd si Vicarii hi in dictis casibus subjecti sint Metropolitanis, non minùs subjectos fore Vicariis generalibus Metropolitanorum, utpote qui eandem cum Metropolitanis suis exercent jurisdictionem.

*Quæstio 87. In quo loco Vicarius exercere possit suam jurisdictionem?*

1. Respondeo primò: Vicarius generalis Episcopi, quamvis tribunal plerumque in civitate Ecclesiæ Cathedralis situm sit. Pirh. *l. c. n. 64.* citans Navar. *l. 1. cons. 2. n. 5. de offic. Judic. ordinar.* Laym. *in c. cùm contingat. de foro compet.* potest tamen ex causa rationabili in quovis loco diœcesis honesto & idoneo judicium exercere, ut si in comitatu Episcopi vel solus extra locum tribunalis sui versetur in aliis partibus diœcesis, vel ob aliam causam commodum sit ibi causam controversam decidi. Pirh. *l. cit.* Barbos. *de offic. Episc. alleg. 80. n. 6.* Vicarius siquidem generalis jurisdictionem Episcopalem exercet; Episcopus autem in quovis loco non exempto jurisdictionem exercere potest juxta *c. cùm Episcopus. 7. de offic. Judic. ordinar. in 6.* ergo & ejus Vicarius, modò caveatur, ne partes litigantes ad locum nimis remotum extra proprium Episcopi consistorium trahantur, alioquin petere possunt, ut in loco ipsis propinquiore judicium instituatur, & si id negetur, appellare. Ita ferè Pirh. citato Barbos. *ubi ante n. 5.*

2. Respondeo secundò: jurisdictionem voluntariam Vicarius exercere potest etiam extra diœcesim. Sbroz. *l. 2. q. 65. n. 4.* citans *l. 2.* & *ibi* Bald. *de offic. proconf.* Jason *in l. final. n. 7. ff. de jurisdict. omn. Judic.* Menoch. *de arbit. Judic. l. 1. q. 43. n. 16. & seq.*

*Quæstio 88. Num Vicarius exercere possit actus voluntariæ jurisdictionis sine speciali mandato Episcopi?*

Respondent negativè Roman. *singul. 700.* Ferrand. *in Apostil. ad Abb. in repet. c. si quis contra. de foro compet. n. 35.* apud Sbroz. *l. 2. q. 65. n. 1. & 2.* qui tamen ipse *n. 3.* sentit contrarium. Melius distinguitur, ita ut affirmetur de actibus jurisdictionis voluntariæ, qui non sapiunt gratiam; negetur verò de actibus voluntariæ jurisdictionis sapientibus meram gratiam. Fagn. *in c. non amplius. de instit. n. 76.* ubi: *quæ sunt voluntariæ jurisdictionis & sapiunt gratiam, regulariter non censentur translata in Vicarium generalem, sed tantùm ea, quæ sunt contentiosæ jurisdictionis & sapiunt Justitiam.* Item Garc. *de benef. p. 5. c. 8. n. 63.* ubi: *quæ sunt Justitiæ & necessitatis, expedit Vicarius, & etiam ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, non tamen sapiunt gratiã: actus enim voluntariæ jurisdictionis, quì nõ sunt meræ gratiæ, rectè possunt exerceri à Vicario absque speciali mandato,* ut tenent Dominic. *in c. final. de off. Vicar. in 6.* Bald. *in margarit. v. Vicarius.* Felin. *in c. ex parte. de constit. n. 1.* & alii apud eundem Garc.

*Quæstio 89. Num Vicarius Episcopo excommunicato, suspenso vel interdicto exercere possit jurisdictionem?*

1. Respondeo primò: Remissivè ad dicenda inferius, ubi de potestate Vicarii delegandi, & num eo excommunicato substitutus ab eo exercere possit jurisdictionem: item qualiter extinguatur jurisdictio Vicarii Episcopo excommunicato. Quæ vide, & cum hic dicendis combina.

2. Respondeo secundò: Directe ad quæstionem negativè. Eo ipso enim, quo suspensa, & impedita est jurisdictio Episcopi, suspensa quoque est jurisdictio Vicarii, & acta à Vicario durante illâ excommunicatione & suspensione Episcopi, pertinentia ad juris-

risdictionem sunt invalida. Azor. *p. 2. l. 3. c. 6. q. 13.* Engels *ad tit. de offic. Vicar. num. 8.* Pirh. *ad eund. tit. n. 69.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 30. l. 6. & seq.* Sbroz. *l. 3. q. 17. n. 1. & 4.* citans Selv. *de benef. p. 2. q. 14. n. 6.* Cuch. *Inst. Jur. Can. de Vicar. Episc. n. 134.* Paris. *cons. 89. n. 6. vol. 4.* & plurimos alios. Ratio est, quia unum idemque est tribunal Episcopi, & Vicarii illius, adeoque sicut per excommunicationem, suspensio. &c. Episcopi suspenditur jurisdictio Episcopi, ita etiam Vicarii illius, qui jurisdictionem dependenter ab Episcopo habet; & sic, ut inquit Bald. *in c. licèt. de off. delegat. n. 6.* apud Sbroz. *l. c. n. 2. excommunicatio* (intellige Episcopi) *inficit auditorium Episcopi & Vicarii.*

3. Extenditur responsio, ita ut Vicarii jurisdictio suspendatur etiam quo ad negotia jam incepta. Pirh. *l. c.* Extenditur quoque ad Subvicarium seu substitutum Vicarii, ita ut excommunicato Vicario, & vel sic expensa ejus jurisdictione, suspensa quoque sit istius Subvicarii jurisdictio, etiam quò ad causas jam cæptas (intellige tamen sub distinctione paulò post subjungenda) & acta ab eo post excommunicationem Vicarii non valeant, dum iste Subvicarius ab ipso Vicario tantùm acceperit jurisdictionem. Pirh. *l. c. n. 70.* Sbroz. *l. 2. q. 18. n. 6.* citans Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 20.* juxta expressum textum *c. Romana. de offic. Vicar. in 6.* Extenditque hoc ipsum Sbroz. *l. c. n. 7.* Pirh. *num. 71.* ad causas commissas Subvicario ante excommunicationem Vicarii. Quod ipsum tamen distinguunt apud eundem Sbroz. Hostiens. Archid. &c. ita ut non valeant gesta Subvicarii, si Vicarius fuerit excommunicatus re adhuc integrâ, seu causâ per Subvicarium nondum cæpta, valeant verò re non ampliùs integra. Confirmarique hanc Hostiensis doctrinam posse ait Sbroz. *l. c.* ex eo, quòd sicut Vicarius Episcopi non potest mortuo Episcopo causas eo vivente cæptas perficere, ut Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. Archiep. n. 162.* Bald. *in l. aliquando ff. de offic. Proconf. n. 7.* aliique plures apud Sbroz. ita etiam Subvicarius non possit causas cæptas ante excommunicationem Vicarii perficere post illius excommunicationem. Quam distinctionem & paritatem in adducto simili tenere putat ipse Sbroz. *à n. 9.* in casu quo substitutus esset Vicarius Officiali seu Vicario, ita ut is tunc non posset causas cæptas ante excommunicationem Vicarii perficere post ejus excommunicationem: secus ubi substitutus non esset Vicarius sed delegatus ad speciales causas. Eandem Sbrozii doctrinam sectatur Pirh. *l. c. n. 72.* Ratio illorum est, quòd extincta vel suspensâ delegantis jurisdictione extinguatur quoque vel suspendatur jurisdictio delegati re adhuc integra, argumento *c. licèt. de offic. delegat*; non autem, si negotium jam cæptum sit, argumento *c. relatum. & c. gratum eod. tit.* quia delegatus non eandè seddiversam jurisdictionem à jurisdictione delegantis habet, adeoque necessarium non est, quòd ea subsistere possit causâ jam cæptâ & re non ampliùs integra, licèt jurisdictio delegantis per mortem naturalem vel civilem sublata sit. Confirmatur quoque hæc differentia inter Vicarium Vicarii & delegatum Vicarii à Sbroz. *l. cit. num. 12.* ex eo, quòd licèt Episcopo suspecto possit quoque suspectus recusari ejus Vicarius, Vicarius tamen in causa sibi delegata ab Episcopo non possit recusari Episcopo recusato; quia ex eo, quòd delegatus sit, non habet idem tribunal cum Episcopo, adeoque mirum non sit, si Subvicarius non potest cognoscere causas cæptas ante excommunicationem, sicut potest delegatus. Verùm de his plura infra, ubi de exspiratione Vicariatûs. De cetero fallit tota hæc extensio, sive Subvicarii jurisdictio non suspenditur per excommunicationem Vicarii sed valent gesta per illum, dum Subvicarius ille non esset creatus à Vicario ipso, sed ab alio v. g. Episcopo. Pirh. *l. c.* citans Gl. *in cit. c. Romana. v. tantùm* & Franc. *num. 3.* Sbroz. *cit. q. 18. n. 14.* citans Felin. *in c. insinuante. de off. deleg. n. 1.*

4. Limitatur è contra principalis responsio (quod idem tamen applicandum extensioni secundæ) ut solùm procedat, quando Episcopus esset nominatim denunciatus vel notorius percussor Clerici, adeoque vitandus; secus si non esset nominatim excommunicatus, sed esset toleratus; talis enim retinet jurisdictionem post Concilium Constantiense, adeoque & ejus Vicarius. Pirh. *cit. num. 69.* Sbroz. *cit. q. 17. num. 6.*

*Quæstio 90. Num declinari possit jurisdictio Vicarii, & is quoque recusari tanquam suspectus, ubi ipse Episcopus recusatus est tanquam suspectus?*

1. REspondeo: In hoc non convenire AA. nam negativam tenent apud Sbroz. *l. 3. q. 14. n. 1.* cum Bald. *in l. unic. c. si quacunque præditus potestate. n. 4.* Dec. *in c. 1. de Jud.* Barbos. *tr. de præstant. Cardinal. Legat. à lat. num. 12. &c.* eò quòd, ut Bald. suspicio afficiat personam, & non jurisdictionem, ac ideo, licèt tribunal Episcopi sit idem quòd Vicarii, quia tamen diversæ sunt personæ, recusato Episcopo non erit recusatus ejus Vicarius. Et alibi dicitur, quòd auditorium Episcopi non est idem quod Vicarii quò ad recusationem, ut Sbroz. *l. c. num. 3.* citato Archid. *in c. non putamus. de consuetud. in 6. in fine.* & sic inquit Staphil. *de lit. grat. fol. 136.* quem refert Papazon. *ad rotæ decis. 1. aliàs. 47. tit. de off. Vicar.* quòd de stylo Signaturæ non possint Vicarii recusari, sed dentur illis adjuncti. Affirmativam è contra tenent apud Sbroz. *l. c. num. 4.* Salicet. *in c. l. unic.* Jason *l. apertissimi. c. de Judic. num. 9.* Innoc. Imol. Abb. Felin. *in c. insinuante. de off. deleg.* Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicariat.* Archid. *num. 190.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 5. num. 69.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. c. 3. num. 23.* Anton. Burg. *in repet. c. cæterùm de rescrip. num. 128. Tom. 2. qui etiam dicat*, interponendam esse appellationem à non admissione recusationis. Et generaliter, quòd ubi Superior est suspectus, sint quoque suspecti ejus Officiales, tenent apud Sbroz. *l. c. num. 5.* Brun. *cons. 31. num. 9.* Bursat. *cons. 21. num. 19.* Lancellot. *de attent. p. 1. c. 6. num. 38.* Menoch. *in resp. causæ finariens. num. 90. & seq.* Adducitur pro hac sententia textus *c. insinuante. de off. delegat.* ubi dicitur, quòd Episcopus & ejus Vicarius recusantur suspecti ex familiaritate cujusdam Rectoris cum Episcopo, quem Judicem in causa impetraverat; quia, cùm ille Rector esset per Episcopum admissus in suum familiarem post causam sibi commissam, erat per consequens familiaris Vicarii secundùm intellectum Abbatis *ibidem num. 3.* & ideo recusato Episcopo ex causa dictæ familiaritatis fuit quoque recusatus Vicarius. Adduntur quoque textus *c. visis. 16. q. 3.* in illis verbis: *humani moris est illum vereri, cujus judicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur*: quasi quòd Vicarius debeat Episcopum suum timere, à quo fuit creatus, & ad libitum revocari potest. Gl. *in Clem. fin. de Procurat.* & *in Clem. si principalis. de rescrip. v. per electionem*, & *ibi* Card. *n. 1.* Abb. *num. 9. &c.* & sic trahi possit in Episcopi suspecti sententiam. Ut Ripa *in c. 1. de judic. num. 44.* Et huic sententiæ affirmativæ adhæret ipse Sbroz. *sub num. 5.* ubi etiam respon-

respondet ad textum *cit. l. unic.* quam pro præcipuo fundamento allegant adversarii, nempe quòd Vicarius ordinarii *in cit. l. unic.* non habeat idem tribunal cum Episcopo, cùm de jure civili appelletur à *Vicario* ad ordinarium suum superiorem. *l. à proconsulibus. c. de appellat.* & *ibi* Bald. ( quamvis aliud sentiat *inc. dilecti. il 3. de appell.* ) secus ac est in Jure Canonico, secundùm quod ex identitate tribunalis appellari nequit à Vicario ad Episcopum, adeoque hac in parte malè arguatur à *Vicario* citatæ *leg. unic.* ad *Vicarium* Episcopi. *Vel* meliùs, quòd *cit. l. unic.* loquatur de suspicione orta ex inhabilitate Judicis in pœnam illius delicti; non autem de suspicione orta in his, quæ pertinent ad officium Episcopi, adeoque mirum non sit, si in casu *cit. legis unic. Vicarius* non reddatur suspectus, quia Ordinarius incidit in pœnam dictæ legis ob suum delictum, ob quod Imperator committit *Vicario* universè negotia civilia & criminalia, ita ut tunc *Vicarius* videatur ad illa à Principe constitutus. Aliter verò sit, ubi Episcopus redditur suspectus non propter inhabilitatem personæ, sed ob causam aliquam aliam, quæ solet reddere Judicem suspectum.

2. Extendit quoque Sbroz. *num.* 7. hanc sententiam, ut procedat non solùm, quando causa Episcopo & ejus *Vicario* in simul delegatur, sed etiam quando *Vicarius* procedit tanquam Vicarius. citat pro hoc Abbat. *in cit. c. insinuante*, ubi dicat, fortiorem esse recusationem in Vicario non delegato, quia Vicarius præsumitur magis affectus & obediens Episcopo in jurisdictione Episcopali sibi per Episcopum commissa, quàm in jurisdictione delegata utrique eorum per *Superiorem*. Limitat è contra *num.* 9. ut non procedat, si causa esset commissa Vicario per Episcopum non tanquam Vicario, sed tanquam delegato; eò quòd tunc Vicarius tanquam delegatus non habeat idem tribunal cum Episcopo; ubi autem diversum est utriusque tribunal, mirum non sit, quòd Vicarius recusari nequeat suspectus, quamvis recusatus fuerit Episcopus. citat pro hoc Cardin. *in Clem. 2. de rescript. q. 8.* Felin. *in cit. c. insinuante. num.* 1. Eandemque limitationem locum habere in *Vicario* Capituli sede vacante, dum is in causa sibi delegata non facit idem consistorium cum Capitulo, ait Sbroz. *q.* 10. *num.* 14. Limitat secundò. *num.* 11. ut non procedat in Vicario Episcopi electo vel confirmato per Papam, vel alium Superiorem, ita ut is recusato Episcopo non sit recusatus, pro quo citat Felin. *in c. insinuante. n.* 1. *in fine.* Bertach. *de Episc. l.* 4. *p.* 6. *tit. de Vicar. Episc.* Barbat. *tr. de Cardin. Legat. à lat. q.* 3. *num.* 12. *&c.* nisi fortè eadem causa suspicionis esset in utroque; tunc enim recusatio Episcopi includeret recusationem Vicarii. Sbroz. *num.* 12. citatis Bertach. & Barbat. *ubi ante.* Limitat tertiò *num.* 15. ut non procedat de stylo signaturæ secundùm dicta supra ex Staphilo.

## *Quæstio* 91. *Num vice versa recusato Vicario Episcopi suspecto recusari quoque possit Episcopus?*

REspondeo neque in hoc convenire AA. nam affirmativam tenent apud Sbroz. *l.* 3. *q.* 15. Salicet. *in cit. l. unic. c. si quacumque præditi potest.* Decius *in c.* 1. *de off. delegat. num.* 17. *de Vicar. ordinar. & de Vicar. Episc.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Archiep. n.* 219. Cuch. *Instit. Jur. Can. eod. tit. num.* 152. *&c.* Rationem dant, quia Vicarius habet idem tribunal. Firmantque à simili, quo recusato Assessore, Judicem quoque recusari posse dixit Abb. *in cit. c.* 1. *de off. deleg. num.* 14. Quem sequitur Decius *ibid. num.* 17. E contra sententiam negativam apud eundem Sbroz. *l. cit. num.* 3. tenent Bald. *in cit. l. unic. in fine.* Jason *in l. apertissimi. num.* 9. *c. de Judic.* Franc. *in c. si contra. de off. deleg. in* 6. *col.* 2. Bertach. *ubi ante n.* 11. & alii, quibus adhærere videtur ipse Sbroz. dum *num.* 4. ait, non valere argumentum adversariorum ab Assessore Judicis ad Vicarium Episcopi; cùm Assessor ob Judicis imperitiam communiter assumatur, ut Abb. *in c.* 1. *de off. Assessor. num.* 14. & ideo verisimile sit, quòd Judex imperitus sit suspectus, ne sequatur Assessoris suspecti opinionem, qualis suspicio cadere non possit in Episcopo: cùm coram eo probanda sit causa suspicionis Vicarii. Sed quid si etiam constet de imperitia Episcopi, & dum multi eorum ob hanc imperitiam coguntur assumere Vicarios, an non tunc saltem militabit eadem ratio, quæ in Assessore? De cetero rectè limitatur hæc sententia secunda à Sbroz. *num.* 5. ut procedat, nisi Vicarius intelligatur suspectus ex causa concernente pariter Episcopum. v. g. quia oriundus esset de terra adversarii, citatur pro hoc Gemin. *in c. si contra. n.* 10. Oldr. *cons.* 268. *&c.*

## *Quæstio* 92. *An & coram quo causa recusationis probanda?*

1. REspondeo probandam esse, & quidem coram Episcopo. Sbroz. *l.* 3. *q.* 16. *num.* 1. citans Host. *in c. legitima de appellat. in* 6. Gemin. *in c. non putamus. de consuetud. in* 6. *num.* 7. Redoan. *de reb. Eccles. non alien. q.* 22. *c.* 3. *num.* 27. *&* 30. Anchar. Archid. Franc. *in c. si contra. de off. deleg. in* 6. cujus textus sic sonat; *cùm autem ipse delegatus Episcopi recusatur, recusationis causa coram Episcopo est probanda; idem est, si Officialis recusetur ejusdem* ( intellige Episcopi ) *licèt ad ipsum* ( intellige Episcopum ) *nequeat appellari.* Ratio hujus est, quòd recusatio *Vicarii* concernat ejus personam, & ejus personæ cohæreat, nec quò ad illam faciat idem tribunal cum Episcopo, adeoque non prohibetur cognoscere causam recusationis sui Vicarii, sicut prohibetur cognoscere causam appellationis.

2. Extenditur responsio ad recusationem delegati ab Episcopo vel illius Auditoris, ita ut tunc quoque causa recusationis debeat probari coram Episcopo delegante vel Auditorem deputante. Sbroz. *l. cit. num.* 2. juxta expressum textum *cit. c. si contra.* nisi fortè delegatus Episcopi allegaretur suspectus ex causa concernente quoque Episcopum; tunc enim Episcopus non cognosceret de causa recusationis. Sbroz. *num.* 3. citatis Gemin. *in c. si contra. num.* 10. Franc. *col.* 2. Oldr. *cons.* 268. Probandam verò causam recusationis delegati ab Episcopo, sive is præsens sit sive absens, astruit Sbroz. *n.* 4. ex Archid. *in c. si contra. vers. cùm autem.* ubi is dicat, causam recusationis esse proponendam coram delegato recusato, & significandum, quòd vult ire ad Episcopum, & quòd tunc recusatus procedere non potest, aliàs datur appellatio. Quòd si tamen Episcopus non tantùm esset prope, seu non multum absens, sed ageret in remotis, & delegatus ejus vel Auditor allegatur & recusatur suspectus, de causa suspicionis cognoscet Vicarius Episcopi ( intellige generalis ) Sbroz. *num.* 4. citans Jo. And. *in c. si contra.* & *ibidem* Anchar. *num.* 4. Gemin. *num.* 7. *&c.*

3. Limitatur responsio primò, ut non procedat de consuetudine, secundùm quam Episcopus committere solet causas recusationis alicui confidenti. Sbroz. *n.* 8. citans Jo. Aud. *in c. si contra.* & *ibidem* Gemin. *num.* 8.

*num.* 8. qui etiam addat, hoc debere facere Episcopum, ubi is est suspectus. Limitatur secundò; quòd quando Episcopus est in remotis, & habet plures Officiales in solidum constitutos, unus Officialis seu Vicarius non recusatus cognoscet de causa recusationis alterius. Sbroz. *num.* 5. & 7. citatis Bertach. *ubi ante num.* 17. Prosp. Paset. *cons.* 43. *num.* 9. Abb. *in c. si contra.* Argumento *ejusdem cap.* ubi dicitur: *si contra unum ex duobus Judicibus cum illa clausula: quòd si ambo interesse non possunt, alter eorum in causa procedat: à sede Apostolica delegatis suspicionis causa legitima proponitur, causa ipsa suspicionis coram non recusato conjudice (ad quem ex vi dictæ clausulæ debet ipsius causæ cognitio pertinere) probari, & ab eo expediri debebit &c.* Quòd si verò tales plures Vicarii in solidum deputati non sint, debent eligi arbitri, qui de causa suspicionis Vicarii cognoscant, sicut cognoscerent de recusatione ipsius Episcopi; cùm in diœcesi non sit alius Judex, qui cognoscat. Sbroz. *num.* 6. & apud illum Gemin. *in c. si contra. num.* 7. Anchar. & Franc. *ibid.* argumento ejusdem *cap.* ubi: si verò non est dicta clausula in rescripto (de quo paulò ante, & vi cujus constituuntur plures in solidum) debet super hoc recursus ad arbitros haberi &c.

*Quæstio* 93. *An si plures ab Episcopo Vicarii generales constituti simpliciter, unusquisque illorum habeat jurisdictionem in solidum & exercitium, ita ut unus sine alio procedere possit separatim?*

1. REspondeo primò: Dum plures in solidum habent jurisdictionem, quilibet eorum ad exercitium jurisdictionis procedere potest separatim. Sbroz. *l.* 2. *q.* 61. *num.* 2. & in specie de Vicariis episcopalibus, si singulis in solidum data jurisdictio ab Episcopo, seu singuli constituti in solidum, id tenent apud Sbroz. *cit. num.* 2. Bartol. *in l.* 1. *num.* 7. Bald. *ibidem ff. de off. proconf.* Anchar. *in c. licèt. de off. Vicar. in* 6. *num.* 5. Gemin. *ibid. num.* 13. Pavin. *de potest. capit. sed. Vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 9. Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 14. *num.* 11. Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. num.* 203. Vant. *de nullit. sent. ex defectu jurisdict. ordin. num.* 176. *&c.* Daturque tunc locus præventioni, neque alii licitè aut validè se immiscere possunt. Laym. *in c. cùm plures. de off. & potest. Judic. deleg. in* 6. *num.* 1. Sbroz. *loc. cit. num.* 4. citans plures alios, uti & *num.* 20. ubi: *si unus ex istis Vicariis solus cæpisset de causa cognoscere, tunc coram alio pars non debet prosequi causam, cùm sit locus præventioni.* Nisi tamen, qui præoccupavit exequi impeditus fuerit; tunc enim causam cœptam promovere & finire poterit alter ex iis. Sbroz. *l. cit.* uti & *num.* 21. Laym. *cit. num.* 1. citans seipsum *in c. prudentiam. de off. & potest. Jud. deleg.* Anchar. *ibid. not.* 3. Jo. And. *num.* 2. ubi is: si delegatus, qui inchoavit, in remotas terras abiit, & causa expedienda esse existimetur, quòd collega eam assumere possit. Vel etiam si alter procedere nollet, aut malitiosè se occultaret. Laym. *l. cit.* Sbroz. *num.* 25. juxta *c. cum plures.* juncta Gl. v. *recusaret.* & ibi DD. Porrò datis hoc modo in solidum pluribus Judicibus, si omnes simul cognoscere causam incipiant, non potest dein unus eorum sine aliis non requisitis, nec impeditis procedere; sicut enim uno inchoante ac præoccupante alii procedere non possunt; ita & omnibus inchoantibus ac veluti præoccupantibus causam unus sine aliis procedere prohibetur; sed debent omnes in simul eam terminare. Sbroz. *l. cit. num.* 22. citans quam plurimos. Laym. *loc. cit. num.* 3. citans Lapum *in cit. c. si plures. num.* 3. quod ipsum extendit Sbroz. *num.* 23. ut procedat, etiamsi unus illorum juret sibi de causa non liquere, adhuc alter non possit ferre sententiam, argumento *l. si uni.* nisi ferenda esset pro causa favorabili, puta libertate, testamento, vel pro reo, pro quo postremo citat Bartol. *in l. si uni. n.* 2. Jason. *num.* 5. Felin. *in c. pudentiam. num.* 9. *&c.* Limitat è contra idipsum Sbroz. *num.* 26. ut procedat, ubi esset sententia diffinitiva, vel habens vim diffinitivæ; quia tunc, si omnes simul cæperunt cognoscere, debent in simul omnes judicare: secus, si esset merè interlocutoria. citat pro hoc Bartol. *in l. si uni. num.* 4. Jason. *num.* 11. rationem etiam disparitatis addit, quòd per meram interlocutoriam non finiatur jurisdictio, nec ejus Officium, juxta Bartol. & Jason. *locis cit.* quemadmodum per diffinitivam; quando autem per actum aliquem jurisdictio ordinariorum Judicum finitur, tunc ipsi in casu posito non possint illam separatim exercere, juxta Abb. *in cit. c. prudentiam. num.* 14. Quòd si tamen in dicto casu, ubi omnes in simul debent terminare eandem causam, unus solus ferret sententiam, eam non reputandam nullam ex defectu potestatis, cùm ei competat in solidum jurisdictio, astruit Sbroz. *num.* 27. citans Vantium ubi ante *num.* 117. *in fine.* & Rotam *decis.* 2. *tit. de arbit. in antiq.*

2. Respondeo secundò: Ordinarios quoscunque simpliciter creatos (subintellige absque eo, quòd in creatione addatur *in solidum*) habere jurisdictionem & exercitium jurisdictionis in solidum, ita ut separatim quilibet sine alio procedere possit, tradit Sbroz. *cit. q.* 61. *num.* 2. citatis pro hoc Gl. *in l. uni. ff. de Judic. v. si uni.* Bartol. *ibid. num.* 1. *& seq.* Alex. *num.* 7. Jason. *num.* 4. Gl. *in c. ut officium. de hæretic. in* 6. *v. separatim.* Roman. *cons.* 242. *num.* 1. Marant. *de ordin. Judic. p.* 4. *dist.* 5. *num.* 31. Abb. *in cit. c. prudentiam. num.* 10. qui hanc sententiam dicat communiorem & veriorem. Adducitur quoque pro hac sententia à Sbroz. *loc. cit. num.* 3. præter alios textus juris civilis. *l. tutores. l. decreto. ff. de admin. Tut. l. fin. de author. præstan.* ubi pluribus tutoribus simpliciter datis cuilibet in solidum videtur dari potestas; de tutoribus quoque ad Vicarios Episcoporum nonnunquam argumentari Rebuffum, ut *in pr. benef. tit. de Vicar. Epis. num.* 26. ait Sbroz. Adducitur quoque ab eodem textus *c. si duo.* §. *sanè. juncta gl. v. non in solidum. de Procuratorib. in* 6. ubi: licèt ex procuratoribus constitutis sine adjectione; in solidum; unus sine altero admitti non possit, in negotiis tamen spiritualibus specialiter observetur, ut si plures Procuratores fuerint non in solidum deputati, prævaleat, ac si in solidum esset electus; ex quo fiet, quòd in spiritualibus procuratoribus constitutis non in solidum ex gratia idem servetur, quod in illis in solidum constitutis; Vicarius verò Episcopi in spiritualibus dicatur etiam Procurator Episcopi. *c. petito. de procuratoribus.* & *ibi* Abb. Adeoque in ipso quoque locum habeat dispositio *c. si duo*, ita ut absque adjectione clausulæ: *in solidum*: constitutus sit, ita ut sine alio procedere possit.

3. Ampliatur hæc responsio, ita ut Vicarii sic constituti habeant jurisdictionem & exercitium jurisdictionis in solidum tam voluntariam quàm contentiosam. Sbroz. *cit. q.* 61. *num.* 16. citans Vantium *de nullit. tit. de nullit. ex defectu jurisdict. num.* 17. Alex. Jason. Item juxta eundem Sbroz. *num.* 17. sive sint constituti in spiritualibus sive in temporalibus.

4. Limitatur è contra, ita ut non censeantur constituti in solidum, ut unus sine alio procedere non possit, dum jurisdictio sive potestas concessa fuit Vicariis non ut singulis, sed ut universis, ac simul & complexivè, sicut fit, cùm verba delegationis vel rescripti reperiuntur directa universitati seu dignitati Vicariorum, seu pluribus tanquam universis, non autem simpliciter. Sbroz. *l. cit. num.* 18. *&* 19. citans Bartol. *in l. si uni. de re judic. num.* 1. Alex. *num.* 7. Jason. *num.* 4. Vant. *ubi ante. num.* 175. *& seq.* Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 9. *&c.* Plures limitationes alias vide *Respons. præced.* ubi, in quibus casibus adhuc alii ex Vicariis in solidum constitutis possint causam ab uno cæptam prosequi ac finire, vel etiam in simul omnes.

*Quæstio* 94. *Num hæc ipsa dicta de Ordinariis seu Vicariis generalibus Episcoporum locum quoque habeant in delegatis ab Episcopo ad universitatem causarum?*

1. REspondeo: problematicè ferè in hac quæstione procedit Sbroz. nam primò *cit. q.* 61. *num.* 4. *&* 5. id affirmat hisce expressis: *isti delegati ad universitatem causarum simpliciter constituti habent jurisdictionem, & ejus exercitium tanquam Ordinarii in solidum, ita ut unus absque alio procedere possit.* Citatque pro hoc Gl. *in cit. l. si uni. & ibi* Bartol. *num.* 3. Alex. & Jason. *num.* 6. Marant. *de ordin. Judic. p.* 4. *dist.* 5. *num.* 41. Vant. *de nullit. ex defectu Jurisd. num.* 178. & plures alios, dicitque hanc esse opinionem communem testibus AA citatis. Adduci ait pro hac sententia textum *l.* 1. §. *si plures. ff. de exercit.* ubi pluribus constitutis Magistris seu exercitoribus ad universalem administrationem, in dubio quilibet censetur in solidum constitutus, & quilibet potest separatim administrare, adeoque idem dicendum de pluribus delegatis ad universitatem causarum. Item *num.* 6. rationem adducit, nempe quod tales delegati æquiparentur Ordinario. Pro quo citat Gl. *in c. causam. il primo. de appellat. v. delegatus,* & *in c. statutum.* §. *insuper. de rescrip. v. moderatus,* ubi illos vocat ordinarios. Abb. *in c. Bertoldus. col.* 1. *de re Judic.* Vant. *ubi ante num.* 178. Menoch. *de arbit. Judic. l.* 1. *q.* 67. *num.* 31. Adeoque sicut pluribus Ordinariis constitutis simpliciter quilibet procedere potest.

2. Sententiam directè contrariam, nimirum quòd istiusmodi delegati ad universitatem causarum, seu Vicarii foranei Episcoporũ simpliciter constituti jurisdictionis exercitium non in solidum habeant singuli, sed pro parte, unusque sine altero procedere nequeat, Sbroz. *num.* 7. teneri ait ab Imol. *in c.* 1. *de offic. delegati.* Abb. *in cit. c. causam, il primo. num.* 7. Bened. de Vald. *in addit. ad Felin. & aliis.* adducitque ab illis textum in *cit. c. officium. de hæret. in* 6. *juncta gl. v. separatim.* ubi Inquisitores hæreticæ pravitatis deputati in aliqua provincia vel civitate delegati ad universitatem causarum juxta Alex. *in cit. l. si uni. num.* 8. Jason. *num.* 6. Alciat. *in rub. de off. ordinar. n.* 21. Menoch. *ubi ante q.* 54. *num.* 41. ex speciali favore fidei procedere posse separatim; Adeoque à speciali alii delegati ad universitatem causarum procedere non possint separatim. Item adduci ab illis rationem ait Sbroz. *num.* 8. nempe quòd ratio, cur unus ex Ordinariis possit à principio tanquam constitutus in solidum procedere separatim; non autem ex pluribus delegatis ad unam causam, sit, quòd Ordinarius dicatur habere jurisdictionem jure proprio, delegati illi jure alieno. Quæ ratio quoque militet in delegatis ad universitatem causarum. Sed neque obstare argumenta sententiæ oppositæ affirmativæ, ait Sbroz. *cit. num.* 8. *& seq.* eò quòd imprimis textus ille *l. si uni.* loquatur de Exercitatoribus, quorum officium est authoritate & utilitate privatum, ut Abb. *in c. prudentiam. num.* 10. & ideo ab illis malè arguatur ad dictos delegatos. Dein delegatos illos æquiparari Ordinariis, & esse adinstar illorum, negent alii, ut Abb. *in c. relatum. de off. deleg. num.* 7. Alex. *in l. more. ff. de jurisdict. omn. Judic. num.* 26. & Dec. *ibidem. num.* 42. vel saltem negari non posse, quin delegatus ad universitatem causarum in multis differat ab Ordinario, uti in in specie delegatorum ad universitatem causarum Episcopi seu Vicariorum foraneorum differentias plures afferunt Abbas *loc. cit.* Bartol. *in l. fin. quis & à quo. in fine.* Alex. *cons.* 82. *num.* 3. & plures alii citati à Sbroz. *num.* 10. Adeoque non procedat æquiparatio; quia non est universalis & per modum regulæ, pro ut requiritur ad hoc, ut dispositum in uno ex æquiparatis locum habeat in alio juxta Decium *in c. translato. de constit. num.* 3. Et certè æquiparatio delegati ad universitatem causarum & Ordinarii non reperitur facta specialiter à citatis AA. in exercitio jurisdictionis in solidum, de quo est præsens quæstio. Unde jam inquit Sbroz. *num.* 12. opinionem illam affirmativam communem nullo loco munitam esse, quin expugnari possit & refutari; Verumtamen nefas esse ab ipsa recedere propter authoritatem tantorum Patrum pro ea citatorum; præsertim cùm facilè quoque, quæ pro oppositа sententia negativa afferuntur, dilui possint respondendo ad primum; dictos Inquisitores hæreticæ pravitatis non esse delegatos ad universitatem causarum; cùm delegatus ad universitatem causarum dicatur ille, qui est institutus ad universas causas alicujus loci, ut Bartol. *in l.* 1. *ff. quis & à quo. in fine.* Jason. *cons.* 12. *num.* 3. & alii apud Sbroz. *cit. num.* 14. Ad rationem quoque adversariorum dicendo, adductam ab illis rationem, quòd nimirum ideo delegatus ad universitatem causarum tanquam non habens jurisdictionis exercitium in solidum, non possit procedere separatim, quia jurisdictionem habet jure alieno, non esse veram rationem, sed veram rationem hujus esse, quòd delegata universitate causarum pluribus, censeatur commissum in solidum exercitium jurisdictionis, ut jura à se pro hoc allegata probant. Et hanc rationem dari à Felino *in c. causam. de off. delegat. num.* 8. ait Sbroz. *num.* 15. Porrò limitationes & extensiones adductas *quæst. præced.* pro Vicariis constitutis simpliciter pari modo suis locis applicat dictis delegatis, & firmat accumulatis AA. Sbroz.

*Quæstio* 95. *Num igitur idem quoque locum habeat in Vicariis pluribus foraneis, constitutis ad certum genus causarum, ita ut simpliciter constituti censeantur in solidum?*

1. REspondeo negativè; cùm isti Vicarii sint simplices delegati, & idem videatur de illis delegatis,

legatis, quod de particularibus. Sbroz. *cit. q. 61. n. 30. & 31.* Quò spectat, quòd aliàs cum communi ait Laym. *in c. prudentiam. de potest. Judic. deleg.* si plures Judices ad causam terminandam delegati sunt, non habent jurisdictionem in solidum, nisi id in forma exprimatur, qualiter id satis exprimi in constitutione talium Vicariorum foraneorum delegatorum ad certum genus causarum ait Sbroz. *n. 32.* si adhiberetur clausula: *vos omnes, vel duo, aut unus vestrum*: quia tunc censetur delegatio facta in solidum, & locus esse præventioni, ut Capra. *Reg. 25. n. 20.* Marant. & alii. Item si adjecta esset clausula: *quòd si unus interesse nequeat, alter exequatur*: nam constituto, quòd collega non possit aut nolit interesse, alter solus expedire potest. Sbroz. *num. 33.* citans *c. prudentiam. & ibi* DD. Felin. *in c. scisciatus. de rescript.* Capra. *Reg. 27. n. 25.* Vant. *de nullit. ex defect. jurisdict. num. 180.* qui dicat esse communem. De cetero rationem responsionis dat Sbroz. ex Abb. *in c. prudentiam. num. 15.* & Felin. *n. 8.* quia plures delegati ab uno dati super eodem articulo repræsentant personam unius in unica jurisdictione, & ideo non possunt separatim procedere.

2. Occasione hujus de jurisdictione data in solidum, & pro meliore intelligentia dictorum tribus quæstionibus præcedentibus, notanda sunt sequentia ex Laym. *l. c.* imprimis, quòd licet jurisdictio secundum se dividi nequeat, ita ut pluribus secundùm diversas sui partes competat, possit tamen ita pluribus competere, ut singuli totam habeant, sed non totaliter. Dein quòd jurisdictio similisve potestas v. g. præsentandi, vel competit pluribus collegialiter, & tunc singuli jurisdictionem illam aut potestatem non exercent, sed Collegium, unde sententia aut decretum illorum non valet, nisi sit ex consensu majoris partis Collegii legitimè congregati. Vel jurisdictio similisve potestas competit pluribus ut singulis; & tunc interdum competit eis totaliter seu in solidum; ut si duo sunt generales Vicarii Episcopi, hi tum simul, tum seorsim causas cognoscere possunt, & quòd si unus præoccupet, alter se immiscere nequit, nisi, qui cæperat, impediatur prosequi juxta dicta à nobis. Ac denique, quòd licèt jurisdictio secundùm se dividi nequeat, per accidens tamen dividi possit ratione temporis aut loci. Exemplum primi est, si duo Consules civitatis alternis annis officium administrent, seu jurisdictionem exerceant, hoc casu officium seu jurisdictio Consulis per accidens dividitur quò ad exercitium secundùm varia tempora. Exemplum secundi est, si territorium ex hæreditate fratribus proveniens inter ipsos dividatur (uti divisio illa semper institui potest, nisi terra illa vinculo primogenituræ sit astricta, aut ex feudi specialis concessione, aliave dispositione hanc conditionem habeat, ut indivisa permaneat. Molin. *Tom. . de Just. p. 1. disp. 581.* apud Laym.) consequenter etiam jurisdictio in ordine ad loca illa dividatur. Quia verò communio, præsertim in jurisdictione exercenda, discordias parere solet, ideo expedit, quin & socii cogi quandoque possunt ad talem divisionem instituendam, ut Laym. ex Felin. *in c. prudentiam. de off. deleg. num. 5.*

---

# CAPUT TERTIUM.

## De potestate Vicarii Episcopi.

### PARAGRAPHUS I.

### De iis, quæ Vicarius facere possit extra materiam beneficialem, vi Officii Vicariatûs generaliter ei commissi.

*Quæstio 96. Num parem cum Episcopo potestatem habeat Vicarius generalis?*

REspondeo: Tametsi Vicarius generalis regulariter possit omnia, quæ Episcopus, Garc. *de benef. p. 5. c. 8. num. 65.* citans præter alios Covar. *pract. qq. c. 4. num. 4.* Sbroz. *l. 2. q. 57. n. 5.* citatis Host. Jo. And. Archid. *in c. fin. de off. Vicar. in 6.* Felin. *in c. ex parte. de constit. col. 3.* Maran. *de ordin. Judic. p. 4. dist. 5. n. 20.* Mandos. *ad Reg. 24. Cancell. de malè promotis. n. 39. n. 2.* & pluribus aliis. Sitque superior sicut Episcopus. Sbroz. *l. cit. num. 4.* ex Archid. *in c. Romana. de appellat. in 6. num. 1.* Idque sive creatus sit ab Episcopo, sive ab ejus Superiore invito Episcopo; quia adhuc habet eandem jurisdictionem, & non minùs repræsentat ipsum Episcopum. Sbroz. *num. 6.* citatis pluribus. Majus tamen est imperium majorque potestas Episcopi (intellige, etiam præscindendo ab iis, quæ Episcopo jure speciali competunt, & loquendo solùm de iis, quæ ei jure ordinario conveniunt) Sbroz. *l. cit. num. 11.* citatis Gemin. *in c. licèt. de off. Vicar. in 6. num. 6.* Bald. & Jason. *in l. sed si hæc. §. semper. ff. de in jus vocandis.* Felin. *in c. cùm olim. il. 2. de off. deleg. in princ.* Foller. *in pract. crim. can. p. 1. mor. num. 121. &c.* Pax Jord. *l. 12. tit. 1. num. 230.* ubi: *etsi idem sit tribunal Vicarii cum Episcopo, id tamen cum moderatione accipiendum; etenim multa per solum Episcopum possunt expediri, aut de illius mandato, & in reliquis omnibus Episcopi potestas & authoritas tanquam propria, & principalis firmior est quàm Vicarii.* Patet id ipsum quoque specialiter etiam in spiritualibus v. g. quò ad absolvendum, dispensandum &c. in quibus, ut constat, non habet Vicarius parem cum Episcopo potestatem. Et ista regula de tribunalis identitate propriè in contentiosis procedit. Pax Jord. *l. cit. num. 231.* Patetque in omnibus iis, quæ Vicarius sine speciali Episcopi mandato facere nequit. Sed neque in omnibus Vicarius cum Episcopo suo concurrere potest. Sbroz. *l. cit. num. 12.* citans Capra. *Reg. 33. num. 17. p. 1.* Neque in omnibus est Superior sicut Episcopus. Sbroz. *n. 13.* ex Archid. *in c. Romana. de appellat. in 6. n. 1.*

*Quæstio 97. An æqualem potestatem habeat Episcopi Vicarius generalis cum Capitulo sede vacante?*

REspondeo: non posse eum omnia, quæ potest Capitulum sede vacante. Sbroz. *l. 2. q. 29. n. 7.* citatis Innoc. *in c. eam te. de rescrip. in 6.* Abb. *in c. quoniam. de off. deleg. num. 15.* Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 1. q. 2. num. 2. &c.* Patebit ex dicendis *tract. de capit. sed. vac.* ubi, quòd Capitulum totalem Episcopi potestatem habeat, eamque Vicario suo committere possit.

*Quæstio 98. Vicarius generalis Episcopi quid possit eo ipso, quòd constituatur, sive ex vi Vicariatus generalis per commissionem generaliter factam ei collati?*

REspondeo: potest omnes causas ad Episcopalem jurisdictionem pertinentes expedire, præter illas, quæ speciale mandatum requirunt. Garc. *p. 5. c. 8. num. 66.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num. 41. c. licet. de off. Vicar. in 6.* & argumento *c. qui generaliter. de Procur. in 6.* ubi de Procuratore generaliter constituto ad negotia id deciditur. Et sic Vicarius generaliter constitutus præsumptionem pro se habet, quòd omnes causas jurisdictionis episcopalis expedire possit, nisi constet vel ostendatur jure scripto, aut recepta curiarum consuetudine inter speciales numerari. Laym. *in cit. c. licèt. num. 1.* citans Rebuff. *in pr. p. 1. tit. de form. Vicariat. num. 152.* item Pirh. *l. c.* vel nisi constet, aliquid ab Episcopo esse suæ potestati specialiter reservatum, ut Pirh. *l. cit.* Quare, si in aliquo canone dicatur, quidpiam ad Episcopi potestatem spectare, nisi inter casus exceptos sit, censeri debet, etiam Vicario generali competere; cùm eandem ipse jurisdictionem habeat. Laym. Pirh. *locis cit.* Porrò quæ in specie sint ea, quæ eo ipso, quo generaliter creatur, Vicarius possit, Azor. *p. 2. l. 3. c. 46. q. 4.* ait contineri in *l. suggerente. c. de eo, qui vices alterius gerit. &* eorum plura ibidem enumerat. Ubi etiam illud notandum ex Tondut. *qq. benefic. l. p. 2. c. 4. §. 9. num. 18.* quòd Episcopo in remotis agente multa facere possit (intellige vi Vicariatûs illi generaliter commissi) quæ non posset Episcopo præsente. v. g. jurisdictionem exercere in suffraganeos, consentire collationi, non tamen electioni, pro quo citat Sbroz. *l. 2. q. 71. num. 22.* statutis capitularibus consensum præbere. Pro quo citat Sbroz. *l. 2. q. 200. num. 4.* concedere licentiam assumendi Ordines. Pro quo citat Abb. *cons. 88. vers. venio. l. 1.* Verum de his statuitur melius, ubi de sequentibus in singula inquiritur, num ea possit vi generalis commissionis Vicariatûs, num ad ea egeat speciali mandato.

*Quæstio 99. An, si Episcopus Vicario in generali Vicariatûs commissione generalem seu plenam & liberam facultatem det agendi omnia, quæ ipse facere potest, hoc ipso in tali generali mandato comprehensa censeantur, quæ aliàs speciale mandatum requirunt, v. g. dispensatio, collatio beneficiorum &c.*

1. REspondeo negativè. Sbroz. *l. 1. q. 65. num. 7. & 9.* citans Gl. *in c. 2. de off. Vicar. in 6. v. committantur.* Laym. *in c. ult. de offic. Vicarii in 6. n. 13.* Pirh. *l. cit. num. 42.* citans Covar. *l. 1. var. resol. c. 6. num. 3.* cum communi. Specialiter enim non censentur commissa aut delegata, nisi exprimantur. Laym. & Pirh. *locis cit.* juxta *c. qui ad agendum. de procurat. in 6.*

2. Quòd si tamen in mandato generali exprimatur quidpiam requirens speciale mandatum adjectâ clausulâ generali. v. g. *committimus tibi Vicario generali facultatem dispensandi, & omnia alia, quæ nos possumus, expediendi, etiamsi speciale mandatum requirant.* poterit Vicarius expedire quoque omnia alia speciale mandatum requirentia. Sbroz. *l. cit. num. 5.* citans Gl. fin. *in c. 2. de off. Vicar. in 6.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 6. tit. de Vicar. Episc. num. 10.* Abb. *cons. 88. col. 5. num. 6. vol. 1.* Diaz. *in pr. crim. can. c. 3. num. 5.* Bero. *cons. 22. num. 10. 11. & 9. vol. 1.* Quos sequuntur Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 46.* Laym. & Pirh. *locis cit.* Garc. *l. cit. num. 68.* Modò tamen illa speciale mandatum requirentia non expressa sint minora vel æqualia, non verò majora vel graviora expressis. Sbroz. *num. 10. 11. & 12.* Garc. *num. 69.* citans Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicariat. num. 183.* Laym. *l. cit.* Pirh. *l. cit.* citans insuper Barbos. *in collect. ad cit. c. 2. de off. Vicar. in 6. num. 8.* juxta textum *Clem. 2. de procurat.* ubi, quòd in mandato procuratorio non veniunt majora, sed similia vel minora expressis. & juxta *c. sedes. de rescript. & ibi* Abb. *num. 2.* & DD. communiter. Clausula enim generalis seu indefinita subsequens ordinariè restringitur ad similia illis, quæ ante expressa erant; & dictio *alias* vel *alia* est implicativa similium. Pirh. *l. cit.* Non tamen post expressum aliquid speciale mandatum requirens sufficit dicere: *ad omnia alia*: nisi addatur: *etiamsi speciale mandatum exigant.* Garc. *num. 70. & 71.* citans Bartol. *cons. 5. num. 3. l. 2.* argumento *c. quid agendum.* & *Clem. 2. de Procurat.* Verumtamen in his omnibus attendendum ante omnia ad intentionem committentis; cum istiusmodi juris præsumptiones non habeant locum, ubi de contraria ejus voluntate constat, monet Laym. *l. c. in fine* & ex eo Pirh.

*Quæstio 100. Num igitur etiam ex generali commissione Vicariatûs, quæ est cum clausula*: cum libera, plena & omnimoda potestate agendi omnia alia: *absque eo, quòd aliquid speciale mandatum requirens expressum fuerit, expedire possit speciale mandatum requirentia?*

REspondeo: affirmativam tenet Garc. *l. cit. num. 72. juncto num. 73.* quem sequitur Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. num. 47.* eò quòd dicta clausula inducat mandatum speciale. pro quo citat Bartol. *num. 2.* & alios *in l. Procurator, cui generaliter. ff. de Procurat.* Cornæum & alios *in l. si Procurator. cod. eod.* Covar. *Vicar. l. 1. c. 6. num. 3.* Monterros. *tract. de claus. ponend. in mandat. practic. 7.* Gurtier. *de juram. confirmator. p. 1. c. 50. num. 9. & 13.* Mohed. *decis. 2. de off. Vicar. aliàs 323.* ubi dicat; quòd habere mandatum cum libera, vel cum plena & omnimoda potestate; & habere mandatum speciale, æquiparentur. Pro quo eodem recitat quoque *decis. rotæ in Valent. beneficii. de anno 1582.* Quæ si vera sunt, multò magis poterit Vicarius expedire ea, quæ speciale mandatum requirunt, si dicta clausula sic formaretur: *cum libera & plena potestate omnia alia agendi, quæ speciale mandatum requirunt:* absque eo, quod quidpiam eorū in specie exprimatur. & sic sentire videtur Sbroz. *l. c. n. 6.* citatis pluribus. De cetero idem Sbroz. post quam *n. 8.* dixisset:

quam-

*quamvis procuratoris mandatum cum plena potestate vel cum libera vim specialis mandati habere scribant DD. in l. si procurator, cui libera. Abb. in c. si non. de delegat. num. 28. quod tamen non transit absque difficultate ex dictis per Alex. & alios in cit. l. si procurat. &c.* Addit. num. 9. *Vicarium tamen Episcopi cum plena potestate non posse facere exigentia speciale mandatum, nisi quibusdam specialibus expressis docet gl. in dicto c. 2. in fine, & videtur esse de mente illorum, quos retuli in princ. hujus q. 65.*

*Quæstio* 101 *An, si in mandato generali Vicariatûs Vicario ab Episcopo detur potestas ad omnia exequenda, quæ Episcopalis sunt potestatis, exceptâ aliqua re speciali, speciale mandatum requirente, v. g. beneficiorum collatione, Vicarius expedire possit cetera, quæ speciale mandatum requirunt v. g. dispensare &c.*

1. REspondeo non convenire in hoc AA. nam primò affirmativam tenent apud Sbroz. *cit. q. 65. num.* 15. Decius *in c. cum dilecta, col. 2. de confirmat. utili & inut.* & *in l. 1. de Regul. juris, num. 29.* Dominic. *in c. qui ad agend. de procurat. in 6.* §. 1. *n.* 2. Cagnol. *in cit. l. 1. num.* 37. Gozad. *cons.* 26. *num.* 49. Tiraq. *de retract. lignan. in fine. num.* 95. Ratio horum AA. est, quia illa exceptio declarat & ampliat regulam, aliàs exceptio non esset de regula, pro ut esse debet, & esset inutilis & superflua. Negativam è contra tenent apud eundem Sbroz. & apud Garc. *n.* 78. Anchar. *in c. 2. de off. Vicar. in 6. in fine.* Franc. *in c. quoniam frequenter. de lite non contestata. num.* 1. Covar. *ubi ante.* dicens hanc sententiam veriorem. Quibus adhærere videtur ipse Sbroz. & expressè illis adhærent Laym. *in c. ult. de off. Vicar. in 6. num.* 12. & Pirh. *cit. num.* 43. Item Ventrigl. *Tom. 2. annot.* 14. §. 1. *num.* 48. citans Meroll. *Theol. mor. p. 3. disp.* 7. *c.* 6. *dub.* 43. *num.* 411. *& seq.* Pro hac sententia *n.* 43. rationem hanc dat Sbroz. quòd tunc exceptio illa veniens ad regulæ diminutionem non debet operari augmentum. Eandem rationem fusiùs deductam dat Pirh. *l. cit.* ex Laym. *l. cit.* quia nimirum exceptio rei, quæ sub regula non comprehenditur, non ampliat sive extendit regulam, sed potiùs restringit & diminuit; licet enim exceptio apposita regulæ universali eam confirmet in aliis contentis sub regula, seu non exceptis; quia tamen collatio beneficiorum ex juris dispositione non comprehenditur in generali mandato Vicariatûs, sed excipitur, ideo illa exceptio non ampliat regulam, ut comprehendat etiam reliqua specialem commissionem requirentia; sed solùm videtur apposita ad significandam diminutionem seu restrictionem, ita ut æquipolleat particulæ adversativæ, & sensus sit, quòd Vicarius omnia possit exercere, quæ jure ordinario ad ejus officium spectant, sed beneficia conferre non possit.

2. Quòd si tamen Episcopus committeret facultatem absolutè faciendi omnia, quæ ipse facere potest, exceptâ v. g. collatione beneficiorum, tum vi talis commissionis poterit etiam expedire reliqua omnia speciale mandatum requirentia; nam jam collatio beneficiorum continetur in regula seu propositione illa universali; quia est inter ea, quæ facere potest Episcopus; ideoque ejus exceptio censetur confirmare alia omnia ejusdem generis non excepta. Ita Laym. & Pirh. citantes Gloss. *in cit. c. 2. v. committantur.* Idem omnino tradit Garc. *l. c. n.* 79. sub hac distinctione; nimirum quòd possit Vicarius cetera omnia requirentia speciale mandatum, si datum generale mandatum dicendo: *ad omnia, quæ potest constituens, exceptâ illa re*; secus, si datum generale mandatum dicendo simpliciter: ad omnia, exceptâ illâ re.

## PARAGRAPHUS II.

### De iis, quæ Vicarius generalis facere nequeat sine speciali mandato extra materiam beneficialem.

*Quæstio* 102. *Mandatum speciale Vicarii quodnam sit, & qualiter à mandato singulari distinguatur?*

REspondeo cùm multa spectantia ad jurisdictionem & potestatem Episcopalem exercere nequeat Vicarius sine speciali Episcopi mandato. Sbroz. *l. 1. q. 65. num.* 1. juxta *c. penult. & ult. de off. Vicar. in 6.* necesse erit explicare priùs mandati seu commissionis specialis naturam; hinc dico minùs perfectè illud describi à Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. num.* 46. quòd tunc dicatur habere Vicarius generalis specialem commissionem ad aliquod negotium, quando illud particulariter est illi demandatum, vel in, seu unà cum commissione (intellige generali Vicariatûs) vel extra illam per aliquem actum. Meliùs vero describi à Sbroz. *l. cit. num.* 2. quod speciale mandatum dicatur, quando Episcopus dat potestatem Vicario verbis expressis ad aliquem actum, generalitate verborum abstracta v. g. ad conferenda beneficia &c. absque eo, quod causa & persona exprimatur seu specificetur. citat pro hoc *c. penult. de off. Vicar. in 6. junctâ gl. v. committantur.* & *c. fin. tit. eod. junctâ gl. v. commissa.* Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar.* Alex. *cons.* 134. *in princ. vol.* 6. Cravet. *cons.* 125. *num.* 6. ac præsertim Melill. *tract. de præcedentia Vicarii c.* 3. *num.* 5. *in fine* Covar. *l. 1. var. resol. c.* 6. *num.* 2. ubi quòd non oporteat esse mandatum speciale quo ad causam, neque quo ad personas. Tunc vero erit & dicetur mandatum singulare, ubi non tantùm genus seu species causarum, sed ipsa causa in particulari, & persona fuit expressa. Sbroz. *l. cit. num.* 3.

*Quæstio* 103. *Vicarium habere speciale mandatum, an probandum an præsumendum: & an Vicario attestanti de eo sit credendum?*

1. REspondeo primò per modum suppositionis, Vicariatum ipsum, seu ipsam deputationem in Vicarium esse probandam ex Regula generali: quòd qualem quis se facit, talem debet se ostendere: *l. non ignorat. c. de accusat.* Bald. *cons.* 89. *num.* 3. *l. 1.* apud Ventrigl. *Tom. 2. annot.* 14. §. 1. *num.* 50. Quia & in hoc non creditur assertioni ipsius Vicarii, ut Paris. *cons.* 12. *num.* 14. *&* 15. apud eundem. Quod ipsum tamen solùm procedit, ubi Vicariatus negatur, & tunc fundans se in eo debet illum probare. Ventrigl. *ibidem* citans Bursat. *cons.* 23. *num.* 22. *l. 1.* Milis *in repertor. v. Vicariatus.* juxta dicta à nobis supra in *quæst. an opus sit scripturâ in constitutione Vicarii*, ubi etiam qualiter probandus Vicariatus.

2. Respondeo secundò: si verò non negetur Vicariatus seu deputatio in Vicarium, sed sola potestas

Vicarii, distinguendum est, ita ut, si negetur potestas & facultas, quam habet Vicarius ex generali commissione & jurisdictione ordinaria, hæc probanda non sit, sed præsumenda. Ventrigl. *l. cit. num.* 52. citans *c. cùm in jure. de off. deleg.* & *ibi* Felin. *col. penult.* Bald. *in l. ea quidem. col.* 4. *c. qui accusari non poss.* Rotam *decis.* 176. *in antiq.* ubi deciditur, Legato credendum in his, quæ veniunt ex communi jure, & ex officio legationis. Et sic credendum Vicario sine literis attestanti in his, quæ veniunt ex generali commissione, astruit Sbroz. *l.* 2. *q.* 66. *num.* 2. citans Mascard. *de probat. concl.* 140. *num.* 3. *& concl.* 269. *n.* 3. & 4. *vol.* 1. Si verò negetur in Vicario facultas eorum, quæ speciale mandatum requirunt, subdistinguendum est: vel enim negatur aut opponitur contra hanc facultatem, antequam Vicarius illam exerceat, ad impediendum actum faciendum, & tunc est ea omnino probanda, nec præsumi debet aut sufficit, aliàs actus erit nullus ipso jure. Ventrigl. *l. cit. n.* 53. citans Mascard. *de probat. concl.* 1405. *num.* 16. & Crescent. (quos etiam ait tenere, in hoc casu hanc facultatem probari per communem reputationem) exemplo delegati, à quo si petatur, ut doceat de suo mandato; si non doceat, quidquid agit, est ipso jure nullum, juxta Innoc. *in c. Venerabilis. de censib. col.* 1. Felin. *in c. cùm in jure. de off. deleg.* apud eundem Ventrigl. Qualiter verò probanda dicta facultas, satis constat ex dictis supra, ubi an opus scripturâ in constit. Vicarii, quæ enim ibi dicta de probatione Vicariatûs, multò magis locum habent in probanda commissione speciali, dum ea, quæ specialiter committuntur, seu speciale mandatum requirunt (intellige in simul cum commissione generali Vicariatûs) in literis Vicariatûs exprimi soleant. Sbroz. *l.* 2. *q.* 67. *num.* 1. ex Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 42. Si verò negatur prædicta facultas, post quam Vicarius eâ usus est, & ad annullandum actum factum, & tunc, si Vicarius, vel ejus prædecessor communiter explevit ea, quæ requirunt specialem facultatem, maximè Episcopo præsente, est præsumenda illa facultas, ne actus invalidi dentur; cùm semper præsumatur pro validitate actûs. Ventrigl. *cit. n.* 53. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 24. *num.* 13. Et generaliter, quòd mandatum præsumatur post actum factum, concludit idem Paris. *l. cit. l.* 9. *q.* 22. *num. fin.* & *num.* 21. dicit mandatum delegationis præsumi ex diuturnitate temporis. Quò faciunt etiam, quæ habet Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 32. *num.* 129. ubi agens de facultate Vicarii Episcopi dandi dimissorias sine speciali mandato Episcopi, fusè probat, hoc mandatum dandi dimissoriis in Vicario præsumi & probari multis conjecturis.

*Quæstio* 104. *Num in iis, quæ speciale mandatum requirunt, Vicarius sit delegatus, & ab eo ad Episcopum appelletur?*

REspondeo affirmativè. Sbroz. *l.* 2. *q.* 65. *num.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *num.* 40. nisi simul & unà in prima commissione generali Vicariatûs committantur. Sbroz. *num.* 3. Garc. *num.* 41. vel si extra illam committantur, committantur tanquam Vicario. In utroque enim hoc casu erit Ordinarius, & spectabunt ea ad ordinariam illius jurisdictionem. Vide & de his dicta fusiùs supra, ubi in quibus habeat jurisdictionem ordinariam. Vide quoque Laym. *in c. ult. de off. Vicar. in* 6. *num.* 14.

*Quæstio* 105. *An & qualiter requirentia speciale mandatum, sine eo gesta à Vicario ratificare possit Episcopus?*

REspondet negative Sbroz. *l.* 3. *q.* 26. cum Anchar. *in c. licet. de off. Vicar. in* 6. *n.* 2. Gemin. *ibidem n.* 15. & Franc. *ibid. col.* 2. *in Gl. v. speciali mandato.* Rationem etiam addit; quia non est locus ratihabitioni ut *ex tunc*, nec ut *ex nunc* in iis, in quibus consideratur initium, ut in sententia, electione; secus tamen in casibus, in quibus non consideratur initium; quia tunc ratificare potest Episcopus gesta per Vicarium, saltem prout ex tunc juxta regulam: *non firmatur. de reg. juris in* 6. Item quia juxta Gemin. *l. cit.* facere nomine Vicariatûs, non est facere nomine constituentis, nisi in his, quæ veniunt ex generali mandato; hinc rata haberi non possunt specialia tanquam non gesta nomine constituentis juxta *regul. Ratum. de reg. juris in* 6. licebit tamen ratificare gesta per Vicarium nomine Episcopi in ejus commodum per Episcopum scientem & tacentem, nedum approbantem. Sbroz. *l. cit. n.* 2. ex Abb. *cons.* 88. *col.* 5. *n.* 6. *vol.* 1. plura de his infra in fine hujus *tract.* ubi de gestis per Vicarium approbandis aut rescindendis, & puniendis.

*Quæstio* 106. *Num Vicarius in iis, quæ speciale mandatum requirunt, possit Vicarius potestatem suam specialiter acceptam ab uno casu extendere ad alium similem?*

REspondeo: Resolutionem hujus quæstionis pendere ab eo, num potestas in illis requirentibus speciale mandatum, ei concessa in ipsa Vicariatûs commissione; tunc enim in iis habebit, ut dictum paulò ante, jurisdictionem ordinariam; jurisdictio autem ordinaria, quia est prorogabilis de casu ad casum similem. Sbroz. *l.* 1. *q.* 67. *num.* 5. *in fin.* juxta *c.* P. & G. *de off. delegat.* & ibi Gemin. *num.* 9. videtur posse extendi dicta potestas de casu uno ad alium similem. Si verò sunt solùm jurisdictionis delegatæ (qualia sanè erunt, dum commissio seu mandatum non tam est speciale quam singulare ad singularem casum) non poterit ea potestas extendi ad omnino etiam similem casum; quia ut Sbroz. *l. cit.* citans Jo. de S. Georgio. *in c. licet. de off. Vicar. in* 6. jurisdictio delegata est improrogabilis, seu extendi nequit ad alia etiam similia juxta *cit.* P. & G.

*Quæstio* 107. *In quibus Vicarius egeat speciali mandato?*

REspondeo: Plurima esse, ad quæ Vicarius egeat speciali commissione seu mandato, constat. Sbroz. *l.* 1. *q.* 65. *n.* 1. quænam verò ea sint, difficile est generali aliqua regulâ complecti, propter diversas DD. sententias, dum quæ eorum aliqui volunt requirere speciale mandatum, de iis id negent alii. Engels *ad tit. de off. Vicar. num.* 10. generalem regulam aliquam ponere videtur Garc. *p.* 5. *c.* 8. *num.* 46. *juncto num.* 63. ita ut in omnibus iis, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, & sapiunt meram gratiam, egeat speciali mandato; in ijs verò quæ sunt justitiæ, seu necessariò expedienda, speciali mandato non egeat. Verum hæc regula infallibilis non est, nec apud omnes recepta, ut bene Engels. *loc. cit.* sic v. g. tradit Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar.* Vicarium instituere non posse præsentatos, etsi id negent alii, & tamen instituere præsentatos est justitiæ. E contra dispensare, remittere denunciationes matri-

trimoniales, & similia sunt sæpe meræ gratiæ; & tamen plures sentiunt, hæc fieri posse à Vicario sine speciali mandato. Engels *l. cit.* Unde is aliam videtur regulam statuere ex Sanch. *de matrim. l. 3. d. 59. q. 2. num. 1. & seq.* dum ait: quòd, cum Vicarius utatur jurisdictione, & tribunali Episcopi, regulariter quæ conceduntur Episcopo (intellige de jure communi, & non ex speciali aliqua commissione aut statuto) etiam vicario concessa intelligantur (uti & is, & Capitulum Sede vacante in ijs, quæ pertinent ad jurisdictionem, nec competunt Episcopo jure aliquo speciali, continentur appellatione Episcopi. Fagn. *in c. quoniam. de off. deleg. num. 41.*) nisi fuerint specialiter in jure excepta, vel sint res arduæ & magni præjudicii, quæ verisimiliter Episcopus nollet sine suo præscitu expedire. Verum de his statues melius, ubi singula, de quibus dubium esse potest, an requirant specialem commissionem, speciatim examinabuntur in sequentibus quæst.

*Quæstio* 108. *Num ea, quæ sunt meri imperii, transeant in Vicarium sine speciali mandato?*

1. REspondeo: primò per modum notabilis, Episcopum habere merum & mixtum imperium. Sbroz. *l. 2. q. 56. n. 1.* merum autem imperiū & mixtum secundùm Canones comprehendere omnia jura Episcopalia, tā ordinis quàm dignitatis & jurisdictionis. Sbroz. *ibid. num. 3. citatis* Abb. *in c. quod sedem. de off. Jud. ordin. n 4. & seq.* Covat. *l. 3. var. resol. c. 20. n. 2.* ac denique non prohiberi Vicarium exercere, pleraque jura Episcopalia sine speciali mandato. Sbroz. *l. cit. num. 3. in fine.* His suppositis,

2. Resp. secundò non convenire in hoc puncto AA. nam in Episcopi Vicarium non transferri merum imperium sine speciali mandato, tenent apud Sbroz. *l. cit. n. 1.* Alex. *in l. 1. ff. de off. ejus. n. 71. & 74.* juxta *c. 2. de offic. Vicar. in 6.* Gl. *in c. quod translationem. de off. legat. v. reservatà circa medium.* Abb. *in c. 1. de offic. Archidiac. n. 2.* Bero *in c. cùm omnis. de constit. num. 48.* &c. verum melius astruit Sbroz. *à num. 4.* cùm plures sint gradus tam meri quam mixti imperii, tam de jure civili quàm canonico, plures eorum transire in Vicarium ex generali Vicariatûs commissione. v. g. excommunicare, quod est meri imperii, ut Hostiens. *in c. postulasti. de off. ordinar.* Innoc. *in c. transmissam. de elect.* nisi fortè exerceatur in favorem privatum in casu, quo delegatus vult excommunicare impedientem jurisdictionem; quia tunc esset mixti imperii, ut Menoch. *tract. de arb. Judic. l. 2. casu 438. in fine. centur. 2.* Item cognoscere causas civiles, beneficiales, sententiam exequi, restituere in integrum, instituere præsentatos, &c. Sbroz. *num. 8.* quæ sunt mixti imperii, ut apud eundem Abb. *in c. si quis contra. de foro compet. num. 2.* Speculat. *tit. de jurisdict. omn. Judic. num. 29. & 30.* E contra plures sunt gradus tam meri quàm mixti imperii, quæ sine speciali mandato non transeunt in Vicarium Episcopi. Sbroz. *num. 10.* sic depositiones, degradationes, consecrationes, & ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, sunt meri imperii, ut Abb. *in c. quod sedem. num. 8.* Speculat. *l. cit. num. 28.* Bertach. *de Episc. l. 4. tit. de vita Episc. num. 15.* & ea sine speciali commissione exerceri nequeunt à Vicario. Item suspendere perpetuò, conferre beneficia sunt mixti imperii, & Specul. *l. cit. num. 29.* Abb. *l. cit.* apud Sbroz. *num. 12.* & hæc pariter sine speciali mandato Episcopi exerceri nequeunt à Vicario.

*Quæstio* 109. *An speciale mandatum datum Vicario ad cognoscendum vel expediendum certi generis causas vel negotia sufficiat, ut dein Vicarius commissam seu delegatam Episcopo à Papa causam istius generis expedire valeat?*

REspondeo negativè. Sbroz. *l. 2. q. 45. num. 1.* ubi etiam ponit istius rei exemplum, dum ait: speciale mandatum Vicarii ad cognoscendum causas matrimoniales non erit sufficiens ad illas (nempe matrimoniales) cognoscendas, quæ Episcopo delegatæ sunt. Pro quo citat DD. *in Clem. 2. de rescrip.* Bertach. *de Episc. p. 7. l. 4. q. 4.* Felin. *in c. at si Clerici. de judic. n. 21.* Abb. *in c. quoniam. de offic deleg.* &c. Item speciale mandatum Vicarii ad dispensandum, non prodest eidē in causis dispensandi à Papa demandatis Episcopo. Neque etiam extenditur ad causas futuras seu demandandas Episcopo; cùm potestas & jurisdictio, quæ non est, Vicario committi nequeat. Sbroz. *l. cit. n. 2.* uti & *l. 2. q. 135. num. 2.* ubi pro hoc citat Felin. *in c. eam te. de rescript. n. 17.* Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 35.* Cuch. *Instit. jur. Can. n. 115.* &c. plura de his paulò post, ubi in specie de potest. Vicar. ad dispensandum, ad cognoscendas causas matrimoniales.

*Quæstio* 110. *An Vicarius habens etiam speciale mandatum ad exprimendas certi generis causas possit se dein intromittere in causa illius generis commissa specialiter ab Episcopo Vicario alicui foraneo seu speciali?*

REspondeo negativè. Sbroz. *l. 2. q. 139. num. 2.* citans Gemin. *in c. licet. de off. Vicar. in 6. n. 13.* contra Bero. *cons. 22. n. 40. vol. 1.* hoc nixum fundamento, quod talis Vicarius specialis sit deputatus cumulativè, non privativè. Verum probatur responsio hac ratione, quòd Episcopus delegando alicui alteri causam aliquam, videatur eam abdicare seu subtrahere à Vicario suo generali. Sbroz. *cit. q. 139. num. 3.* citatis Innoc. *in c. Romana. de appellat.* Franc. *in c. dilecti. eod. tit. q. 2.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 1. num. 25. in fine.* Eandem rationem proponit Sbroz. *l. 2. q. 174. num. 8.* ubi ex Abb. *in c. si quis contra.* ubi quòd Episcopus uni committendo causam in specie derogare videtur jurisdictionem, & ita suspensa ejus jurisdictione quò ad illam causam gesta per illum in ea erunt nulla. Quò etiam faciunt, quòd Episcopus avocare possit causam à suo Vicario, eique interdicere, ne in ea se intromittat. Sbroz. *cit. q. 174. num. 6.* juxta dicta à nobis supra. Et sic quoque non prohibetur Episcopus causam avocatam à suo Vicario delegare Vicario alterius Episcopi, si ultra consensum committentis adsit consensus commissarii & partium Sbroz. *l. 2. q. 41. n. 1.*

*Quæstio* 111. *An Vicarius sine speciali mandato procedere possit in iis casibus, in quibus à Tridentino tribuitur potestas Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato?*

1. REspondeo primò. Dum tribuitur ei à Trident. jurisdictio & facultas in iis, in quibus etiam ante Tridentinum jure ordinario eam habebat, potest Episcopus, etsi constituatur etiam in iisdem Sedis Apostolicæ delegatus, procedere quoque ut Ordinarius, & videtur potiùs excitata jurisdictio ei priùs competens quàm nova concessa. Fagnan. *in*

*c. quoniam, de off. ordinar. in 6. juxta l. sæpe. & l. seq. ff. de off. præsid. c. licet in corrigendis. de off. ordinar.* & *ibi* Felin. *n.* 1. dictio enim illa *etiam* implicat Episcopum cognoscere posse jure ordinario. Fagnan. *cit. n.* 7.

2. Respondeo secundò: dum Episcopus constituitur delegatus Papæ in iis, in quibus jure ordinario ante Tridentinum non habebat facultatem, poterit in his quidem concedere Vicario suo hanc facultatem sibi spiritualiter attributam. Fagnan. *l. cit. n.* 8. *&* 9. potest enim delegatus à Principe subdelegare juxta *cit. c. quoniam.* & *l. à Judice. c. de Judiciis.* & in specie potest Episcopus, etiam à Sede Apostolica delegatam sibi causam subdelegare Vicario. Laym. *in c. ult. de offic. Vicar. in 6. n.* 11. cum communi DD. *in c.* 3. *de off. delegat.* sub hac tamen limitatione, si nudum ministerium, seu executio sine causæ cognitione mandata sit, ea subdelegari nequeat. Laym. *l. cit.* juxta *c. ult. de off. delegat.* Nequaquam tamen per generalem Vicarii constitutionem censetur in eum translata facultas hæc Episcopo competens speciali jure & tanquam delegato. Fagn. *n.* 10. citatis Franc. *in c. non putamus. de consuetud. in 6. n.* 4. Dec. *in c. quoniam. n.* 19. *&* 20. & AA. *in Clem.* 2. *de rescrip.* in causa enim delegata non fit extensio à persona ad personam. Fagn. *num.* 11. citans Federic. de Senis. *cons.* 163. *super invocatione n.* 2. *& c. edoceri. juncta gl. ult. de rescript.* neq; in causa delegata, ubi Episcopus procedit non ut Episcopus, sed ut delegatus. Fagn. *n.* 12. citans Dec. Guilielm. de Cuneo. Abb. *in c. quoniam.* Alex. *in l. at quia. de jurisdict. omn. Judic.* uti nec è converso Vicarius causam sibi delegatam cognoscit ut Vicarius Episcopi, sed ut delegatus. Fagn. *n.* 15. Unde hæc delegata jurisdictio transit ad Capitulum Sede vacante. Fagn. *num.* 13. & apud illum ibi Felin. *in c. eam te. de rescript. n.* 17. Abb. *in c. cum olim. de majorit. & obedientia. q.* 5. neque in delegata jurisdictione est unum & idem tribunal Episcopi & Vicarii. Fagn. *num.* 15. estque delegatus in causa sibi per Papam delegata major Ordinario. Fagnan. *n.* 16.

3. Respondeo Tertiò: dum Episcopus quandoque expedire aliqua jubetur per dictionem *tantum*, vel solus, aut cum alia adjectione, quæ specialem Episcopi personam designando ceteros excludat, Vicarius quoque Episcopi censeri debet excluſus; cùm enim industria personæ censeatur electa, non poterit Episcopus negotium alteri demandare. Fagn. *l. cit. num.* 18. citans *c. quoniam. de off. deleg.* §. *is autem. vers. propter quam.* & *ibi* Glos. communiter approbata *in v. inquisitionem.* Laym. *in c. ult. de off. Vicar. in 6. num.* 11. quamvis & in hoc casu articulus aliquis causæ, v. g. testium examen alteri, v. g. Vicario suo committere possit. Laym. *l. cit.* citans Felin. *in c. si pro debilitate. de off. deleg. n.* 4. *&* Sbroz. *l.* 2. *q.* 43. *n.* 31.

## PARAGRAPHUS. III.

### De potestate Vicarii exercendi Pontificalia, aliásque functiones Ecclesiasticas & Sacramentalia.

*Quæstio* 112. *Num Episcopus Vicarius Episcopi possit exercere Pontificalia sine speciali mandato?*

1. REspondeo primò supponendo, quòd si Episcopus assumat in Vicarium generalem, qui est in ordine Episcopali constitutus, eum ex officio suo, & generali mandato non habere ampliorem potestatem, quam ceteri Vicarii non Episcopi. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 45. *q.* 9. hinc jam

2. Respondeo secundò: non potest talis Vicarius Episcopus exercere Pontificalia sine speciali mandato. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num.* 48. Azor. *l. cit.* ubi ea, quæ sunt ordinis Episcopalis exercere nequit, nisi ei specialiter committat Episcopus. Unde nequit Ecclesias, Capellas, Oratoria consecrare, cæmiteria polluta expiare, ordines conferre, vel Sacramentum confirmationis ministrare, vel Chrisma conficere, vel oleum infirmorum sacrare, & etiamsi sit Vicarius Archiepiscopi, non potest Abbates aut Abbatissas benedicere. Eadem ferè habet Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 192. citans Barbos. *de potest. Episcopi, allegat.* 54. *n.* 83. Ugolin. *de Episc. c.* 4. §. 7. *n.* 2. nisi quòd omittat de oleis consecrandis. Item Sbroz. *l.* 2. *q.* 6. *per totam. & l.* 2. *q.* 10. *n.* 6. *&* 7. ubi etiam singula seorsim stabilit authoritate plurium Doctorum, & insuper addit, quòd nequeat benedicere calicem & patenas, & quæcunque ornamenta Ecclesiastica, citra tamen corporalia, pro quo citat Cardin. *in Clem.* 2. *de statu Monachor.* Pavin. *de capit. Sed. vac. p.* 1. *q.* 3. *n.* 1. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.* 168. *& seq.* Item addit *l. c. n.* 2. quod Episcopus Vicarius generalis Archiepiscopi sine speciali mandato exercendi Pontificalia consecrare nequeat Suffraganeos. Contra Menoch. *de arbit. Judic. l.* 2. *casu* 222. *num.* 9. quatenus inquit Vicarium Episcopi (intellige, dum is est Episcopus) posse conferre ordines, Episcopo agente in remotis, adducendo pro hoc textum *c. cum nullus. de tempore ordinat. in 6.* quem tamen in hoc decipi ait Sbroz. *l. cit. num.* 11. cùm textus ille non loquatur de collatione Ordinum; quia hæc collatio est ordinis Episcopalis, sed de licentia conferendi ordines, quæ à Vicario, etiam non Episcopo, concedi potest, Episcopo agente in remotis. Limitanda tamen est responsio; nisi Vicarius iste generalis Episcopus cõstitutus quoque esset Vicarius in Pontificalibus. Pirh. *l. c.*

3. Respondeo tertiò: potest tamen Episcopus Vicario suo Episcopo committere ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, & in specie omnia illa, quæ responsione præced. enumerata sunt. Sbroz. *l.* 1. *q.* 5. *num.* 10. ea enim, quæ sunt ordinis Episcopalis, delegari possunt. Sbroz. *l. cit num.* 11. citatis Hostiens. *in c. quod sedem. de off. ordinar.* Abb. *in c. his quæ. de majorit. & obedient. num.* 3. Bertach. *de Episc. tit. de vita Episc. n.* 12. *in fin.* Burs. *cons.* 110. *n.* 12. *in primo.* Covar. &c. Et hinc à fortiore delegari possunt Vicario ab eo, si Episcopus est, exercenda cum Vicario (intellige etiam non Episcopo) quæ ab eo aliis delegari non possunt. Sbroz. *l. cit. n.* 2. citatis Felin. *in c. quod sedem. n.* 2. Covar. *l.* 3. *Vicar. resolut. c.* 20. *n.* 3. Riminald.

*Quæstio* 113 *An Episcopus Vicario suo non Episcopo committere ea possit, quæ sunt ordinis Episcopalis.*

1. REspondeo negativè: Sbroz. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 3. citans *c. à qua. de consecrat. Eccles. & Altar.* & *ibi* Abb. *n.* 2. & *c. quanto. de consuetud.* Anchar. *in c. fin. de off. Vicar. in 6. col.* 1. Gemin. *num.* 8. &c. Item *l.* 2. *c.* 5. *n.* 2. citatis insuper pluribus aliis: eò quòd, quæ sunt ordinis Episcopalis, exerceri nequeant nisi per Episcopos. Et in specie, quod Vicarius Episcopi (intellige non Episcopus) ea exercere nequeat, [intellige etiam de mandato speciali sui Episcopi] firma-

firmari ait Sbroz. *cit. q. 5. num. 2.* per Rebuff. *pr. benef. tit. de devolut. num. 66.* Fusc. *de visit. l. 2. c. 25. n. 3.* eò quòd potestas exercendi ea, quæ sunt Ordinis, non dependeat à nuda voluntate Superioris; sed consistit in certa forma tradita per Ecclesiam secundùm Gl. *in cit. c. aqua. v. jurisdictionis.* & Abb. *ibi num. 7.* & sic in specie de benedictione Abbatum, & Abbatissarum, de consecratione Monialium, concessione veli, quæ sunt ordinis Episcopalis, ea delegari non posse Vicario non Episcopo, tradit Sbroz. *l. 2. q. 8.* citatis plurimis. Idem tenere videtur Pignat. *Tom. 1. consult. 326.* ubi quærit, an Vicarius generalis Episcopi, qui obtinuit à Papa facultatem faciendi omnes benedictiones, in quibus non adhibetur oleum sacrum, absente Episcopo possit benedicere Moniales habentes requisitas qualitates in consecratione & velatione earum; & respondet, quòd non, nisi suffragetur facultas in specie (intellige obtentà à Papa) & sic censuisse ait S. Congreg. Concil. *in una Piana. 9. Februarii 1647. ad c. 17. sess. 27. de regular.* & sic elici ex Gl. *in c. aqua. de consecrat. Eccl. & Altar. v. consecrationis.*

2. Declaratur ab eodem Sbroz. *l. cit. num. 4.* responsio, ut non procedat, si ea, quæ sunt Ordinis, commissa sint Vicario Episcopi non Episcopo à Papa, vel ab Episcopo, sedis tamen Apostolicæ indulto; quia tunc Vicarius, etiam non Episcopus possit ea exercere. Citantur ab eo pro hoc Abb. *ubi ante.* Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n. 169.*

3. Limitatur tamen hoc ipsum; nempe ut Papa demandare possit Vicario non Episcopo ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis ex dispositione humana, secus si ex dispositione divina sunt certo Ordini tributa, quæ committi jam non poterunt exercenda ab eo, qui Ordinem illum non habet, ne quidem per Papam. Sbroz. *cit. q. 5. n. 8.* citans Gl. *in c. pervenit. dist. 95.* Abb. *in cit. c. aqua. in fine.* Et sic in specie D. Thom. & cum eo Sylv. *in sum. v. Ordo. n. 7.* tradunt, Papam simplici Sacerdoti non posse committere collationem Ordinum sacrorum; eo quod hi habeant immediatam relationem ad Corpus Christi. Quòd ipsum tamen negat apud Sbroz. *l. cit. n. 9.* Abb. *in c. quanto. de consuet. num. 9.*

*Quæstio* 114. *An Episcopus committere possit Vicario suo, quæ sunt dignitatis Episcopalis?*

REspondeo affirmativè: ea enim, quæ dignitatis sunt Episcopalis, inferiori non Episcopo committi possunt. Sbroz. *l. 2. q. 28. n. 1.* citatis Abb. *in c. accidentibus; de excess. Prælator. n. 2. & 3.* Sylv. *in sum. v. Episcopus n. 9.* &c. Adeoque multò magis Vicario suo juxta dicta in fine *quæst. præced.* Nihilominus usus illorum, quæ sunt insignia & ornamenta dignitatis Episcopalis, V. G. usus mitræ, baculi pastoralis, annuli, chirothecæ, &c. ab Episcopo tali Vicario concedi non potest; quia solus Papa inferiori Prælato, seu Prælato non Episcopo usum dictorum ornamentorum concedere potest. Sbroz. *l. cit. num. 3.* Sylv. *ubi ante.* juxta *cit. c. accidentibus.*

*Quæstio* 115. *Num Vicarius Episcopi possit ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, sine speciali commissione committere exercenda aliis Episcopis?*

1. REspondeo primò: id Vicarium Episcopi non posse. Pirh. *l. cit.* Pax Jord. *l. cit. n. 193.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 31.* citans Bonacin. *Tom. 3. de suspens. in particulari. d. 3. q. 2. punct. 12. n. 5.* Sbroz. *in addit. ad l. 2. q. 7.* ubi etiam ait, sic censuisse S. Cong. Concil. Trid. *sess. 6. c. 5.*

2. Respondeo secundo: potest tamen Episcopus Vicario suo, etiam non Episcopo, dare specialem auctoritatem committendi alicui Episcopo, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Pirh. *l. cit.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. q. 9. in fine.* Sbroz. *l. 2. q. 12. n. 1.* citans Abb. *in c. his quæ. & in c. cum olim. de major. & obedient.* Bertach. *de Episc. p. 3. q. 61.* Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n. 35. & 171.* Cuch. *instit. juris can. de Vicar. Episc. n. 121.* Idque etiam potest Episcopus, etsi ipse impeditus non esset exercere illa per se. Sbroz. *l. c. n. 5.* Quòd ipsum tamen limitat Sbroz. *n. 6.* ut non procedat in collatione Ordinum, quæ aliter fieri non potest per alium Episcopum respectu Clericorum ei non subjectorum, nisi eorum proprio Episcopo impedito ex ægritudine aut aliter; juxta Trident. *sess. 23. n. 3.* Admonet etiam Sbroz. *l. cit. n. 3.* hanc commissionem Episcopo alicui fieri debere à Vicario cum protestatione, quòd per hoc nihil juris illi Episcopo acquiratur, ut Abb. *in c. his quæ. n. 3.* Rebuff. *tit. de devolut. n. 66.* Pavin. &c.

*Quæstio* 116. *An Vicarius sine speciali mandato dare possit licentiam Episcopis expulsis à suis Diœcesibus exercendi in sua Diœcesi jurisdictionem in eorum subditos?*

REspondeo: id facere posse Vicarium, ubi habuerit ad hoc speciale mandatum, juxta quod Clemens IIII. olim in Concilio Viennensi concessit Episcopis expulsis ab eorum Diœcesibus facultatem procedendi contra expulsores, consiliarios, & fautores, & in eorum subditos jus dicere in locis aliarum Diœcesum, obtentâ licentiâ ab Episcopo Diœcesano, vel saltem petitâ. Sbroz. *l. 2. q. 106.* juxta *Clem. unic. de foro compet.* & *ibi* Abb. Joan. And. &c. Non tamen id posse Vicarium sine speciali Episcopi sui mandato. Sbroz. *l. cit. n. 2.* citatis Gl. *in cit. Clem. v. Diœcesani,* & *ibid.* Abb. *n. 10.* Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n. 178.* Pavin. *de potest. capit. Sed. vac. p. 2. q. 10. num. 28.* Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. *l. cit. num. 3. ut* ad hoc concedendum Vicarius egeat speciali mandato, Episcopo Diœcesano in Diœcesi aut prope illam existente, secus, si multùm ab ea distet. Citat iterum dictam Gl. & Abb. *ubi ante n. 18.*

*Quæstio* 117. *An Vicarius possit exercere functiones Episcopales, & se immiscere in alijs functionibus Ecclesiasticis?*

1. REspondeo primò in genere, non posse eum absente Episcopo vel impedito exercere functiones Episcopales, sed id spectare ad primam dignitatem, & alios successivè. Pax Jord. *l. 12. tit. 1. num. 239.* sic definitum asserens à S. Congregat. Rituum *in Bruduſin. 5. Febr. 1614.* & *in Alatrina 22. Jan. 1618.*

2. Respondet secundò in specie Barbos. *Juris Ecclesiastici l. 1. c. 15. num. 3.* Vicarium ut Vicarium non posse missas conventuales aut Pontificales celebrare, aut sanctissimum Sacramentum, aut sacras Reliquias paratum in processionibus deferre, nec aliis officiis aut functionibus Ecclesiasticis se immiscere, sed tantùm providere, ut omnia suo ordine fiant, prout declaravit S. Congregat. præpositi negot. Episcop. *in Bisignanensi 16. Martii 1600.* Sic etiam Vicarium generalem non posse dare benedictionem Diacono, antequam cantet Evangelium, neque

que concionaturo, antequam ascendat cathedram ex S. Congreg. Rituum *in Pacens.* 17. *Martii* 1607. *tradit* Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 2. *num.* 27. Neque etiam prohibere potest, ne in choro inchoetur officium, donec ipse veniat, prout voluit eadem S. Congreg. 26. *Febr.* 1606. apud Aldan. *compend. resolut. can. tit.* 43. *n.* 3. 5. Ventrigl. *l. cit.*

*Quæstio* 118. *Num Vicarius generalis Episcopi jus habeat cumulativè concurrendi in administratione Sacramentorum, & prædicatione verbi Dei cum omnibus Curatis totius Diœcesis?*

1. REspondeo affirmativè: Laym. *in c. inter cetera.* §. *unde. de off. Jud. ordinar. num.* 2. ubi: *Episcopus cum omnibus Parochis, aliisque Curatis Ecclesiarum non exemptarum concurrit cumulativè, ita ut ipse vel ejus Vicarius à peccatis absolvere, vel sacramenta fidelibus ministrare possit* juxta *c.* 2. *de off. Archipresb.* poteritque Vicarius idipsum sine speciali commissione. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 28. citans Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *num.* 15. *& seq.* & plures alios. Cùm id competat ejus Episcopo jure ordinario, nec sit de causis arduis, aut specialiter in jure exceptis. Ait tamen Sbroz. *l.* 2. *q.* 11. *num.* 2. quòd ipsis Rectoribus Ecclesiarum parochialium Sacramenta fori pœnitentialis ita demum administrare possit, si sit Sacerdos, & mandatum speciale habeat, citat pro hoc Abb. & Innoc. *in c. cùm satis. de off. Archid.* Rebuff. *in p. tit. form. Vicar. n.* 46. *&* 171.

2. De cetero idem videtur de munere concionandi; cum Episcopus sit Pastor totius Diœcesis, cui ex officio incumbit inter cetera populum verbo Dei pascere, & Sacramenta eidem ministrare. Laym. *l. c. n.* 1. & spectato jure communi ad Episcopum pertinet jus cathedræ, seu munus prædicandi ad plebem idoneis personis committendi. Et quòd si hoc jus alii inferiores per consuetudinem præscripserint, non propterea omnis cura & sollicitudo Episcopo ablata est. Laym. *l. cit. num.* 3. unde & idem quò ad concionandum per se ipsum, si velit, vel committendo id munus aliis, competere videtur Vicario ex generali commissione Vicariatûs. Non poterit tamen, uti nec ipse Episcopus Parochis aliisque Curatis, ubi ipsi ad hoc apti sunt, officium illud concionandi in suis Ecclesiis, Sacramentaque administrandi aufferre; multò minus Religiosis, aut aliis aliquibus, quibus id competit ex privilegio Papæ. Laym. *l. cit. n.* 3. *in fine. citans Clem. dudum. de sepult. c. excommunicamus.* §. *quia verò. de sentent. excommunic.* remittensque ad Barbos. *de potest. episcop. p.* 3. *allegat.* 76. Trident. *sess.* 6. *c.* 2. *& sess.* 24. *c.* 4.

## PARAGRAPHUS IV.

## De potestate Vicarii circa dispensandum.

*Quæstio* 119. *An Vicarius sine speciali mandato dispensare possit in iis, in quibus id potest Episcopus?*

REspondeo negativè. Laym. *in. c. cùm in generali. de off. Vicar. in* 6. *num.* 1. *&* 9. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num.* 57. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 216. Sbroz. *l.* 2. *q.* 35. *num.* 3. citans Calderin. *cons.* 1. *tit. de off. Vicar.* Felin. *in c. at si cleric. de Judiciis. n.* 22. Cuch. *institut. jur. Can. de Vicar. Episc. num.* 26. *&* 111. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *num.* 47. citans insuper Guttier. *qq. Can. l.* 1. *c.* 19. *n.* 15. Rodriq. *in sum. Tom.* 1. *c.* 234. *num.* 5. Ledesm. *in sum. de matrim. c.* 27. *concl.* 2. Vegam. *in sum. p.* 1. *c.* 88. *casu.* 1. contra plures alios citatos, à Sbroz. *l. cit. n.* 1. nixos hoc fundamento, quòd dispensare sit jurisdictionis, quæ autem sunt jurisdictionis, possit Vicarius exercere sine speciali mandato. Rationem dant Pirh. Laym. Pax-Jord. Sbroz. *l. cit.* quòd dispensare sapiat gratiam & liberalitatem; quæ autem sunt gratiæ & liberalitatis non continentur in generali Vicariatûs mandato; item quòd æquiparetur restitutioni in integrum, quæ etiam in generali mandato non continetur, juxta *l. illud.* §. *si satis. ff. de minoribus.* Quod si verò Vicarius palam ac publicè faciat dispensationes, præsumitur habere specialem auctoritatem dispensandi. Sbroz. *l. cit. n.* 7. Et sic in specie non poterit sine commissione speciali dispensare in votis, juramentis, impedimentis Canonicis, legibus, in quibus id potest Episcopus. Laym. Pirh. *l. cit.* citantes Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. sic quoque in irregularitate vel suspensione aliqua proveniente ex delicto occulto, & in casibus aliis occultis, Sedi Apostolicæ reservatis, in quibus dispensatio & absolutio concessa est Episcopis per Tridentinum *sess.* 4. *c.* 6. Vicarius dispensare nequit, nisi specialiter id ei ab Episcopo commissum. Pirh. *l. cit. n.* 6. Pax-Jord. *l. cit. n.* 210. Ventrigl. *l. cit.* §. 1. *n.* 28. Garc. *l. cit. num.* 48. Barbos. *jur. Eccles. l.* 1. *c.* 15. *n.* 24. citans Narbon. *de appellat. à Vicar. ad Episcop. p.* 1. *n.* 229. Suar. *Tom.* 5. *de censur. d.* 41. *s.* 2. *num.* 8. Ugolin. *de off. Episc. c.* 4. §. 7. *n.* 2.

*Quæstio* 120. *An & quas data responsio patiatur exceptiones?*

1. REspondeo: Posse dari aliquas exceptiones, & has esse sequentes. Prima, quòd Vicarius vi generalis commissionis absque speciali mandato sciente & tolerante Episcopo dispensare possit in casibus frequenter occurrentibus. V. g. quò ad jejunia, festa & similia; si enim diœceses amplæ sunt, & negotia multa, vel Episcopus apud Ecclesiam suam Cathedralem, ubi frequentior est populus, non resideat, aut ab ea absit, difficile erit in omnibus recurrere ad Episcopum, & ab eo petere dispensationem aut facultatem dispensandi; & quamvis absentia Episcopi per se loquendo non tribuat majorem potestatem Vicario quam is habeat præsente Episcopo, consuetudo tamen, & antecedentium Vicariorum praxis interdum ostendit, Episcopum contentum esse, & tacitè consentiendo committere Vicario potestatem illam dispensandi. Imò si Episcopus valde remotus sit, ut consuli & responsum haberi non possit, potestas illa dispensandi quodammodo Vicario debetur, argumento *c.* 3. §. *Episcopo. de tempor. ordin. in* 6. ita ferè Laym. *l. cit.* & ex eo Pirh. *l. cit. num.* 59. Ex quibus tamen eorum verbis vides non abesse hic omnino specialem ad hæc commissionem, dum hæc adesse tacite arguitur ex illa scientia & tolerantia Episcopi

2. Secunda, dum jus ipsum Vicario generali hujusmodi potestatem in aliquibus dispensandi concederet, quemadmodum potestatem dispensandi in denunciationibus matrimonii concedi per Tridentinum, dum id eam concedit Ordinario, comprehendendo sub nomine Ordinarii non solùm Episcopum, sed & Episcpoi Vicarium, volunt plures, &

habet

habet communior. de quo ex professo infra, ubi de potestate Vicarii circa matrimonialia.

*Quæstio* 121 *Quas dispensationes specialiter committere Vicario suo possit Episcopus?*

1. REspondeo primò, cùm Episcopus in pluribus ordinaria auctoritate dispensare possit. Sbroz. *l. cit. num.* 3. citans Calder. *cons.* 3. *de off. Vicar.* Felin. *in c. at si Clerici. de Judic. num.* 21. Cardin. Alex. &c. Si enim ea, quæ sunt dignitatis & jurisdictionis (intelligè ordinariæ) Episcopalis possint committi Prælato inferiori, & apud Sbroz. *num.* 4. Abb. in *cap. quanto. de consuetud. num.* 2. Felin. *ubi ante*, Syl. *in summa. v. Episcopus. num.* 9. multò magis ea poterunt committi Vicario, utpote cui multa ab Episcopo committi possunt, quæ aliis committi non possunt juxta *c. constitutus. de concess. præb.* Sbroz. *l. c. n.* 3.

2. Secundò, cùm quoque in pluribus dispensare possit Episcopus auctoritate sibi per Papam delegatâ, poterit Vicario suo committere potestatem dispensandi in casibus à Sede Apostolica, vel Concilio generali Episcopis ratione dignitatis per generalem delegationem commissis aut concessis. V. G. potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ illâ, quæ oritur ex homicidio voluntario juxta Tridentinum *sess.* 24. *c.* 6. quia talis potestas generaliter delegata ratione dignitatis Episcopalis transit in ordinariam, ideoque alteri committi, & delegari poterit. Laym. *in c. ult. de off. Vicar. in* 6. *num.* 10. & ex eo Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num.* 60. Si tamen Episcopus Vicario suo specialiter commisit facultatem dispensandi in casibus Episcopalibus, sub ea commissione non comprehenduntur hi casus à Papa & concilio generali Episcopis, ratione suæ dignitatis etiam generaliter delegati. Laym. Pirh. *locis cit.* Sbroz. *l.* 2. *q.* 36. *num.* 1. citans Cuch. *Instit. juris can. de Vicario. num.* 111. Mandos. *ad reg.* 3. *Cancell. q.* 7. *num.* 16. *p.* 1. nisi ex adjuncta clausula colligi possit, quòd Episcopus voluerit omnem potestatem suam, quæ delegabilis est, committere Vicario. V. G. si additum sit: committimus Vicario nostro potestatem dispensandi in omnibus casibus, prout ea competit vel competere potest, etiam ex Papæ vel aliorum delegatione, vel aliàs quomodocunque. Laym. Pirh. *locis cit.* citantes Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n.* 46.

3. Tertiò, idem esse de casibus Papalibus, qui per accidens ad Episcopum devolvuntur ob difficultatem adeundi Papam, ait Laym. *l. cit.* sic colligi dicens ex iis, quæ docet Sanch. *l.* 2. *d.* 40.

4. Quartò, potest Episcopus potestatem dispensandi etiam specialiter sibi delegatam subdelegare Vicario suo. Quia generaliter loquendo potest Episcopus etiam ea, quæ non ut Ordinarius, sed ut specialis delegatus Sedis Apostolicæ agere potest, speciali mandato committere seu delegare suo Vicario. Laym. *l. cit. n.* 11. ita dicens tenere DD. communiter *in c. ult. §. ceterum. de off. delegat.* Pirh. *l. c. n.* 61. Sbroz. *l.* 2 *q.* 34. *n.* 3. citàs Felin. *in c. fin. de offic. delegat. n.* 8. juxta dicta supra ex Fagnan. *in c. quoniam. de off. delegat. n.* 9. quia delegatus à Principe potest subdelegare juxta *l. à Judice. c. de Judiciis.* Limitatur tamen hoc ipsum primò: nisi forte persona Episcopi specialiter in rescripto delegationis designata & expressa sit, ita ut censeatur electa industria personæ. Pirh. *cit. num.* 6. Sbroz. *cit. q.* 34. *num.* 3. Limitatur secundò, ut dum nudum solum ministerium dispensandi, absque cognitione causæ delegatum esset Episcopo, is illud subdelegare non posset, Laym *cit. num.* 11. Sbroz. *cit. q.* 34. *n.* 4. & 5. citans plures Secus autem esset, dum dispensatio unà cum cognitione causæ delegata esset; jam enim Episcopus non censetur nudus minister, adeoque dispensandi ministerium unà cum cognitione causæ subdelegare potest. Sbroz. *cit. num.* 3. An verò in hoc casu subdelegare possit solam executionem, seu nudum factum dispensandi, non definit *ibidem* Sbroz. Ex iis verò, quæ habet *l.* 2. *q.* 33. *n.* 6. (ubi, quòd in iis, in quibus Episcopo competit dispensare auctoritate ordinaria, possit nudum ministerium dispensandi absque causæ cognitione demandare Vicario) sequi videtur à contrario, quòd in iis, in quibus non nisi delegatam habet potestatem dispensandi, non possit nudum ministerium subdelegare. Limitatur tertio, ut Episcopus subdelegare nequeat dispensationes sibi à Papa committendas, sed solùm commissas; jurisdictionem enim seu potestatem sibi nondum competentem, seu quam non habet, delegare non potest. Laym. *cit. n.* 11. Sbroz. *l.* 2. *q.* 34. *n.* 6.

*Quæstio* 122. *An Vicarius generalis dispensare possit in interstitiis?*

REspondeo, posse Vicarium habentem generale mandatum, dispensare, Episcopo absente in interstitiis temporum ordinationis. Fagnan. *in c. de eo. de temp. ordinat. n.* 12. dicens hanc esse sententiam S. Congregat.

## PARAGRAPHUS V.

## De potestate Vicarii quo ad absolvendum & relaxandum.

*Quæstio* 123. *An Vicarius absolvere possit à suspensione, à qua absolvere potest Episcopus?*

REspondeo: id eum non posse sine speciali mandato Episcopi. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 29. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 219. Barbos. *jur. Eccles. l.* 1. *c.* 14. *num.* 24. citans Narbon. Ugol. &c. Intelligendumque id ipsum non videtur de suspensione, quam ipse tulit; sicut enim illam ex generali Vicariatûs commissione ferre potest, saltem ubi non est perpetua aut multum diuturna. Sbroz. *l.* 2. *q.* 182. *à n.* 2. juxta dicenda paulò infra, ita etiam ab eadem absolvere poterit sine speciali commissione. Quod ipsum velle videtur Sbroz. dum *l.* 2. *q.* 183. absolutè ait: *quemadmodum Vicarius Episcopi suspendere potest, ita etiam absolvere potest; & quod excommunicatus absolvendus remittitur ad suum excommunicatorem, id ipsum quoque extenditur ad suspensionem & interdictum.* Sed intelligendum de suspensione juris seu Canonis, ubi ab ea absolvere potest Episcopus. Sbroz. *l.* 2. *q.* 184. *num.* 1. ubi: *suspensum à suspensione juris seu Canonis Vicarius Episcopi absolvere non poterit sine speciali mandato.* Declarat id ipsum *num.* 4. ut absolvere possit à suspensione juris in iis casibus, quibus Episcopo est permissum, ut quando esset lata suspensio in contumaciam, vel etiam ad tempus non determinatum, & in casibus non reservatis à conditore Canonis, super quibus Episcopus dispensare potest. Et sic posse Vicarium Episcopi absolvere à suspensione lata in contumaciam, & non in pœnam delicti absolutè sine termino, & reservatione, sive jure communi sive particulari confirmata per Papam, dicit teneri à Navar. *in manual. confessar. c.* 27. *num.* 162. post Innoc. communiter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

niter receptum *in c. 2. de solut.* nisi tamen suspensio proveniat à delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum; quia tunc Vicarius Episcopi specialiter deputatus absolvere potest à suspensione, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Sbroz. *cit. q.* 184. *num.* 3. *in fine. & num.* 5. juxta expressam dispositionem Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. De cetero Vicarius habens speciale mandatum ad absolvendum etiam à suspensione, non poterit vi illius adhuc absolvere suspensum in iis casibus, ubi absolutio specialiter esset demandata Episcopo per Papam. Sbroz. *l.* 2. *q.* 186. remissivè ad se ipsum *q.* 35. *l.* 2.

## *Quæstio* 124. *An Vicarius relaxare possit interdictum?*

Respondeo: de relaxatione interdicti pariter ac de absolutione à suspensione facienda à Vicario est loquendum. Hinc in casibus, in quibus Vicarius absolvere potest à suspensione, potest etiam absolvere ab interdicto. Sbroz. *l.* 2. *q.* 185. *num.* 2. Pax-Jord. *l. cit. num.* 201. est enim pœna interdicti minor pœnâ suspensionis ab officio, ut Diaz. *in pract. crim. Can. c.* 21. *in princ.* atque ita jam Vicarius de mandato speciali, & non sine illo relaxare poterit interdictum à jure vel Canone prolatum. Sbroz. *l. cit n.* 3. nimirum in illis casibus Episcopo permissis, nec reservatis à conditore Canonis juxta dicta *quæst. præced. de suspensione.*

## *Quæstio* 125. *An Vicarius generalis Episcopi absolvere possit ab excommunicatione?*

1. Respondeo primò: absolvere potest sine speciali mandato ab excommunicatione, quam ipse tulit, Sbroz. *l.* 2. *q.* 172. *num.* 1. Regula enim communis, quòd excommunicatus remittitur ad suum excommunicatorem ab eo absolvendus. Sbroz. *l.* 2. *q.* 183. *num.* 2. & *cit. q.* 172. *num.* 1. juxta *c. pastoralis. §. præterea. de offic. ordinar. & ibidem* Felin. *num.* 9. & ille, qui potest condemnare, etiam potest absolvere, convertibiliaque sunt absolvere & condemnare, ita ut qui potest unum, possit & alterum. Sbroz. *q.* 172. *num.* 2. *citatis.* Menoch. *de arbit. Judic. l.* 1. *q.* 43. *num.* 3. *& seq.* ubi etiam dicat, potestatem datam ad ligandum esse quoque commissam ad solvendum. Innoc. *in c. prudentiam. de offic. delegat. num.* 14. Butrio *in c. tua. de offic. Vicar.* &c. & in terminis de Vicario Episcopi tenent Cardin. *in Clem. 1. de off. Vicar. n.* 19. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 2. *n.* 10. Et in excommunicatione hominis solus excommunicans absolvit, etiamsi is sibi non reservaverit absolutionem. Sbroz. *l.* 2. *q.* 179. *n.* 7. nisi, ut addit Sbroz. *n.* 8. lata sit excommunicatio per hominis vel judicis sententiam, quæ generalis sit.

2. Extenditur responsio primò (quæ extensio uti & extensio subsequens applicari quoque potest absolutioni ab excommunicatione facienda à Vicario ex commissione ei specialiter delegata) ut etiam absolvere possit Vicarius extra Diœcesin. Sbroz. *cit. q.* 172. *num.* 5. quia hæc absolutio est jurisdictionis voluntariæ, quæ etiam extra provinciam exerceri potest, juxta *l.* 2. *ff. de offic. proconf.* ubi Baldus, Jason. *in l. fin. ff. de jurisdict. omn. Judic.* Menoch. *de arbit. Judic. l.* 1. *q.* 43. *num.* 16. & 19. Sbroz. *l. cit.* Extenditur secundò ad Vicarium Episcopi, etsi is Sacerdos non esset. Sbroz. *cit. q.* 172. *num.* 7. citatis Abb. *in cap. ab excommunicato. de rescript. n.* 16. *& in c. transmissam. de elect. num.* 2. Navar. *in manual. confess. c.* 27. *n.* 14. Anton. 3. *p. tit.* 24. *c.* 7. Tabien. *v. Absolutio.* qui etiam dicat, à sola excommunicatione posse excommunicatorem absolvere quò ad forum conscientiæ, etiam non Sacerdotem, sed solâ primâ tonsurâ initiatum; non tamen quò ad forum pœnitentiæ, ubi absolutio ab excommunicatione conjungitur cum absolutione à peccatis. Eò quòd excommunicatio actus sit jurisdictionis, & à Judice Ecclesiastico exerceri possit, etiam non Sacerdote, vel etiam Diacono aut Subdiacono. Sbroz. *n.* 8. ex Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 11. *num.* 10. *de sentent excommunicat.* & consequenter etiam ab eodem absolvi juxta dicta paulò ante. Subjungit tamen Sbroz. *num.* 10. Vicarium non Sacerdotem, cùm ipse absolvere nequeat à culpa, sed tantùm à pœna, facturum sanctè & honestè, si committat absolutionem Sacerdoti, qui absolvat à pœna & à culpa. Pro quo citat Abb. *in cit. c. excommunicato. n.* 16. Syl. *in sum. v. absolutio.* Bottæ. *de Synodo,* &c. Quin *& in fine num.* 3. addit Sbroz. commodiùs videri committere absolutionem presbytero, à quo, ut absolvatur excommunicatus coram Notario & testibus, curare debet, ut, cùm oportuerit, probare possit absolutionem. Unde jam etiam patet, absolutionem ab excommunicatione per Vicarium delegari posse alteri, ut ex professo tradit Sbroz. *l.* 2. *q.* 181. *à num.* 1. citatis Imol. & Butrio. *in c. ab excommunicato. de rescrip.* Abb. & Felin. *in c. his, quibus. de offic. ordinar.* dum scribunt absolutionem ab excommunicatione esse delegabilem per Ordinarium, & consequenter per Episcopi Vicarium, utpote qui Ordinarius est, quemadmodum & ipsa excommunicatio delegabilis est juxta Abb. *in cit. c. his quibus,* & *in c. pastoralis. de offic. Ordinar.* Sbroz. *cit. q.* 181. *n.* 3.

3. Limitatur è contra, ut non possit Vicarius absolvere ab excommunicatione, quam ipse tulit ex commissione excommunicandi sibi tantùm delegata, nisi id expressè in illa commissione dicatur. Sbroz. *cit.* 172. *num.* 14. citans Borgas. *tract. de irregularit. & dispens. p.* 6. *tit. de absolut. à majore excommunic. n.* 29. Quod ipsum tamen sublimitat Sbroz. *num.* 15. ita ut, dum Vicarius haberet mandatum Episcopi ad excommunicandum, & excommunicavit in contumacia, absolvere possit, nisi esset commissa causa cum termini perfixione ad expediendum, & terminus esset elapsus. Alias enim extra hunc terminum Vicarius Episcopi sine speciali mandato absolvere nequeat excommunicatum.

4. Respondeo secundò. Tametsi igitur Vicarius absolvere possit ab excommunicatione lata ab homine, puta ab Episcopo (saltem dum hic sibi eam absolutionem non reservavit) vel ejus delegato, ut satis indicat Sbroz. *l.* 2. *q.* 179. *in princip.* (de quo ex professo *quæst. seq.*) non poterit tamen sine speciali mandato absolvere excommunicatos excommunicatione juris seu Canonis. Sbroz. *ibidem. num.* 1. *& 2.* citans Gl. *in c. sua. 2. de pœnitent. & remissione in 6. v. refutantur.* Abb. *in c. nuper de sent. excomm. n.* 6. Felin. *ibid. num.* 1. Butrio *in c. sua. de offic. Vicar.* &c. eò quòd dispensatio à Canone videtur permissa solis Episcopis. Pro quo citat inter alios Felin. *in c. pastoralis. §. præterea. num.* 10. *de offic. ordinar.* ubi dicat, quòd ubicunque Canon relinquit absolutionem ab excommunicatione inferioribus, intelligatur de solis Episcopis

5. Respondeo tertiò: sic quoque sine speciali mandato absolvere nequit ab excommunicatione majore Episcopo reservata. Sbroz. *cit. q.* 179. *n.* 3. citatis Felin. & Abb. *in cit. c. nuper.* Idque etiamsi excommunicatio lata fuerit per constitutionem seu statutum Episcopi, sive Prælati Ecclesiastici. Sbroz. *cit.*

*cit. q.* 179. *num.* 4. citans Imol. & Abbat. *in c. gravi. de præb.* Felin. *in cit. c. pastoralis. de offic. Ordinar. num.* 9. ubi is æquiparat excommunicatum constitutione inferiorum excommunicato excommunicatione Canonis Papæ.

6 Respondeo quartò: absolvere quoque non poterit (subintellige etiam de speciali mandato Episcopi) *Vicarius* excommunicatum exemptum ab Ordinario, etiamsi reservatio absolutionis facta non sit à conditore Canonis. *Sbroz. cit. q.* 179. *num.* 6. citatis Dominic. *in c. non solùm. de regul. juris in* 6. Federic. *conf.* 14. Felin. *in cit. c. pastoralis. §. præterea. num.* 10. eo quod hujusmodi absolutio spectet ad Papam, qui solus censetur Episcopus exemptorum juxta Felin. *loc. cit.* & Rebuff. *tit. de union. revocat. num.* 22.

7. Respondeo quintò: in specie absolvere nequit sine speciali mandato ab excommunicatione Canonis: *Si quis suadente diabolo.* quam quis incurrit ob violentam manuum injectionem factam Clerico, & in iis certis casibus, in quibus ex officio absolutio hæc competit Episcopo præstitâ satisfactione. Sbroz. *l.* 2. *q.* 180. *num.* 1. citans *c. de cætero. de sentent. excom. c. in his quibus. de offic. Ordinar.* & utrobique Canonistas & Abb. *in c. ea noscitur. de sentent. excommunic.* Extenditur quoque responsio nostra ad *Vicarium* Papæ, ut nec is subditos aut aliunde venientes absolvere possit à dicta excommunicatione incursa ob violentam injectionem manuum sine speciali mandato. *Sbroz. num.* 4. citans Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 35. &c. Poterit tamen id ex speciali commissione Episcopi. *Sbroz. l. cit. num.* 2. citatis Butrio *in c. ab excommunicato. de rescrip. Gl. in cit. c. de cætero. v. licet.* Laucel. &c. Observandum nihilominus quòd tradit Fagn. *in c. pervenit.. de sentent. excommunic. num.* 8. & 9. nimirum excommunicatos ob levem injectionem manuum in Clericum absolvi posse per Episcopum. Idque jure ordinario, & non ex speciali tantùm gratia & delegatione, idque juxta veriorem intellectum *cit. c. pervenit.* & si injuria illata est mediocris, non posse Episcopum absolvere ab excommunicatione ideo incursa, nisi privilegiatos, ut Ostiarium, Officialem, servum Clericum, communiter viventes, & professos: si autem injuria sit gravis seu enormis, Episcopum non posse absolvere sine speciali commissione sibi facta per Papam, nisi eos, qui Papam non possunt adire, ut senes & mulieres, pueros, valetudinarios & hujusmodi, prout hanc distinctionem traditam per Jo. And. *in cit. c. pervenit. num.* 3. sequi ait Fagnanus Abbatem *in idem c. num.* 2. Marian. Socin. *ibidem à num.* 7. & DD. communiter. Item, quòd habet Fagn. *loc. cit. à num.* 10. quòd nimirum eadem facultas absolvendi ab excommunicatione incursa ob levem percussionem Clerici competat quoque Prælatis Episcopo inferioribus, habentibus tamen jura Episcopalia seu jurisdictionem quasi Episcopalem; eò quòd iis competant omnia ad Episcopalem jurisdictionem pertinentia; absolutio verò ab excommunicatione, etiam Canonis: *si quis suadente*, non sit ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis. Ac denique quod habet *num.* 16. quod propriè huc spectat: in hac materia absolutionis ob levem percussionem videmus absolvendi facultatem competere etiam Vicario Episcopi secundum Cardin. *conf* 42. *num.* 3. uti similiter videmus eandem facultatem competere Vicario Capitulari per Gl. *in c. unic. de major. & obed. in* 6. *v. juris.* Unde jam etiam infertur competere hoc ipsi Vicario sine speciali demandatione; cum competat Episcopo de jure ordinario, spectetque ad ejus jurisdictionem ordinariam.

*Quæstio* 126. *An Vicarius sine speciali commissione absolvere possit excommunicatos ab Episcopo?*

1. REspondeo affirmativè: Sbroz. *l.* 2. *q.* 174. *n.* 9. hanc dans rationem, quòd Vicarius habeat idem tribunal cum Episcopo, repræsentetque eandem personam, habeat etiam cognitionem causarum & jurisdictionem ordinariam, & potestatem absolvendi excommunicatos. Confirmat hocipsum ex eo *n.* 10. quòd subdelegatus absolvere possit excommunicatum per subdelegantem juxta Felin. *in c. pastoralis. de offic. Ordinarii. n.* 11. Navar. *in manual. confess. c.* 27. *n.* 5. Quodque Suffraganei absolvere possint à sententiis latis per Concilium provinciale juxta Archid. *in sum.* 18. *distinct. in finalibus verb.* & Gemin. & Præpositus ab eo citatos. in summa, quòd inferior possit absolvere excommunicatum in statutis Episcopi, nisi is sibi reservarit absolutionem juxta Duen. *Regulâ* 252. *circa medium.* Abb. Jo. And. & Immol. *in c. grave. de præb.* Bottæ. *de synod. Episcopali. a.* 5. *conclus. unic. per totam.*

2. Neque his obstat primò, quòd excommunicatus ad suum excommunicatorem debeat absolvendus remitti juxta tex. *c. pastoralis. §. præterea.* Nam textus ille, & *ibidem* Canonistæ loquuntur de excommunicatis à delegato, qui absolvi non possunt ab alio Judice vel Ordinario vel delegato; hic verò agamus de Vicario Episcopi, qui non diversus, sed idem Judex est, qui Episcopus, & gesta per eum dicuntur gesta per Episcopum, ut Gl. *in c.* 1. *de capell. Monachor. in* 6. *v. Episcopus.* Sbroz. *cit. q.* 174. *num.* 16. Neque obstat secundò, quòd qui non potuit condemnare, non possit etiam absolvere. Nam imprimis nihil urget in eo casu, ubi Vicarius æquè ac Episcopus potuisset excommunicare. Dein dato etiam, quòd Vicarius non potuisset excommunicare, eò quòd ei hæc potestas hìc & nunc sublata, adhuc nihil evincit; siquidem respondet Sbroz. *loc. cit. num.* 17. regulam illam non habere locum, ubi habenti potestatem condemnandi, & absolvendi potestas condemnandi fuit sublata; eò quòd non propterea censeatur quoque sublata potestas absolveadi juxta Gl. *in Clem.* 1. *de hæretic. v. contra eos.* & *ibidem* Canonistas & Ripam. *in l.* 3. *ff. de re judic. num.* 11. Menoch. *de arbit. Judic. q.* 43. *num.* 29. & 31. ubi declarat, hujusmodi communem sententiam veram esse, quando ratio sublatæ potestatis condemnandi non militat in absolvendo, sicut non videtur militare in Vicario Episcopi; quia habet idem auditorium & judicium, quod Episcopus. Neque obstat tertiò, quòd Episcopus excommunicando causam videatur à *Vicario* ad se avocasse; avocatâ autem causâ ad Episcopum, suspensa sit jurisdictio Vicarii. Nam respondet Sbroz. *cit. num.* 17. quòd, licèt suspensa sit potestas excommunicandi, non tamen suspensa sit potestas absolvendi, & per hoc videatur ab Episcopo derogatum causæ quò ad speciem excommunicationis per illius avocationem, non autem quò ad speciem absolutionis, argumento *c. studuisti. de constitut.*

3. Post hæc omnia tamen Sbroz. postquam *n.* 9. dixerat, sententiam, quòd Vicarius absolvere possit excommunicatum ab Episcopo, putare se veriorem, subjungit *n.* 18. se tamen non credere, quòd,

quando Episcopus esset in Diœcesi, vel in loco propinquo, excommunicatus ab Episcopo, ab eodem sit absolvendus juxta ea, quæ tradit Abb. *in c. quis contra. de offic. deleg. in 6.* quòd à delegato Episcopi, recusati vel non recusati appellari possit ad Vicarium Episcopi, Episcopo præsente in Diœcesi vel loco vicino, in quo etiam dicitur præsens juxta Abb. *l. cit.* & juxta dicta aliàs, quòd Vicarius Archiepiscopi non possit excommunicare Suffraganeos, ubi Archiepiscopus præsens est. Quæ tamen distinctio locum non habet, ubi Vicarius haberet speciale mandatum Episcopi ad absolvendum excommunicatos. Sbroz. *num.* 19. Vicarius siquidem ex speciali mandato absolvendi excommunicatos, potest etiam absolvere in casibus Episcopo reservatis. Sbroz. *ibid.* citatis Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicariat. num.* 179. Lancell. *in instit. Juris Can. de pœnit. & remiss.* juxta Trident. *sess.* 24. *c.* 6.

*Quæstio* 127. *An Vicarius Episcopi absolvere possit excommunicatum à delegato Episcopi?*

Respondeo affirmativè; sequitur à fortiore ex dictis *quæst. præced.* ea enim fortius militare videntur contra delegatum Episcopi, si militent contra Episcopum delegatum juxta regulam *c. auctoritate. de concess. præb. in* 6. Sbroz. *l.* 2. *q.* 125. *num.* 7. Huc quoque facit, quod apud eundem *num.* 8. tradit Archid. *in c.* 2. *de consuetud. in* 6. & illum secuti Cardin. *in Clem.* 2. *de rescrip. num.* 25. Felin. *in c. si quis. de foro compet. num.* 5. Rot. *decis.* 371. *tit. de offic. Vicar. in novis.* & plures alii apud Sbroz. *num.* 9. nempe quod à deputato Episcopi appellari possit ad ejus Vicarium tanquam ad unum idémque Consistorium. Item, quæ tradit apud Sbroz. *num.* 10. Innoc. *in c. prudentiam. num.* 14. nempe quòd delegatus unus Episcopi possit absolvere excommunicatum ab aliis delegatis ejusdem Episcopi, adeoque à fortiore id quoque possit Vicarius Episcopi, habens cum eo idem Consistorium, & qui majora potest quàm delegatus; ut Felin. *in c. quod sedem. de offic. Ordinar. num.* 2. Bald. *in l. aliquando. ff. de offic. Proconf. num.* 7. Neque his obstat, quòd excommunicatus à delegato Papæ à nullo alio absolvi possit, quàm à Papa, etiam delegato excommunicante mortuo. Nam delegatus Papæ, & Papa non constituunt idem tribunal, sicut Episcopus & Vicarius ejus. Sbroz. *num.* 13. qui tamen ipse *num.* 14. inhæret distinctioni à se datæ, quòd nimirum præsente Episcopo Vicarius ejus absolvere nequeat excommunicatum à delegato Episcopi; atque Vicarium non habere in omnibus idem Consistorium, sed tantum in iis, quæ competunt ratione jurisdictionis ordinariæ. Notandum quoque hic, quod tradit Sbroz. *l.* 2. *q.* 176. quòd si Papa mandet cuipiam ut absolvat excommunicatum ab Episcopo vel ejus Vicario, mandatum hoc se non extendat ad excommunicatum à delegato Episcopi. Pro quo citat Calder. *cons.* 11. *de sent. excom.* Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 2. *q.* 6. *in fine*, &c.

*Quæstio* 128. *Num vice versa Episcopus absolvere possit excommunicatum à suo Vicario?*

Respondeo affirmative: Sbroz. *l.* 2. *q.* 177. *num.* 1. majus siquidem est imperium Episcopi quam Vicarii, majusque privilegium, & firmior jurisdictio. ut Gemin. *in c. licet. de offic. Vicar. in* 6. *num.* 6. Bald. *in l. sed si hæc.* §. *semper. ff. de in jus vocand. in fine.* Felin. *in c. cùm olim. il* 2. *de offic. delegat. in princip.* & plures alii apud Sbroz. *l. cit. num.* 2. adeoque si Vicarius posset absolvere excommunicatum ab Episcopo, à fortiore poterit Episcopus, utpote qui Vicarium constituit, & cujus nomine competit Vicario jus dicendi, absolvere excommuncatum à Vicario suo. Quòd si tamen Vicarius fulminasset censuram in casu aliquo sibi delegato (intellige per Papam) non poterit fulminatus absolvi ab Episcopo. Sbroz. *loc. cit. num.* 4. juxta *c. pastoral.* §. *præterea. de offic. delegat.* & *ibi* Felin. *num.* 9. uti nec Episcopus cognoscere potest causam Vicario suo delegatam. Sbroz. *loc. cit. num.* 5. citatis Anchar. *in Clem.* 2. *de rescrip. col.* 1. Imol. *ibidem num.* 14. Zabarel. *num.* 10. Bertachin. *de Episc. l.* 4. *p.* 5. *tit. de author. Episc. circa Judic. num.* 39. Et hæc, etiamsi causa delegata fuisset Vicario sub nomine dignitatis (intellige Vicariatûs) & eo nomine censuram inflixisset. Sbroz. *l. cit. n.* 6.

*Quæstio* 129. *An Archiepiscopus ejusque Vicarius absolvere possint excommunicatum à Suffraganeo, ejusve Vicario?*

1. Respondet affirmativè Sbroz. *l.* 2. *q.* 178. *n.* 1. ubi: *certum est excommunicatum à Vicario Episcopi Suffraganei absolvi posse ab Archiepiscopo vel ejus Vicario, ad quem provocavit. c. venerabilibus. de sent. excom. in* 6. uti *& in c. ad reprimendum. de off. Ordinar.* & *ibi* Hostiens. Jo. And. & Abb. *in c. ab excommunicato. de rescript. n.* 12. &c. Procedit responsio, etiamsi lata fuisset excommunicatio post appellationem; quia constito, quòd ex tali causa ad Metropolitanum fuerit appellatum ad cautelam, relaxanda est ab eo excommuunicatio, acceptâ cautione de parendo mandatis. Sbroz. *l. cit. n.* 2. juxta *cit. c. venerabilibus.* §. *sed si.* & ibi Jo. And. & *c. per tuas. de sent. excommunic.* & *ibi* Abb. *n.* 6.

2. Limitanda tamen est responsio primò, ita ut si certum sit, sententiam excommunicationis esse justam, remitti debeat ad excomunicatorem. Sbroz. *l. cit. num.* 3. juxa *cit. c. venerabilibus.* §. *sanè* & Abb. *loc. ult. cit.* Quin & in dubio honestius sit remittere absolutionem Suffraganeo. Sbroz. *n.* 4. juxta *cit.* §. *sanè.* & Abb. *l. c.* nisi tamen excommunicator requisitus malitiosè denegasset excommunicato absolutionem. Sbroz. *n.* 5. citans §. *sanè juncta Gl. v. exhibens. c. per tuas. c. cùm contingat. c. prudentiam. de offic. delegat.*

3. Limitanda secundò ut procedat, ubi excommunicatus à Suffraganeo ejusve Vicario provocasset ad Archiepiscopum, secus, si eundem adivisset per modum querelæ; regulariter enim querelam hujusmodi non debet audire Archiepiscopus ejusve Vicarius; quia non sunt judices nisi in causa appellationis, juxta *c. pastoralis. de offic. ordinar.* & *c. per tuas* & *ibi* canonistæ, & ideo excommunicatus remitti tunc debet ad excommunicatorem absolvendus. Sbroz. *loc. cit. num.* 6. *& seq.* Quod ipsum tamen de non aditione Metropolitani per viam querelæ sic sublimitandum: nisi excommunicatio esset evidenter nulla vel injusta, vel si periculum esset in mora, vel quando aliquis subditus Suffraganei fuit excommunicatus ad instantiam partis & petit coram Archiepiscopo puniri Suffraganeum de excommunicationis injustitia, juxta *c. sacro. de sent. excommunic.* & ibi Abb. &c. vel quando subditus Suffraganei fuit excommunicatus ex officio Judicis, non ad partis instantiam; in omnibus enim his casibus

potest,

potest excommunicatus adire Archiepiscopum, vel ejus Officialem per viam querelæ, & tunc absolvi debet excommunicatus ante causæ cognitionem, receptâ prius ab ea idoneâ cautione de stando juri, & parendo mandatis. Sbroz. *cit. q.* 178. *num.* 9. & 10. citans *c. veniens. ibidibus.* & *ibi* Gl. Jo. And. *junctо c. cum desideres. de sent. excommun.* & Abb. *in c. ad reprimendum. & in c. per tuas. & in c. ab excommunicato.* Quod verò dictum, quòd excommunicatus nulliter absolvi debeat, est ad cautelam; de necessitate enim auditur. excommunicatus nulliter non petitâ absolutione Sbroz. *num.* 1. ex Abb. *in c. per tuas. num.* 3. & 9. contumax tamen excommunicatus absolvi non potest, nisi præstitâ dictâ cautione de stando juri, & solutis expensis. Ubi tamen probatur contumax, non verò, si solùm præsumatur contumax. Sbroz. *num.* 12. citatis Innoc. *in c. prudentiam. de off. delegat.* Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 11.

*Quæstio* 130. *An Vicarius possit absolvere à casibus Episcopo reservatis?*

1. REspondeo: sine speciali commissione Episcopi nequit ejus Vicarius generalis, dum Sacerdos est, absolvere à casibus seu peccatis Episcopo reservatis; quia hæc potestas non venit in generali commissione officii Vicariatûs. *c. de pœnit. & remiss. in* 6. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num.* 26. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 30. Pax Jord. *l.* 3. *tit* 4. *num.* 12. citatis Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. num.* 170. Piacef. *p.* 2. *c.* 2. *num.* 15. Barbos. *jure eccles. l.* 1. *c.* 15. *num.* 25. citatis Ugolin. *de off. Episc. c.* 4. §. 7. *num.* 2. Gallet. *in margarit. casuum. v. Vicarius.* Sbroz. *l.* 2. *q.* 19. *num.* 2. & 3. Sed neque id ipsum sine speciali concessione committere potest aliis ob eandem rationem. Pirh. *l. cit.* neque per se ipsum, neque per alium id poterit, etiam ubi Vicarius prædecessor talem potestatem habuisset. Ventrigl. *l. cit.* citans Genuens. *in prax. Eccl. q.* 278. Merol. *Th. mor. p.* 3. *disp.* 7. *c.* 6. *dub.* 17. *n.* 408. Quòd si tamen Vicarius generalis citra talem specialem commissionem sibi factam absolvere tentasset, adeoque egisset nulliter, non tamen incurrisset censuram; siquidem *Clem.* 1. *de privileg.* absolventibus à casibus reservatis Episcopo intentans excommunicationem, loquitur tantùm de regularibus, non autem de sæcularibus. Pax Jord. *loc. cit. junctо num.* 10.

2. Multoque jam minus Vicarius Episcopi sine speciali commissione potest absolvere à casibus Papalibus seu Papæ reservatis, qui per accidens ad Episcopum devolvuntur ob impedimentum seu difficultatem adeundi Papam, vel ex speciali privilegio Episcopis in perpetuum concesso, quale habetur in Trident. *sess.* 24. *c.* 6. nam eo ipso, quòd talia ad Episcopum jure ordinario & communi non spectent, non competunt etiam Vicario ex commissione generali sive communi. Pirh. *loc. cit.*

3. Potest nihilominus Episcopus non tantùm in casu particulari, sed etiam generaliter alteri personæ idoneæ, adeoque multo magis Vicario suo, delegare potestatem à casibus sibi reservatis. Item à casibus Papalibus, qui per accidens sunt Episcopales, vel ex speciali privilegio ad eos spectant. Pirh. *loc. cit.* citans Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. *num.* 17. Navar. *l.* 5. *de privileg. cons.* 11. *num.* 4. ea siquidem, quæ ad jurisdictionem ordinariam spectant, possunt absolutè & generaliter delegari; ejusmodi autem facultas absolvendi transeat in jurisdictionem ordinariam, cum sit annexa Episcopali dignitati in perpetuum. Unde licèt opus sit speciali delegatione seu commissione, cùm non competant Vicario ratione generalis officii sui seu Vicariatûs, prout dicitur in Trident. *l. cit.* poterit tamen illi delegari generalis facultas absolvendi ab hujusmodi casibus, quotiescunque occurrunt. Ita ferè Pirh. *l. cit.* quòd verò Vicarius dum ex speciali commissione habet hanc facultatem generalem absolvendi à dictis casibus, possit eam subdelegare alteri, saltem hic & nunc absolvendi à tali casu, ex eo sequi videtur, quòd ubi Princeps, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, delegat alteri, hic subdelegare possit. Unde jam sequitur, quòd si Vicarius ipse inciderit in casum reservatum Episcopo seu Episcopalem, absolvi possit ab eo, cui Vicarius hanc potestatem subdelegavit. Barbos. *loc. cit.* citans Ugolin. *de Episc. c.* 39. *num.* 2. Floron. *de casibus reserv. tp.* 1. *c.* 3. §. 1. *num.* 1. Dian. *resol. mor. p.* 1. *tract.* 4. *resol.* 142.

*Quæstio* 131. *An Vicarius habens speciale mandatum absolvendi à casibus Episcopo reservatis, vel etiam Papalibus Episcopo commissis, possit vi illius absolvere ab hæresi in foro conscientiæ?*

REspondeo negativè: Pirh. *cit. num.* 62. *in fine.* citans Navar. *l.* 1. *de constit. cons.* 1. *n.* 89. Laym. *de jurisdict. ordinar. conclus* 96. Item Sbroz. *l.* 2. *q.* 20. juxta expressum textum Trident. *sess.* 24. *c.* 6. ubi, postquam voluit, licere Episcopis in quibusdam casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, &c. subdit: *idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, & non eorum Vicariis sit permissum, &c.* Unde jam etiam ab Episcopo hanc facultatem absolvendi ab hæresi non posse concedi Vicario videtur. Et sic expressè tenet Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 86. ubi: *nec de licentia Episcopi potest subditos à crimine hæresis absolvere Vicarius.*

*Quæstio* 132. *An Vicarius Episcopi generalis in spiritualibus, si sit sacerdos, ex officio suo generali sine speciali mandato absolvere possit omnes Diœcesanos à casibus Papæ aut Episcopo non reservatis?*

1. REspondeo affirmativè: Barbos. *l. cit. num.* 92. ubi: *ipse Vicarius generalis ex vi mandati generalis potest fidelium confessiones audire.* Citat Riccium *in pr. aurea. resolut.* 284. Monet. *de commut. ultim. volunt. c.* 7. *num.* 42. Pirh. *cit. num.* 62. *in fine.* citans Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *num.* 15. Laym. *in c. licèt. de off. Vicar. in* 6. *num.* 4. citans Sylv. *in sum. v. confessor.* Henriq. *l.* 6. *c.* 13. *num.* 3. attestans de communi praxi. Est enim Ordinarius totius Diœcesis, & superior Parochorum, ut AA. citati; & venit nomine proprii Sacerdotis, cui peccata semel in anno confitenda, non solùm Parochus presbyter, sed & Episcopus, & legatus in provincia, & Vicarius generalis Episcopi. Sbroz. *l.* 2. *q.* 14. *num.* 2. Unde jam frustraneè ponitur à Sbrozio *loc. cit num.* 3. hæc declaratio; nempe quòd id possit Vicarius, si ab Episcopo haberet ejusmodi potestatem; cùm eam, ut dictum, habeat ex generali commissione Vicariatûs.

2. Notandum tamen hic, quod habet Pignat. *Tom. 6. consult. 85. num. 238.* nempe quòd Vicarius audire nequeat confessiones monialium; quia moniales de ipso non confiderent, ut declaravit S. Congregat. *in Sorana 23. Julij. in Mutinens. 3. Februari 1587.* Quamvis non satis declaret Pignatelli, an loquatur de Vicario Episcopi, an de Vicario quodam alio.

*Quæstio 133. An quoque sine speciali commissione Episcopi concedere possit aliis Sacerdotibus [intellige non Parochis] hanc absolvendi potestatem?*

1. Respondeo affirmativè. Barbos. *l. cit. num. 91.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. num. 14.* Monet. *ubi ante.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 28.* Laym. Pirh. *locis cit.* & alii ab iis citati. ob eandem rationem. Item Sbroz. *l. 2. q. 13. n. 2.* ubi: *quæro an Vicarius Episcopi concedere possit facultatem alicui Sacerdoti exequendi ea, quæ sunt fori pœnitentialis, & respondeo, quòd sic.* citat pro hoc Abb. *in c. his quæ. & in c. cum olim. de major. & obed.* Bertach. *tract. de Episc. p. 3. q. 61. Rebuff. in pr. benef. tit. form. Vicar. num. 46. & 171.* quos tamen ait, id declarare, quando Episcopus ei dedisset ad hoc speciale mandatum. Verum illo speciali mandato opus esse non constat ex dictis.

2. Procedit responsio in Vicario Episcopi etiam non Sacerdote; etsi enim is per se ipsum absolvere nequeat, non tamen minùs in committenda illa absolutione alijs exercebit jurisdictionem suam ordinariâ, quàm Vicarius Sacerdos. Et confirmatur hoc ipsum in Parocho non Sacerdote, qui loco sui constituere potest Sacerdotem alium ad assistendum matrimonio, delegare alteri Sacerdoti approbato ab Ordinario potestatem audiêdi confessiones suorum.

*Quæstio 134. Num Vicarius sine speciali commissione Episcopi possit approbare confessarios?*

Respondeo affirmative. Pirh. *l. cit. n. 58.* Laym. *in c. ult. de offic. Vicar. in 6. num. 9.* Venit enim sub nomine *Ordinarii*, ut Paris. *de resignat. l. 3. q. 11. num. 22.* juxta dicta sæpe à nobis supra. Quin & sub nomine *Episcopi* & *Diœcesani* continetur Vicarius, ubi non est expressè excluſus, & sit res, quæ convenit Vicario in officio suo. Pirh. Laym. *locis cit.* Sbroz. *l. 2. q. 43. num. 29.* Garc. *p. 5. c. 8. num. 52.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. num. 16.* Suarez *Tom. 5. d. 7. s. 3. num. 10.* Spino. *de testam. Gl. 15. num. 29.* Felin. Franc. & plures alios. Et sic in specie, ubi Trident. *sess. 23. cap. 15.* approbationem confessariorum injungit Episcopis, non excluditur ejus Vicarius. Pirh. Laym. Sanch. *locis cit.* atque ita approbationem hanc fieri posse à Vicario tradit Suarez *Tom. 4. d. 28. s. 5.* apud Laym *l. cit.*

*Quæstio 135. An Vicarius quoque sine speciali commissione dare possit licentiam subdito eligendi sibi confessarium?*

Respondeo: videri id posse Vicarium ex eo, quòd non minus sit proprius Sacerdos sui subditi quàm Episcopus, juxta dicta *quæst. antepenult. ante hanc.* & ut Sbroz. *l. 2. q. 15 num. 1.* possit idipsum Episcopus potestate ordinaria. Quin & de proprio Sacerdote generaliter loquendo id asserit Sbroz. *l. cit.* quod eligendi sibi confessarium licentiam dare possit subdito, quamvis dicat Abb. *in Clem. 1. de privileg. num. 10.* id damnare, dum ait, quòd Officialis Episcopi non debeat se immiscere in istis spiritualibus. & quamvis Sbroz. postquam *cit. num. 1.* dixisset: *cùm proprius Sacerdos sit quoque generalis Episcopi Vicarius, ut jam probatum, poterit dare licentiam subdito eligendi confessarium, quæ à proprio Sacerdote postulanda, & obtinenda juxta c. omnes utriusque sexus. de pœnit. & remiss. & ibi Abb. num. 12. post Gl. v. obtineat.* addat dein *num. 2.* declaratur autem hoc verum esse, ubi Vicarius ab Episcopo haberet talem potestatem, ut Archid. *in c. 2. de pœnit. & remiss. in 6. in fine.*

*Quæstio 136. An Vicarius possit publicè reconciliare pœnitentem?*

Respondeo: quemadmodum ab Episcopo fiunt quandoque hujusmodi reconciliationes publicæ, dum crimen est gravissimum & publicum. Sbroz. *l. 2. q. 18. num. 1.* juxta *c. finale 26. q. 6.* & *c. ministrare*, ubi hujus rei forma ponitur, posse quoque illas fieri per Vicarium Episcopi ex speciali ejusdem mandato ait Sbroz. *l. cit. num. 4.* argumento *c. Aurelius. 26. q. 6.* per quem textum dicat Gl. *in c. 1. & 2. eadem q. v. reconciliare.* quòd possit etiam alius Sacerdos de mandato Episcopi facere ejusmodi reconciliationes. Non verò id possit sine speciali mandato; eò quòd videantur esse reservatæ Episcopis, non videantur posse exerceri ab aliis ait *num. 3.* qui etiam *num. 6.* principalem responsionem, nempe, quòd de speciali mandato fieri possint à Vicario, si is Sacerdos, secus, si non Sacerdos, juxta *cit. c. Aurelius. & cit. Glos.* Limitat quoque *num. 5.* ut procedat, si Episcopus sit absens. Verùm non video, quòd si Vicarius habeat ad hoc speciale mandatum absolutum, cur non possit eas facere Episcopo præsente; cùm in pluribus aliis ea, quæ non nisi ex speciali mandato fieri possunt, habito illo mandato, exerceri possint in præsentia Episcopi æquè ac in absentia.

*Quæstio 137. Num Vicarius Episcopi absolvere possit à juramento sine speciali mandato Episcopi?*

1. Respondeo non convenire in hoc AA. nec satis sibi constare. Nam primò negativam tenent apud Sbroz. *l. 2. q. 187. n. 7.* Anchar. *cons. 190.* Ruin. *cons. 26. in 4.* Guido Papa *decis. 140.* Felin. *in c. 1. de jurejur.* diceus rectiorem. Jason. *in l. nec quicquam. §. ubi decretum. col. 4. ff. de offic. proconf.* dicens communem. Menoch. *cons. 24. n. 11. in 5.* Cephal. *cons. 51. n. 23. in 1.* & *cons. 653. n. 34. in 5.* & plures alii, qui videntur niti hoc fundamento, quòd absolutio à juramento videatur esse quædam dispensatio; cùm sit relaxatio juris communis; Vicarius autem Episcopi non possit dispensare sine speciali mandato.

2. Affirmativam è contra tenet ipse Sbroz. *l. c. n. 2.* ubi: *verius esse arbitror, Vicarium Episcopi absolvere à juramento absque speciali mandato; quia negari non potest, quin ista absolutio & relaxatio sit jurisdictionalis*, ut Jo. And. *in addit. ad Speculatorem tit. de legat. §. num de Episcoporum.* & Felin. *in c. 1. de jurejur. n. 20.* & illa, quæ jurisdictionis sunt, transeunt in Vicarium absq; mandato speciali, &c. Item quia in relaxatione à juramento Judex competens est Judex ecclesiasticus. Ut Innoc. *in c. debitores. de jurejur.* Abb. *in c. pervenit. eod. tit. n. 3.* adeoque etiam Vicarius tanquam Judex ecclesiasticus. Pro hac sententia affirmativa citantur à Sbroz. *l. c. n. 6.* Paul. Castrens. *cons. 216. col. penult.* Alex. *cons. 222. n. 4. in 2.* Roland. *cons. 34. vol. 1.* Tolos.

Boccat.

Boccat. & plures alii. Ampliatur quoq; hæc sententia à Sbroz. *n.* 7. ut procedat, etiam parte non citata, citatis pro hoc Alciat. *in c. cùm contingat. de jurejur. n.* 125. Rupella *l.* 1. *forens. institut. c.* 30. Covar. *l.* 1. *var. resolut. c.* 4. *num.* 5. Afflict. *decis.* 220. *col.* 4. &c. Et hanc esse opinionem communem, practicam, & curiarum observantiam testibus Afflict. & Ruin.

3. Nihilominus limitat prædictam sententiam suam Sbroz. *num.* 8. dum ait eam procedere, quando absolutio à juramento petita esset ad effectum agendi, & ad personam habilitandam, ut non obstante juramento detegere possit fraudem contractûs; secus, si petita ad tollendam obligationem contractus vel probationem causæ, prout Boccat. in comment. *ad constit. pr. Gl.* 2. *num.* 47. dicit; hanc distinctionem servari per Auditores, quibus Papa committit relaxationem à juramento, si & prout à jure fuerit relaxandum, & prout firmant Covar. & Roland. *locis cit.* Quin etiam Sbroz. *num.* 9. & 10. in hoc non satis sibi constans, declarat procedere dictam sententiam affirmativam, si Episcopus commisisset Vicario omnimodam jurisdictionem in omnibus causis & factis, vel aliquid spirituale (credo esse errorem Typographicum, & pro *spirituale* ponendum *speciale*) in litteris Vicariatûs enumerasset, & ubi enumeratum hoc non esset majus absolutione à juramento; siquidem jam non procederet Episcopus sine speciali commissione sibi unà cum generali Vicariatûs officio concessa.

4. Limitat illam denique *num.* 11. nisi petens absolutionem esset jam effectus perjurus; eo quod Vicarius non possit absolvere à perjurio juxta Felin. *in c.* 1. *de jurejur. vers.* 7. Ruin. *cons.* 66. *col.* 2. *in* 4. Roland. *cons.* 34. *num.* 4. *in* 1. Boccat. *loc. cit. num.* 40. quos citat. Sed cur à perjurio absolvere nequiret Vicarius? cùm non sit casus Papalis, aut regulariter loquendo reservatus Episcopo. Et dato, esse specialiter reservatum Episcopo, & consequenter ad absolvendum ab illo egere Vicarium Episcopi speciali mandato; est tamen hæc absolutio à perjurio distinctum quid ab absolutione à juramento ipso, & ex eo, quòd unum non possit sine speciali concessione, non sequitur, quod nec alterum possit sine eo. Verumtamen de hac quæstione meliùs statues, ex principiis generalibus traditis supra, ubi num Vicarius sine speciali mandato dispensare possit in casibus, in quibus id potest Episcopus, quæ proinde revidenda.

*Quæstio* 138. *Num Vicarius possit absolvere à voto aut illud commutare?*

REspondeo: hujus quoque resolutionem petendam à dictis supra *locis cit.* & sic in specie ait Sbroz. *l.* 2. *q.* 19. *num.* 4. & 5. non posse Vicarium sine speciali mandato commutare votum, utpote quod unum est de casibus Episcopo reservatis.

*Quæstio* 139. *Num Vicarius concedere possit indulgentias, quas concedere potest Episcopus?*

1. REspondeo primò: id eum non posse sine speciali mandato Episcopi. Sbroz. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 9. citans plures. Item Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num.* 48. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 35. Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 45. *q.* 13. Pax Jord. *l.* 12. *lit.* 1. *num.* 199. citans Borgas. *de irregul. p.* 3. *tit. de indulg. n.* 2. & *p.* 7. *c. fin. num.* 27. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.* 172. Franc. Leon. *in Thes. fori Eccles. p.* 1. *c.* 10. *in fine*



Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 54. *num.* 90. citans insuper Benzon. *de Jubil. l.* 1. *c.* 20. *vers. conveniunt.* Lavor. *de indulg. p.* 1. *c.* 11. *num.* 51. Est enim hic actus omnino voluntarius & meræ gratiæ. Pirh. Azor. &c. Et indulgentiæ sunt de majoribus, ac ideo requirunt speciale mandatum. Sbroz. *loc. cit. num.* 10. citans *c. cùm ex eo. & c. nostro. de pœnit. & remiss.* & utrobique Canonistæ.

2. Respondeo secundò: potest tamen id de speciali mandato Episcopi. Pirh. Azor. Ventrigl. *locis cit.* Sbroz. *l. cit. num.* 2. & 3. citans Cardin. *in c. nostro. de pœnit. & remiss. in fine & in Clem.* 1. *de offic. Vicar. n.* 19. Borgas. *ubi ante.* Felin. & alios; concedere enim indulgentias non est ordinis Episcopalis, sed dignitatis vel jurisdictionis, & hinc facultas illas concedendi potest inferiori ab Episcopo conferri. Ventrigl. *l. cit.* citans Bonacin. *Tom.* 1. *tit. de indulg. d.* 5. *q.* 1. *punct.* 3. *num.* 10. & *seq.* Ricc. *in pr. p.* 2. *resolut.* 222. Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *allegat.* 54. *num.* 90. Item Sbroz. *cit. num.* 1. citans Abb. *in c. accedentibus. de excess. Prælator. num.* 2. Pavin. *de potest. Capit. Sede vac. p.* 1. *q.* 4. *num.* 4. Navar. *in comment. de Jubilæo, & indulg. c.* 31. *num.* 7. & 8. Sylv. *in sum. de indulg. n.* 11. Unde etiam concedi potest hæc facultas dandi indulgentias Vicario Episcopi, ubi is non esset Sacerdos; quia simplici Clero demandari potest; cùm non sit ordinis, ut dictum, sed jurisdictionis. Ventrigl. *l. cit.* Sbroz. *num.* 4. citatis Oldrado. *cons.* 73. *n.* 8. qui dicat illud esse de mente omnium DD. Pavin. ubi ante &c. Sic enim Cardinales diaconi dare possunt indulgentias. Sbroz. *num.* 5. *ex* D. Thom. *in* 4. *sentent. dist.* 2. *q.* 3. *a.* 3. Item Episcopus electus & confirmatus, licet non consecratus, neque adhuc presbyter. Sbroz. *n.* 6. citatis D. Thom. *ubi ante d.* 22. *a.* 2. Abb. *in c. Suffraganeus. de elect. & in cit c. accedentibus. num.* 4. qui etiam dicat esse communem. Anchar. Felin. &c. Limitat tamen responsionem Sbroz. *num.* 7. ut procedat de iis indulgentiis generalibus, quæ sunt & dignitatis Episcopalis, & in simul jurisdictionis, secus de specialibus, quæ sunt de foro pœnitentiæ, & dantur quandoque à presbyteris, quibus commissum est secundùm varios modos providere peccatori, hæ enim requirunt indante ordinem & characterem Sacerdotalem.

## PARAGRAPHUS VI.

### De potestate Vicarii circa corrigendum, puniendum, gratiandum.

*Quæstio* 140. *An Vicarius generalis Episcopi possit inquirere, corrigere & punire aliquorum excessus sine speciali permissione seu concessione Episcopi?*

1. REspondeo: Vicarius vi generalis commissionis Vicariatûs non habet potestatem corrigendi, puniendi aliquorum excessus, crimina vel delicta; adeoque nec inquirendi hunc in finem, ut puniat aut corrigat. Sbroz. *l.* 2. *q.* 142. *num.* 1. citans quamplurimos. Pirh. *loc. cit. num.* 44. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 222. citans Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. num.* 137. Barbos. *juris eccles. l.* 1. *c.* 15. *num.* 22. citans Ugolin. *de offic. Episc. c.* 4. §. 7. *n.* 2. *v.* 7. cum communi, juxta expressum textum *c. licet. de offic. Vicar. in* 6. Causæ siquidè criminales computantur inter negotia graviora; cum tractetur de gravi pœna infligenda; adeoq; in mandato generali non cõprehenduntur.

Pirh. *l. cit.* citans *c. quod translatione. de offic. legati*; unde si procedat in his, seu actum aliquem pertinentem ad jurisdictionem criminalem exercet sine speciali mandato, processus ipso jure est invalidus. Pirh. *l. cit.* Pax Jord. *l. cit. num.* 223. Sbroz. *l. cit. n.* 2. citans Federic. de Senis *consil.* 220. *num.* 2. Verùm de his plura infra, ubi de potestate Vicarii circa cognoscendum varias causas.

2. Et sic jam in specie non potest sine speciali mandato Episcopi amovere seu deponere à beneficiis, officiis, administrationibus, ordine. Pirh. Pax-Jord. *locis cit.* Barbos. *l. cit. num.* 23. Ventrigl. *l. cit. num.* 24. Cardin. de Luca. *de benef. d.* 77. *num.* 14. Sbroz. *l.* 2. *q.* 111. *num.* 7. *& q.* 130. *num.* 4. juxta expressum textum *cit. c. licet. de offic. Vicar. in* 6. Sic, etsi liceat Judicibus Ecclesiasticis ad imitationem legum civilium punire Clericos confiscatione bonorum in casibus, in quibus sic Laici essent puniendi, juxta Diaz. *in pract. crimin. Can. c.* 124. Jul. Clarum *in pract. crim. §. final. q.* 78. *vers. quæro nunc.* Anchar. *in c. vergentis. de hæret. num.* 21. Boër. *decis.* 263. *per tot.* apud Sbroz. *l.* 2. *q.* 158. *num.* 1. non poterit tamen Vicarius Episcopi in illis casibus sine speciali mandato Episcopi confiscare bona Clericorum. Pax Jord. *l. cit. num.* 22. citans Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *allegat.* 54. *num.* 119. Sbroz. *l. cit. num.* 2. non enim in generali commissione jurisdictionis venit potestas confiscandi bona. Sbroz. *num.* 3. citans Bald. *in l. Imperatores. ff. de offic. Præfect. in fine.* Alex. *in l.* 1. *ff. de offic. ejus. num.* 75. Roman. *cons.* 59. *num.* 2. &c. Sic Vicarius non potest exercere pœnam verberationis vel fustigationis, etsi id fortè posset Episcopus. Sbroz. *l.* 2. *q.* 154. *à n.* 3.

3. Poterit nihilominus Vicarius sine speciali commissione imponere pœnas leves. V. G. mulctas pecuniarias, vel alias similes, propter delicta non gravia, Sbroz. *l.* 2. *q.* 143. *num.* 12. & ex eò Pirh. *l. cit. num.* 65. hanc addens rationem, quòd omnis jurisdictio, præsertim ordinaria, annexam habere debeat potestatem aliquam coërcitivam, saltem modicam, ne alioquin sit inefficax. Juxta *l. ult. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.*

*Quæstio* 141. *An Vicarius Episcopi punire possit excessus Officialium Laicorum sibi servientium, puta Notarii, Actorum, Nunciorum, Executorum, & similium?*

1. Respondet affirmativè Sbroz. *l.* 2. *q.* 146. *n.* 2. *in fine.* citatis Jo. And. & Archid. *in c. si Episcopus. de offic. Ordinarii in* 6. Boër. *decis.* 9. *num.* 7. Barbat. *de potest. Cardinal. q.* 21. *num.* 10. & plurimos alios contra alios, quos refert Sbroz. *num.* 1.

2. Quin etiam posse Vicarium punire familiares & Officiales non tantùm suos, seu sibi deservientes, sed etiam familiares & servientes Episcopo, propter unitatem Episcopi & Vicarii: & quia familiares Cardinalium puniri possunt ab eorum Vicariis, tenent Cardin. *in Clem. ne Romani. de elect.* Soarez. *l. receptar. sentent. num.* 156. & alii apud Sbroz. *l. cit. num.* 2. quod ipsum tamen ait Sbroz. *num.* 5. se verum credere, dum vicarius Episcopo notum faceret voluntatem puniendi Officiales Episcopi; eo quòd juxta Bartol. *in l. Officiales. c. de offic. Rect. Provinc.* per illum textum; quando minor Officialis vult punire delinquentem subditum majori Officiali, tenetur id notum ei facere.

*Quæstio* 142. *Num Vicarius corrigere possit excessus privilegiatorum, & in specie Regularium privilegiatorum extra claustra degentium?*

Respondet ad primum, Fagnan. *in c. quoniam. de offic. delegat. num.* 24. quòd etsi id competat Episcopo authoritate illi ad hoc concessa à Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. non tamen ea potestas per generalem commissionem Vicariatûs trasfundat in ejus Vicarium. Posse tamen id ei specialiter delegari ab Episcopo juxta regulam *cit. c. quoniam*, dum ibi Episcopus constituitur delegatus Papæ in his, quæ non poterat ante concilium expedire, sed non per verba denotantia electam esse industriam personæ, nempe Episcopi.

2. Pari ferè modo respondet Fagn. *l. cit. num.* 22. ad secundum, facultatem hanc, quam quò ad hoc Episcopus habet per Trident. *sess.* 6. *c.* 13. non transfundi in Vicarium, nisi per specialem commissionem; cùm jure ordinario Episcopus careat hac potestate, & non habeat eam nisi quo ad non exemptos, & Concilium non utatur dictione implicativa *etiam*, sed tantùm dicat: *tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato.*

*Quæstio* 143. *An Vicarius Episcopi in criminibus mixti fori procedere possit contra Laicos per viam capturæ & incarcerationis?*

1. Respondeo: non videntur in hoc convenire AA. dum, tametsi in dictis criminibus contra Laicos procedere possit Episcopus, Judicem tamen Ecclesiasticum non posse contra eos dictâ viâ capturæ & incarcerationis procedere, sed solùm posse eum contra illos agere censuris, iisque non sufficientibus, ministerio Judicis sæcularis implorato, tenent apud Sbroz. *l.* 2. *q.* 152. *num.* 3. Jo. Lup. *in c. per vestras. §. sed est pulchra dubitatio. de reg. Juris in* 6. *q.* 11. Jo. And. *in addit. ad speculat. tit. de offic. Ordinar.* Foller. *in pract. crim. fol.* 97. *num.* 52. Clar. *pract. crim. §. fin. q.* 37. dicens hanc opinionem esse communem, & in praxi servari. Quam sententiam non nisi sub hac limitatione, tenet Sbroz. *l. cit. num.* 4. quòd procedat, ubi Prælatus Ecclesiasticus legitimè præscripsisset hanc facultatem procedendi contra Laicos dictâ viâ capturæ.

2. De cetero affirmativam pro Judice Ecclesiastico, quòd dictâ viâ procedere possit (& consequenter etiam Vicarium Episcopi, saltem de speciali mandato Episcopi sui) tenent apud eundem Sbroz. *num.* 2. Jo. And. Dominic. Franc. *in c. cùm Episcopus. de offic. Ordinar. in* 6. Roman. *singul.* 911. Felin. *in c. cùm sit generale. de foro compet. n.* 2. Aufrerius *in Clem.* 1. *de hæret. q.* 5. Cuch. *Instit. juris can. de Episc. tit.* 6. *num.* 112. *l.* 2. testantem se vidisse in pluribus urbibus à familia Episcopi capi, & incarcerari Laicos, non repugnantibus Judicibus Laicis; & sic Episcopum tenere posse Officiales armatos pro executione Justitiæ dixisse Roland. *cons.* 47. *per tot. vol.* 1. & ab hac sententia affirmativa ait Sbroz. *in fine n.* 4. credere se non esse recedendum.

3. Porrò crimina fori mixti, in quibus sæpe Judex sæcularis & ecclesiasticus prævention em prætendit, plura enumerat Sbroz. *l.* 2. *q.* 151. ex Claro *in pract. crim.* & Cucho *Instit. Jur. Can. de Episc. tit.* 6. *num.* 78. *& seq.* nempe crimen hæresis, adulterium, incestum, concubinatum, stuprum, sacrilegium, sodomiam, sortilegium, usuram, simoniam, falsum

sum in literis Apostolicis, blasphemiam, divinationem, fornicationem fœminarum cum personis ecclesiasticis, lenocinium parentum & dominorum filias & famulas prostituentium, uti & casus, in quibus Episcopus procedere potest contra Laicos recenseri apud Bertach. *de Episc. l. 4. p. 2. tit. de author. Episc. circa spiritualia.*

## *Quæstio* 144. *An Vicarius possit reos subjicere tormentis & torturæ?*

REspondeo: indubitatum est, id eum non posse sine mandato Episcopi; cùm revera id sit inter ardua. De cetero id eum posse absolutè astruit Sbroz. *l. 2. q. 153. num. 3.* citans pro hoc Gl. *in c. Presbyteri. il primo 5. q. 6. c. illi, qui. 5. q. 5.* Abb. *in c. universitatis, de sent. excommunic. num. 5.* & *ibidem* Felin. *num. 2.* Diaz. *in pr. crim. can. c. 117. num. 15.* idque sine periculo incurrendæ irregularitatis. Pro quo *num. 4.* citat Gl. *in c. accusasti: de accusat.* Abb. *in c. Cleric. ne Cleric. vel Monach. num. 3.* Felin. *in c. cum illorum. n. 12.* Quin & ampliat Sbroz. *num. 5.* hanc sententiam, ita ut Vicarius Episcopi laicis etiam ministris præcipere possit, ut torqueant Clericum; eò quòd, licèt de jure Episcopus vel ejus Vicarius, faciens Clericos per Laicos torqueri sit ipso jure excommunicatus, ut Felin. *in cit. c. universitatis.* Decius *in c. dilectus. de appellat. in princip.* in contrarium tamen, ut habet *num. 9.* sit observantia juxta Abb. *in cit. c. universitatis num. 6.* Clarus *l. cit q. 64.* dicentem, quotidie se vidisse sic observari; ut mandante Episcopo Clerici à Judicibus sæcularibus torqueantur, & hanc esse bonam consuetudinem, ne aliàs delicta Clericorum remaneant impunita. Ac denique tradit Sbroz. *num. 11.* ex Cæpoll. *cons. crim. 78. per tot.* Vicarium Episcopi, si cum assistentia Judicis secularis fecerit Clericum torqueri, qui dein ad mortem condemnatus fuerit, non reddi per hoc irregularem.

## *Quæstio* 145. *An Vicarius possit exequi mandata & pœnas edictorum?*

REspondeo: id eum sine speciali mandato Episcopi non posse (intelligendo hoc de pœnis gravibus) Sbroz. *l. 2. q. 189.* citans Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num. 175.* licet enim Vicarius habeat cognitionem causarum, non potest tamen inquirere, corrigere & punire sine speciali mandato, juxta dicta supra.

## *Quæstio* 146. *An possit Vicarius pœnitentias publicas imponere, & pœnitentes publicè reconciliare sine speciali mandato?*

1. REspondent ad utrumque negativè Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 32.* citans Barbos. *de potest. Episc. p. 3. allegat. 5. n. 84.* Pax Jord. *l. 12. tit. 12. n. 196.* Est enim hoc ipsum dignitatis episcopalis. Pax Jord. *l. c.* uti & Sbroz. *l. 2. q. 17. n. 2.* juxta *c. accedentibus. de excessibus Prælator.* & *ibidem* Abb. *n. 1.* quæ autè sunt dignitatis episcopalis, sine speciali mandato exerceri nequeunt ab alio inferiore Episcopo. Pax Jord. *l. cit.* Barbos. *cit. allegat. 54. num. 87.* Poterit autem hoc ipsum Vicarius ex speciali mandato Episcopi. AA. iidem; quia, quæ sunt dignitatis Episcopalis, possunt committi Vicario. Sbroz. *l. cit. num. 3.* & apud eundem Sbroz. Felin. *in c. his quibus. de off. Ordinar. in princip.* Archid. *in c. placuit. de pœnit. dist. 6.* qui etiam ibi dicat, posse Sacerdotem alium de mandato Episcopi injungere similes pœnitentias publicas; ergo à fortiore Vicario, utpote qui est eadem persona cum Episcopo, & habet jam antecedenter jurisdictionem ordinariam. Ut verò delegari possit hæc potestas Vicario vel alteri, requiritur, ut is sit Sacerdos; cùm in foro pœnitentiali nullus habeat authoritatem ligandi & solvendi, nisi sit Sacerdos. Sbroz. *l. cit. num. 5.* juxta *c. omnis. de pœnit. & remiss. c. cum satis. de off. Ordinar.* ubi Innoc. & Abb. *num. 1.*

2. Verumtamen distinguendum in hoc puncto inter pœnitentias publicas, & inter propriè solennes, (uti hæc distinctio colligitur ex *Apostill.* Jo. And. *ad Glos. in c. accedentibus. v. publicas*) De propriè solennibus, & earum remissione seu absolutione habemus particulares rubricas in Pontificali, eæque post se, ut Pax Jord. *l. cit. num. 197.* trahunt irregularitatem, dum solenniter pœnitentes fiunt irregulares. Has non nisi de mandato Episcopi injungi posse à Vicario indubitatum est; posse verò cum dicto mandato expressè tradit Sbroz. *l. cit. num. 1. & 2.* ubi: *quæro, an Vicarius Episcopi publicas injungere possit pœnitentias, ac etiam solennes. respondeo, quòd sic, ubi adsit speciale mandatum.* Et ad has pœnitentias solennes restringendam esse mentem DD. negantium, posse Vicarium sine speciali mandato injungere pœnitentias publicas, ait Pax Jord. *l. cit. num. 197.* Pœnitentiæ verò aliæ sunt publicæ sine illa solennitate, quas juxta Apostoli monitum; publicè peccantes palam esse corripiendos; mandat Trident. *c. 8. sess. 24.* injungi, ubi crimen ab aliquo commissum publicè, & in conspectu multorum, relinquendo tamen arbitrio Episcopi, ubi ei magis expedire videbitur, commutandi talem pœnitentiam publicam in secretam. Et de his pœnitentiis publicis ait Pax Jord. *l. cit.* non esse eas reservatas Episcopo, adeoque sine speciali mandato illius posse eas injungi à Vicario; cùm passim videamus, eas etiam non solum ab Archidiaconis, & commissariis Archidiaconalibus, sed etiam à plebanis & Parochis imponi.

## *Quæstio* 147. *Quid possit Vicarius quò ad excommunicandum?*

1. REspondeo: posse illum excommunicare absque speciali mandato Episcopi. Garc. *p. 5. c. 8. num. 94.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num. 68.* Laym. *in c. cum in generali. de offic. Vicar. in 6. num. 9.* Sbroz. *l. 2. q. 168. num. 2.* citans præter alios Gl. *in c. cùm ab Ecclesiarum. de offic. Ordinar. v. Eccles. in fine*, quæ voluit ob vicem commissam (ab Episcopo in generali commissione Vicariatûs) mandatam esse facultatem excommunicandi. Est siquidem excommunicatio actus jurisdictionis *cit. c. cum ab Ecclesiar.* & *ibi* Gl. Abb. & AA. communiter. Sbroz. *cit. num. 2.* citans præter plures textus Covar. *in c. alma mater. p. 1. §. 11. in princ.* estque gladius excommunicationis nervus disciplinæ Ecclesiasticæ. Trident. *sess. 25. c. 3. c. dilecto. de sent. excommun. in 6. c. nemo. 2. q. 1.* & ad jurisdictionem Ecclesiasticam necessaria; cum jurisdictio sine correctione sit nulla. Sbroz. *l. cit. n. 4.* juxta *l. 1. ff. de jurisd. omn. Judic. c. cùm contingat. de foro compet.* & *ibi* AA. ubi etiam, quòd quilibet Judex Ecclesiasticus possit excommunicare, etiamsi sit delegatus inferioris à Principe, & ab ipso Episcopo, ait Sbroz. *l. cit. num. 3.* citans *c. pervenit. 11. q. 1.* Gl. *in c. ex literis. de offic. deleg. vers. si subdelegatus.* Gl. *in cit. c. nemo. v. excommunicet.* Covar. *l. cit. num. 1.* qui dicat esse communem. Navar. *in manual. confess. c. 27. num. 5.* & in terminis Vicarii Episcopi Bero *in Rub. de off. deleg. n. 27.*

2. Poterit quoque excommunicare Vicarius Episcopi, etsi Sacerdos non sit; quia id non est ordinis, sed jurisdictionis. Sbroz. *l. cit. num.* 5. citatis Abb. *in c. excommunicato. de rescript. num.* 16. Borgas. *de irregular. & dispens. fol.* 359. quin & posse Vicarium Archiepiscopi excommunicare, uti & suspendere & interdicere Episcopum nondum consecratum, aut etiam consecratum Archiepiscopo absente, ait Sbroz. *num.* 4. citatis plurimis, de quo vide dicta à nobis supra. Sic itaque in specie poterit Vicarius Episcopi tanquam Ordinarius excommunicare Judices & dominum temporalem, qui ab eo moniti volunt negare Sacramentum pœnitentiæ damnatis ad mortem illud petentibus. Sbroz. *l. cit. num.* 7. citato Pavin. *de potest. Capit. Sede vac. p.* 1. *q.* 8. *num.* 5. id astruente de Capitulo Sede vacante & ejus Vicario, & citante pro hoc *Clem. de pœnit. & remiss.*

3. Sic poterit Vicarius sine speciali mandato decernere excommunicationes præcedente cognitione causæ. Quas Concilium Trident *sess.* 25. *c.* 3. intentat ad finem revelationis aut restitutionis inventorum, & quidem non obstante, quòd Concilium ibidem decernat, eas à nemine prorsus, nisi ab Episcopo decernendas; eò quòd verba illa concilii non excludant Vicarium, sed is quoque comprehendatur ibi nomine Episcopi juxta dicta aliàs; & illa solùm ponantur ad concludendos alios inferiores Episcopis Prælatos, etiamsi habentes Episcopalem jurisdictionem, & exemptos, ac nullius Diœcesis. Pirh. Laym. Garc. *l. cit. num.* 94. *& 95.* citans Enriquez *in sum. l.* 13. *c.* 17. §. 4. Rodriq. *in summ. Tom.* 1. *c.* 79. *num.* 1. Zerol. *pr. Episcop. v. Vicarius.* §. 17. Frechil. *de excommunic. n.* 2. *p.* 2. *num.* 5. Suar. *de cens. Tom.* 5. *d.* 20. *l.* 1. *num.* 2. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *q.* 2. *num.* 16. contra Bannez. 2. 2. *q.* 66. *a.* 6. apud eundem Garc. *num.* 96. docentem, per dicta verba concilii excludi Vicarium, ita tamen, quod si is ex commissione Episcopi sui dictas excommunicationes decernat, teneant quidem; eò quòd concilium non dixerit; quòd si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane: peccet tamen Episcopus contra mandatum Concilii, si sine urgente causa committat hujusmodi causas suo Vicario. Et hæc juxta expressam S. Congregat. Concil. super *cit. c.* 3. declarationem, quam recitat Garc. *num.* 97. in hæc verba: *Vicarius generalis Episcopi potest has excommunicationes decernere adhibita causæ cognitione, nec indiget speciali mandato Episcopi*: quibus non obstat alia declaratio ejusdem *S.* Congregat. quam recitat Garc. *num.* 91. in hæc verba: *Vicarius generalis, & ad id facultatem habens ab Episcopo, potest sine prævia cognitione facta ab ipsomet Episcopo excommunicationes ad finem revelationis pro rebus deperditis decernere, dum tamen ipse Vicarius causæ cognitionem adhibeat.* Nam respondetur à Garcia *n.* 94. verba illa: *ad id facultatem habens*: poni ad excludendum Vicarium generalem habentem facultatem ad hoc limitatam seu ablatam ab Episcopo, qui utique non poterit dictas excommunicationes facere, præterquam, ut ipse Garcias *num.* 99. quod dicta declaratio *S.* Cong. non videatur ita esse certa quàm illa adducta à se *num.* 97. utpotè magis juri conformis, teste Marco Anton. Genuens. qui etiam dicat, ita servari in curia Archiep. Neapol.

4. Notandum hic, quod loco declarationis adjicit Sbroz. *cit. q.* 168. nempe Vicarium excommunicare posse, non quidem principaliter sic puniendo crimina & delicta, quia illa non potest cognoscere, aut gravi pœna punire, juxta dicta à nobis supra, sed incidenter & in consequentiam, ne ejus jurisdictio sit illusoria, & in effectu nulla. Pro hac declaratione citat Bero. *in Rubric. de offic. deleg. n.* 27. *& 28.*

*Quæstio* 148. *An pari quoque modo Vicarius Episcopi possit suspendere, & interdicere sine speciali mandato?*

1. Respondeo affirmativè: Sbroz. *l.* 2. *q.* 182. *n.* 4. citans Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n.* 174. Covar. *in c. alma mater* §. 2. *num.* 7. Navar. *in man. c.* 27. *num.* 159. *& 168.* Appellatione siquidem censuræ non solùm venit excommunicatio, sed & suspensio & interdictum. Sbroz. *num.* 1. citans *c. quærenti. de verb. signif. c. is cui. de sent. excom. in* 6. Abb. *in c. cùm ab Ecclesiarum. de off. Ordinar. num.* 2. Oldr. *cons.* 86. *in fine.* Covar. *in c. alma mater. de sent. excom. p.* 2. *num.* 7. Navar. *l. cit. num.* 167. censura autem sit nervus ecclesiasticæ disciplinæ, Sbroz. *num.* 2. citatis plurimis. Ergo Judex Ecclesiasticus non minùs suspendere & interdicere possit quàm excommunicare, ut Abb. *in c. cùm ab Ecclesiarum. num.* 4.

2. Limitat nihilominus responsionem Sbroz. *n.* 4. quòd licet ad majorem solùm cautelam, ut Rebuff. *l. 1.* soleat in Vicariatu exprimi commissio suspendendi, & interdicendi, in casibus tamen, in quibus ageretur de perpetua suspensione vel multum diuturna, Vicarius eam ferre non possit sine speciali mandato; quia suspensio perpetua vel diuturna dicitur esse de arduis secundùm Innoc. & Abb. *in c. ad hæc. de offic. Archid. num.* 1. ita ut dicant, Episcopum eam ferre non posse sine Capitulo.

*Quæstio* 149. *Specialis an Vicarius concubinarios suspendere possit ab administratione beneficiorum sine speciali mandato?*

Respondeo: id eum posse respectu non exemptorum, non verò respectu exemptorum. Fagnan. *in c. quoniam. de offic. deleg. num.* 38. Facultas siquidem concessa Episcopo in Trident. *sess.* 25. *c.* 14. etiam uti delegato Sedis Apostolicæ, ut possit Clericos concubinarios à beneficiorum administratione suspendere, & beneficiis privare, videtur transire in Vicarium quò ad non exemptos; quia & jure ordinario poterat Episcopus in concubinarios animadvertere. Toto *tit. de cohabit. Cler. & mulier.* quo ad exemptos verò opus est speciali subdelegatione secundùm regulam; de qua *in cit. c. quoniam.* ita fere Fagn. *l. cit.*

*Quæstio* 150. *An possit Vicarius, sicut id potest Episcopus, scrutari sufficientiam Notariorum, & eos imperitos suspendere ab officio?*

Respondet affirmativè Fagn. *l. cit. n.* 31. ob eandem rationem datam *quæst. præced.* nimirum quia id poterat Episcopus ante Tridentinum jure ordinario, ut annuitur ex dictione illa *etiam.* & licèt *ibi* Fagn. non nisi scrutationis faciat mentionem, loqui tamen etiam eum de suspensione, vel etiam depositione ab officio, patet ex eo, quòd hunc in finem adducit ex Bartol. & Bald. nimirum per eos *in l. sed & reprobari. ff. de excusat. Tutor.* probari posse favere publicæ utilitati approbatum semel reprobari; & quòd, ut refert Bartol. ab Archiepiscopo Capuano fuisse exauctoratos omnes, qui doctoris insignia adepti, sed minùs, quàm decebat, eruditi Capuam reversi fuerant. Item patet ex eo, quòd Fagn. *in summario ipso num.* 31. hoc ponat: Notarios imperitos ab officio suspendere, &c. subintellige, potest Vicarius.

*Quæstio*

*Quæstio* 151. *An Vicarius sine speciali mandato facere possit gratiam, seu pœnam remittere?*

REspondeo negativè. Pirh. *l. cit. num.* 45. ubi: non potest delictum condonare (intellige remissâ pœna) nisi hoc ipsum specialiter & expressè fuerit illi concessum. Azor. *instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *q.* 6. Sbroz. *l.* 2. *q.* 38. *num.* 1. citatis Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 176. *& seq.* Cardin. *in Clem. unic. de offic. Vicar. num.* 16. & *ibidem* Abb. *num.* 18. & aliis plurimis. Vicarius enim juxta dicta sæpius sine speciali mandato expedire nequit, quæ sapiunt meram liberalitatem, & gratiam; utpote quæ in generali Vicariatûs commissione non includuntur. Proceditque Responsio, etiamsi Episcopus non sit in Diœcesi. Sbroz. *num.* 4. citato Abb. *ubi ante.* Poterit tamen Vicarius facere gratiam de speciali mandato in iis casibus, in quibus Episcopo permissum est remittere pœnam, Sbroz. *n.* 5.

*Quæstio* 152. *An Vicarius sine speciali mandato possit absolvere inquisitum?*

1. REspondeo: non convenire in hoc Auctores. Nam primò affirmant apud Sbroz. *l.* 2. *q.* 66. *num.* 1. Marian. *in c. qualiter. il.* 2. *de accusat. q.* 5. *a.* 14. Felin. *in c. non potest. de re Judic. col.* 4. *num.* 5. dicens, quòd, liceat Vicarius Episcopi ex generali mandato non possit punire, sicut tamen potest inquirere, (intellige in ordine ad deferendum Episcopo) ita etiam possit absolvere inquisitum, etiam absque ulla alia relatione ad superiorem, subdens hoc esse dictum peregrinum, & nunquam oblivisscendum.

2. E contra negant apud Sbroz. *num.* 2. Ripa *in l. qui condemnare. ff. de re judic. col.* 3. *num.* 1. Foller. *pr. crimin. can.* 3. *part. Judic. tit. vel absolvatur in fine.* hac ducti ratione, quod Vicarius prohibeatur condemnare criminosos ex defectu potestatis, non autem in favorem inquisiti per textum *c. licèt. de offic. Vicar. in* 6. si autem caret potestate condemnandi, consequenter etiam carere videatur potestate absolvendi juxta *l. nemo, qui condemnare. ff. de Reg. juris.* ubi Decius, & Egnol. & quam regulam multis extollit Menoch. *l.* 1. *de arbit. Judic. q.* 23 *num.* 35. Item quia jurisdictio est limitatè concessa Vicario, *cit. c. licèt.* cùm illi causarum cognitio mandata sit, non verò decisio causarum criminalium; adeoque nec extendenda ad absolutionem inquisitorum. Ac denique ut Foller. ne, si illi dicta absolutio permissa esset, frustratoria foret relatio facienda Episcopo.

3. Mediam quasi viam ingrediuntur distinguendo apud Sbroz. *num.* 4. Diaz. *in pr. crimin. can. c.* 5. *num.* 5. Rota. *decis.* 2. *aliàs* 86. *tit. de offic. Vicar.* nempe, quòd sicut Vicario permittitur facere inquisitionem ad effectum remittendi culpabiles ad Episcopum, sic quoque possit absolvere inquisitos ad effectum remittendi illos ad Episcopum, si fuerint inventi culpabiles; vel etiam poterit, ubi post inquisitionem non apparuerit de delicto, seu delictum non fuerit probatum, cessare ab inquisitione, & inquisitum dimittere, ut Pax Jord. Et sic jam non urget dicta regula: *nemo, qui condemnare*; dum nimirum hoc modo non absolvetur inquisitus à crimine, sed ab inquisitione ad effectum transmittendi illum puniendum ad Episcopum, si culpabilis inventus: vel etiam purè dimittendo illum. In quo casu poterit illum dimissum revocare Episcopus, & denuo contra eum inquirere ac procedere; cùm Vicarius abstinendo ab ulteriore inquisitione illum non absolverit à crimine. Et huic sententiæ mediæ adstipulatur Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 225. citans Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *allegat.* 54. *num.* 118. Marian. *in c. qualiter. de accusat. num.* 171. quin & ipse Sbroz. *l. cit. num.* 5. eamque confirmat, & declarat hac ratione: ubi reus inquisitus absolvitur ab inquisitione ad effectum transmittendi illum ad Episcopum, non videtur absolutus simpliciter, & diffinitivè, sicut quando absolvitur à crimine non commisso. Et in primo casu non obstat exceptio rei judicatæ, quemadmodum illa obstat in secundo casu, sed iterum inquiri potest secus ac in secundo. Et veram esse hanc sententiam, & ab omnibus approbatam, quòd quando quis est absolutus à crimine non commisso, competat ei exceptio rei judicatæ, nec possit amplius contra eum procedi; secus si absolutus esset à crimine non probato, astruunt Clar. *in pract. crim. §. fin. vers. hæc quidem.* Foller. *in praxi crim. can. fol.* 302. *num.* 3. apud Sbroz. qui subdit, hinc jam mirum non esse, si Vicarius de potestate ordinaria possit absolvere inquisitum ad dictum effectum transmittendi illum ad Episcopum puniendum, licet prohibeatur punire, non autem possit absolvere diffinitivè.

*Quæstio* 153. *Num Vicarius possit pœnam in leviorem mutare, & in specie, num possit pœnas corporales, vel etiam pœnam depositionis mutare in pecuniariam?*

1. REspondeo ad primum, tametsi Vicario commissa esset specialiter potestas causas criminales cognoscendi, & judicandi, non tamen potest pœnam à jure Canonico vel particulari statuto diœcesano impositam & definitam in leviorem mutare, nisi hoc ipsum specialiter & expressè ipsi fuerit concessum, positò, quòd Episcopus in talibus dispensare potest. Laym. *in c. licèt. de offic. Vicar. in* 6. *num.* 2. *§. ceterùm.* Pirh. *l. cit. num.* 45. Azor. *l. cit.* Et sic non potest eas mutare in pecuniarias. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 228. citans Cuch. *Instit. Juris Can. tit.* 8. *de de offic. Vicar. num.* 109. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 15. Idque etiamsi haberet speciale mandatum ad dispensandum; quia in generali potestate dispensandi non comprehenditur potestas dispensandi super crimine, & commutandi pœnam, vel faciendi compositiones. Sbroz. *l.* 2. *q.* 37. *num.* 3. *juncto num.* 1. & 10. Sic quoque non poterit commutare pœnam privationis vel depositionis à beneficio in pœnam pecuniariam. Sbroz. *cit. num.* 3. citans Castrens. *cons.* 348. *num.* 1. *& seq. in* 2. Bertach. *de Episc. p.* 5. *l.* 4. *tit. de auctor. Episc. circa Judic. num.* 53. *& p.* 6. *tit. de Vicar. Episc. num.* 1. Clar. *in pract. crim. §. fin. q.* 57. Borgas. *de irreg. & dispens. p.* 5. *c. fin. num.* 22. *&* 33. Sed nec ipse Episcopus sine causa pœnam minuere, aut in aliam commutare potest, multòque minus recipere compositiones super omnibus criminibus. Sbroz. *l. cit. num.* 7. ex Castrens. *ubi ante* cum Gl. & Canonistis *in c. licèt. de pœnit.* Menoch. *de arb. Judic. l.* 1. *q.* 66. *num.* 10. Julio Claro *l. cit. q.* 85. Abb. *in c. ut Clericorum. de vita, & honest. Clericor. num.* 10. & aliis, quos citat; sed tunc demum, cum crimina levia sunt vel extraordinaria, in quibus locus est pœnæ arbitrariæ, vel quando in iis potest dispensare, vel saltem cessat omnis suspicio avaritiæ, moveturque causâ correctionis, ut quando applicatur pœna loco pio, vel aliæ causæ adsunt, de quibus DD. *loca cit.* ac præcipuè Castrens. *l. cit.* Gl. & Abbas *in cit. c. licèt.* Unde jam etiam responsionem limitat Sbroz

*l. cit.*

*l. cit. num.* 13. ita ut in criminibus levibus vel extraordinariis, in quibus imponitur pœna Judicis arbitrio, Vicarius quoque Episcopi facere possit compositiones juxta facti qualitatem, secus in criminibus gravibus, uti & in illis, in quibus taxata est pœna a jure, & in quibus agitur de pœna depositionis ab ordine, vel privationis beneficii. Citat pro hac limitatione Castrens. Bertach. *ubi ante.* Cuch. *tit. de Vicar. Episc. num.* 109. Diaz. &c. Quam tamen limitationem etiam sublimitat *num.* 16. & 17. ita ut fieri possit hæc dispensatio seu commutatio pœnæ ab Episcopo ejusve Vicario ante latam sententiam, non autem post, pro quo citat Cuchum. *Instit. Jur. can. de Episc. num.* 306. Felin. *in c. qualiter. de accusat. num.* 129. Nisi fortè in sententia fuerit reservatum jus mutandæ pœnæ, aut concessa restitutio, adversùs sententiam; aut aliqua justa causa impellat, ut Cuch. *l. cit. n.* 308.

## PARAGRAPHUS VII.

### De potestate Vicarii circa ultimas voluntates.

*Quæstio* 154. *An Vicarius possit pias defunctorum voluntates demandare executioni?*

REspondeo: sine speciali mandato Episcopi (qui constitutus quoque est executor piarum voluntatum. *L. si quis ad declinandam. §. ubi autem. c. de Episc. & Cleric.* & ut latè Menoch. *ad 4. remed. adipiscenda. num.* 256. & Cuch. *l. cit. de Episc. num.* 142. & *seq.* apud Sbroz. *l. 2. q.* 49. *num.* 1.) id non posse Vicarium, Barbos. *de potest. Episc. p. 3. allegat.* 54. *n.* 104. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 208. Sbroz. *l. c. n.* 2. citato Bald. *in l. nulli. c. de probat. num.* 8. poterit tamen id ipsum ex speciali Episcopi mandato. Sbroz. *ibid.* Licèt enim executor testamentarius facere nequeat subexecutorem, tanquam electa sit fides ejus & industria suæ personæ, ut probat *cit. l. nulli.* & ibi Bald. *num.* 4. in legatis tamen ad pias causas potest hujusmodi officium delegari. Sbroz. *l. cit. num.* 3. & 4. citans Bald. *in c. cum causis. de Cleric.* Tiraq. *de privilegiis piæ causæ. privileg.* 31. *in fine*; eò quòd favore piarum causarum relaxentur juris subtilitates. Ad hoc verò, ut Episcopus in hujusmodi executionibus vices suas committere possit alteri, requiritur causa aliqua. Sbroz. *n.* 6. ex Bald. *in cit. l. nulli. num.* 8. Quin & limitationem aliam adjicit Sbroz. *num.* 7. ut Vicarius Episcopi habens speciale mandatum exequendi dictas voluntates, non censeatur adhuc habere mandatum ad liquidandum fructus.

*Quæstio* 155. *An Vicarius ex officio suo compellere possit executores, fidei commissarios, etiam laicos ad exequendas pias defunctorum voluntates?*

REspondet affirmativè Barbos. l. *cit. num.* 105. Sbroz. *l.* 2. *q.* 50. citans *c. Joannes. c. si hæres. c. tua nos. de testamentis.* Pavin. *de potest. Cap. Sed. vac. p.* 1. *q.* 8. *num.* 7. Gemin. *consil.* 114. *n.* 5.

*Quæstio* 156. *An possit quoque prorogare tempus executoribus?*

REspondeo affirmativè. Barbos. *cit. num.* 105. Sbroz. *l.* 2. *q.* 51. *num.* 1. Idque etiamsi sint Juris vel constitutionis Synodalis. Sbroz. *l. cit.* citatis Calder. *cons.* 5. *tit. de Vicar.* Felin. *in c. ex parte. de constit. col.* 3. *post num.* 1. Ratio tamen quam adjicit Sbroz. nempe, quod id sit jurisdictionis voluntariæ, quæ transit in Vicarium, non magnopere urget; cùm plura sint jurisdictionis voluntariæ, quæ non transeunt in Vicarium.

*Quæstio* 157. *An Vicarius possit exigere rationes à testamentorum executoribus?*

REspondet Sbroz. *l.* 2. *q.* 52. posse Vicarium tanquam Ordinarium rationem exigere ab executoribus de testamentorum executionibus, etiam Religiosis exemptis, & delinquentes circa illas punire juxta *Clem.* I. *de testam.* & *ibi* Glos. & Canonist. quem textum etiam allegat Pavin. *p.* 1. *q.* 8. *num.* 5. & *p.* 2. *q.* 7. *num.* 6. pro Capitulo Sede vacante ejusque Vicario.

*Quæstio* 158. *Quòd possit Vicarius circa mutationem ultimarum voluntatum?*

REspondeo: posse Vicarium Episcopi in erectione Ecclesiæ & applicatione bonorum eidem relictorum in aliquo mutare voluntatem testatoris, decisum fuisse à Rota teste Mohed. *decis. manuscrip.* 124. refert Sbroz. *l.* 2. *q.* 54. Barbos. *l. cit.* quò ad hoc punctum remittit ad Monet. *de commut. ultim. volunt. c.* 5. *num.* 484. verùm videndum, quid hac in parte, & quo jure competat Episcopis ipsis, & dein applicandum vel negandum ejus Vicario.

*Quæstio* 159. *An Vicarius Episcopi adire possit hæreditatem lucrosam delatam Ecclesiæ Cathedrali?*

REspondeo: affirmari id absolutè à Pavin. *l. cit. p.* 2. *q.* 8. *num.* 27. Sbroz. verò *l.* 2. *q.* 53. id verum existimat, ubi adest speciale mandatum. Rationem dat, quòd Vicarius Episcopi œconomum Ecclesiæ constituere nequeat, nisi adsit speciale mandatum. Pro quo citat Felin. *in c. quoniam. de offic. ordinar. in fin.* Lap. *allegat.* 8. *ubi Apostil. Mandos. in verb. œconomum.*

## PARAGRAPHUS VIII.

### De potestate Vicarii circa matrimonialia.

*Quæstio* 160. *An Vicarius Episcopi possit cognoscere causas matrimoniales?*

1. REspondeo primò: causas matrimoniales ex speciali commissione Episcopi posse cognosci à Vicario. Sbroz. *l.* 2. *q.* 42. *a num.* 5. Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num.* 47. citans Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. *num.* 17. *in fine.* Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 155. Tametsi enim cognitio hujusmodi causarum spectet ad Episcopalem dignitatem, ut rectè Sbroz. *l. cit. num.* 6. non tamen ideo incommissibilis est alteri non Episcopo; cùm etiam ea, quæ dignitatis Episcopalis sunt, inferiori Episcopo committi possint. Sbroz. *l.* 2. *q.* 28. citans Abb. *in c. quantò de consuetud. num.* 2. *in c. accedentibus. de excess. Prælator. num.* 2. & 3. Syl. *in sum. v. Episcopus. num.* 9. &c. Tametsi etiam causis criminalibus æquiparentur, sintque inter causas majores & arduas, quippe in quibus agitur de statu hominis juxta *c. penult. de*

*in in-*

*in integ. restitut.* non sunt tamen adeò arduæ & difficiles, ut à solo Episcopo cognosci & expediri debeant, & nullatenus ab alio. Unde si committi possunt hujusmodi causæ discutiendæ, & dijudicandæ Doctoribus aliis, qui non sunt ejus Vicarii, ut Alex. *cons.* 149. *vol.* 3. apud Sbroz. *cit. q.* 42. *num.* 7. multò magis committi poterunt Vicario; cùm juxta dicta à nobis sæpius illi multa committi possint, quæ aliis committi non possunt, ut Felin. *in c. quod sedem. de off. ordin. num.* 2. Riminald. *in l.* 1. *ff. de off. ejus. num.* 89. Neque his obstat dispositio Trident. *sess.* 24. *c.* 10. ubi causæ matrimoniales examini tantùm Episcoporum committuntur, ut patebit ex dicendis paulò post.

2. Tametsi autem Episcopus causas illas matrimoniales, quæ ad ipsum spectant, jure ordinario committere possit Vicario, non tamen delegatas ei à Papa subdelegare eidē posse tradit Sbroz. *cit. q.* 42. *n.* 9. *juncto n.* 18. causa enim matrimonialis gravis est & ardua. Sbroz. *num.* 10. citatis Socin. Jun. *cons.* 86. *num.* 6. *in* 2. Cravet. *cons.* 281. *col.* 3. juxta *c. mulier. de jurejur.* causæ autem graves & arduæ subdelegari nequeunt exinde, quòd in iis censeatur electa industria personæ, cui delegatæ sunt. Sbroz. *num.* 11. citatis Alex. *in l.* 1. *ff. de Offic. ejus in princ.* Jason. *ibidem n.* 6. Seysel. *not.* 3. Cravet. *cons.* 303. *col.* 2. &c. quo facit, quod curia non consuevit committere causas matrimoniales nisi Episcopis, teste Abb. *in c. si pro debilitate. de off. delegat. num.* 4. Decius *in c. proposuisti. de probat. in princ.* apud Sbroz. *num.* 13. Stylus autem curiæ habeatur pro lege, & est observandus. Sbroz. *num.* 14. citans Roland. *cons.* 70. *num.* 12. *vol.* 1. Redoan. *de spol. q.* 7. *num.* 18. &c. Item quòd intentio Papæ delegantis Episcopo istiusmodi causas ad Episcopum restricta videatur exinde, quòd si Papa noluisset restringere ad Episcopum delegationem, utique mentionem fecisset de ejus Vicario in rescripto delegationis, sicut solet in omnibus aliis Brevibus sub hac forma rescribere: *Venerabili Fratri Episcopo N. seu dilecto filio ejus Vicario in spiritualibus generali*: ita ut nulla facta mentione Vicarii, is excluſus censeatur. Nihilominus Sbroz. *l. cit. num.* 30. admittit, in discussione causæ matrimonialis (intellige, etsi de cætero electa sit industria personæ Episcopi) posse committi Vicario examen testium, etiam per viam nudi articuli; eò quòd quamvis aliàs causa alicui committi non possit, possit tamen committi articulus, ut Archid. & Gl. *in c. statutum. de rescrip. v. causa.* Verumtamen hæc Sbroziidoctrina non usquequaque subsistere videtur. Verum utique & indubitatum est, quòd ubi electa industria personæ in delegatione, is vices alteri committere nequeat. *c. fin. §. is cui. de offic. deleg.* & *ibi* DD. Alex. *cons.* 10. *l.* 1. Menoch. *cons.* 69. *num.* 55. *in* 1. Ruin. *cons.* 148. *num.* 1. *in* 4. citati à Sbroz. *num.* 12. sed si nihil aliud expressum in rescripto, sola gravitas causæ hanc electionem industriæ personæ inferre non videtur, prout etiam tradit Decius *in cit. c. pro debilitate num.* 4. apud Sbroz. *num.* 15. quòd ad hoc, ut causæ subdelegari non possint, non sufficiat esse simpliciter graves, sed debeant ita esse graves, ut sine præsentia delegati terminari non possint, quales non sunt de se causæ matrimoniales. Confirmatur hoc ipsum ex eo, quòd in *c. statutum. de præb. in* 6. disponitur, quòd collationem beneficiorum & dignitatum alias exequendam per solum Episcopum in defectum Papæ exequi possit Vicarius generalis ex mandato speciali; ut ipse Sbroz. refert *num.* 24. quòd non satis diluit ipse *num.* 26. dum inquit, ab uno non esse argumentandum ad alterum, & ex quo Vicarius fuit habilitatus ad unum, nempe ad conferenda beneficia, non fuerit habilitatus ad aliud, nempe ad cognoscendum de causis matrimonialibus. Nam adhuc recte in præsente ab uno ad alterum arguitur; quòd sicut unum, sic & alterum possit committi, dum alterum illud non est majus, nec speciale quid continet, cur committi non possit, etsi jus nullum positivè dicat in particulari, illud posse committi. Neque etiam ille stylus curiæ ita constans est, ut Decius *in c. proposuisti*, quin causæ matrimoniales etiam aliis quam Episcopis delegari consueverint, V. G. Abbati, Præposito similive personæ in dignitate constitutæ, quin & ipsi Officiali Episcopi, ut patet ex *cit. c. proposuisti. c. ex litteris. de restitut in integ.* & *ibi* Abb. &c. Neque etiam intentio illa Papæ ita restricta ad solum Episcopum ex eo satis colligitur, quòd in rescripto nulla fiat Vicarii mentio: nam & ipse Sbroz. *num.* 21. fatetur, eam rationem parum efficacem, dum inquit: sed tamen melior est ratio superius adducta propter unitatem Episcopi & Vicarii, qui inclusus non videtur propter Episcopi (subintellige solius) mentionem secundùm Archid. *in c. Reatina. 63. dist.* Felin. *in c. si. quis contra. de foro compet. num.* 5. Unde posse Episcopum causam matrimonialem sibi specialiter commissam à Papa subdelegari alteri absolutè tenent Laym. *de jurisd. Ordinar. concl.* 95. Pirh. *l. cit.* & apud hunc Abb. *in c. ex litteris. de offic. deleg. not.* 2.

3. Respondeo tertiò. secundum probabiliorem poterit quoque Vicarius Episcopi vi Officii sui, seu Vicariatûs generaliter sibi commissi absque speciali mandato unâ cum Vicariatûs commissione, aut etiam extra illam sibi dato causas matrimoniales cognoscere & dijudicare. Sbroz. in hac materia parum sibi constans. *l.* 2. *q.* 44. *in fine.* ubi, postquam proposuisset utramque sententiam, primò affirmativam, secundò negativam, ait: *à prima tamen sententia majore numero auctoritate probata non recedo.* Citatq; *l. cit. num.* 1. pro hac sententia affirmativa Cuchum *instit. jur. can. de Episc. num.* 123. Lambert. *de jurep l.* 2. *p.* 2. *q.* 2. *a.* 3. Covar. *in Epitom. l.* 4. *c.* 8. §. 12. *num.* 1. Abb. & Præposit. *in c. fine. de cognat. spirit.* Idem tenet Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 54. *num.* 94. citans insuper Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *à n.* 18. Anton. Gomez. *in Bullam cruciat. c.* 444. *num.* 28. Salz. *ad Bernard. Diaz in pract. crimin. c.* 73. *in fine.* Item Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 23. citans præterea Riccium *in pr. p.* 4. *resolut.* 471. Genuens. *in pract. c.* 26. *num.* 1. Item Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 45. *q.* 2. Pirh. *l. cit. num.* 47. Pax Jord. *l. cit. num.* 147. contra Rebuff. *l. cit.* Ledesm. *de matrim. q.* 45. *a.* 1. *Item* Azor. *p.* 2. *l.* 3. *punct.* 3. *dub.* 4. Ugolin *de off. Episc. c.* 4. §. 7. *num.* 2. apud Barbos. allegantur pro hac sententia à Barbos. *l. cit. alleg.* 84. *num.* 3. & Pirh. *c.* 1. *de frigidis & maleficiat.* ubi dicitur ab uxore in causa divortii ponendam querelam coram Episcopo, aut ejus misso; per *missum* autē intelligitur Vicarius Episcopo, à Glossa. & *c. fin. de cognat. spirituali*, ubi habetur impedimentum matrimonii propositum coram Officiali Cantuarienſi, & sic supponitur Vicarium posse cognoscere de causis matrimonialibus. Est quoque ratio, qua etsi hæ causæ spectent ad dignitatem Episcopalem, spectant tamen quoque ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. Laym. *in c. licèt. de offic. ordinar. in* 6. *num.* 3. citans *c. accedentibus.* Neque adeò arduæ & difficiles, ut à solo Episcopo cognosci debeant, hoc præsertim tempore, quo plurimis doctorum scriptis & commentariis sunt illustratæ. Neq; etiam nominatim exceptæ sicut causæ criminales,

qui-

quibus æquiparantur *c. penult. de in integ. restitut.* in eo solùm, quòd per arbitros cognosci non possint. Neque à jure *in c. accedentibus.* neque à Trident. *sess. 24. c. 20.* (dum ibi nomine Episcopi comprehenditur quoque Vicarius, ut una eademque cum illo persona juxta dicta superius) adimitur Vicario potestas cognoscendi causas matrimoniales, sed solum inferioribus Episcopo Prælatis, puta Archidiacono, &c. Monet tamen rectè Pirh. hac in re spectandam consuetudinem cujusque Diœcesis; cùm in pluribus locis proprii Judices causarum matrimonialium ab Episcopis constitui soleant.

## *Quæstio* 161. *Quid possit Vicarius circa remittendas denunciationes matrimoniales?*

1. Respondeo primò: quò minùs parochi has denunciationes faciant, absque sua licentia, minimè impedire potest Vicarius generalis Episcopi. Barbos. *de offic. & potestate Parochi. c. 2. num. 16.* testatus, sic censuisse S. Congregat. Concil. 27. *Maii.* 1617. & ex eo Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 26.*

2. Respondeo secundò: posse Episcopum dare specialiter Vicario suo facultatem, etiam generalem remittendi denunciationes. Sbroz. *l. 2. q. 42. n. 28.* Garc. *p. 5. c. 8. n. 61.* & à fortiore AA. omnes dicendi pro respons. seq. contra Cephal. *cons. 421. n. 72. l. 3.* Menoch. *cons. 69. à num. 55. l. 1.* apud Sbroz. censentes, nequidem Episcopum posse specialiter mandare Vicario suo hanc facultatem remittendi denunciationes. Trident. enim *sess. 24. c. 1.* remittit judicio & prudentiæ Ordinarii illas denunciationes, & ideò cum juxta communem Vicarius sit Ordinarius, non tantùm videtur electa industria personæ Episcopi, sed etiam ejus Vicarii, qui tanquam Ordinarius videtur in illo decreto comprehensus: & si etiam Concilium loqueretur de Episcopo, non tamen excluderetur ejus Vicarius; quia & is sub Episcopi mentione & nomine continetur secundùm Archid. *in c. Reatina. dist. 63.* Felin. *in c. si quis contra. de foro compet. num. 5.* & aliàs Tridentina Synodus volens Episcoporum Vicarios in suis decretis excludere ab aliqua facultate, quæ Episcopo conceditur, dicere solet: *eis tantùm & non eorum Vicariis, sit permissum*: ut *sess. 24. c. 6.* ita ferè Sbroz. *cit. q. 42. num. 28. & 29.*

3. Respondeo tertiò; juxta probabiliorem posse Vicarium sine speciali commissione vi solius generalis commissionis Vicariatûs in dictis proclamationibus seu denunciationibus dispensare ex causa, easque penitus remittere, seu dare licentiam contrahendi matrimonium. Sbroz. *l. 2. q. 202.* ubi: *verius esse videtur, quòd Vicarius Episcopi tanquam Ordinarius possit ex causa dare licentiam contrahendi matrimonium non præcedentibus denunciationibus. & l. 2. q. 42.* ubi: *videmus quotidie per Vicarios Episcoporum remitti ex causa denunciationes istas quemadmodum per Episcopos*: Laym. *in c. ult. de offic. Vicar. in 6. num. 9.* Pirh. *l. cit. num. 58.* Pax Jord. *l. 3. tit. 7. num. 7.* citans Bonacin. *de matrim. q. 2. p. 6. num. 7.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. num. 9. & 10.* ac dicens hanc sententiam approbari à praxi, dum Vicarii generales passim in his dispensant. Item Ventrigl. *l. cit.* Card. de Luca *ad Tridentinum d. 26. num. 26.* ubi is: *Concilio loquente de Ordinario, receptum est, ut sub ejus nomine veniat Vicarius, qui in denunciationibus dispensare valeat.* Barbos. *de potestat. Episc. allegat. 32. num. 29.* citans Chokier. *de jurisdict. Ordinarii in exemp. p. 1. q. 1. num. 1.* Basil. Pont. *de matrim. l. 5. c. 26. §. 4.* Reginald. *l. 31. num. 213.* Gratian. *discept. for. c. 83. num. 10.* Molfes. *Theol. mor. tr. 4. c. 8. num. 10.* Gaspar Hurt. *de matrim. d. 5. diff. 19. num. 63.* Vulp. *in pr. c. 15. num. 10.* Narbon. *de appellat. à Vicar. ad Episc. p. 1. num. 256.* & alios quamplurimos contra Cephal. & Menoch. ut *respons. præced.* Item contra Suar. de Paz. *in pract. Tom. 2. prælud. 3. in fine.* Henriq. *l. 11. c. 3. num. 5.* Spino. *de testam. Gl. 15. principal. num. 29.* Gomez. *in Bull. cruciat. c. 4. n. 19. & 21.* Possev. & alios apud Barbos. *l. cit.* Item contra Meroll. *Thol. mor. p. 3. disp. 7. c. 6. dub. 17. num. 154.* apud Ventrig. Item contra Garc. *de benef. p. 5. c. 8. num. 61.* ubi: quòd Vicarius Episcopi non possit dictas denunciationes remittere sine speciali commissione declaravit S. Congregat. prout sibi dixit Auditor Cardinalis Matthæi, Præfecti dictæ Congreg. Item contra Fagn. *in c. cùm inhibitio. de clandest. desponsi. num. 9.* apud Carol. de Luca. *ad Ventrigl. l. cit. num. 6.* quo tamen loco Fagnanus plus non habet, quàm quod in libris S. Congregat. manu Cardinalis Carafæ annotatum sit, Gregorium XIII. dixisse, in dicto concilii decreto *sess. 24. c. 1.* appellatione Ordinarii non venire nisi solum Episcopum. Ratio responsionis nostræ satis insinuata *respons. præced.* & datur à Barbos. *l. cit. num. 28.* Pirh. Pax Jord. Laym. *locis. cit.* quòd in Trident. *sess. 24. c. 1.* potestas in his denunciationibus dispensandi committatur Ordinario, nomine autem *Ordinarii* non minùs veniat Vicarius quam Episcopus, & quoties aliquid Episcopo conceditur, ut Barbos. *cit. num. 28.* ex Sanch. *l. cit.* persona Vicarii non excluditur, sed potius sub eadem dispositione comprehenditur, nisi Vicarius reperiatur expressè exclusus, & modò materia Vicario ex ejus officio congruat, ut apud eundem Barbos. Gratian. *l. cit. n. 11.* Guttier. *de matrim. c. 59. n. 11* Sperell. *in decis. for. Eccles. decis. 97. n. 1.* Genuens. *in pr. Curiæ Archiepisc. Neapol. c. 26. num. 1.*

4. Illud tamen hic observandum, quòd habet Laym. *l. cit.* nihilominus posse Episcopos ejusmodi facultatem dispensandi in denuntiationibus, uti & approbandi confessarios sibi ipsis reservare, ut Sanch. *l. cit.* Sbroz. *l. 2. q. 112. num. 6.* Gutt. *qq. can. l. 1. c. 19. num. 15.* quos citat. Cùm enim Episcopus generalem Vicarium suum pro voluntate sua instituat, & amoveat, ideo vel amplam vel restrictam potestatem ei conferre, aut semel datam extendere, aut restringere non prohibetur. Laym. *l. cit.* citans Piacef. *pr. Episcop. p. 2. c. 4. n. 12.* Garc. *p. 5. c. 8. num. 86.* citatis aliis. Unde an Vicarius hic & nunc in dictis denunciationibus remittendis dispensare valeat, colligendum ex mente Episcopi, & ex consuetudine hujus vel illius Ecclesiæ; ita tamen, ut si in generali commissione Vicariatûs, aut extra id expressum non sit ab Episcopo, aut aliud habeat dicta consuetudo, id possit Vicarius.

## *Quæstio* 162. *Num Vicarius per seipsum possit assistere matrimoniis sine speciali mandato ex proprio officio?*

1. Respondeo affirmativè: Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 27.* Barbos. *de potest. Episc. allegat. 32. num. 117.* citans Ledesm. *in sum. p. 1. de matrim. c. 4. concl. 4. dub. 17.* Henriq. *l. 11. c. 5. num. 4.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. num. 18.* Basil. Pont. *de impedim. matrim. c. 26. §. 6. vers. idem etiam.* Azor. Guttier. *tr. de matrim. c. 66. num. 12. & c. 69. n. 9.* Narbon. *de appell. à Vicar. ad Episc. p. 1. num. 201.* Hurtad. *de matrim. d. 5. diff. 9. num. 31.* &c. Idque quia Vicarius venit nomine Ordinarii. Ventrigl. Barbos. *locis cit.* juxta dicta à nobis sæpe.

2. In hoc verò, num assistere possit matrimonio,

nio, dum ipse non est sacerdos, non conveniunt AA. negant communiùs Navar. *cons.* 1. *sub tit. de off. ordinar. in antiq. & cons.* 10. *sub tit. de dispens. impuber. in novis.* Salzedo *ad Diaz. in pract. c.* 76. *vers.* 14. Sayr. *in florib. decis.* 1. *sub tit. de offic. ordin.* Ceval. *q.*604. *n.*59. Cenedo *pract. l.*1. *q.* 30. *n.* 48. apud Barbos. *l. c. n.*122. ad quos accedit Card. de Luca *ad Trid. d.* 26. *n.*20. Affirmant è contra Barbos. *l. c.* ubi is: *Dum mihi non constiterit de contraria decisione, de qua ipsi testantur, libenter amplector, tam Parochum quàm Vicarium non sacerdotem validè matrimonio assistere, quod novissime post primam hujus tract. impressionem inveni tenere Basil. Pontium de matrim. l.* 5. *c.*11. *n.* 11. Quæ sententia Barbosæ ex eo firmari videtur, quod idipsum possit parochus non sacerdos; cùm Vicarius non minus sit ordinarius quàm parochus respectu omnium subditorum omnibus parochis Diœcesis, & non minus sit parochus parochorum quàm Episcopus.

*Quæstio* 163. *An Vicarius quoque alteri sine speciali mandato concedere possit licentiam assistendi matrimonio sibi subjectorum?*

REspondeo affirmativè, modò is, cui committitur, sit sacerdos, quemadmodum parochus alteri committere potest hanc licentiam, sed nonnisi sacerdoti. Card. de Luc. *ad Trid. d.* 26. *n.* 18. Ventrigl. *l. c.* Barbos. *cit. n.*177. citatique ab eo AA. Siquidem ex facultate Tridentini *sess.* 24. *c.*1. sibi concessa potest Ordinarius dare licentiam alicui sacerdoti assistendi matrimonio parochi loco sibi subjectorum; Ordinarii autem nomine, ut sæpe dictum, venit quoque Vicarius Episcopi. Barbos. *l. c. n.*116. unde Rota *decis.*176. *n.*8. *p.* 1. *recent.* censuit validum matrimonium contractum coram sacerdote alieno de licentia Episcopi. Et sic habet praxis quotidiana: & sic quoque Vicarius non sacerdos hanc licentiam assistendi concedere poterit. Card. de Luca *l. c. n.*20.

*Quæstio* 164. *An suspensâ jurisdictione Episcopi per excommunicationem aut suspensionem Vicarius validè assistat matrimonio, aut licentiam ei assistendi committat alteri?*

REspondeo affirmativè; neutrum enim est actus jurisdictionis. Quòd si tamen Episcopus suspensus aut excommunicatus non toleratus instituerit Vicarium, aut parochus excommunicatus vice curatum, illéque assisteret matrimonio vel alteri committeret, nihil valeret; quia illa institutio est manifestus actus jurisdictionis, ac proinde facta ab excommunicato nihil valeret. Ita ferè Barbos. *l. c. n.*119. citans Alterium *de cens. tom.* 1. *l.*1. *d.*8 *c.* 6. Sanch. *de matrim. l.*3. *d.*30. *n.*10.

*Quæstio* 165. *An Vicarius sine speciali mandato dispensare possit in impedimentis matrimonii dirimentibus in casu, quo potest Episcopus?*

REspondet negativè Ventrigl. *l. c.* citans Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. *n.* 3. & 12. Vide dicta supra de potestate Vicarii quò ad dispensandum in genere.

## PARAGRAPHUS IX.

### De potestate Vicarii visitandi, celebrandi synodum & concursum, & dandi dimissorias.

*Quæstio* 166. *An Vicarius visitare possit Diœcesim?*

REspondeo: Id illum non posse sine speciali commissione Episcopi. Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.*45. *q.*4. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.*102. & *alleg.* 73. *n.* 28. citans Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.*100. Ugol. *de potest. Episc. c.*4. §. 7. *vers.*3. Narbon. *de appell. à Vicar. ad Episc. p.*1. *n.*224. Fusc. *de visit. l.*1. *c.* 2. *n.* 18. Sbroz. *l.* 2. *q.* 120. *à n.* 2. quos sequuntur Pirh. *l. c.* Pax Jord. *l.*12. *tit.*1. *n.*206. Ventrigl. *l. c. n.* 22. citans insuper Meroll. *Th. mor. tom.* 3. *d.* 7. *c.* 6. *dub.* 1. Videtur enim visitatio Diœcesis reservata Episcopo, qui regulariter visitare tenetur, juxta *c. Decernimus. c. Si Episcopus. de off. ordinar. in* 6. Trident. *sess.* 24. *c.* 3. Pirh. *l. c.* ex Sbroz. *l. c. n.*3. quæ autem reservata sunt, non veniunt, nisi specialiter exprimantur. Sbroz. *n.* 4. citatis Abb. *in c. prudentiam, de off. delegat. col.* 2. Paris. *cons.*10. *n.*7. *in* 4. Posse autem Episcopum committere specialiter potestatem visitandi Diœcesim, extra dubium est, cùm competat illa ei jure ordinario. Sbroz. *n.*7. citato Fusco *de visit. l.* 1. *c.* 2. *n.*18. Cuch. *Instit. Jur. Can. de Episc. n.*106. juxta *c. Si Episcopus. de off. ordinar. in* 6. & Trid. *l. c.* quod ipsum limitat Sbroz. *n.* 8. uti & Fagn. *in c. quoniam. de off. delegat. n.*27. *in fine.* ubi Episcopus fuerit legitimè impeditus juxta *c. Decernimus. c. si Episcopus. c. inter cetera.* & Concil. Trid. *sess.* 24. *c.*3. Item *n.* 9. quòd Episcopus non nisi visitationem ad se spectantem committere possit Vicario, vel alteri, cui vult, *c. Decernimus.* Trid. *l. c.* non autem Vicarius possit facere visitationem quotidianam, quam facere consuevit Archidiaconus, quia hanc Episcopus non potest demandare alteri quàm Archidiacono, juxta Gl. *in c. Episcopum.* 10. *q.* 1. *v. Annos.* & Trid. *l. c.* ubi *Archidiaconi, Decani & alii inferiores in Ecclesiis, ubi visitationem exercere legitimè consueverunt, debent assumpto Notario de consensu Episcopi per seipsos tantùm* (alia editio videtur vitiosa, dum habet *tandem*) *ibidem visitare.* adeóque excluси videantur Episcoporum Vicarii, ponderando dictionem illam *tantùm*, cujus natura est assumere illud, quod ponit, & excludere & negare aliud. Ita Sbroz. *n.*10. & 11. Verùm *tantùm* non videtur cadere supra Archidiaconos, Decanos, &c. sed super *ibidem*, ut ibi tantùm visitare possint; cùm Concilium mox subjiciat: *Sed non ideo Episcopus, vel eo impedito ejus visitator easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur, &c.* Vide super hoc ipso loco declarationes apud Joannem Gallemart. Porrò Vicario visitanti tenetur Episcopus suppeditare necessaria extra victum, nempe equos, familiam, aliáque; ipsi verò visitandi tenentur ei præstare expensas victualium. Sbroz. *l.* 2. *q.* 123. *n.*1. citatis. *c. Si Episcopus. de off. ordinar. in* 6. & *ibi* Gl. *v. providere. c. inter cetera. de off. ordinar. juncta Gl. v. necessaria.* Vide de hoc *l. c.* Trid. ubi quò ad hoc omnia accuratè disponit.

*Quæstio* 167. *An Vicarius visitare possit monasteria, hospitalia, aliáque loca pia. Item Ecclesias exemptas, vel nullius Diœcesis?*

1. REspondeo primò: Posse Vicarium Confraternitates Laicorum, hospitalia, collegia aliáque loca pia, de quibus Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. etiamsi prædictorum locorum jura ad laicos pertineant, visitare sine speciali mandato Episcopi. Etsi enim *cit. loc.* Tridentinum id concedat Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, competebat tamen & ipsis jure ordinario à Tridentino. Fagn. *in c. quoniam. de offic. delegat. n.*30. quòd si tamen dicta loca exemptionis privilegio fuerint munita, ea sine speciali Episcopi commissione visitare non poterit. Fagn. *loc. cit. juncto num.* 27. Siquidem Decretum Tri-

dent. *l. c.* tametsi loquatur tam de beneficiis & locis exemptis quàm non exemptis, ut patet ex illis verbis: *etiam exempta*: tribuitque propterea Episcopis jus visitandi etiã tanquã Sedis Apostolicæ delegatis, quò ad loca tamen illis jure ordinario subjecta noluit illos arctare ad procedendum authoritate delegata, sed tantùm quò ad exempta, utpote in quæ Episcopo aliàs jus visitandi non competebat. Unde jam Vicarius respectu illorum exemptorum, uti non poterat facultate istius decreti, nisi ei spiritualiter ab Episcopo delegetur, sicut potest eâ uti quò ad non exempta sine speciali illa commissione.

2. Respondeo secundò: Ecclesias Diœcesis nullius, (de quarum Visitatione agit Concilium Trident *Sess.* 24. *c.* 9.) visitare potest Vicarius Episcopi ex speciali commissione illius non autem absque ea ex officio suo, Fagn. *l. cit. num.* 33. jus siquidem visitandi dictas Ecclesias ante Tridentinum sive jure ordinario non competebat Episcopo; adeòque mirum non est, Concilium tribuens illud Episcopo (nempe proximiori) voluisse, ut in eo simpliciter procederet ut Sedis Apostolicæ delegatus. Unde jam etiam factum est, ut (uti testatur Fagn.) S. Congregat. Concilii declararit, Episcopum Ecclesias exemptas aut nullius Diœcesis visitare volentem exprimere debere, se id facere uti Sedis Apostolicæ delegatum, & posse etiam illas visitare per Vicarium suum, sed opus esse, ut det illi specialem ad hoc facultatem in scriptis. Atque ex his patet quoque qualiter Vicario competat visitare Abbatias aliaque beneficia exempta, dum ea visitandi potestas Episcopis non nisi tanquam sedis Apostolicæ delegatis committitur.

## *Quæstio* 168. *Quid Vicarius possit circa Synodum Diœcesanam?*

1. Respondeo primò: Synodum Diœcesanam sine speciali Episcopi mandato convocare nequit. Azor. *Instit. mor. p.* 3. *l.* 3. *c.* 45. *q.* 5. Pirh. *l. c. num.* 48. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *num.* 103. Sbroz. *l.* 2. *q.* 46. *n.* 1. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 37. citans Bottæ. *de Synod. Episc. p.* 2. *num.* 2. Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. n.* 151. Gavant. *in enchiridio. v. Synodus Diœcesana. num.* 3. Quamvis autem Barbos. *in sum Apostolic. decis. v. Vicarius. collect.* 717. *num.* 3. testetur contrarium (nempe posse id Vicarium sine speciali commissione) fuisse decisum à S. Congregat. eandem tamen decisionem adductam à Sell. *Select. canon. c.* 25. *n.* 31. Cantare pro responsione nostra, ait Ventrigl. *l. c.* Vicarius tamen Archiepiscopi, ne quidem de mandato illius, illo impedito cogere poterit Synodum provincialem; cum Archiepiscopi Synodum provincialem per seipsos aut illis impeditis per Coëpiscopos congregare debeant juxta præscriptum Trident. *Sess.* 24. *c.* 2. Sbroz. *l. cit. num.* 5. De cetero quò ad convocationem Capituli seu congregandos Canonicos Vicarius Episcopi non admittitur. Sbroz. *l. c. n.* 6. juxta Trid. *Sess.* 25. *c.* 6.

2. Respondeo secundò: Constitutiones Synodales pro suo arbitrio immutare nequit Vicarius Ventrigl. *l. cit.* citans Barbos. *sum. decis. Apostol. v. Vicarius general. Episc. quam habeat Authorit. n.* 7. Aldan. *compend. canonic. resolut. l.* 1. *tit.* 43. *n.* 35. qui testetur sic declaratum à S. Cong. Rit. 25. Feb. 1606.

3. In Synodo diœcesana celebrata per ipsum Episcopum necesse non est, ut interveniat Vicarius generalis. Ventrigl. *l. c.* citans Riccium *in pr. p.* 1. *resolut.* 567. *juxta ult. impressionem.* qui etiam *l. c. p.* 4. *resolut.* 391. *n.* 1. *&* 2. ex eodem principio deducere conatur, quòd Vicarius generalis indicta Synodo non præcedat Capitulum, de quo plura Mareschot. *Var. resolut. l.* 1. *c.* 69.

## *Quæstio* 169. *Quid possit Vicarius circa habendum concursum pro Parochialibus Ecclesiis vacantibus?*

1. Respond. primò: Potest Vicarius ex generali commissione Vicariatus sine speciali mandato concursum indicere, proponere edicta, eumque cum Examinatoribus celebrare, ac successivè ex approbatis eligere digniorem. Corrad. *Prani benef. l.* 3. *c.* 3. *sub n.* 10. Garc. *p.* 9. *c.* 2. *n.* 117. Pax Jord. *l.* 10. *tit.* 8. *n.* 104. Carol. de Luca *ad Ventrigl. Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 6. ego *for. benef. p.* 1. *q.* 205. *n.* 2. Regulariter enim potest Vicarius ex generali commissione ea, quæ sunt jurisdictionis, nisi specialiter excipiantur, qualiter non excipitur concursus. Garc. Pax Jord. ego *locis cit.* Proceditque id ipsum etiam, ubi esset locus gratificationi inter plures approbatos æquè idoneos, ut eam facere possit Vicarius. Garc. *l. c. n.* 118. Neque his obstant verba Trident. *Sess.* 24. *c.* 18. *ab Episcopo, seu eo impedito, ab ejus Vicario generali &c.* quibus velle videtur Concilium, ita demum Vicarium posse celebrare examen per concursum, si Episcopus sit impeditus. Respondet namque Garcias *l. c. n.* 119. & ex eo Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 60. *n.* 41. citans Massob. *in prax. habendi concursum. Reg.* 3. *dub.* 3. per illa verba non tolli, quin coram Vicario possit fieri examen, etiam Episcopo non impedito, sed posita esse ad denotandum, convenire, ut ab ipso Episcopo cessante impedimento fiat examen. Nequit tamen à Vicario sine speciali mandato fieri ipsa collatio Parochialis indicato & electo magis idoneo. Garc. *l. c. n.* 120.

2. Respondeo secundò: Præsidente in concursu Episcopo cum Examinatoribus, ut interveniat etiam Vicarius generalis, isque etiam interroget, absque tamen voto tanquam Assessor solùm seu assistens Episcopo, de praxi communi receptum est. Card. de Luca. *de Paroch. d.* 37. *n.* 13. Pignat. *Tom.* 1. *cons.* 403. ubi postquam interrogasset; an Vicarius, qui intervenit examini, possit præter Examinatores interrogare examinandos, etiamsi Antecessor illius fortè non fuisset: Respondet posse interrogare juxta declarat. S. Congregat. Conc. *in Januens.* 14. *Aug.* 1643.

## *Quæstio* 170. *Quid possit Vicarius circa dandas dimissorias?*

1. Respondeo sine speciali commissione Episcopi literas dimissorias subditis pro recipiendis Ordinibus dare non potest Vicarius. Laym. *in c. cùm nullus.* §. *inferiores. de temp. ordinat. n.* 2. *& in c. ult. de Vicar. in* 6. *n.* 1. Pirh. *cit. n.* 48. Pax Jord. *l.* 3. *tit.* 6. *n.* 129. Ventrigl. *l. c. n.* 32. Pignat. *Tom.* 2. *consult.* 66. *n.* 11. Fagn. *in c. significasti. de offic. Archid. num.* 6. Sbroz. *l.* 2. *q.* 41. *n.* 3. citans Hostiens. Bellam. Jo. And. *in c. tua nobis. de offic. Vicar.* Pavin. *de potest. Capituli sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *col.* 4. *n.* 16. Mandos. *ad Reg.* 24. *Cancell. tit.* 3. *de malè pro motis. q.* 6. *n.* 8. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 15. *n.* 21. citans Guttier. *can. qq. l.* 2. *c.* 17. *n.* 20. Zerol. *in pr. Episc. p.* 2. *v. Vicar.* §. 4. Præcis. *pr. Episc. p.* 1. *c.* 1. *n.* 13. Ugol. *de off. Episc. c.* 4. §. 7. *vers.* 5. Campanil. *in divers. Juris Can. rubricas. rub.* 9. *c.* 8. *n.* 3. Molfes. *tr.* 2. *num.* 22. Narbon. *de appell. à Vicario. ad Episc. p.* 1. *num.* 197. Rotam *in Maurianens. pension.* 25. *Jun.* 1626. *&c.* Posse verò Vicarium dare dimissorias (etsi id spectet ad dignitatem Episco-

Episcopalem, ut Sbroz. *l. cit. num.* 1.) ad ordines, etiam sacros, de speciali commissione Episcopi supponunt AA. citati, & expressè tradit Sbroz. *l. c. n.* 8. citatis Mandos. *ubi ante num.* 10. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 47. Roland. *cons.* 4. *num.* 19. *in* 1. *&c.* subdit etiam expresse Sbroz. *num.* 11. *in fine* ex Roland. & Jo. And. Vicarium habentem ad hoc speciale mandatum posse etiam præsente Episcopo dimissorias concedere, non requisitâ aliâ Episcopi sententia.

2. De cetero limitatur responsio, ut Vicarius dictas dimissorias concedere possit sine speciali commissione, ubi Episcopus degit in remotis. Fagn. Laym. Pax Jord. Pirh. Barbos. Pignat. Ventrigl. (qui etiam addit, posse in hoc casu Vicarium per seipsum conferre ordines, dum est Episcopus) Sbroz. *loco cit.* juxta *cit. c. cùm nullus. §. inferiores.* Monet Sbroz. *num.* 12. uti & Piacef. *l. cit. num* 10. apud Laym. *cit. num.* 2. non esse satis tutum, quòd Vicarius absente Episcopo sine speciali mandato dimissorias concedat. Probat hoc ipsum *num.* 13. exemplo Archidiaconi, qui absente Episcopo est ejus Vicarius ipso jure, & tamen absente Episcopo dimissorias illas concedere nequit juxta Gl. *in c. significasti. v. literas.* & *ibidem* Host. & Abb. *not.* 2. Valere autem argumentum à potestate Archidiaconi ad Vicarium Episcopi dicit *num.* 14. ex Mariana Socin. *in c. sicut unire. de excess. Prælator. num.* 45. Innoc. & Jo. And. *in c. ad hæc. de offic. Archid. v. ardua.* Verùm in hoc consuetudinem spectandam esse, & quæ sit mens Episcopi absentis, ait Laym. remittens ad declarationem super Trident. *Sess.* 23. *c.* 10. Porrò quandonam ad hunc effectum Episcopus censeatur versari in remotis, non pariter definiunt Authores. Nam primò censet Riccius *in pr. p.* 2. *resolut.* 18. ad quem remittit Barbos. Episcopum tunc censeri degere in remotis, quando est ultra montes, secus, si intra montes, innixus dispositioni *c. nihil. de elect.* ubi quis dicitur valde remotus, quando moratur extra Italiam. Verùm Riccium meritò reprobat Genuens. *in pr. c. u. Archiepisc. Neapol. c.* 83. *num.* 12. & cum eo Ventrigl. *l. cit.* eò quòd in præsente casu non requiratur, ut Episcopus sit valde remotus, sed tantùm, ut sit remotus sine dictione *valde.* ut dicitur *cit. c. cùm nullus.* Eandem Riccii doctrinam ex eo reprobat Pax Jord. *l. cit. num.* 130. quòd præterquam id non deserviat generaliter pro ceteris Christiani orbis Episcopis, potest quis existens intra Italiam esse magis remotus à sua Ecclesia, quàm si existeret extra Italiam, ut patet. Genuensis verò & cum eo Ventrigl. dicens hanc esse originalem Glossæ opinionem *in c. cùm nullus. v. remotis.* à qua recedendum non sit, volunt, tunc dicendum Episcopum agere in remotis, quando moratur extra provinciam ad duas diætas. Pax Jordanus denique censet, quandonam Episcopus moretur in remotis, relinquendum arbitrio boni viri. Pro quo citat eandem Gl. *in c. nullus. v. remotis.* & ait, huic concinere Host. *in c. relatum. de sent. excommunicat.* Archid. Jo. And. &c.

3. Illud tamen etiam hic notandum ex Sbroz. *l. cit. num.* 9. & Fagn. *l. cit.* juxta principia generalia à nobis supra proposita, nimirum, quòd si Vicario in generali commissione Vicariatûs, aut extra, commissi essent casus quidam speciales, seu speciale mandatum requirentes cum clausula: *super præmissis, & in omnibus aliis ad nos spectantibus*; possit concedere etiam dimissorias in vim dictæ clausulæ, nisi ut monuimus supra, dicti casus speciales expressi essent minùs ardui quàm concessio dimissoriarum.

P. Leuren. *Vicarius Episc. Tract.* I.

## PARAGRAPHUS X.

### De potestate Vicarii in variis præstandi suum consensum, authoritatem, aut dandi licentiam.

*Quæstio* 171. *An Vicarius interponere possit authoritatem suam, & decretum in actibus voluntariæ jurisdictionis sine speciali mandato Episcopi?*

1. REspondet affirmativè Sbroz. *l.* 2. *q.* 195. *n.* 2. & licèt expressè non addat, quòd id possit sine speciali mandato Episcopi, idipsum tamen illum sentire patet ex ejus rationibus, citat pro hoc Jo. And. *in c. licèt. de offic. Vicarii. in* 6. Milis. *in repertor. v. Vicarius Episcopi.* Redoan. *tr. de reb. Eccl. non alien. rubric. de Author. Prælat. in alienat. interpon.* Gabriel. *cons.* 200. *num.* 2. & 3. Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 1. *q.* 2. *num.* 11. Corn. *cons.* 181. *num.* 39. *in* 2. & plures alios contra Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 104. & 184. Roman. *singul.* 693. Tholosan. *decis.* 97. Bald. *cons.* 475. *num.* 2. *vol.* 1. Socin. *cons.* 91. *col.* 2. *num.* 9. *vol.* 4. Barbat. *cons.* 40. *col.* 3. *num.* 3. Cuch. *instit. juris. can. de Vicar. Episc. n.* 105. *&c.* quos citat Sbroz. *l. cit. num.* 1. & 2. & qui tres postremi in terminis docent, quòd Vicarius nequeat interponere decretum sine speciali mandato. Probat suam sententiam Sbroz. *l. cit. num.* 7. ex *l. nempe. l. suggerente. c. de off. ejus, qui vicem alter. obt. juncta gl. v. Vicarios*; ubi Vicarii Præsulum seu Rectorum habent auctoritatem dandi tutores, & curatores petentibus, & interponendi decretum ad alienandum res Minorum, & similium, & ad emancipationes celebrandas. Probat & ratione *num.* 8. quia nimirum Vicarius regulariter omnia potest, quæ is, cujus vices gerit; adeoque auctoritatem interponere potest sicut Episcopus. Tum etiam, quia v. g. interponere authoritatem in alienationibus Ecclesiæ est jurisdictionis, ut Feder. de Senis *cons.* 30. Abb. *in c. cùm olim. de major. & obedient. col.* 4. & ea, quæ sunt jurisdictionis transeunt in Vicarium generalem Episcopi.

2. Limitat hanc suam doctrinam Sbroz. *num.* 10. ut non procedat in actibus, in quibus potestas interponendi consensum vel auctoritatem competit Episcopo tantùm de consuetudine. Item in collationibus & permutationibus beneficiorum, aliisque casibus in jure exceptis; quin & ubi, dum requiritur interpositio authoritatis Episcopalis, videtur esse electa industria personæ, ne quidem de mandato Episcopi poterit Vicarius loco illius interponere authoritatem suam. Atque vel ex hac ipsa limitatione patet, ad propositam quæstionem vix generaliter responderi potuisse. Unde in particulari necesse est formare quæstiones.

*Quæstio* 172. *Num Vicarius sine speciali mandato possit præstare consensum pro fundatione novorum monasteriorum?*

1. REspondeo non posse illum sine speciali mandato seu commissione concedere licentiam ædificandi nova monasteria & conventus in loco suæ diœcesis. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 196. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 89. ubi expressè:

nec adificatio monasterii per testatorem relicti assensum & auctoritatem interponere potest : Ventrigl. Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 34. citans Aldan. comp. can. resolut. l. 1. tit. 43. n. 36. Barbos. Ar. decis. v. Vicar. Gener. quam habeat author. n. Sell. Select. can. c. 90. n. 4. qui testetur ita decisum à S. Congreg. 11. Julii 1620. Item Fagn. in c. non amplius. de Institutionib. Est enim erectio monasteriorum de majoribus. Ventrigl. l.c. Item in generali commissione non veniunt ea, quæ ob sui gravitatem certæ personæ vel dignitati commissa sunt à jure l. 1. ff. de offic. ejus, qui vicem alter. obt. & c. 2. de offic. Vicar. in 6. Sed facultas novum monasterium erigendi ob rei gravitatem de jure specialiter est commissa Episcopo. c. quidam. c. de Monachis. c. cellulas. 18. q. 2. ergo, ita ferè Fagn. l. c. n. 73. Item per generalem constitutionem Vicarij non videtur in eum translata facultas non competens Episcopo de jure communi, Fagn. n. 75. citatis c. fin. de offic. Vicar. in 6. & Innocent. in c. cum in cunctis. de elect. n. 5. facultas autem erigendi novum monasterium non competit Episcopo de jure communi; licet enim de jure antiquo communi monasterium novum constitui poterat, ut probant citati textus. c. quidam. c. de Monachis. c. cellulas. Decrevit tamen postmodum Bonifacius VIII. ne deinceps liceret Fratribus mendicantibus nova loca aut monasteria alicubi recipere sine sedis Apostolicæ licentia. c. unico. de excessibus Prælatorum in 6. quam constitutionem postea innovavit Clemens V. pœnasq; contravenientibus adjecit Clem. cupientes. de pœnis. Tridentinum verò Sess. 25. c. 3. de Regular. hanc facultatem sublatam per Bonifac. VIII. Episcopis restituit. unde jam hæc facultas saltem quò ad mendicantes competit Episcopo de jure ipsius Concilii, non autem de jure communi, ac consequenter non censetur demandata Vicario per generale mandatum. Ita ferè Fagn. cit. n. 75. hoc ipsum confirmans ex eo, quòd ob eandem rationem Gregor. XIII. dixerit ( ut Fagn. in c. his quæ. de major. & obed. n. 16. ) nolle se, ut Cardinalibus (etsi ij in titulis suis jurisdictionem ordinariam habeant ) competant, quæ Episcopis concessa sunt à Conc. Tridentino. Item licentia erigendi novum monasterium est voluntariæ jurisdictionis; cum judicialem indaginem non requirant, saltem ante decretum Clem. VIII. et sapit gratiam sicut beneficiorum collatio. Fagn. n. 77. ea autem, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ & sapiunt gratiam, regulariter non censentur translata in vicarium. Fagn. n. 76. juxta dicta sæpe à nobis supra. Denique confirmat hæc Fagn. n. 76. & seq. ex eo, quòd monasterium novum erigi non possit, quin erigatur nova dignitas, vel saltem plura beneficia regularia; quia monasterium erigi seu institui nequit sine Abbate, vel Priore, vel Monachis. c. 2. & c. ad monasterium. de statu Monachorum. Vicarius verò sine speciali mandato erigere nequeat novam dignitatem, ut Feder. de Senis Gemin. Felin. in c. cum accessissent. de constit. Imò nec novum beneficium, pro quo pariter plures citat Fagn. n. 80.

2. Neque his obstat primò, quod Gl. in c. nemo. il primo. de consecrat. dist. 1. Dicens Episcopum posse id (nempe dare licentiam erigendi nova monasteria) per se vel per alium: nam ut apud Fagn. n. 84. respondet Archid. ibidem in Gl. per se. n. 4. Bellam. in eadem Gl. n. 2. &c. Tò alium intelligitur de Delegato Episcopi singulari. Neque obstat secundò constitutio illa Clem. VIII. 99. incipiens: quoniam institutum edita 23. Jul. 1603. qua præscribitur Episcopis forma, quâ uti debeant in concedenda mendicantibus licentia erigendi nova monasteria, dum utitur verbo Ordinarij, quo venire non solùm Episcopos, sed & eorum Vicarios, dictum est sæpe supra. Nam, ut respondet Fagn. n. 87. id factum, quia ibi præscribitur modus generalis, & ab omnibus observandus in erectione omnium monasteriorum. Quæ quidem erectio quia fieri consuevit non tantum ab Episcopis, sed etiam alijs Ordinariis locorum, puta Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Vicariis Generalibus Episcoporum, habentibus ad hoc speciale mandatum, ideo usus est nomine Ordinarii, quod magis latè patet quàm Episcopi. c. Ordinarii. de off. Ordinar. in 6. inde tamen inferre non licet, quod dicta facultas indistinctè competat omnibus locorum Ordinariis. Et licet prohibendo, ne ab Ordinariis locorum de cetero nova monasteria erigantur, nisi servata formâ ibi præscriptâ, videatur à sensu contrario permittere, ut servatâ dictâ formâ Ordinarij possint hujusmodi erectiones facere, in hoc tamen supponit terminos habiles, adeoque intelligi debet de illis Ordinariis, quibus aliàs hæc facultas legitimè competat, qualis non est Vicarius Episcopi absque speciali mandato.

*Quæstio 173. an possit Vicarius Episcopi authorizare alienationem bonorum Ecclesiæ?*

Resp. Vicarius Episcopi non tantum non potest alienare res Ecclesiæ, etiam in illis casibus, in quibus id potest Episcopus sine speciali Episcopi mandato. Barbos. de potestat. Episc. allegat. §4. n. 106. Pirh. ad tit. de offic. vicar. n. 48. Sbroz. l. 2. q. 118. à n. 3. citans Abb. cons. 88. n. 6. Staphil. de lit. grat. & just. n. 68. &c. contra Cephal. cons. 700. n. 45. & seq. vol. 5. Quia alienatio in Ecclesiasticis dicitur esse de arduis. Sbroz. n. 4. citans Rebuff. in pr. tit. de unionum revocat. n. 24. juxta c. ad hæc. De offic. Archid. juncta Gl. v. ardua. Verùm etiam decretum, authoritatem aut consensum suum in istiusmodi alienationibus interponere nequit sine speciali mandato. Ventrigl. Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 38. Pirh. l.c. Azor. p. 2. l. 3. c. 45. q. 3. (Idem de transactionibus dicunt hi tres) Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 209. citans Cuch. instit. juris Can. tit. de Vicar. n. 105. Redoan. tr. de reb. Eccl. non alien. tit. de author. Prælator. n. 60. Barbos. l. c. citans insuper Zerol. in pr. Episcop. p. 1. v. Vicarius. §. 17. Bero. cons. 83. n. 19. vol. 1. Tond. qq. benefic. p. 1. c. 98. n. 1. Quia & hæc authorizatio alienationis bonorum Ecclesiæ est de arduis, ut idem Tondut. Sed neque decretum aut auctoritatem interponere potest sine speciali mandato transactionibus clericorum circa bona Ecclesiastica. Pirh. Azor. Barbos. Pax Jord. citatis ijsdem AA.

*Quæst. 174. Num Vicarius possit confirmare statuta, aut etiam consensum Episcopi supplere, dum is requiritur in statutis Capituli aut Ecclesiæ inferioris.*

1. Resp. ad primum: id eum non posse sine speciali Episcopi commissione. Ventrigl. Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 45. citans Mareschot. var. resolut. l. 1. c. 69. n. 16. 12. seq.

2. Resp. ad secundum quoque negative. Sbroz. l. 2. q. 200. n. 4. dicens esse communem, ac citans. n. 2. pro hoc Feder. de Senis cons. 264. si Canonici. Roman. singul.

*singul.* 693. Felin. *in c. cum omnes. de constit. n.* 9. contra Decium *in cit. c. cum omnes. num.* 3. dicentem, videri sibi, quòd hujusmodi consensus præstari possit per Vicarium, quia similis esse videtur institutioni spectanti ad Episcopum, quæ per Vicarium expediri potest.

3. Limitatur tamen responsio à Sbroz. *cit. num.* 4. ut Vicarius absente Episcopo sine speciali commissione consensum suum præbere possit loco Episcopi in istis casibus, in quibus statuta Capituli aut alterius Ecclesiæ requirunt consensum Episcopi. Citat pro hoc Archid. *in c. Reatina.* 63. *dist. in fine.* Decium *l. cit.* Jason. *in l. cùm filius famil. col.* 1. *n.* 3. *ff. si certum petatur.* eâ ratione, quia propter absentiam Episcopi confirmatur Vicarii potestas. Sbroz. *num.* 5. citans *c. nullus.* §. 1. *de temp. ordinat. in* 6. Felin. *in c. ex parte. de constit. col.* 3. *post n.* 1.

*Quæstio* 175. *Num Vicarius possit interponere decretum in alienationibus minorum?*

REspondeo: de hoc satis dictum ex Sbroz. *l.* 2. *q.* 159. *quæst. ante hanc* 3.

*Quæstio* 176. *Num Vicarius possit sine speciali commissione præstare consensum suum in iis, in quibus Episcopo ex consuetudine vel jure aliquo speciali competit intervenire vel consentire v. g. electioni aut statuto alicui?*

1. REspondeo negativè: Sbroz. *l.* 2. *q.* 30. *num.* 3. *& seq.* Vicarius enim habet ordinariam jurisdictionem in his solummodo, quæ competunt Episcopo jure communi, secus de iis, quæ ei competunt jure speciali ultra jus commune, illa enim non veniunt in generali mandato. Sbroz. *n.* 5. citatis Decio *in c. quoniam.* Abbas. *de off. deleg. n.* 15. Ruin. *cons.* 178. *in princ. vol.* 3. Roland. *cons.* 39. *num.* 17. *in* 1. Federic. *cons.* 130. *circa finem.* Unde etiam potestas illa supplendi in similibus consensum Episcopi non transit in Capitulum sede vacante. Sbroz. *n.* 3. citans Felin. *in c. cùm olim. de major. & obed. num.* 5. cùm in ijs, quæ Prælatis ratione consuetudinis, maximè contra jus inductæ, vel juris specialis Capitulum sede vacante non succedit. Abb. *in c. scriptum. de elect. num.* 9. Glos. & Hostiens. *ibidem* Butrio & Cardin. *in c. verum. de foro compet.* & alii apud Sbroz. *n.* 3.

2. Limitatur responsio pariter ac præcedens, ut illum consensum Episcopi eo absente supplere possit. Sbroz. *num.* 13. citato Archid. *in c. Reatina. dist.* 63. ubi is dicat; quòd si ex consuetudine in electione alicujus Prælati debet intervenire consensus Regis vel Episcopi, si contingat Regem esse extra regnum, Episcopum extra Episcopatum, sufficit habere consensum Vicarii vel locumtenentis, & qui Archidiaconum in hoc sequuntur Bald. *in c. venerabilis. de consuet.* Decius *in c. dilecti il secundo. de appellat. n.* 2. Mandos. *ad reg. Cancell. de malè promotis. q.* 6. *n.* 12. &c. Contra quam limitationem dum objicitur, quòd absentia Episcopi non ampliet Vicarii facultatem, nisi in casibus in jure expressis juxta Franc. *in c.* 2. *de offic. Vicar. in* 6. *col.* 3. circa finem. Ferret. *cons.* 327. *n.* 6. Federic. de Senes *cons.* 264. opponit Sbroz. *num.* 17. textum *c. cùm nullus.* §. 1. ubi, quod potestas Vicarii ob absentiam Episcopi extenditur.

3. Quod dictum de consensu, idem de consilio dicendum, nempe quòd & hoc ex jure aliquo speciali præstandum ab Episcopo, eo absente, illud præstare possit Vicarius, tradit Sbroz. *n.* 19. *cit.* cæteris Felin. & Federic. de Senes ubi ante.

*Quæstio* 177. *An Vicarius possit præstare authoritatem exemplo sumpto ex originali, ut efficiatur instrumentum publicum, habeatque authoritatem eandem cum originali?*

REspondeo: id eum sine speciali delegatione non posse. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 40. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *num.* 113. citans Hostiens. Decian. *in c. fin. de fide instrumentor.* Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 219. quamvis addat ex citato textu videri posse sumi argumentum in contrarium.

*Quæstio* 178. *Num Vicarius consentire possit Clericis, ut litigent in alio tribunali ecclesiastico quam suo?*

1. REspondeo: cùm Papa *c. significasti. de foro competente.* prohibuerit Clericis consentire in judicium non suum absque licentia proprii Episcopi, hanc licentiam non nisi de speciali commissione Episcopi concedere potest Vicarius. Sbroz. *l.* 2. *c.* 204. *num.* 2. citans Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 12. Item Pax Jord. *loc. cit. num.* 214. Quòd si verò ageretur de Judice Laico, ne quidem ipse Episcopus concedere valeret hanc licentiam. Sbroz. *l. cit. n.* 3. & 4. & ex eo Pax Jord. *l. cit.*

2. Pari ferè modo sine speciali mandato Vicarius Episcopi Suffraganei concedere non potest, ut Metropolitanus cognoscat de negotio principali, omisso articulo appellationis ab eodem Vicario ad Metropolitanum interpositæ. Ventrigl. *Tom.* 2. *Annot.* 14. §. 1. *num.* 40. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 59. *n.* 110. Sbroz. *l.* 2. *q.* 205. dicens sic contra Vicarium Episcopi Concordiensis respondisse Ferettum *cons.* 307. *num.* 1. *in* 2. ubi etiam dicat esse communem DD. *in c. Romana. de foro compet. in* 6. & *num.* 3. ampliat hanc doctrinam: etiamsi Vicarius Suffraganei, purè detulisset appellationi. Sequitur iisdem ferè verbis hanc doctrinam Pax Jord. *l. cit. n.* 213.

*Quæstio* 179. *An Vicarius dare possit licentiam celebrandi in domo privata?*

REsp. affirmativè Sbroz. *l.* 2. *c.* 214. ubi non difficor Vicarium Episcopi dare posse licentiam celebrandi in domo, & sacra mysteria conficiendi, ut *Rota decis.* 88. *aliàs* 580. *tit. de rescrip. in antiq.* Jul. Clar. *in pract. crimin.* §. *fin. q.* 79. *vers. domus privatorum.*

*Quæstio* 180. *An Vicarius concedere possit repressaliàs?*

REspondeo: id eum sine speciali mandato non posse. Pax Jord. *l. c. n.* 220. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 14. citans Victor. *in relect. de jure belli n.* 41. Sylvan. *cons.* 34. *ad finem.* Sebast. Nævi *ad authent. ut non fiant pignorationes. collat.* 51. *n.* 4. Henriq. *in sum. l.* 13. *c.* 43. §. 5. Monet. *de jurisd. p.* 4. *cas.* 44. *n.* 13. Posse autem illum eas concedere ait Sbroz. *l.* 2. *q.* 165. ubi: *quoniam Vicarii potestatum, qui habent merum & mixtum imperium, concedere possunt repressaliàs, teste* Bald. *in l. cum te.* §. *sed omnino. c. ne fil. pro pat. n.* 4. Bertach. *de Episc. p.* 6. *l.* 4. *tit. de Vicar. Episc. n.* 10. *putarem hoc idem Vicario Episcopi esse permissum ex mandato speciali, quia & is habet merum & mixtum imperium, & jurisdictionem. c. si quis Episcopus.* 11. *q.* 8. ubi Gl. & *c. de persona.* 11. *q.* 1. Jason. *in l. imperium. de jurisd. omn. judic. n.* 18. Abb. *in c. quod sedem. de off. ordinar. n.* 4. & *seq.*

*Quæstio* 181. *An Vicarius sine speciali mandato possit dare licentiam ingrediendi clausuram Monialium?*

REspondeo affirmativè: Sbroz. *l.* 2. *q.* 209. Trident. enim *sess.* 25. *c.* 5. volens quòd nemini liceat ingredi intra septa monasterii cujuscunque generis, aut conditionis vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & quòd hujusmodi licentiam dare tantum possit Episcopus vel Superior in casibus necessariis, quos recenset Gl. *in c.* 1. *de stat. regular. in* 6. *v. causa*, non excluſit, quin & expressè satis incluſit Vicarium; cum Vicarius Episcopi dicatur æquè superior ac Episcopus juxta Archid. *in c. Romana. de appellat. in* 6. sed neque ipsum illud verbum Episcopus non excludit Vicarium. Sbroz. *l. cit. n.* 2. citato Felin. *in c. si quis contra. de for. compet. num.* 5. juxta dicta à nobis sæpe aliàs. Quod verò Vicarius foraneus non possit hanc licentiam concedere sine speciali commissione, ait Pignatel. *Tom.* 6. *cons.* 85. *num.* 242. juxta declarat. S. Congregat. Concil. *in Pistorien.* 3. *Decemb.* 1602.

*Quæstio* 182. *An Vicarius concedere possit licentiam ingressuro Religionem abdicandi se suis bonis?*

REspondeo: cum ingressurus Religionem olim poterat de rebus suis disponere inter vivos, donando sub conditione, si Religionem fuerit professus; hodie verò nulla renunciatio aut obligatio etiam jurata, etiam in favorem piæ causæ, teneat nisi facta de licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem juxta Trident. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regular.* hanc licentiam quoque concedere poterit Vicarius juxta expressa verba Concilii *l. cit.* dicentis: *nisi de licentia Episcopi sive ejus Vicarii.*

*Quæstio* 183. *Num Vicarius sine speciali commissione dare possit licentiam extrahendi reum ab Ecclesia?*

1. REspondeo affirmativè; sic enim habent ipsa verba constitutionis Gregorianæ de immunitate Ecclesiæ apud Pignat. *Tom.* 9. *consult.* 35. *num.* 1. *nemo extrahetur, &c. sine licentia Episcopi vel ejus Officiali, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores prædictam licentiam dandi facultates pertineat*, &c. Ex quibus etiam posterioribus verbis patet, potestatem istiusmodi licentiam dandi non competere Vicario foraneo; cùm ibi designetur specialis persona Episcopi, & ejus Officialis, qui tantum est Vicarius generalis. Pignat. *cit. n.* 1. juxta *Clem. si principalis. de rescript. & ibi Gl. v. Officialis. c. Romana. de appell. in* 6. *c. ex frequentibus. de constitut. & ibi* Gl. *v. Officialem.* & sic expressè respondet S. Congregat. immunitatis *in Spoletana* 29. *Maij.* 1629. apud Pignat. *l. cit. n.* 2. hisce expressis: *Vicarius foraneus non habet facultatem extrahendi*, &c. Num verò Vicario foraneo dicta potestas ab Episcopo, ejusve Vicario generali delegari possit, meritò dubitamus, cum, ut Pignat. *num.* 1. per dicta verba S. Congregationis censeatur electa industria personæ, adeóque ipse Vicarius non posset dictam facultatem concedere alteri seu subdelegare; cùm extractio rei ab Ecclesia sit odiosa Ecclesiæ, videtur non posse extendi auctoritas extrahendi ad personas non expressas, qualiter in dicta constitutione Gregor. non exprimuntur, nisi Episcopus & ejus Officialis. Adducit nihilominus Pignat. *l. cit. num.* 2. declarationem dictæ S. Congregat. immunitatis *de* 13. *Martij.* 1613. quâ respondet extractionem non egere dispensatione in casu sibi proposito, ubi nimirum Vicarius Episcopi in ejusdem absentia facultatem delegaverat generalem concedendi hujusmodi licentiam.

2. De cetero in casibus, in quibus ad Ecclesiam confugientes non gaudent illius immunitate, non posse adhuc Judices sæculares propriâ auctoritate extrahere, vel extrahi facere delinquentem per vim ab Ecclesia sine licentia Episcopi aut ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, nisi ubi Episcopus talem licentiam dare recusaverit, expressè cautum esse in dicta constitutione Gregor. testatur Pignat. *l. cit. num.* 5. ita etiam ut si in istis casibus exceptis fieret extractio auctoritate Judicis sæcularis, is non evaderet pœnas constitutas violantibus immunitatem ecclesiasticam. Pignat. *num.* 4.

*Quæstio* 184. *An Vicarius beneficiatis, alias adstrictis ad residendum, dare possit licentiam abessendi studiorum gratiâ?*

1. REspondeo primò: in locis, ubi Episcopus est Abbas alicujus monasterii, non poterit ejus Vicarius absque speciali commissione Monachis licentiam dare studiorum causâ aliò proficiscendi. Sbroz. *l.* 2. *q.* 102. *num.* 3. & 2. citans Abb. *cons.* 88. *num.* 5. & *seq.* Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p.* 2. *q.* 8. *num.* 25. & cum his Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *num.* 93. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 200. Et rationem dat Sbroz. *cit. num.* 2. quia Monachus sine licentia Abbatis sui ad studium proficiscinon potest. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. *cit. n.* 3. ut id possit Vicarius Episcopo existente in remotis.

2. Respondeo secundò Pax Jord. idem quoque dicendum de licentia beneficiatorum sæcularium studiorum gratiâ residentiam deferentium. Idem sentire videtur Fagn. *in c. relatum. de Cleric. non residentibus à n.* 42. ubi: *S. Congregat. permisit, ut in casibus repentinis pro absentia modici temporis sufficeret licentia Vicarii foranei; cùm alioquì Concilium requirat licentiam Ordinarii, & Vicarius foraneus non sit Ordinarius, sed solus Vicarius generalis; imò dubitari potest etiam de Vicario generali, maximè existente in Diœcesi Episcopo*, &c. Nam si Fagnanus dubitet, an Vicarius generalis dare possit licentiam abessendi modico tempore, magis certè dubitabit aut negabit id eum posse ad longum tempus studiorum gratiâ. Verùm revidenda hic sunt, quæ tradidi *in foro benef. part.* 1. ubi de residentia beneficiatorum.

*Quæstio* 185. *An Vicarius dare possit licentiam Religiosis ministrandi Sacramenta extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ Clericis vel Laicis alienæ Parochiæ?*

REspondeo: posse id Vicarium tanquam Ordinarium, supponere videtur Sbroz. *l.* 2. *q.* 16. *n.* 1. dum dicit: Vicarium id non debere facere juxta Gl. *in Clem. 1. de privileg. v. Presbyteri.* dicentem, quòd ubi Ecclesia parochialis non vacat, consulendum est Religiosis, ut à licentia Episcopi vel Archipresbyteri civitatensis se abstineant. & Abb. *in cit. Clem. num.* 11. ubi etiam quod Religiosi, si de auctoritate Diœcesani Sacramenta illa administrarint excusentur à pœnis.

PA-

## PARAGRAPHUS X.

### De potestate Vicarii circa cognitionem variarum causarum, & executionem literarum Apostolicarum.

*Quæstio 186. An Vicarius cognoscere possit causas criminales?*

1. REspondeo tametsi per generalem commissionem transeat in Vicarium cognitio causarum, Sbroz. *loc. paulo post citando.* Quin & Vicarius generaliter institutus habeat pro se præsumptionem, quòd omnes causas jurisdictionis episcopalis expedire possit, nisi constet vel ostendatur jure scripto, aut recepta Ecclesiarum consuetudine inter speciales numerari. Laym. *loc. paulò post citando.* Garc. *p. 5. c. 8. num. 65.* Rebuff. *in pr. p. 1. tit. foran. Vicar. num. 152.* adeò quidem, ut si in canone aliquo dicatur quidpiam ad Episcopi vel diœcesani potestatem pertinere, nisi inter casus exceptos sit, censeri debeat etiam Vicario competere; cùm is eâdem jurisdictione sit præditus; nihilominus adhuc Vicarium sine speciali commissione non posse cognoscere aut inquirere de causis criminalibus, tenent Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num.* 44. Laym. *in c. licèt. de offic. Vicar. in 6. num.* 2. ubi: *inter causas speciales, quæ in officio Vicariatûs generaliter commisso non veniunt, primum locum tenent criminales, adeò, ut si absque speciali Episcopi commissione Vicarius se intromittat, processus irritus sit ob jurisdictionis defectum.* Item Barbos. *de potestate Episcopi. alleg. 54. num. 117.* ubi: *nec criminales causas, nisi specialiter commissæ fuerint, expedire poterit, ita ut nec inquirere, nec punire excessus subditorum queat.* citat Barbos. pro hac sententia. Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. Vicar.* Navar. *in c. serpens. de pœnit. dist. 1. num. 4.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. num. 16.* Buccaron. *tr. de different. inter Judic. civil. & crim. diff. 127. num. 20.* Ferret. *cons. 214. vol. 1.* Cuch. Ugolin. &c. Sbroz. *l. 2. q. 143. num. 1.* citans ingentem turmam AA. Quam sententiam ita generaliter probatam non esse veram, ait Ventrigl. *l. c. num. 24.* nec servari in praxi; cùm Vicarius ex generali solùm commissione in criminalibus procedere possit iis exceptis, quæ specialiter excipiuntur in jure. citat pro hoc Ricc. *in pr. p. 2. resol. 180. per tot.* probatque idipsum ex textu *c. licèt. de off. Vicar. in 6.* ubi ex generali commissione denegatur Vicario facultas inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus, non generaliter omnium excessus. Neque ait obstare dispositionem Trident. *Sess. 24. c. 20.* ubi causæ criminales ad solius Episcopi judicium referuntur. Intelligendum id enim dicit privativè ad Decanum, Archidiaconum aliosque inferiores, non ad Vicarium generalem Episcopi, qui unum cum eo judicium habet. Nihilominus, quia Ventriglia nullum in particulari crimen ostendit, in quo procedere possit ex generali commissione Vicarius (nisi forte velit, illum levia aliqua delicta, quæ propriè criminis nomen non merentur, posse cognoscere & punire, dabimus enim hoc libenter) manet inconcussa responsio, & firmatur hac ratione; quòd causæ criminales computentur inter negotia magna seu graviora; cùm in iis tractetur de vita hominis; vel alia gravi pœna infligenda; in mandato autem generali non comprehenduntur hujusmodi majora, nisi specialiter exprimantur. Pirh. *l. c.* juxta *c. quod translatum. de off. Legat.* Sed neque adhuc potestas illa cognoscendi de criminalibus concessa videtur Vicario, dum Episcopus in commissione usus his verbis: committo tibi curam & regimen Episcopatûs. Sbroz. *l. cit. num. 4.* citatis Bartol. *in l. 1. §. cum urbem. ff. de off. præfect. urbis.* Anchar. & Franc. *in cit. c. licet.* quos sequitur Pirh. *l. cit.* propositio siquidem indefinita æquipollet universali, quando par est ratio in omnibus particularibus; non autem, si sit diversa, sicut diversa est ratio in iis, quæ requirunt speciale mandatum, quippe quæ non veniunt in generali concessione Vicariatûs. Sbroz. *cit. n. 4.* & ex eo Pirh.

2. Limitanda tamen venit responsio primò: nisi fortè in generali commissione Vicariatûs expressa forent aliqua cognitione criminalium majora aut paria, V. G. ut in specie Sbroz. *l. cit. num. 6.* si commissa fuisset collatio beneficiorum; tunc enim & causas criminales cognoscere possit (intellige, si adjecta clausula: *& cetera*) Sbroz. *l. cit.* citans Marian. Socin. *in c. quanto. de accusat. num. 173.* Cuch. *instit. jur. can. de Vicar. Episc. num. 71. & seq.*

3. Limitanda secundò: ita Vicarius ex mandato generali inquirere possit & cognoscere de delictis, non ut ipse puniat, sed ad Episcopum referat. Laym. *l. c. n. 2.* Pirh. *l. c.* cum Sbroz. *l. c. n. 7.* citante Lapum *in cit. c. licet. num. 1.* Anchar. *num. 2.* Franc. *col. 1.* Felin. *in c. non potest. de Judic. col. 4. num. 5.* Menoch. *de arbit. Judic. l. 1. q. 43. num. 27.* Foller. *in pr. crim. can. p. 1. mor. num. 124.* &c. Quo casu, si Vicarius eum, quem inquisierat, absolvendum putet, potest eum absolvere sine speciali mandato. Sbroz. Laym. Pirh. *locis cit.*

4. Limitanda tertiò; ita ut Vicarius sine speciali mandato possit inquirere, non ad puniendum, sed ut delinquentes se corrigant, & emendent. Laym. Pirh. *locis cit.* cum Sbroz. *num. 10.* citante Franc. *in cit. c. licet. col. 1. in princ.* Anchar. *num. 2.* Gemin. *num. 4.* &c.

5. Limitanda quartò; ut possit sine speciali commissione cognoscere de delictis, si civiliter tantùm agatur de delicto, non autem criminaliter, ut si quis ab Ordinario collatore jus instituendi habente, Episcopo tamen subjecto, sit institutus in beneficio patronato, non præsentatus à patrono, Vicarius possit hanc causam cognoscere, si patronus petat institutionem irritam declarari, & institutum amoveri; quia talis cognitio non tendit ad puniendum, sed ad damnum illatum compensandum, sive ad declarandum, possessorem non habere jus seu legitimum titulum. Laym. Pirh. *locis cit.* ex Sbroz. *l. 2. q. 126. num. 1.* ubi; quòd de causis beneficialibus cognoscere possit, si civiliter motæ sint, non autem criminaliter, ut quando agitur ad privationem beneficii, citat pro hoc plures.

6. Aliam limitationem addit Sbroz. *num. 12.* ut possit inquirere ad puniendum pœnâ pecuniariâ vel simili. Citat pro hoc Marian. *in c. qualiter. de accusat. num. 167.* quem tamen bene dicit, non audere hoc affirmare propter generalitatem textûs *in c. fin. vers. puniendi.* Limitat item Sbroz. *num. 19.* ut non procedat in Vicario Episcopi constituto seu creato per Papam; cùm is possit absolutè cognoscere causas criminales absque mandato speciali Episcopi. Citat pro hoc Bald. *cons. 475. num. 14. & seq vol. 4.* Rebuff *in pr. tit. form. Vicar. num. 152. & 156.* Limitat denique *num. 18.* ut dictæ limitationes procedant in Vicario generali Episcopi, non autem in foraneo, ut Milis *in repert. v. Vicarius Episc.*

*Quæstio* 187. *Specialis, an Vicarius cognoscere possit de crimine hæresis?*

Respondeo: Nullatenus de crimine hæresis cognoscere potest Vicarius sine speciali commissione. Barbos. *de potest. Episc. allegat 54. num. 85.* Pax-Jord. *l. 12. tit. 1. num. 194.* citantes Decian. *tr. crim. Tom. 1. l. 5. c. 21. num. 7.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 23.* citans insuper Farinac. *de hæres. q. 186. num. 13.* Sbroz. *l. 2. q. 161. num. 4. & 5.* ubi in specie dicit, quòd, cùm proceditur coram Inquisitore, nomina accusatoris & testium exprimenda sunt coram Episcopo vel ejus Vicario, & de eorum consilio ad condemnationem proceditur, juxta varios textus juris, & AA. quos citat *à num. 1.* talis expressio non possit fieri coram Vicario non habente ad hoc speciale mandatum præsente Episcopo, secus eo absente. Pro quo citat Gl. *in c. statuta. de Hæret. in 6. §. jubemus. v. absente* & ibi DD. quemadmodum etiam responsionem ipsam seu in genere, quòd nimirum Episcopo absente possit Vicarius de hæresi cognoscere, limitant Pax Jord. *l. cit.* & Ventrigl. pro hac limitatione adducens Decian. *l. cit.* & Gemin. *in c. ut commissi. §. ult. de hæretic. in 6.* Limitat quoque dicta sua Sbroz. *num. 8.* nisi fieret dicta expressio illa coram Vicario tanquam coram persona honesta, & in jure perita, juxta *c. statuta in v. aliquibus aliis personis.* junctâ Gl. *v. absente.* Item limitat eadem *n. 9.* nisi talis expressio Episcopo præsente fieret coram Vicario de conscientia Episcopi juxta eandem Gl. Licet verò Sbroz. *cit. q. 161. num. 6.* probet, non posse præsente Episcopo dictum consilium præstare ex eo, quòd ne quidem Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in consilio Episcopi requisito pro aliquo actu, adeoque multò minùs Vicarius (intellige sine speciali commissione) cùm is sit longè minoris potestatis quàm Capitulum; quippe quod est successor Episcopi: attamen *q. 162.* ait ex mente Archid. *in c. licet. de offic. Vicar. in. 6.* posse Vicarium absque speciali mandato dare Inquisitori hæreticæ pravitatis hujusmodi consilia de puniendis hæreticorum defensoribus, & receptatoribus pœnâ, de qua *in cit. c. ut commissi. §. puniendi.* Item *q. 163.* ait, Vicarium ex generali commissione habere authoritatem requirendi Potestates & Rectores civitatum seu Gubernatores, vel alios Superiores sæculares, quocunque nomine censeantur, ut curent observare, & facere observari constitutiones editas contra hæreticos, juxta *c. ut offic. §. fin. de hæret. in 6.* & Gemin. & Franc. uti & Archid. *in c. licet. in cit. v. transferantur.* Item. *q. 164.* quòd Vicarius Episcopi habeat eandem authoritatem compellendi Ecclesiasticâ censurâ Magistratus ad exhibendum sibi statuta facta ad impediendum S. Officium inquisitionis contra hæreticos, ut revocent vel moderentur eatenus, ne impediatur processus, aut aliquatenus retardetur juxta *cit. c. statutum il. 2. de hæret. in 6.* Archid. *ubi ante.* quin & privandi officiis dictos Magistratus, & illos inhabilitandi, si illi obedire recusent in concernentibus fidem juxta *c. ut offic. §. fin. de hæret.* & *ibi* Gemin. *n. 3.* Franc. *ult. not. 6.*

*Quæstio* 188. *An Vicarius cognoscere possit ex generali commissione causas civiles?*

Respondeo affirmativè: Sbroz. *l. 2. q. 125. num. 1.* citatis Cardin. *in Clem. 1. de offic. Vicar. num. 1.* Bald. *cons. 477. num. 6. in 4.* Aufrer. *in addit. ad Tholos. q. 148.* &c. Habet enim Vicarius generalis administrationem quoque in civilibus competentibus Episcopo. Quænam verò sint causæ civiles fori Episcopalis, ait Sbroz. recenseri latè à Cucho *Institut. juris Can. de Episc. tit. 6. num. 121. & seq.* monet hoc quoque Sbroz. *l. cit. n. 6.* Vicarium nunquam suo foro attendere debere statuta vel consuetudines Laicorum super ordine procedendi, nisi essent ab Episcopo, vel alia Synodali constitutione approbata, & tunc solùm in profanis, non autem in spiritualibus esse attendendas. citat Anchar. *cons. 18. n. 2. & 3.*

*Quæstio* 189. *Num ergo etiam cognoscere possit causas feudales sine speciali commissione?*

Respondeo negativè: Ventrigl. *l. cit. num. 40.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. num. 112.* Pax-Jord. *l. cit. num. 218.* Sbroz. *cit. q. 125. num. 3.* & apud illum Cardin. *in Clem. 1. de offic. Vicar. num. 19.* Idque ne forte tales procuret vasallos, quos dominus nollet habere. Sbroz. *l. cit.* qui id ipsum ex eo confirmat, quòd ne quidem Capitulum Sede vacante id possit.

*Quæstio* 190. *Num possit sine speciali commissione cognoscere causas per appellationem jure ordinario devolutas ad Episcopum?*

Respondeo affirmativè: Pax Jord. *l. cit. num. 149.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 45. q. 11.* Sbroz. *l. 3. q. 5.* citatis Abb. *in c. dilecti il. 3. de appellat. num. 1.* Bertach. *de Episc. p. 6. l. 5. tit. de Vicar. Episc. num. 17.* Foller. *pract. crim. Can. p. 1. mor. num. 123.* Cuch. *Inst. juris Can. de Vicar. Episc. num. 125.*

*Quæstio* 191. *An Vicarius cognoscere possit de validitate dispensationis factæ ab Episcopo?*

Respondeo negativè: Sbroz. *l. 2. q. 39.* ex Purpurat. *cons. 381. num. 4. vol. 1.* non enim potest inferior impedire potestatem superioris, juxta Clem. *ne Roman. de elect. c. inferior. dist. 31.* Aufrer. *ad Tholosan. q. 486. apud* Sbroz. *l. cit.*

*Quæstio* 192. *An cognoscere valeat de validitate collationis factæ ab Episcopo suo?*

Respondeo; dicendum de hoc infra, ubi de potestate conferendi.

*Quæstio* 193. *An cognoscere possit de obreptione dispensationis Apostolicæ, quemadmodum id potest Episcopus vi Tridentini,* sess. 22. c. 8.

Respondet Fagnan. *in c. quoniam. de offic. deleg. num. 29.* id eum non posse sine speciali delegatione; eò quòd Episcopus hanc cognoscendi facultatem de jure ordinario non habebat (de quo vide eundem Fagn. *in c. si quis. de confirm. utili vel inut. n. 16. 21. & 26.*) ideoque Concilium hoc loco non utatur dictione *etiam*, sed simpliciter ait: *ab iisdem tanquam Delegatis Apostolicis.* Eadem ferè habet Fagn. *l. cit. num. 23.* ubi; quòd non possit cognoscere de obreptione vel subreptione gratiæ obtentæ à Papa, sicut potest Episcopus juxta Trident. *sess. 13. c. 5.*

* * *

*Quæstio*

## *Quæstio* 194. *An possit cognoscere de causa delegata Episcopo suo.*

1. RESP. id cùm non posse sine nova & speciali Episcopali delegatione, nisi in rescripto addita fuissent illa verba : *sive ejus generali Vicario.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 41.* Pax Jord. *l. c. n. 217.* Sbroz. *l. 2. q. 36. n. 3.* Garc. *p. 6. c. 2. n. 22.* Barbos. *cit. allegat. 54. n. 111.* citatis Abb. *in c. quoniam. de offic. deleg. n. 15.* Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. Vicarius §. 21. dub. 4.* Socin. *cons. 39. n. 30. vol. 4.* Campan. *in diverf. Iur. can. rubric. rub. 11. c. 23. n. 148.* Ratio responsionis est, quia Episcopus talia non cognoscit ut Episcopus, sed tanquam specialiter delegatus; adeoque in illa dignitate illi non succedit Vicarius; uti hoc patet à fortiore in Capitulo sede vacante, in quod non transeunt causæ Episcopo specialiter delegatæ. Et Episcopus constituendo Vicarium committit ea solùm, quæ sibi competunt ratione jurisdictionis, ordinariæ. Sbroz. *cit. q. 135. n. 2.* ac proinde cum nova per talem delegationem conferatur jurisdictio, etiam opus erit novâ subdelegatione ab eo facta Vicario : Sbroz. *cit. n. 3.* Procedunt̃q; hæc, etiamsi mandatum Episcopi extenderet se ad causas omnes sibi delegandas; cùm juxta dicta aliàs jurisdictio, quæ necdum competit, committi nequeat. Sbroz. *cit. q. 36. n. 4. & 5.* Ventrigl. *l. c.* Ampliat quoque *cit. q. 135. n. 4.* Responsionem Sbroz. ut idem sit in mandatis, præceptis & literis Episcopo directis, quæ non transeunt in Vicarium, ut Felin. *in c. eam te. de Rescrip. n. 17.* quem citat.

2. Quod si tamen Vicarius creatus esset à Papa, habiturum eum omnes prærogativas, adeoque eum posse cognoscere sine speciali commissione Episcopi causas delegatas Episcopo, tradit Sbroz. *cit. q. 135. n. 5.* citatis Alex. *in l. & quia. ff. de jurisd. omn. judic.* Dec. *in cit. c. quoniam. n. 15.* Bartol. *in l. filius. ff. de Legat.* Rationem quoque adjicit Sbroz. *n. 7.* ex Ruin. *cons. 148. n. 5. in 4.* quia Vicarius Episcopi à Papa creatus magis repræsentare videtur Episcopum, quàm Vicarius creatus ab ipso Episcopo.

3. Illud quoque hic observandum, quod tradit idem Sbroz *l. 2. q. 131. n. 2.* quòd Episcopus talem causam sibi delegatam committere specialiter possit suo Vicario, non ut Vicario, sed uti delegato. citans Abb. *in c. dilecti. il 3. de appellat. n. 18.* eo quod, si committeret ut Vicario, non posset ab ejus sententia appellari ad Episcopum, secus, si ut delegato.

## *Quæstio* 195. *Num è contra quoque Episcopus nequeat cognoscere causam Vicario suo à Papa delegatam?*

1. RESP. Affirmativè. Rosa *De executoribus Liter. Apost. p. 2. c. 3. n. 11.* ubi : *Cum delegatio est facta Vicario, non potest Episcopus literas exequi, nisi per viam subdelegationis.* citat Menoch. *de commut. ult. voluntat. c. 5. n. 527.* Ricc. *in pr. rerum quotidian. fol. 419. &c.* Item Sbroz. *l. 2. q. 136. n. 1.* citatis Anchar. *in Clem. 2. de Rescrip. col. 1.* Card. *n. 10.* Imol. *n. 14.* Franc. *in c. dilecti. il 2. de appellat. q. 5.* Dec. *in c. quoniam. de offic. deleg. n. 9.* Barbat. *in Apostil. ad Bartol. in l. quod Principi. ff. de legat.* Bertach. *de Episc. l. 4. q. 7. n. 4.* eo quòd tunc Vicarius non cognoscat causam ut Vicarius, sed ut delegatus Papæ. Sbroz. *l. c. n. 2.* & in causa delegata per Papam major est Vicarius Episcopo suo, & separatum est auditorium unius ab auditorio alterius juxta DD. *in cit. Clem. 2.* & in specie Cardin. *n. 10.* Imol. *n. 14.* Sbroz. *n. 4.* Adde, quod rescriptum non debet extendi ad alios, neque ad multos juxta Felin. *in c. eam te. de Rescrip. n. 17.*

2. Et hæc procedunt, ubi delegatio facta Vicario sub nomine proprio & dignitatis. v. g. *Titio Vicario Generali Episcopi* N. an verò Episcopus cognoscere possit causam delegatam à Papa suo Vicario, dum ei delegata non sub nomine proprio, sed tantùm dignitatis, non conveniunt AA. Affirmant apud Sbroz. *cit. n. 6.* Bertach. *ubi ante. l. 4. p. 5. n. 59.* Innoc. *in c. eam te. n. 5.* & *ibid.* Abb. *n. 14.* Barbat. *ubi ante.* eâ ratione, quòd licèt Vicarius sit delegatus Papæ, dicatur tamen cognoscere tunc causam vice Episcopi; cùm talis dignitas Vicariatûs non competat ei jure proprio, ut Dec. & Abb. *in cit. c. quoniam. de off. deleg. n. 9.* Negant econtra apud eundem Sbroz. *n. 8.* Cardin. *in cit. Clem. 2. & ibid.* Imol. *n. 2.* Butr. & Franc. *in c. statutum. de Rescrip. in 6.* Cuch. *Inst. Jur. can. de vice Episcopo. n. 171. & seq.* ubi inquit : Episcopum non posse se intromittere in illa causa, quando Vicarius functus est officio suo, aut illum removere à Vicariatu, ut illum impediat in delegatione; cùm enim separatum sit auditorium delegati Papæ & Episcopi, non debet rescriptum extendi ad alium, quam ad ipsum delegatum.

3. Limitat tamen ipsam Responsionem Sbroz. *n. 9. & 10.* ut locum habeat in rescriptis delegationis, non autem in præceptis & mandatis Apostolicis, quæ fiunt Vicario; quia hujusmodi transeunt in Episcopum. cit. Abb. *in c. eam te. n. 5.* & dat rationem, quòd mandata restringi non debeant, sicut restringi debet delegata jurisdictio, sed ampliari juxta *c. sciendum. 8. q. 1.* & Felin. *in c. eam te. §. scriptum. col. 1. in princ. n. 16.* non obstante huic communi sententiæ, quod aliàs Bald. *in l. aliquando. ff. de off. Proconf. n. 5.* dicat, mandatum factum vicegerenti non arctare dominum. Extenditque hoc ipsum Sbroz. *n. 11.* ita ut in dubio scriptum videatur Vicario ut vices Episcopi gerenti, non ut executori, ut Felin. *l. c.*

## *Quæstio* 196. *Vicarius duarum diœcesium in quo loco cognoscere debeat causas?*

1. RESPONDET Pignat. *Tom. 7. Consult. 64. n. 4.* juxta Rotæ decisiones, quòd Vicarius generalis existens in loco soliti domicilij ac residentiæ cognoscere possit causas omnes cujuscunque generis utriusque diœcesis; cùm in hoc pro una eademque diœcesi habeantur propter juris assistentiam, quam Episcopus habet, & intentionem fundatam jus dicendi, nedum ex jure communi, *c. cum Episcopus*, sed & ex Trident. *Sess. 25. c. 6.* quò etiam spectat, quod tradit Cardin. de Luca. *in Miscell. d. 1. n. 113.* ubi : *Non solùm, ubi unica est Ecclesia, unicave diœcesis; sed etiam ubi duæ vel plures perpetuò tamen authoritate Apostolica, quamvis æque principaliter unitæ, quoniam non per hoc duo vel plura tribunalia cum duobus vel pluribus Vicariis Generalibus aliisque Officialibus habere tenetur Episcopus. Licet enim Ecclesia ac diœceses æquè principaliter unitæ pro duabus omnino distinctis habeantur, atque earum quælibet proprios & distinctos retineat fines, propriaque jura ac privilegia, perinde ac si unio non adesset; adhuc tamen, cum Episcopi seu Prælati persona sit unica, ac naturaliter individua quò ad eum, atque ad hunc effectum ambæ vel plures pro una habentur, ut in qualibet unius vel alterius diœcesis parte residere valeat, ac tribunal erectum habere, nisi Apostolicæ provisiones vel antiqua consuetudo, quæ jus facultativum excludat, aliter statuant.*

2. Et hæc de cognitione causarum, quas jure ordinario cognoscit; nam de cognitione & expeditione causarum facta ab eo tanquam delegato Papæ, observandum tantisper ex Rosa, *De excutor. lit.*

*Apost. p. 2. c. 3. n.* 19. quod delegatus Papæ ubique jurisdictionem exercere potest, nec egeat territorio; sed habeat territorium generale, quia delegatus Papæ Papam repræsentat.

*Quæstio* 197. *An Vicarius Episcopi literas Apostolicas exequi possit mortuo Episcopo?*

1. RESP. Literas expeditas & directas Vicario vivente Episcopo, Vicarius expedire non potuit, si prius post mortem Episcopi præsentatæ sibi fuerint; aut si præsentatæ quidem fuerint vivente Episcopo, necdum tamen eo vivente executæ; quia per mortem Episcopi jam desinit esse Vicarius, & officium ejus exspiravit: neque etiam Vicarius Capitularis eas exequi, aut executionem jam cæptam perficere poterit; quia ipsi non sunt directæ, nec etiam dirigi solent à cancellaria Vicario Capitulari. Exspectandus proinde erit novus Vicarius Episcopi sede iterum plenâ, vel super dictis literis petenda nova commissio, quæ vocatur mutatio Judicis, quâ committitur Ordinario viciniori, ut dictas literas exequatur servata formâ literarum expeditarum. Rosa. *l. c. p. 1. c. 3. n.* 3. citans Conrad. *in prax. dispens. l.* 7. *c.* 4. *n.* 22. Proceditque id ipsum, etiamsi Vicarius Episcopi, cui directæ fuerunt literæ, crearetur Vicarius Capituli sede vacante, ut eas exequi nequeat. Rosa. *l. c. n.* 31. citatis Conrad. *ubi ante. n.* 11. Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 40. 41. & 44. contra Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 27. *n.* 22. ex eodem jam tacto principio; quia tunc non est Vicarius Episcopi, cui directæ sunt literæ, sed Capituli, cui literæ à cancellaria dirigi non solent; uti nec ex stylo dirigi solent Vicarijs Prælatorum inferiorum, ut Rosa *l. c. n.* 36 quem vide. Et hic stylus potius attendendus, ut inquit Rosa, quam opinio contraria AA.

2. Quod autem literæ directæ Vicario, eo remoto, sive per exspirationem officii, sive per mortem naturalem, executioni dari possint ab ejus successore, sive re adhuc integrâ, sive non amplius integrâ; quia earum executio demandata est non personæ sed tribunali & intuitu officij, tradit Idem Rosa *l. c. n.* 29. citatis Garc. *ubi ante. n.* 54. Conrad. *n.* 36. Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 11. *n.* 17. Sbroz. *l.* 2. *q.* 67. Gambar. *de off. legat. l.* 8. *q.* 97. Capra *cons.* 67. *n.* 32. Abb. & Canonistis *in c. quoniam de offic. delegat.* Neque his obstat, quod obmovent aliqui apud Rosam. *l. c. p.* 2. *c.* 7. *n.* 49. nempe delegationem factam dignitati transire in successorem, quando dignitas est per se subsistens, secus, si accessoria & dependens ab alio, ut contingit in Vicario Episcopi. Nam, ut ait Rosa. *ibidem. n.* 50. licet fortè de juris subtilitate sic dicendum sit, secundum tamen stylum & observantiam omnium tribunalium Ecclesiasticorum delegationem factam Vicario transire in ejus successorem; citátque pro hoc præter citatos supra Monet. *de commut. ult. volunt c.* 8. *n.* 148. quin & Sanch. *l. c. n.* 10. Pax Jord. &c.

## PARAGRAPHUS XI.

### De potestate Vicarii circa subdelegandum.

*Quæstio* 198. *An Vicarius Generalis Episcopi alium Vicarium constituere possit.*

1. RESP. Non posse eum absolutè loquendo officium suum alteri committere, seu alium sibi similem seu generalem Vicarium constituere, argumento. *c. Clericos. de offic. Vicar.* Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in* 6. *n.* 10. Pith. *tit. eod. n.* 63. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 54. *n.* 99. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 202. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 36. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 148. Sbroz. *l.* 2. *q.* 66. *n.* 1. citans pro hac communi sententia innumeram turmam AA. & *n.* 12. idipsum extendens ad Vicarium generalem Capituli sede vacante. Nullus enim inferior Principe Vicarium ita constituere potest, ut totum officium suum seu potestatem ordinariam (qualem habet Vicarius generalis Episcopi) ei committat, nisi id à Lege aut Principis beneficio ei concessum sit. Pirh. Laym. *LL. cit.* juxta *Auth. ut nulli Judicum liceat. collat.* 9. *nov.* 134. & *Auth. de collatorib.* §. *ad hæc prohibemus. collat.* 9. *nov.* 118. Quare, ut Laym. nec ipse Episcopus officium suum ordinarium alteri committere posset, nisi id ei à Lege concessum.

2. Sed neque adhuc id posset Vicarius generalis e xsimplici solùm mandato speciali, quod haberet ad subst ituendum. Sbroz. *l. c. n.* 11. citans Host. *in c.* 1. *de offic. Vicar. in* 6. & *ibid.* Gemin. *n.* 11. Put. *decis.* 68. *n.* 1. Milis *in repertor. v. Vicarius Episc.* Paris. *cons.* 80. *n.* 15. qui dicat esse communem. Veruntamen id posset, ubi in mandato inserta essent hæc verba: *Damus potestatem substituendi alium, quem nos Vicarium cum eadem potestate substituimus*: Pirh. *l. c.* Laym. *l. c. n.* 12. Sbroz. *l. c. n.* 15. Garc. *l. c. n.* 155. citantes Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n.* 77. Melill. *tr. de præcedent. Vicar. c.* 1. *n.* 14. Pavin. *de potest. capit. sed. vac. q.* 10. *n.* 20. In illo siquidem casu Vicarius ille non tam constituitur à Vicario quam ab ipso Episcopo, & ab eo accipit potestatem ministerio Vicarij substituentis, & sola nominatio sui electio personæ fit à Vicario substituente. Sbroz. Pirh. Laym. Garc. *LL. cit.* quorum posterior *n.* 156. ait, idem esse, dum Episcopus daret potestatem substituendi suo nomine; utpote qui tunc etiam censetur positus ab Episcopo; cùm ejus nomine substituatur. Neque etiam in his casibus dici posset, Episcopum dare Vicarium incertum contra *c. ad hæc. de rescrip.* ait Garc. *n.* 157. eò quòd per substitutionem vel nominationem Vicarij substituentis, qui repræsentat personam Episcopi in substituendo, certificetur. Unde jam etiam in hoc casu Vicario vi dictæ clausulæ substituente sibi Vicarium, hunc posse Vicario substituenti conferre beneficium docent Rebuff. Coras. Duaren. Sbroz. apud Garciam *l. c. n.* 158.

3. Potest nihilominus Vicarius generalis Episcopi ob causam necessitatis, v. g. propter absentiam vel infirmitatem ad breve tempus sibi alium substituere, qui Vicarij munere cum simili jurisdictione interim fungatur (qui tunc haberet potestatem exequendi omnia concessa Vicario, ut Ventrigl. *l. c.* ac etiam posset cæpta per illum perficere. Sbroz. *l.* 4. *q.* 67.) argumento *c.* 1. *de offic. Vicar. in* 6. Pirh. *l. c.* Laym. *l. c. n.* 11. Garc. *n.* 152. Sbroz. *cit. q.* 66. *n.* 17. Pax Jord. *n.* 204. Num verò in hoc casu requiratur nihilominus speciale mandatum Episcopi, non conveniunt auctores. Affirmat id expressè Ventrigl. *l. c.* Sbroz. *cit. n.* 17. Item Hostien. Franc. Dominic. Zerol. apud Garciam *cit. n.* 152. vel saltem consuetudinem id faciendi, quasi tunc toleretur per quandam voluntatem Episcopi, ut Rosell. & alij apud Garc. E contra posse id Vicarium ex causa, etsi non habeat ad id specialem facultatem seu mandatum, tenent Pax Jord. *cit. n.* 204. Barbos. *l. c. n.* 100. Garc. *cit. n.* 152. citans Pavin. *q.* 10 *n.* 21. Put. *decis.* 168. *l.* 1. Felin. *in c.* 5. *perpetuus. de fide instrum. n.* 3. Marant. *in specul. Advocator. p.* 4. *dist.* 5. *n.* 22. Cuch. *l.* 12. *tit.* 8. *n.* 10. Azevedo Genuens. &c.

*Quæstio* 199. *Num Vicarius generalis constituere possit delegatum.*

1. RESP. Primo in genere affirmativè. Sbroz. *cit. q.* 66. *n.* 22. ubi ait: *Ubi Vicarius vellet committere alicui*

*alicui vices suas in modum delegationis, quia tunc alteri causas delegare non prohibetur.* citat pro hoc gl. Innoc. Archid. *in c. 1. de off. Vicar. in 6.* Franc. *in c. Si delegat. de off. delegat. in 6. ult. not.* Rotam *decis. 350. de offic. Vicar. in novis, &c.* Et ratio est: quia omnis Judex ordinarius (qualis est Vicarius generalis, saltem in causis ratione vicariatûs sui illi competentibus) delegare potest. Laym. *l. c. n. 12.* juxta *l. more. ff. de jurisdict.* & *ibi* DD.

2. Resp. secundò: Constituere tamen delegatum ad universitatem causarum non potest sine speciali facultate Episcopi. Laym. *l. c. n. 12. & 13.* Pirh. *cit. n. 13.* eo quòd, qui jurisdictionem non suo proprio nomine, sed alieno obtinet (qualiter Vicarius generalis Episcopi jurisdictionem Episcopalem non proprio, sed sibi commisso jure obtinet, cùm in Episcopali officio titulum non habeat, & quamvis, ut Laym. ea sit ordinaria, existat tamen in Vicario per modum delegationis seu commissionis) eam (intellige totam) alteri delegare non possit. Laym. Pirh. *LL. cit.* juxta *cit. l. more.*

3. Limitatur tamen hæc ipsa responsio ab iisdem Pirh. & Laym. *locis cit.* ut speciali ad hoc mandato Episcopi non egeat, si de cetero sit talis constituendi delegatum ad universitatem causarum consuetudo in Diœcesi, sciente & patiente Episcopo; eo quòd tunc Episcopus eam potestatem tacitè committere censeatur. Et sic Vicarius tunc non tam delegat jure suo quam jure & potestate sibi commissa ab Episcopo. Atque hac ratione posse à Vicario generali delegari Decanos rurales ad universitatem causarum (intellige pro certo districtu Diœcesis) ait Laym. *cit. n. 12.*

4. Resp. tertiò: Potest nihilominus Vicarius generalis sine speciali ad hoc mandato vi generalis commissionis Vicarius unam aliquam causam vel etiam plures delegare. Barbos. Laym. Pirh. *ll. cit.* Sbroz. *cit. b. 66. n. 16.* ubi, quòd sine speciali mandato substituere possit & creare Vicarium ad certos actus seu ad aliquam speciem actuum, pro quo citat Gl. Innoc. Archid. *in c. 1. de off. Vicar. in 6.* Pavin. *q. 10. n. 1.* Bald. *in L. aliquando ff. de off. pro cons. n. 3.* Cuch. *in Instit. juris can. tit. de Vicar. Episc. n. 41.* Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex defect. jurisdict. n. 25.* Atque ita hos AA. velle, & se sæpe sic fieri vidisse ait Sbroz. quòd Vicarii generales creari possint in eorum Diœcesibus Vicarios foraneos. Ratio jam indicata est *respons. 1.* nimirum quòd omnis Judex ordinarius delegare possit.

5. Ampliatur hic responsio, quòd etiam Vicarius foraneus datus in una parte Diœcesis ad universitatem causarum subdelegare possit causam unam aut alteram. Sbroz. *cit. q. 66. n. 19.* citans Gl. *in c. cùm causam de appellat. v. delegatus. n. 17.* Felin. *in c. supra quæstionum. §. si verò de offic. deleg. n. 17. &c.* E contra limitatur responsio, ut non procedat in causa Vicario specialiter delegata ab Episcopo, ita ut hanc sine speciali mandato subdelegare nequeat. Sbroz. *l. c. n. 23.* citatus Felin. *ubi ante.* Put. *decis. 436. l. 1.* Jo. And. *in c. is, cui. de off. delegat. in 6.*

*Quæstio* 200. *Num substitutus ille Vicarii generalis subdelegare possit.*

1. Respondeo primò: Juxta jam dicta, substitutum illum ex speciali mandato Episcopi à Vicario generali Vicarium ad universitatem causarum subdelegare posse unam vel plures causas, etsi non universitatem causarum.

2. Respondeo secundo: Delegatum etiam à Vicario vi facultatis ordinariæ ad specialem causam aliquam (nisi fortè industria personæ ipsius electa fuerit,) posse subdelegare illam alteri; id enim competere videtur delegato à Judice ordinario vi facultatis illius ordinariæ. Sic etiam in specie posse illum substitutum seu delegatum Vicarii subdelegare ad recipiendum juramentum & examen testium tradit Sbroz. *l. 2. q. 68.* citans Put. *decis. 169. n. 5. l. 1.* quin & substituere procuratorem, ut idem Sbroz *l. 2. q. 69.*

*Quæstio* 201. *Num Vicarii istiusmodi substituti ex eodem cum substituente tribunali indicent.*

Respondeo. Vicarios illos substitutos ad universitatem causarum, seu quibus Vicarius generalis vices suas in totum commisit, ex eodem cum substituente tribunali indicare, & eodem modo esse Judices ordinarios, & habere eandem jurisdictionem Sbroz. *L. 3. q. 12 n. 10.* Molin. *de Just. tract. 5. d. 10. n. 7.* Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 30. n. 18.* Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in 6. n. 14.* citantes Gl. *in clem. 1. de Regular. v. locum aliorum*: Marant. *de ordin. judicior. p. 4. d. 5. n. 22.* Secus est de delegatis à Vicario generali, utpote qui jurisdictionem derivatam & distinctam à jurisdictione delegantis habent, Laym. *l. c.* Quod discrimen inter delegatum & substitutum seu Subvicarium vel Vicegerentem Vicarii generalis diligenter observandum.

*Quæstio* 202. *Num Vicario Generali Episcopi excommunicato, adeoque suspensâ ejus jurisdictione excommunicatus quoque sit ejus substitutus, aut saltem suspensa quoque jurisdictio substituti vel etiam delegati.*

1. Respondeo ad primum: Excommunicato Vicario generali excommunicatus non est ejus substitutus seu Subvicarius, adeoq; multò minùs ejus delegatus. Sbroz. *l. 3. q. 18. n. 1.* citatis Innoc. Archid. Anchar. Gemin. Franc. in *c. 1. de off. vicar. in 6.* Pavin. *de potest capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 2.* Baro. *in c. quoniam Abb. de off. ordinar.* Cuch. *Institut. jur. can. de Vicar. tit. 8. n. 11. l. 2.* cum communi. Idque, sive Subvicarius datus sit ab Episcopo, sive ab ejus Vicario. Sbroz. *l. c. n. 2.* citans gl. *in cit. c. 1. v. ipsius.* Nisi tamen substitutus ille seu Subvicarius participaret cum Vicario excummunicato in crimine damnato; tunc enim & ipse excommunicatus esset sicut Vicarius. Sbroz. *l. c. n. 3.* quemadmodum si Officialis Episcopi esset excommunicatus, quia exercet officium officialis seu officialitatem, ille, qui eidem in eodem officio deserviret, sive stando juri coram illo, sive recipiendo ab eo commissionem causarum, foret quoque excommunicatus; quia jam diceretur participare cum eo in crimine damnato. Sbroz. *cit. n. 3.* citatis Gemin. *in cit. c. 1. n. 4. & 6.* Archid. Jo. And. Innoc, &c.

2. Respondeo ad secundum: Tametsi substitutus talis excommunicato Vicario constituente non sit excommunicatus, non valeat tamen ab eodem substituto acta post excommunicationem Vicarii. Sbroz. *l. c. n. 6.* Laym. *cit. n. 14.* juxta *c. Romana. de off. Vicar. in 6.* Ubi Papa Gregorius X. non loquitur de deligatis sed de substitutis seu vicemgerentibus, aitque absolutè, quod per excommunicationem Vicarii substituentis eorum quoque jurisdictio suspensa sit. Proceditque id ipsum, sive post excommunicationem Vicarii res adhuc sit integra, seu causa necdum cæpta, sive non. Quemadmodum pari ratione, si Episcopus ipse excommunicatus sit, aut suspensus vel interdictus (intellige denunciatus vel notarius per-

percussor Clerici) jurisdictio Vicarii quò ad causas etiam jam cæptas suspenditur. Item sicut Episcopo mortuo non potest Vicarius illius causas eo vivente cæptas perficere, ita nec substitutus Vicarii causas cæptas ante ejus excommunicationem. Laym. *l. c.* Sbroz. *cit. n.* 7. citans quamplurimos. Et ratio est, quòd sicut eandem jurisdictionem idemque tribunal cum Episcopo habet ejus Vicarius, ita quoque cum Vicario eandem jurisdictionem, idemque tribunal habeat Subvicarius seu substitutus ab eo. Verum tamen contrarium dicendum videtur, ubi istiusmodi Subvicarius seu substitutus jurisdictionem suam non haberet immediatè à Vicario, sed ab Episcopo ipso, cujus nomine ministeriali solùm operâ & nominatione Vicarii substitutus esset, ut satis indicat Laym. *loc. cit.* & expresè Sbroz. *l. c. n.* 14.

3. Respondeo ad tertium: Delegatus solùm à Vicario, cùm habeat jurisdictionem, ut dictum, distinctam à jurisdictione delegantis, excommunicato Vicario delegante, etsi re integra adhuc post excommunicationem Vicarii delegantis, delegata sibi jurisdictione uti non possit, re tamen amplius non integra, sed jam cæpta ante excommunicationem, perficere eam potest. Quemadmodum enim morte delegantis delegati jurisdictio extinguitur, si res integra sit, non item si causa jam cæpta sit; ita etiam extinguitur seu suspenditur jurisdictio delegata per delegantis excommunicationem, quæ quasi mors civilis est, ubi res integra est, secus si non est. Laym. *loc. cit. num.* 11. citatis pluribus.

## PARAGRAPHUS XII.

## De Potestate Vicarii circa functiones Canonicales.

*Quæstio* 203. *Num Vicarius possit intervenire Capitulo, habeátque vocem in Capitulo?*

1. Respondeo primò: Vicarius generalis, dum est Canonicus, intervenire potest Capitulo. Sedere autem debet & dare votum suum in loco suo Capitulari, habito respectu ancianitatis & dignitatis canonicorum. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 14. §. 2. *n.* 14. citans Abbat. *cons.* 21. *vol.* 1. Grilenz. *cons.* 121. *n.* 5. Barbos. *de Can. & dignit. c.* 35. *n.* 13. Et si tractandum est negotium pertinens ad ipsius aut ejus Episcopum, debet exire ex Capitulo. Pignat. *consult.* 154. *n.* 6. Ventrigl. *l. c.* Sic decisum testans à S. Congreg. præposit. negot. Episcopor. & Regularium. 17. *Jan.* 1584.

2. Respondeo secundo: Quòd si verò Canonicus non est, intervenire non debet Capitulo, etiam absente Episcopo. Ventrigl. *loc. cit. n.* 15. Pignat. *cit. n.* 6. unde Canonici illum admittere non tenentur, etsi possint, prout declaravit S. Congregat. *in Amerien.* 24. *April.* 1632. teste Ventrigl. *l. c.* & quem citat, Barbos. *l. c. n.* 12. *& seq.* nisi tamen de consuetudine vel alio jure speciali id ei competeret. Pignat. *l. c.* Verumtamen, si Canonici tumultuarentur in Capitulo, tunc ad sedanda scandala legitimè intervenire posse Vicarium, & Canonicos teneri illum admittere, etsi dare non possit votum, sed solùm assistere repellendo scandala, rationi consonum esse, & sic se vidisse servatum in praxi, ait Ventrigl. Unde jam etiam multò minùs Vicarius ratione officii sui convocare potest Capitulum. Pignat. *cit. n.* 6. aut etiam prohibere ejus vocationem, nisi fortè, ubi urgente causa justa id posset Episcopus. Pignat. *l. c. n.* 5.

*Quæstio* 204. *Vicarius Episcopi Canonicatus quid possit quoad lucrandos fructus canonicatûs & distributiones quotidianas?*

1. Respondeo ad primum: Vicarium Episcopi Canonicum ratione hujus officii sui excusari à residentia, & in absentia facere fructus sui Canonicatûs suos. Sbroz. *l.* 1. *q.* 43. *n.* 4. citans *c. ad audientiam, & c. de cetero. de cleric. non residen.* Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n.* 5. Alphons. Carmonens. *tr. de incompat. benef. c.* 10. *n.* 5. *&* 16. *p.* 1 nisi fortè, ut ijdem, consuetudo esset in contrarium; in quo tamen casu non incurrere illum adhuc pœnam privationis beneficii tenent ijdem.

2. Respondeo ad secundum primò: Vicarium Canonicum sub prætextu officii & servitii Vicariatûs absentem à choro non lucrari distributiones quotidianas. Sbroz *l. c. n.* 3. citans Carmonens. *ubi ante.* Ventrigl. *l. c. n.* 13. citans Garc. *in addit.* 3. *p. c.* 2. *n.* 348. Barbos. *de Canon. & dignit. c.* 24. *n.* 6. Meroll. *Th. mor. p.* 3. *disp.* 7. *c.* 6. *dub.* 6. *n.* 50. Idem tenet Pignat. *tom.* 3. *cons.* 64. *n.* 21. ubi, quod si Vicarius sit Canonicus, non poterit distributiones percipere, nisi sedeat & incedat in loco suo cum habitu canonicali, & quando vult præcedere Canonicis, debet habitum Canonicalem deponere, & tunc non potest percipere distributiones, prout pluries resolvit S. Congregat. Rituum, præsertim *in Calagurit.* 2. *Aug.* 1603. *in Sutrin.* 26. *Aug.* 1599. *&c.* adeóque multò minus, ubi abest à choro; quia, ut idem Pignat. *ibidem*, nullum jus habet ad percipiendas distributiones tanquam Vicarius, sed tanquam Canonicus, & ideo debet interesse. Quin & in hoc, nempe ut absens ratione Vicariatûs percipiat distributiones, nullam eidem suffragari consuetudinem etiam immemorialem, tradit Ventrigl. *l. c.* citatis ijsdem AA. Item Pignat. *l. c. n.* 23. *&* 24. eò quòd, ut Ventrigl. Vicarius non inserviat Ecclesiæ, sed Episcopo, ac proinde non habeat justam causam absentiæ. Contrarium tamen ex Carmonens. sentit Sbroz. *cit. n.* 3. *in fine.*

3. Respondeo ad secundum secundò: Neque etiam Vicarius Episcopi residens consequi debet distributionem duplicem, unam tanquam Vicarius, alteram ut Canonicus. Sbroz. *cit. l. n.* 2. citans Butrio & Aret. *in c. cùm olim.* Ferret. *cons.* 327. *nu.* 4. Milis. *in repertor. v. distributiones, &c.* sequitur ex dictis. Quamvis etiam hoc in puncto standum esse consuetudini ex eodem Ferreto dicat Sbroz. quò ad hanc materiam distributionum vide meipsum *in Foro Benef. p.* 1. *q.* 404. *n.* 9.

## PARAGRAPHUS XIII.

## De Potestate Vicarii circa aliqua miscellanea.

*Quæstio* 205. *Num Vicarius exigere possit subsidium charitativum?*

Respondeo: Id eum nec imponere posse sine speciali commissione Episcopi (intellige in casibus, ubi id potest Episcopus, nempe ex causa manifesta & rationabili, v. g. quando Episcopatus est gravatus onere debitorum, vel est tenuis seu insufficiens ad congruam Episcopi sustentationem, vel quando vult ire ad Concilium, ad Papam, uti de his Sbroz. *l.* 2. *q.* 47. *n.* 3. juxta *c. cùm venerabilis. de religiosis domib. c. conquerente. de off. ordinar.* quos textus & plures alios citat ibidem Sbroz.) Idem Sbroz. *l. c. n.* 6. citatis pluribus. Ventrigl. *l. c.* §. 1. *n.* 44.

Pax-

Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 229. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 122. citantes Bellenzin. *tract. de subsid. charitat. q.* 11. *per totam.* Anchar. *cons.* 60. *n.* 2. ubi dicat, Vicario Episcopi commissam esse jurisdictionem, non autem exactionem debitorum. Cui & rationem etiam addit Sbroz *l. c. n.* 7. quòd Vicarius Episcopi agere & experiri possit ac si esset procurator, ut Jo-Aud. & Hostiens. *in c. petitio. de procuratorib.* & quòd Vicarius esse possit in judicio & extra agendo & defendendo sicut procurator; procurator autem similia exigere non possit; ergo nec Vicarius similia Episcopo debita.

*Quæst.* 206. *Num Vicarius tertiam partem fructuum præbendarum convertere possit in distributiones.*

REspondeo videri id posse Vicarium, & quidem sine speciali mandato Episcopi, loquendo de capitulis non exemptis, secus de exemptis. Et sic sentire videtur Fagn. *in c. quoniam. de offic. delegati. n.* 25. ubi: *An possit Vicarius, quæ Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato, committuntur per Trident. Sess.* 21. *c.* 3. (Statuit autem ibi Tridentinum, ut in Ecclesiis tam Cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum & quorumcunq; proventuum & obventionũ, tam canonicatuum, personatuum, portionum & officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & ceteros divinis interessentes proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur] *videtur distinguendum. Nam aut agitur de capitulis exemptis, & non potest; quia hæc facultas ante Concilium Episcopis non competebat, & ideo opus speciali delegatione; aut agitur de capitulis non exemptis, & potest; quia Episcopi hanc potestatem habebant de jure communi quò ad capitula iis de jure ordinario subjecta, ideoque concilium hoc loco utitur dictione illa* etiam *quæ innuit, Episcopum debere aliquando procedere jure delegato, id est, respectu exemptorum; sed tamen posse etiam aliquando procedere jure ordinario, quod verificari non potest, nisi in non exemptis.* Ita ille. Fundatur hæc responsio in eo, quòd quæ Episcopo competunt jure ordinario (qualiter ei competere non desinunt, quòd in iisdem quoque ut delegatus Apostolicus vi commissionis sibi à Tridentino factæ procedere queat) transeant in Vicarium ex commissione generali Vicariatûs, nisi sint fortè casus adhuc specialiter in jure excepti, juxta dicta sæpius supra. Quò minùs tamen sine speciali mandato Vicarius facere possit dictam conversionem & divisionem, saltem respectu Ecclesiarum Cathedralium videtur obtinere consuetudo, vel fortè etiam censeri illud ipsum ex arduis, quæ licèt ordinario jure competant Episcopo, transire tamen non censentur in ejus Vicarium sine speciali commissione.

*Quæstio* 207. *Num Vicarius deferre possit juramentum canonicæ purgationis.*

REspondeo dictum juramentum (quod sæpe solet deferri reo, quando acculator non satis probat, etiamsi reus ipse nihil probaverit, nec adsint indicia ad torturam contra reum sufficientia, ut Sbroz. *l.* 2. *q.* 167. *n.* 1. ex Jul. Claro *in prax. crim. §. fin. q.* 63. *vers. solet etiam.* Bertach. *de Episc. l.* 4. *p.* 1. *tit. de Vicar. Episc. n.* 12. *in fine.*) deferre nequit Vicarius sine speciali mandato. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 40. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 109. Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 212. est enim delatio hujus juramenti meri imperii; Sbroz. *l. c. n.* 2. citatis Speculator. *tit. de jurisd. omn. Judic. in v. secundum Canones* & Bertach. *ubi ante.* & cum his Pax-Jord. *l. c.* quæ autem sunt meri imperii expediri nequeunt per Vicarium sine speciali mandato. Sbroz. *l. c. n.* 3. uti & *l.* 2. *q.* 56. ex professo juxta *c.* 2. *de off. Vicar. in* 6. & *ibi* DD.

*Quæstio* 208. *An Vicarius restituere possit in integrum.*

1. REspondent passim AA. negativè, nempe quòd non comprehendatur restitutio in integrum in generali mandato, adeóque eam facere nequeat Vicarius sine speciali mandato. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n.* 57. Ventrigl. *l. c.* Barbos. *l. c. nu.* 108. citans Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. *num.* 12. Sbroz. *l.* 2. *q.* 35. *n.* 4. Verum tamen contrarium tenere videtur *l.* 3. *q.* 13. ubi hanc materiam ex professo tractat, dum pro absolutè affirmativa *n.* 1. citat Cardin. *in clem.* 2. *de rescrip. n.* 8. Bertach. *de Episc. l.* 4. *p.* 5. *q.* 27. *n.* 67. *tit. de Auctor. Episc. circa Judic.* Abb. *in c. ex literis de restit. in integ. n.* 11. & plures alios, ac dein *n.* 2. subdit rationem, nempe quòd Ordinarii, qui habent jurisdictionem cum administratione, possint concedere restitutionem in integrum; Vicarius autem Episcopi habeat jurisdictionem ordinariam cum administratione, ut probatur ex *c. petitio de procur.* & *c. in nova.* 16. *q.* 7. ubi de Vicariis: quod in Administrationibus associentur Pontificibus. Idem tenet Laym. *in c. causa. de restitut. in integ. n.* 2. Ubi: *qui ordinariam jurisdictionem cum administratione, ideoque imperium aliquod habent, ut Episcopus, Vicarius generalis, & Prælati omnes Ecclesiastici, in integrum restituere possunt, quia exercent officium nobile.* Restitutio enim in integrum ut idem Laym. *l. c. n.* 4. est actus imperii mixti ex nobili officio Judicis proveniens. Laymannum iisdem ferè verbis sequitur Pirh. *ad tit. de in integ. restit. n.* 62.

2. Ampliat hanc doctrinam Sbroz. *l. c. n.* 3. ut locum quoque habeat in Vicario foraneo, qui est delegatus ad universitatem causarum, & is non tantùm cognoscere de causa restitutionis in integrum, sed & eam concedere possit, citat pro hoc Abb. *in cit. c. causa. n.* 7. contra Sfort. Odd. *tract. de restit. in teg. p.* 1. *q.* 33. *a.* 22. *n.* 154. & alios, quos citat. *n.* 12. est enim & dicitur talis Vicarius Foraneus delegatus ab Episcopo. Sbroz. *cit. n.* 3. *causa verò restitutionis in integrum* [ut dicitur. *c. causa.*] *coram Judicibus ordinariis ab eis tractari poterit & finiri; sive hoc ipsum delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commissionis negotio contigerit incidere hujusmodi quæstionem.* Adeóque multò magis à tali Judice ordinario delegatus ad universitatem causarum, si habeat administrationem rerum in territorio aliquo, de causa restitutionis in integrum principaliter cognoscere potest eamque concedere, licèt ea illi specialiter commissa non fuerit. Idque, quia delegati ad universitatem causarum æquiparantur Judicibus ordinariis, ita ferè Laym. & ex eo Pirh. *l. c.* citantes Bart. *in l. ult. C. ubi* & apud quẽ cognit. in integ. rest, &c. *n.* 4. Secus est de Judicibus, etiã ordinariis, qui

administrationem rerum seu jurium in aliquo territorio non habent, aut imperium saltem mixtum; sed tantùm potestatem simpliciter judicandi, ut hi nequeant principaliter restituere seu tractare causam restitutionis in integrum, prout in *cit. l. ult.* & colligitur ex sensu contrario *& cit. c. causa* Pirh. *num.* 64. Laym. *num.* 4. qui etiam rationem addunt: quia simplex jurisdictio non exercetur per liberum seu nobile Judicis officium, sed per mercenarium, quod actioni merè civili deservit; restituere autem in integrum, ut dictum, sit actus imperii mixti, quod nobili officio Judicis exerceatur. Multoque jam minùs delegati à talibus judicibus ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem judicandi hanc restitutionem facere, aut de ea cognoscere possunt, pro ut expressè habet textus *cit. c. causa.* nisi fortè hæc causa restitutionis coram iis incidenter mota fuerit, ut habet idem textus. Cujus postremi rationem hanc dant Pirh. *num.* 66. Laym. *num.* 6. nempe quia delegatus ad causam principalem censetur etiam delegatus ad quamlibet causam, quæ cum ea causa principali coincidit, & est veluti accessoria; ideoque etiam ad negotia incidentia seu accessoria non requiritur nova commissio, nisi sint res majoris momenti & præjudicii. Porrò idem est de arbitris compromissariis, quòd cognoscere nequeant de causa restitutionis in integrum, nisi mota sit incidenter, seu incidat in causam principalem. Pirh. *num.* 67. Laym. *num.* 6. juxta expressum textum *cit. c. causa.* Sed neque adhuc arbitri ex incidente cognoscentes de dicta causa restitutionis per se restituere in integrum possunt; quia nec imperium nec simplicem jurisdictionem habent, sed nudam cognitionem; sed ad summum pronunciare & determinare, num restitutio à judice petenda sit. Pirh. *cit. num.* 67. Laym. *num.* 8.

3. Ampliatur secundò à Sbroz. *loc. cit. num.* 4. ut Vicarius concedere possit restitutionem in integrum tam quæ conceditur minori, quàm quæ conceditur majori ex causa citat pro hoc Abb. *in c. ex literis. de in integr. restit. n.* 11.

4. Ampliatur terriò ab eodem *num.* 5. ut Vicarius generalis concedere possit restitutionem in integrum tam adversùs sententiam suam, quàm adversùs sententiam Episcopi (quod tamen postremum negant alii, ut Pirh. *num.* 68. *in fine*) citat pro se Sbroz. Sfort. Odd. *tract. de rest. in integ. p.* 1. *q.* 33. *a.* 22. *num.* 156. Conrad. *in templ. Judic. l.* 2. *c.* 6. §. 2. *num.* 10. Marant. *de ordin. jud. p.* 6. *tit. & quandoque appell. num.* 382. Rebuff. *in pr. tit. for. Vic. num.* 155. Non secus ac viceversa Episcopus restituere potest contra sententiam sui Vicarii, ut Sbroz. *num.* 6. citans Abb. *in c. ex literis. num.* 11. Bertach. *de Episc. p.* 5. *l.* 4. *tit. de potest. Episc. circa Judic. num.* 67. & plures alios. Et quamvis positive declaret contrarium Sbroz. *num.* 11. quòd nimirum contra sententiam Episcopi restituere nequeat; eò quòd restitutio in integrum contra sententiam tractari debeat coram Superiore ipsius judicantis. *l.* 1. *c. ubi & apud quem rest. in integ.* & *l. adversùs c. si adversus rem jud.* Addit tamen *ibidem* Sbroz. hanc declarationem non recipiendam per ea, quæ à se scripta sunt ante. Pro quo etiã facit, quòd licèt Judex habens etiam administrationem restituere nequeat contra sententiam majoris seu Superioris. *l. minor. ff. de minorib.* attamen contra sententiam propriam vel eorum, qui æqualem vel inferiorem jurisdictionem habent, restituere possit. Pirh. *cit. n.* 86. juxta Gloss. *in cit. c. minor. v. non restituat. & l. in causa. ff. de minorib.* Adeóque multò magis id urgere videatur, dum judicantis cum restituente jurisdictio est eadem, idemque tribunal.

5. Nihilominus limitanda hæc doctrina ita ut restituere nequeat contra sententiam suam, multóque magis contra sententiam Episcopi, ubi hæc transiisset in rem judicatam. Sbroz. *l. c. n.* 8. citans Imol. Franc. Decium. *in c. tua. de appellat.* Roland. *cons.* 38. *&* 43. *in princip. l.* 2. Covar. &c. Delegatus siquidem etiam Principis [ intellige etiam ad universitatem causarum ) non potest principaliter restituere in integrum contra sententiam suam definitivam; quia postquam sententiam suam semel protulit, functus est suo officio sive bene sive malè, ejusque jurisdictio cessat, *c. in literis. de off. Jud. deleg.* Pirh. *l. c. n.* 65. Nisi tamen talis potestas restituendi ei specialiter commissa sit à Principe, vel ab eo, qui ordinariam jurisdictionem cum administratione habet. Pirh. *ibidem.* Quin nec ipsum Judicem ordinarium habentem administrationem posse restituere in integrum contra sententiam definitivam suam, vel etiam Vicarii aut delegati sui, nisi fortè is sit Princeps supremus, satis indicat Pirh. *cit. n.* 68. dum ait: *solus Princeps, qui superiorem non recognoscit, ut Imperator aut Rex, potest aliquem adversus sententiam diffinitivam ipsius Principis vel Vicarii sui, qui vice principis judicavit, aut delegati ipsius restituere in integrum:* Pro quo *citat l. minor.* §. *sed etsi. ff. de minorib. l. adversùs rem Judic.* & *ibi* Bartol. Secus tamen est, ubi sententia non esset definitiva, & res non transiisset in judicatum. Sbroz. *cit. n.* 8. Pirh. *n.* 68. v. g. Ubi sententia esset interlocutoria, ut Pirh. vel etiam ut Sbroz. quando lata esset sententia in contumaciam illius, qui ex forma statuti habetur pro confesso & convicto, quæ nunquam transiisset in rem judicatam.

*Quæstio.* 209. *An Vicarius concedere possit monitoriales, de quibus Tridentinum* Sess. 25. c. 8. *nempe contra detinentes res alienas, aut scientes eas detineri ab alus, ut nisi restituant, vel revelent detentores intra certum tempus, sint excommunicati.*

1. REspondeo: In hoc non convenire AA. Primò id non posse Vicarium sine speciali commissione Episcopi, tenent apud Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 42. Ugol. *de potest Episc. c.* 45. *in princip.* Campanil. in *divers. Rub. juris can. rubric.* 11. *c.* 15. Narbon. *de appell. à Vicar. ad Episc. p.* 1. *n.* 205. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 46. *n.* 6. & *Juris eccles. l.* 1. *c.* 15. *n.* 20. Pro hac sententia vide plura adducta per Fagn. *Loc. paulo post citando.* E contra eas posse decernere tam Episcopum quàm Vicarium, & quidem in sola Vicariatûs commissione, tenent Sbroz. *l.* 2. *q.* 171. *n.* 2. Ventrigl. *l. c.* dicens hanc sententiam magis communem ac veriorem, ac citans pro ea Henriq. *in sum. l.* 13. *c.* 17. §. 4. Zerol. *in pr. episc. p.* 1. *v. Vicarius* §. 17. Suar. *Tom.* 5. *d.* 2. *sect.* 1. *n.* 2. Sayr. *de cons. l.* 1. *c.* 9. *n.* 33. Leo *Thesaur. for. eccles. p.* 3. *c.* 2. *n.* 17. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 94. 97. *& seq.* quam plurimos insuper alios pro hac sententia vide apud Barbos. *l. c. n.* 7. pro qua sententia respondisse ait Fagn. *in c. quoniam. de off. deleg. n.* 42. Pontificem 27. Febr. 1583. posse Vicarium tam Episcopi quam Capituli con-

concedere has literas monitoriales ad finem revelationis pro rebus deperditis,& addidisse sanctissimam rationem ; quia hic est actus jurisdictionis contentiosæ,quæ comprehenditur sub generali commissione. Affertur & pro ea à Garc *p. 5. c. 8. num. 97.* clara declaratio S. Congregat. Concil. *super cit. loc. in Elborensi* sic habens : *Vicarius potest concedere literas monitoriales,de quibus in præsente decreto.* Ratio quoque datur, quòd verba Concilii, quibus conceditur solis Episcopis decernere dictas monitoriales & excommunicationes,sub nomine Episcopi comprehendant etiam ejus Vicarium. Sbroz. *l. c. n. 2.* Garc. *l. c. n. 95.* & posita sint ad excludendum solos inferiores,etiam habentes Episcopalem jurisdictionem, & exemptos & nullius diœcesis, ita ut in his exemptis & nullius diœcesis,in quibus Episcopi non habent jurisdictionem,recurrendum sit ad sedem Apostolicam, prout censuit S. Congreg. Garc. *cit. num. 59.* Vide dicta supra,ubi de potestate Vicarii ad excommunicandum. Posse idipsum Vicarium Capituli sede vacante, in quod transeunt omnia,quæ sunt jurisdictionis necessariæ, ut est excommunicationis promulgandæ facultas, tradit Barbos. *cit. alleg. 96. n. 10.* citatis plurimis.

2. Porrò an & qualiter idem quo ad dictas monitoriales possit Vicarius foraneus, iterum non conveniunt AA. non posse illum illas decernere sine speciali mandato Episcopi certum videtur. Et sic tenent apud Barbos. *l. c. n. 9.* Lazzar. *tract. de monitor. Sect. 2. q. 5. n. 9.* Ugol. *ubi supra.* Ricc. *resol. 235. &c.* Posse verò id de speciali concessione Episcopi, tenent Gallet. *in margarit. cas. v. litera 2.* apud eundem Barbos. *cit. num. 9.* qui & ipse eam sectari videtur. Dicit eandem probabilem Nerotius *p. 2. lucubrat. l. 5. tit. 39. num. 21.* qui etiam pro hoc expressam recitat declarat. S. Congreg. de 7. Sept. 1630. apud Pignat. *Loc paulo post citand.* Qui tamen ipse ait,hanc declarationem procedere in casu omnino particulari, causa rationabili existente ob remotissimam distantiam Ordinarii. E contra hanc facultatem decernendi dictas monitoriales pro rebus deperditis seu subtractis non posse, nequidem ab Episcopo specialiter delegari Vicariis forensibus, sed solùm Vicariis generalibus, asserit Pignat. *Tom. 1. Consult. 256.* ita decisum testans à S. Cong. Concil. *15. Junii. 1653.* proquo etiam Fagn. *in c. quoniam. de off. delegat. num. 43.* citat aliam declarationem ejusdem S. Congreg. *de 8. Febr. 1590.* Vide posthæc omnia de hisce monitorialibus fusissimè disputantem Barbos. *cit. alleg. 96. per totam.*

*Quæstio* 210. *An Vicarius voluntatem puellarum habitum Regularem suscipere, aut professionem emittere volentium explorare possit, ut experiatur, an coactæ, an seductæ sint,& an sciant, quid agant & cetera, quæ disponit Tridentinum* Sess. 25. de Regular. c. 17.

REspondeo id eum non posse præsente Episcopo sine ejus speciali mandato. Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. num. 88.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 43.* Pax Jord. *l. 12. tit. 12. num. 195.* Sbroz. *l. 2. q. 208.* Posse verò id Vicarium absente aut impedito Episcopo absque ejus speciali licentia absolutè tradit Pax Jord. Idem sentire videtur Sbroz. *loc. cit.* dum ait : *Vicarius absente Episcopo vel impedito, sive ab Episcopo specialiter deputatus explorare debet voluntatem virginis :* dum enim casus diversos ponit,in quibus id possit Vicarius, nempe unum, dum Episcopus absens est, alterum dum ab Episcopo (intellige præsente) specialiter ad hoc deputatus est. E contra tamè tradit Ventrigl. quòd ne quidem de speciali licentia Episcopi præsentis & non impediti is possit ; possit id verò de speciali licentia Episcopi, dum id absens est aut impeditus. citat pro hoc Tambur. *de jure Abbatiss. d. 4. q. 2. num. 7.* Meroll. *Th. mor. d. 7. c. 6. dub. 33. num. 403.* Campanil. *in diverf. Jur. Can. Rubric. Rub. 12. c. 16. num. 12.* de dicta exploratione voluntatis puellæ susceptæ habitum aut professuræ, qualiter eâ neglectâ,Episcopus ejusve Vicarius contra Concilium feciisse censeantur, valeatque nihilominus professio omissa tali exploratione, etsi Abbatissa, quæ talem admisit ad habitum & professionem absque dicta exploratione puniri possit & debeat. Vide Barbos. *alleg. 108. a. n. 8.*

*Quæstio* 211. *An Vicarius creare possit Doctores & Notarios?*

1. REspondeo ad primum : In casu, quo Episcopus fortè ex privilegio vel jure aliquo speciali Apostolico posset scholaribus conferre gradum Doctoratûs ( uti plerosque Episcopos habere hoc privilegium asserit Sbroz. *l. 2. q. 29. num. 2.* citans pro hoc quamplurimos ) Vicarius Episcopi hoc ipsum non poterit. Sbroz. *loc. cit. num. 4.* ea enim, quæ de jure speciali competunt Episcopo, non veniunt in generali mandato Vicarii. Sbroz. *num. 5.* subdens *num. 6.* quòd nec tale privilegium doctorandi competens Episcopo transeat in Capitulum Sede Episcopali vacante.

2. Ad secundum tamen respondet Sbroz. *loc. cit. num. 10.* quòd etsi creare non possit Doctores præterquam ex speciali mandato, possit tamen creare Notarios tanquam Ordinarius in sua diœcesi. Pro quo citat Host. *in c. cùm P. de fide instrument.* Imol. *in c. 1. tit. eod.* Sic idem quoque posse Capitulum Sede vacante tanquam Ordinarium, tradit cum eodem Imol. *loc. cit.* Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p. 1. q. 10. num. 12.* apud Sbroz.

*Quæstio* 212. *Num Vicarius Episcopi à beneficiatis & Vasallis Episcopi recipere possit juramentum fidelitatis?*

1. REspondeo ad primum : Posse Vicarium sine speciali mandato, saltem Episcopo absente aut impedito, recipere juramentum illud fidelitatis, de quo Trident. *Sess. 24. c. 12.* Sbroz. *l. 2. q. 119. à num. 3.* receptio enim illius juramenti est jurisdictionis,& quæ jurisdictionis sunt regulariter exerceri possunt per Vicarium. Sbroz. *cit. num. 3.* Et sic etiam juramentum fidelitatis recipi potest per procuratorem Sbroz. *loc. cit. num. 4.* citans *c. eam te. de jure jur.* & *ibi* Canonistas. Constare hæc etiam videntur ex Trident. *l. cit.* ubi ait : *Provisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram ejus Vicario seu Officiali Orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem,& in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solùm coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur.*

2. Resp. ad secundum : Vicarius Episcopi sine speciali mandato Episcopi nequit recipere juramentum fidelitatis à Vasallis feudum aliquod Episcopi habentibus; uti nec investituras de novo facere, aut antiquas revo-

revocare,nec homagium recipere. Sbroz. *cit. q.*119. *n.* 7. citans Pavin. *ubi ante n.* 14. qui id negat de capitulo sede vacante ; adeoque idem dicendum de Vicario Episcopi,utpote qui strictiorem potestatem habet quàm Capitulum,ut Pavin. *p.* 1. *q.* 2. *n.* 2.

*Quæstio* 213. *Num Vicarius possit invocare brachium sæculare ad præstandum sibi auxilium?*

1. REspondeo posse eodem modo quo Episcopus. Sbroz. *l.* 2. *q.* 190. *num.* 2. Idque sine speciali requisitione & licentia Episcopi. Judici namque Ecclesiastico brachium sæculare est præstandum. *c. Principes. c. Administratores.* 24. *q.* 5. Sbroz. *l. c. num.* 3. citatis Menoch. *de arbit. Judic. a.* 5. *Centur.* 5. *casu* 452. Roland. *cons.* 37. *l.* 1. & in specie de Vicario Episcopi Bald. *cons.* 91. *vol.* 5. ubi etiam consuluit , Vicarium Episcopi posse mandare potestati, ut faciat retineri eum, qui est in carcerribus suis,nec relaxet sine licentia ipsius Vicarii. Quin & non solùm invocare , sed etiam compellere potest judex Ecclesiasticus sæcularem Magistratum ad sibi præstandum auxilium sub pœna excommunicationis. Sbroz. *num.* 5. citatis plurimis.

2. Limitandum tamen hoc ipsum , ubi auxilium brachii sæcularis justè & in subsidium petitur. Sbroz. *n.* 6. citans *c.* 1. *de statu Monachor.* & DD. *in c. cùm non ab homine. de Judic. c. significasti. de off. ordinar.* siquidem brachium sæculare invocandum non nisi ubi necesse,& servato juris ordine, hoc est, ubi alia juris remedia deficiunt. Sbroz. *n.* 7. citatis Federic. de Senis *cons.* 251. *col. fin.* Covar. *qq. pract. c.* 10. *n.* 1. Roland. *cons.* 37. *n.* 5. *& seq.* Felin. Abb. &c. & sic præcedente sententiâ nullâ,non debet concedi brachiũ. Feder. de Sen. *l. c.* Roland. *l. c. n.* 7. Alciat. *in c.* 1. *de off. ordinar. n.* 126. ubi , quòd in crimine sæculari vel mixto non teneatur judex sæcularis præstare Episcopo auxilium,nisi sibi fiat fides de processu. Plura de hoc vide apud Sbroz. *à n.* 8.

*Quæstio* 214. *Num Vicarius generalis Episcopi possit exequi suam sententiam?*

REspondeo affirmativè. Sbroz. *l.* 2. *q.* 129. *n.* 1. citatis Cuch. *instit. jur. can. de Vicar. Episc. num.* 66. Conrad *de potest Vicar. num.* 3. Rebuff. *in pr. tit. eod. num.* 18. Abb. & Innoc. *in c. cùm ab Ecclesiarum &c.* Secus est in Vicario foraneo , qui non facit idem cum Episcopo tribunal. Sbroz. *l. c. n.* 2. citans Abb. *in c. si quis contra.* Num verò delegatus possit exequi sententiam suam, non resolvit Sbroz. sed remittit ad Gloss. & DD. *in c. si quis contra.*

*Quæstio* 215. *Num Vicarius generalis Episcopi possit se intromittere in causa Vicarii specialis?*

REspondeo : Dum Episcopus præter Vicarium suum generalem constituit & alium specialem, non posse Vicarium se intromittere in causa ei commissa , tradunt Gemin. *in c. licèt. de off. Vicar. in* 6. *n.* 13. & Franc. *col.* 2. apud Sbroz. *l.* 2. *q.* 139. *n.* 2. cum quibus ipse sentire videtur ; eò quòd Episcopus delegando causam aliquam alicui videatur eam avocare à suo Vicario,ut Innoc. *in c. Romana. de appell.* Franc. *in c. dilecti eod. tit. q.* 2. Bertach. *de Episc. l.* 4. *part.* 1. *n.* 25. *in fine* apud Sbroz. *n.* 3. Contrarium tamen tenet apud eundem *n.* 1. Bero. *cons.* 22. *n.* 40. *vol.* 1. eò quòd iste Vicarius specialis videatur deputatus accumulativè , non autem privativè. Quæ ejus ratio magis procedere videtur , dum deputatus esset ad certum aliquod , genus causarum vel pro certa parte diœceseos;non verò illa,ubi deputatus esset ad unam in specie seu in dividuo causam ; tum enim prævalere videtur ratio aliorum AA.

*Quæstio* 216. *An Vicarius cogere possit possessorem beneficii ad exhibendum titulum?*

REspondet Sbroz. *l.* 2. *q.* 128. quòd cogere possit ad hoc illicitum beneficii possessorem,citat pro hoc *c. ordinarii. de off. ordinar. in* 6. & Anchar. *cons.* 60. *n.* 2. vide de hoc dicta à me alias *in Foro benef.* ubi de possessione annali & triennali.

*Quæstio* 217. *An Vicarius sine speciali commissione cogere possit Parochos ad sibi adjungendos cooperatores?*

REspondeo affirmativè. Fagn. *in c. quoniam. de off. delegat. n.* 6. Tridentinum enim *Sess.* 21. *c.* 4. committens hoc ipsum Episcopis hisce expressis : *Episcopi , etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus , in quibus populus ita numerosus sit,ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo,cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda,& cultum divinum celebrandum* , utitur, ut vides,dictione illa *etiam*,quæ,ut sæpe dictum,est implicativa jurisdictionis ordinari. An verò ex eodem capite erigere possit novas Parochias sine speciali mandato,dicetur alibi , ubi de potestate Vicarii in materia beneficiali. Vide tantisper Fagn. *l. c.* & Sbroz. *l.* 2. *q.* 117.

*Quæstio* 218. *Num possit Vicarius imperitis Rectoribus assignare Vicarios aut Coadjutores?*

1. REspondeo hoc ipsum,quod Tridentinum *Sess.* 21. *c.* 6. committit Episcopis hisce expressis: *quia illiterati & imperiti parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minùs apti sunt Officiis , Episcopi,etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati iisdem illiteratis & imperitis , si aliàs honestæ vitæ sunt, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare , partemque fructuum iisdem pro sufficiente victu assignare,vel aliter providere possunt &c.* idipsum inquam non posse sine speciali mandato Episcopi ejus Vicarium generalem , tenent Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 21. Barbos. *de potest. Episc. lleg.* 54. *num.* 73. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 164. Sbroz. *l.* 2. *q.* 212. *num.* 1. *in fine.* Ratio tamen,quam is adjungit,parum probat , nempe quia Vicarius non potest destituere & privare beneficio , uti nec uniones Ecclesiarum revocare ; hæc enim valde diversa sunt, & magis ardua,quàm imperito Rectori constituere Vicarium aut Coadjutorem temporalem. Melior est ista , quam à pari deducit *num.* 3. *& seq.* nempe quod sicut Legatus de latere , qui gerit vices Papæ. *c.* 1. *& c. quod translationem. de off. Legat.* non potest dare Episcopis Coadjutores sine speciali mandato Papæ. ut *c. quod translationem.* Gl. *in c. unic. de cler. ægrot. in* 6. *not.* 1. ita nec Vicarius Episcopi dare possit Coadjutores Prælatis inferioribus vel Rectoribus sine speciali mandato Episcopi. Item sicut datio Coadjutoris Episcopalis videtur esse de majoribus Papæ reservatis *cit. c. quod translationem. & ibi* Gl. & DD. ita etiam datio Coadjutoris presbyteralis videatur esse de reservatis Episcopo , & consequenter non comprehensa in generali commissione Vicariatûs, citat pro hac sua sententia Paris.

Paris. *conf.* 10. *num.* 7. *vol.* 4. Put. *decis.* 239. *in princ. l.* 2.

2. Verumtamen inhærendo doctrinæ Fagnani, de qua *quæst. præced.* videtur contrarium, nempe id posse Vicarium sine speciali mandato ob eandem rationem; quia nimirum Trident. *cit. c.* 6. utitur termino illo *etiam*. Et id non minùs spectat ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, & erat de jure communi jam ante concessum Episcopo, ut ipse fatetur Sbrozius *cit. num.* 1. ubi: *quòd etiam antiqui canones probavere ob alios Rectorum vel etiam inferiorum Prælatorum defectus, nimirum ut iis ab Episcopo statuantur Vicarii vel Coadjutores.* Et certe id magis arduum non est, quàm adjungere Rectori cooperatorem ob amplitudinem Parochiæ, & parochianorum multitudinem. Pari modo ex generali commissione Vicariatûs habere Vicarium facultatem deputandi Vicarios idoneos in parochialibus, à quarum residentia rectores absunt dispensati pro hoca Papa, modò non agatur de exemptis, tradit Fagn. *in c. quoniam. de off. deleg. n.* 21. eò quòd hæc Vicariorum in hoc casu deputatio jure ordinario ante Tridentinum spectabat ad Episcopos. *c. cum ex eo. §. porrò. de elect. in* 6. ac proinde Trident. *Sess.* 6. *c.* 2. ubi id committit Episcopis, utatur istis terminis: etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

*Quæstio* 219. *An sine speciali mandato Episcopi Vicarius constituere possit œconomum in beneficio vacante?*

Respondeo, negat hoc ipsum Ventrigl. *l. c. n.* 13. citat pro hoc Sbrozium *l.* 2. *q.* 112. ubi is de hoc nihil. uti nec *q.* 212. Verum videtur probabilius contrarium deduci ex responsione ad quæstiones binas præced. vide me *For. beneficialis p.* 2. *q.* 682. *n.* 3.

*Quæstio* 220. *Num Vicarius possit restituere clausuram monialium, earumque monasteria gubernare, pro ut præcipitur Episcopis, per Tridentinum* Sess. 25. de regular. c. 5. & 9.

Respondet affirmativè Fagn. *l. c. n.* 36. ubi: *præcipitur Episcopis, ut in monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis verò, id est, exemptis, Sedis Apostolicæ auctoritate procedant: idemque prius statuerat Bonifac. VIII. c.* periculos. de statu Regular. in 6. *quò sit, ut quò ad non exempta idem jus competat Vicario generali Episcopi; quò vero ad alia non item, nisi ei ab Episcopo specialiter committatur; quia subjiciuntur Episcopo monasteria Sedi Apostolicæ immediate subjecta, quæ priùs ei non suberant, jubetur Episcopus simpliciter procedere tanquam delegatus. Unde fit, ut absque speciali commissione hoc jus in Vicarium generalem non transeat.*

# CAPUT QUARTUM.

## De potestate Vicarii in re beneficiaria.

### PARAGRAPHUS I.

### De potestate Vicarii circa erectionem extinctionem & ablationem beneficiorum.

*Quæstio* 221. *Num Vicarius erigere possit novam dignitatem aut beneficium simplex, seu suum ad hujusmodi erectionem præbere consensum?*

1. Respondeo primò: Vicarius novam omnino dignitatem erigere nullatenus potest; quia nec id potest Episcopus, sed pertinet ad Papam. Lotter. *de re benef. l.* 1. *q.* 14. *n.* 43. Sbroz. *l.* 2. *q.* 31. *n.* 1. citato Abb. *in c. cùm accessissent. de constit.* juxta *c.* 1. *dist.* 22. ubi dicitur: *omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia.* vide me *for. benef. p.* 3. *q.* 964. *num.* 2.

2. Respondeo secundo: sed neque dignitates non novas, sed quæ aliquando fuerunt in Ecclesia, & collapsæ sunt, quasque Episcopus rursus instituere potest, Vicarius erigere de novo nequit sine speciali mandato Episcopi. Sbroz. *l. c. num.* 2. ubi postquam dixisset: *possunt Canonici creare in sua Ecclesia dignitatem non novam, pro ut Archidiaconatum, Archipresbyteratum, modò intercedat authoritas Episcopi, & dos pro tali dignitate constituatur, ut cit. c. accesserunt, ubi canonista, & in specie Abb. n.* 4. *Felin. n.* 14. *Decius. n.* 9. Et *n.* 3. quæsivisset: an ad hoc sufficiat authoritas Vicarii, pro ut affirmativè responderat pro Vicario Episcopi Vincentini post *conf.* 99. *n.* 43. ratione identitatis, quam habet Vicarius cum Episcopo, subjungit *n.* 4. At, quòd Vicarius hujusmodi auctoritatem non possit interponere sine speciali mandato, probat Jo. de Dio *in c. fin. de off. Vicar. in* 6. Federic. *de sen. conf.* 261. *in princ.* Felin. *in c. cùm accessissent. n.* 15. & Decius. *n.* 9. & contra Vicarium Episcopi Vincentini respondit Jo. Baptis. Ferret. *conf.* 324. *n.* 4. & latius *conf.* 343. *n.* 3. Uti etiam idem iisdem ferè verbis sentit Fagn. *inc. non amplius. de institutionib. n.* 79. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 80. Quin etiam id non posse Vicarium, etsi habeat mandatum cum expressione aliquorum specialium, secutâ dein clausulâ generali, tradunt Sbroz. *l. c. n.* 9. & Fagn. *cit. n.* 70. *in fine.* Ferret. *conf.* 327. *num.* 7.

3. Respondeo tertio: sed neque sine speciali mandato erigere potest Vicarius novum beneficium in ecclesia, sive ad hoc præstare consensum suum & authoritatem. Sbroz. *l.* 2. *q.* 32. citans Ferret. *ubi ante.* Fagn. *l. c. n.* 80. Barbos. *l. c.* Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 188. ubi: *non valet authoritatem interponere erectioni novi Canonicatûs aut beneficii, à Canonicis, sive ab aliis fundati,* ut Felin. *in c. cùm accessissent. n.* 15. Decius *n.* 9. Et specialiter etiam quòd erigere nequeat Vicarius, habet *ibidem* Pax Jord. Rationem ex Jo. And. dat Fagn. quòd sicut Vicarius Episcopi non potest beneficium conferre, nec illo privare, ita nec illud creare.

*Quæstio* 222. *An erigere & constituere possit novas Parochias?*

1. Respondeo primò: si sermo est de erectione novæ Parochiæ, quæ fit in loco, ubi nulla fuit, aut de facto est Parochia, sive quæ contingit sine dismembratione vel divisione antiquæ Parochiæ, pariter loquendum erit de erectione Parochiæ ac alterius beneficii; cùm Ecclesia parochialis sit verum beneficium. Et de his parochiis loqui videntur Fagnan.

nan. *l. 2. n. 80.* Pax Jord. *l. c.* juxta *c. ad audientiam il primo de Eccles. ædific. & c. nemo. vers. venia. de consecrat. dist. 1.*

2. Respondeo secundò: si sermo est de erectione novarum parochiarum, quæ contingit cum divisione antiquarum, idipsum posse Vicarium sine speciali mandato negat Sbroz. *l. 2. q. 117. n. 2.* & probat ex textu *cit. c. nemo. junctâ Glossâ.* Item ex eo, quod per erectionem novarum Parochialium antiquæ Parochiæ dividantur; adeoque sicut Vicarius non potest dividere Ecclesias sive parochias sine speciali mandato Episcopi (ut fusè probat idem Sbroz. *l. c. q. 116. à n. 3.* citatis plurimis) parimodo eas erigere non possit. Verumtamen contrarium, nimirum quod id possit sine speciali mandato Vicarius, tradere videtur Fagn. *in c. quoniam. de off. delegat. num. 26.* ubi, dum quærit, an Vicarius possit, quæ Episcopo committuntur per Tridentinum *Sess. 21. c. 4.* (committitur autem ibi illi inter cetera, ut in ijs, intellige, Ecclesiis parochialibus, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam constitutionis Alex. 3. quæ incipit *ad audientiam*, constituere possit) respondet, videre id posse Vicarium propter dictionem illam *etiam* (quâ utitur Tridentinum dicendo: etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati) quæ, ut dictum, est implicativa jurisdictionis ordinariæ competentis de jure communi, quâ id aliàs quoque poterant Episcopi, juxta *cit. c. ad audientiam*; ea autem, quæ jurisdictionis ordinariæ sunt, vi generalis commissionis Vicariatûs sine speciali mandato transeant in Vicarium. Quod tamen postremum non usque adeò illimitatè loquendo verum videtur; cùm plena ad ordinariam Episcopi jurisdictionem spectent, quæ tamen, quia ardua (uti inter ardua numeranda videtur dicta parochiarum erectio) sine speciali Episcopi mandato non transeunt in Vicarium. Quòd si tamen etiam obstarent derogationes, provisiones, suspensiones, quibus *cit. loc.* derogat Tridentinum, indubitatum est, talem facultatem non competere Vicario sine speciali subdelegatione; cùm jam ad novas parochias erigendas procedere nequiret Episcopus, nisi jure delegato illi per Tridentinum *l. c.* dum vi dictarum suspensionum, provisionum &c. sublata ei erat facultas hæc competens ei aliàs jure communi. Fagn. *cit. n. 26.* plura de his infra, ubi an valeat beneficia dismembrare & dividere.

*Quæstio 223. Num sicut Episcopus potest beneficia simplicia, etiam juris patronatûs, transferre, quæ ob inopiam restaurari non possunt, in Ecclesias matrices, vel alias vicinores, vocatis, quorum interest juxta dispositionem Tridentini* Sess. 21. c. 7. *ita idem possit Vicarius?*

Respondeo id Vicarium non posse sine speciali mandato, tenent Sbroz. *l. 2. q. 117. num. 3.* computans id inter ardua. Barbos. *de potest Episc. alleg. 54. n. 81.* citans Leo. *Thes. fori Eccles. p. 2. c. 16. num. 17.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 33.* citans insuper Meroll. *Theol. mor. p. 3. disp. 7. c. 6. dub. 21. num. 999.* Fagn. *in c. non amplius. de Institut. num. 85.* ubi expresse: *Vicarius generalis absque speciali mandato non potest Ecclesias de loco in locum transferre per Innoc. & Abb. in c. ad hæc. de off. Archid. & per* DD. *in c. fin. de off. Vicar. in 6.* Verùm inhærendo doctrinæ, quam idem Fagnan. tradit *in c. quoniam. de offic. delegati*, de qua *quæst. præcedent*, loquendum hic de hac translatione, sicut de erectione novarum parochialium; cùm Tridentinum non minùs *cit. loc.* utatur dictione illa *etiam*, quàm *Sess. 21. c. 4.* & Episcopus non minùs de jure communi & ordinaria jurisdictione translationes hujusmodi facere poterat, quam dictas parochiarum erectiones.

*Quæstio 224. An Vicarius possit aliquem amovere & privare beneficio officio, aut muneris administratione?*

1. Respondeo non posse Vicarium sine speciali mandato destituere aliquem, seu privare beneficio. Sbroz. *l. 2. q. 111. num. 7.* citans Anchar. *cons. 60. num. 1.* Gloss. & DD. *in c. 1. de Capell. Monachor. in 6.* & gloss. Dominic. Franc. & alios. *in c. licet. de off. Vicar. in 6.* Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 13.* Barbos. *de off. potest. Episc. allegat. 54. n. 79.* Card. de Luca *d. 77. n. 14.* Porrò etiam in commissione ampliſſima data Vicario ab Episcopo, in qua dictum fuit, ut omnia possit, quæ ipse Episcopus, adhuc non venit potestas destituendi beneficiatos, juxta Paris. *de Resign. l. 7. q. 24. num. 10.* Sic jam etiam non poterit Vicarius cognoscere de institutione facta per Episcopum, & ad petitionem patroni removere institutum per Episcopum. Sbroz. *l. 2. q. 112. num. 2.* citans Lapum *in c. licet. de off. Vicar. in 6.* Anchar. *ibidem num. 2.* Gemin. *num. 6.* Franc. *col. 3.* Calder. *cons. 2. tit. de off. Vicar.* Bertach. *de Episc. p. 6. l. 4. q. 29. num. 19.* Rebuff. *in pr. tit. forma Vicar. nu. 156.* Cuch. *instit. jur. can. de Vicar. Episc. num. 89. & 110.* contra Jo. And. & alios. Nec obstat primò, quòd agatur civiliter petendo declarari, præsentatum jus nullum habere. Nam ut Sbroz. *l. c. n. 7.* citans Anchar. Franc. Gemin. *ubi ante*, id non militat in præsentatis institutis ab Episcopo, sed in iis, qui fuerunt instituti ab inferioribus Episcopo. Neque obstat secundò, quòd Vicarius cognoscere possit causas matrimonii carnalis non solùm ex eo, quòd secundum Sbrozium *cit. num. 6. in fine* cognitionem quoque causarum matrimonialium non habeat sine speciali mandato Episcopi; sed etiam ex eo, quòd cognitio illa de institutis ab Episcopo, seu quasi ab eo copulatis Ecclesiæ seu beneficio, videatur esse ex magis arduis, quam cognitio causarum matrimoniorum carnalium. Quò etiam facit, quod loco ampliationis addit Sbroz. *n. 7.* nimirum, quòd adhuc Vicarius nequeat cognoscere de institutione facta ab Episcopo in ordine ad removendum institutum, etiamsi in mandato seu commissione Vicariatus exprimerentur aliqua exigentia speciale mandatum, secutâ clausulâ generali; citatis pro hoc Gemin. Franc. Lap. *ubi ante.*

2. Respondeo secundò: etiam non potest amovere aliquem ab officio vel administratione. Ventrigl. Barbos. *locis cit.*

3. Respondeo tertiò: neque ex generali mandato potest beneficiatos privare exercitio sui muneris, & alios illis subrogare. Et sic, si ob imperitiam vel ob depravatos mores Rectoris constituendus esset Vicarius, id generalis Vicarius non poterit ex generali mandato. Castropal. *tract. 13. d. 2. p. 30. n. 4.* citans Covar. *l. 3. Var. c. 20. n. 7.* Barbos. *de potest. Episc. allegat. 54. n. 73.* ubi is: quòd Coadjutores Vicarios imperitis Rectoribus Ecclesiarum secundùm formam Tridentini. *Sess. 21. c. 6.* Sine speciali concessione non licèt Vicario deputare &c. ubi notandum, aliud esse deputare talibus coadjutores seu Vicarios, qui coadjuvent, aliud omnino removere Rectores ab exercitio sui muneris.

*Quæstio*

*Quæstio 225. Num Vicarius sine speciali mandato possit supprimere Beneficium.*

REspondeo negativè. Sbroz. *l.* 2. 117. *n.* 5. Fagn. *in c. non ampliùs. de Institut. n.* 74. *&* 86. citantes Rotam apud Put. *decis.* 53. *l.* 3. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 12. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 160.

*Quæstio 226. An Vicarius possit uniones Beneficiorum revocare.*

REspondeo quemadmodum Vicarius sine speciali mandato uniones facere non potest, sic nec uniones factas revocare potest sine tali speciali mandato; ejusdem enim naturæ est distractus, cujus est contractus, eademque solennitas (adde & authoritas, quæ requiritur in construendo, requiritur etiam in destruendo. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 12. citans Meroll. *Th. mor. p.* 3. *c.* 6. *dub.* 24. Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 160. Sbroz. *l.* 2. *q.* 116. *n.* 3. contra Gabr. *conf.* 200. Estque talis dissolutio species aliqua alienationis. Sbroz. *l. c. n.* 6. Adeòque requirit speciale mandatum. Quamvis autem videri posset Vicarius habens speciale mandatum ad faciendas uniones, habere hoc ipso etiam potestatem dissolvendi uniones saltem à se factas; Cùm per easdem causas, per quas res nascitur, per easdem etiam destruatur; contrarium tamen videtur verum, argumento illius quòd licèt habeat ab Episcopo specialiter potestatem conferendi Beneficia, non habeat hoc ipso quoque facultatem destituendi beneficiatos.

*Quæstio 227. An Vicarius possit dismembrare Beneficia.*

REspondeo negativè. Pax Jord. *l. c.* vide dicta supra, ubi de dividendis à Vicario Parochiis.

## PARAGRAPHUS II.

### De potestate Vicarii circa Juspatronatus præsentationem, institutionem, confirmationem, electionem.

*Quæstio 228. An Vicarius Generalis Episcopi sine speciali ejusdem consensu reservare possit Juspatronatus, seu reservationem illius in constructione Ecclesiæ, fundatione & dotatione illius authorizare possit consensu suo.*

1. REspondeo negativè. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 7. *n.* 3. Castropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 2. *n.* 9. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 9. *n.* 75. citans Calder. *conf.* 3. *de off. Vicar.* Ferret. *conf.* 327. 343. *&* 344. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. Vicarius* §. 11. *&* 13. *&c.* Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 74. citatis Viviano *in pr. jurispat. p.* 1. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 24. Gratian. *discept. for.* 303. *n.* 12. Rotam *in Neptina jurisp.* 23. *mart.* 1611. Item Carol. de Luca *ad Ventrigl. Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 6. Sbroz. *l.* 1. *q.* 31. *n.* 4. citatis plurimis. Card. de Luca. *d.* 55. *de jurep. n.* 5. ubi, postquam dixisset: *affirmativam* (nempe sufficere consensum Vicarii ad erectionem illam primam jurispat.) *Suadet illa ratio non incongrua, quòd id non est alienare, sed acquirere, atque rem utilem pro Ecclesia facere, ut sentire visa est Rota in Auximana jurisp* 12. *Jun.* 1615. *& in Clausin. jurisp.* 4. *Jul.* 1636. subjungit: *Veriam negativa est verior, magisque recepta, &c.* contrarium sentientibus Port. *conf.* 99. *n.* 43. Apud Sbroz. item Meroll. *Th. mor. p.* 3. *c.* 6. *dub.* 24. *n.* 75. *&* 391. Et ratio est, quod sicut conferre & instituere nequit beneficia, ita etiam in eorum erectione imponere nequit illis dictam servitutem. Castrop. Lotter, *l. cit.* 2. Ampliatur responsio, quòd ne quidem id possit Vicarius Episcopo absente à civitate vel Diœcesi; eò quòd absentia Episcopi non ampliet facultatem Vicarii, nisi in casibus in jure expressis. Sbroz. *l. c. n.* 6. ex Ferret. *conf.* 327. *n.* 6. Idem tenuisse Rotam in illa Neptina testatur Barbos. *l. c.* & tenet expresè Tond. *qq. benefic. p.* 2. *c.* 4. §. 9. *n.* 19. ubi: *non tamen etiam in remotis & extra montes existente Episcopo, potest donationem jurispatronatus aut ejus erectionem in favorem laici authorizare Vicarius* citat Ferret. *conf.* 327. *l.* 2. quamvis Sbroz. *l. c. n.* 7. tenere videatur contrarium, hoc nixus fundamento, quod tradidit *l.* 2. *q.* 30. *à n.* 13. quòd nimirum in absentia Episcopi consensum Episcopi requisitum supplere queat Vicarius. E contra restringit responsionem Carol. de Luca. *l. c.* ita, ut id non possit Vicarius sine speciali mandato Episcopi, nisi ubi adesset observantia perpetui temporis in contrarium.

3. Porrò Vicarium præsumi habuisse sufficientem facultatem (intellige ex speciali concessione Episcopi) præstandi assensum erectioni jurispatronatus, etiam minore spatio 30. Annorum, censuisse Rotam *decis.* 702. *n.* 1. *recent. impressa apud Farinac.* testatur Barbos. *l. c.* Sic quoque ait Cardina. de Luc. *l. c. n.* 6. quòd facilius isto casu (intellige primæ erectionis jurispatronatus, quàm in altero donationis vel alterius alienationis jurispatronatus ista facultas præsumptivè seu adminiculativè admittatur, ut occasione præsumptæ probationis resultantis advertitur; potissimum verò circa præsumptionem resultantem à facultatis concessione circa collationem Beneficiorum, sive ab Episcopi absentia cum longa distantia. Ratio autem differentiæ inter istum consensum præstandum novæ fundationi, & alterum præstandum alienationi jurispatronatus, quod isto secundo casu mora non ita causare possit irreparabile præjudicium sicut potest in primo; quia scilicet habens bonum propositum fundandi Ecclesiam vel Beneficium potest interim mori vel pœnitere; ideoque faciliùs in Vicario absente præsertim Episcopo ista facultas admittenda est. Cardin. de Luca *cit. d.* 55. *n.* 6. eadem ferè habens *d.* 56. *n.* 8. ubi: *in casu fortiori consensus præstandi novæ erectioni aliquam peculiarem rationem habenti, ut in Vicario absente Episcopo talis potestas admittenda, vel de facili præsumenda sit; quia periculum in mora subesse potest, &c.*

*Quæstio 229. Num igitur primodo sine speciali mandato Vicarius consensu suo authorizare nequeat donationem jurispatronatus.*

1. REspondeo affirmativè. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 45 *q.* 1. Corrad. *in prax. benef. l.* 4. *c.* 5. *n.* 15. Garc. *l. c. n.* 77. Barbos. *l. c. n.* 75. citans Zerol. *in pr. Episc. V. Vicarius.* §. 11. *&* 11. Rebuff. *in pr. tit. forma Vicar. n.* 184. Riccium *in prax. aurea resolut.* 469. Ferret. *conf.* 344. *n.* 1. *vol.* 2. Ugolin. & alios. Tondut. *l. c.* Card. de Luca *de jurep. d.* 28. *n.* 13. citans pro hoc Cavaler. *decis.* 638. *n.* 3. Rotam *decis.* 576. *n.* 1. *p.* 1. *recent. decis.* 224. *n.* 10. *part.* 8. *decis.* 430. *n.* 3. *&* 4. *p.* 9.

2. Ampliatur idipsum, ut id nequeat Vicarius in casu absentiæ Episcopi. Tondut. *l. c.* Barbos. *cit. n.* 75. citans Ferret. *conf.* 347. *n.* 17. Corrad. *l. c.* Card.

de Luc. *l. c. n.* 14. ubi : *ad tertium* abſentiæ (ſive in caſu abſentiæ Epiſcopi) *dicebam regulam eſſe in contrarium, quòd abſentia Epiſcopi non ampliet facultatem Vicarii, ut Rota deciſ.* 337. *n.* 5. *p.* 2. *recent.* Ampliatur ſecundò; ut non valeat conſuetudo in contrarium, niſi ſit quadragenaria vel immemorialis; quia talis conſuetudo in omnem eventum eſt contra jus. Corrad. Barboſ. *l. cit.* citante Barboſa pro hoc Ferret. *conſ.* 345. *n.* 5. *& ſeq.* Rotam *deciſ.* 576. *p.* 1. *recent. n.* 1. Ampliatur tertiò, ut non præſumatur tale mandatum ſpeciale ad hoc conceſſum Vicario ab Epiſcopo, etiam ex lapſu longi temporis, niſi ſit enunciatum. Corrad. Barboſ. *loc. cit.* Barbosâ citante pro hoc Rotam *in Lucarie juriſp.* 30. *Jan.* 1614. *coram Manzanedo.* Ampliatur quartò; ut non poſſit id ipſum adhuc Vicarius, etiamſi haberet ſuas literas patentes cum clauſula generali, nempe : *nec non omnia & quæcunque alia gerendi & exercendi, quæ idemmet Epiſcopus facere poſſet, ſi perſonaliter intereſſet* : Card. de Luca *cit. n.* 14. Corrad. *loc. cit. ex* Anton. *de Marin. quotidianar. reſolut. reſol.* 230. *n.* 8. Ampliatur quintò : etiamſi in literis Vicarii contineretur facultas collationis Beneficiorum tam ſimplicium quàm curatorum; nam etſi videretur hinc bene fieri argumentatio à facultate conferendi ad facultatem authorizandi donationem jurispatronatus, dum iſta ſit quid majus hac; adeòque Epiſcopus, qui dedit plus, cenſendus ſit dediſſe & minus : minùs tamen rectè ſic concluditur ob rationis diverſitatem; tum quia Eccleſiæ vacantes non debent pati præjudicium diuturnæ vacationis; tum etiam ob periculum devolutionis ob collationem non factam in tempore, & in tantùm collatio videtur actus neceſſarius, dum interim donatio jurispatronatus ſit actus voluntarius. Ita ferè Card. de Luc. *cit. n.* 14.

*Quæſtio* 230. *Num Vicario in inſtitutione dicenti de jurepatronatus in præjudicium Epiſcopi credatur.*

REſpondet negativè Sbroz. *l.* 2. *q.* 117. citato Maſcard. *de probat. concl.* 956. *n.* 28.

*Quæſtio* 231. *An, dum præſentatio ſpectat ad Epiſcopum, Vicarius ſine ſpeciali mandato loco illius poſſit præſentare?*

1. REſpondeo negativè. Ventrigl. *loc. cit. n.* 14. Barboſ. *de Poteſt. Epiſc. allegat.* 54. *n.* 82. citans Paul. de Citadin. *de jurepat. p.* 6. *q.* 41. *& ſeq.* Roch. de curte *tract. eod. v. honorificum. q.* 5. Lambertin. *tract. eod. p.* 3. *l.* 2. *a.* 5. *q.* 1. *n.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 82. Sbroz. *l.* 2. *q.* 10. *n.* 2. contra Caſtropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 30. *n.* 15. præſentatio enim dici poteſt donatio. Sbroz. *l. c. n.* 3. ex Abb. *in c. fin. de conceſſ. præbend. n.* 5. & ideo eget ſpeciali mandato. Et ut Sbroz. *ibidem. n.* 4. Procurator ſine ſpeciali mandato Domini non poteſt donare. *L. procurator. l. mandato ff. de procur. & l. procuratorum. Codic. eod.*

2. Ampliatur reſponſio, ita ut etiamſi haberet facultatem conferendi, adhuc nequiret præſentare, etſi præſentare quid minus ſit quàm conferre; cùm aliud ſit conferre, aliud præſentare, & dare mandatum ad conferendum non ſit ad præſentandum. Garc. *l. c. n.* 83. niſi tamen, ut ſubjungit Garc. eſſet adjecta clauſula generalis.

*Quæſtio* 232. *An Vicarius habens ſpeciale mandatum ad præſentandum poſſit præſentare ſeipſum.*

REſpondet negativè Sbroz. *cit. q.* 110. *n.* 5. citans *6. per noſtrum de jurepat.* Pavin. *de poteſt. capit. Sed. pac. p.* 2. *q.* 5. *in fine*, ubi idipſum ampliat; ut neque ſubſtitutus præſentare poſſit ſubſtituentem. Valet enim hic ratio, quæ alias dari ſolet, cur Procurator (qualis etiam reſpectu ſui Epiſcopi dicitur Vicarius) conſtitutus à patrono ad præſentandum præſentare nequeat ſeipſum; quia nimirum Beneficium à propria cujusque voluntate originem habere nequit; cùm alias eſſet locus ambitioni, ut Gonzal. *ad regul.* 8. *cancell. gl.* 2. *n.* 27. Caſtropal. *l. c. p.* 2. *n.* 2.

*Quæſtio* 233. *An Vicarius habens ſpeciale mandatum ab Epiſcopo ad præſentandum poſſit præſentare illum ipſum Epiſcopum ſuum?*

REſpondeo negativè, etiam dum Epiſcopus Beneficii iſtius aut dignitatis, ad quæ præſentatur, capax eſſet. Habet enim hic locum, quod dixi in *Foro Benef. p.* 2. *q.* 164. nempe non poſſe patronum per alium à ſe delegatum, ſive cui pro ea vice poteſtatem præſentandi commiſit, præſentari. Et ſic procuratorem conſtitutum à patrono ad præſentandum non poſſe virtute dicti mandati præſentare ſuum patronum, ut Pith. *ad tit. de jurep. n.* 92. Corrad. *in pr. Benef. l.* 4. *c.* 2. *n.* 17. Caſtropal. *cit. p.* 7. *n.* 3. Pariſ. *de reſignat. l.* 9. *q.* 17. *n.* 113. contra Riccium *p.* 1. *ſor. Eccleſ. deciſ.* 197. *n.* 216. apud Corrad. Ratio reſponſionis eſt; quia ſic Epiſcopus patronus ſaltem virtualiter præſentaret ſeipſum. Caſtropal. *loc. cit.* cum delegatus & procurator quidquid agit qua talis, non ſuo ſed ſui principalis nomine agit, cujus vices gerit. Pith. *loc. cit.* adeòque idem eſſet, ac ſi præſentatio facta ab ipſo Epiſcopo Patrono, qui hac ratione ambitionis notam non evitat. Corrad. *l. c.* Corrad. *l. c. n.* 18.

*Quæſtio* 234. *An Vicarius ſine ſpeciali mandato inſtituere poſſit præſentatos à patronis?*

1. REſpondeo affirmativè. (vide me ipſum *For. benef. p.* 2. *q.* 171.) Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 14. citans Pariſ. *de reſignat. l.* 7. *q.* 14. *n.* 29. Cardin. de Luca *de jurepatr. d.* 64. *n.* 33. Tondut. *qq. Benef. p.* 1. *c.* 118. *n.* 35. Sbroz. *l.* 2. *q.* 111. *n.* 13. citans *n.* 1. pro hac ſententia ingentem turmam authorum. contra Cardin. *in clem.* 2. *de jurep. q.* 2. Imol. *ibidem circa finem.* Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. n.* 126. & alios quos citat. *n.* 3. quin & quod teneatur de neceſſitate inſtituere Vicarius, ex Ferret. *conſ.* 344. *n.* 2. tradit *cit. n.* 3. Probatur reſponſio ex textu *c. ex frequentibus. de inſtitut.* ubi dicitur, poſſe clericos inſtitui ab Officialibus Epiſcopi, qui hoc de jure poſſunt. Neque dicas, ex hoc contextu potius evinci contrarium; eò quòd, dum dicitur : *Officiales, qui hoc de jure poſſunt* : intelligantur non omnes Officiales ſeu Vicarii Epiſcoporum, ſed ii ſolùm, quibus id à jure permiſſum eſt, nulli autem Officiali id permiſſum ſit à jure, niſi qui habet ſpeciale ad hoc mandatum Epiſcopi. Nam ille intellectus dicti textûs, ut ait Sbroz. *cit. n.* 13. ex Abb. *in cit. c. ex frequentibus. n.* 8. cavilloſus eſt. Nam eſto, reſtringatur illa poteſtas inſtituendi ad ſolos Officiales Epiſcoporum, qui id de jure poſſunt, ſive quibus id de jure permiſſum; malè tamen reſtringeretur ad illos, qui id poſſunt de ſpeciali mandato Epiſcopi, ſive malè dicitur, illos ſolos id poſſe, ſive illis ſolis id à jure permiſſum, qui ad hoc ſpecialem commiſſionem habent. Et perperam intelligi dicto modo hunc textum ex eo patet, quòd, cùm plures ſint Vicariorum Epiſcopi ſpecies, relativum illud *qui* potiùs reſtringit ad Officiales ſeu Vicarios Epiſcopi generales [ qui ſoli id de jure poſſunt ] ad ex-

exclusionem Vicariorum foraneorum Episcopi; cùm Generales illi Vicarii jurisdictionem ordinariam, & idem tribunal cum Episcopo habeant, & instituere in Beneficio ad jurisdictionem Episcopalem spectat. *c. conquerente. de off. ordinar.* & *ibi* Abb. *n. 2.* Speculat. *tit. de jurisdict. omn. Judic. n. 30.* & alii apud Sbroz. *cit. n. 13. in fine.*

2. Sed neque responsioni nostræ obstat Tridentinum, dum *sess. 14. c. 13.* disponit, quòd non liceat patrono quoquo modo præsentare aliquem ad Beneficia sui jurispatronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem institutio ipsius Beneficii pertinet; nam malè ex eo, quòd Episcopo competat instituere, infertur, id non competere quoque ejus Vicario; cùm plura quoque alia, etiam vi ipsius Tridentini, competant, & in eo competere dicantur Episcopis, absque eo quòd mentio fiat Vicariorum Episcopi, sive absque eo quòd eadem expressè dicantur competere quoque Vicariis. Et Tridentinum volens Vicarium Episcopi excludere, uti solet hujusmodi verbis: *Episcopis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum*: ut *sess. 24. c. 6.* unde jam *cit. c. 13.* prohibetur aliis quàm Episcopis instituendi facultas ratione ordinariæ jurisdictionis, quæ residet in Episcopo, quæ ratio militat etiam in ejus Vicario, qui quoque Ordinarius est. Sbroz. *l. c. num. 16.*

3. Ampliat responsionem Sbroz. *n. 19.* ut etiam Vicarius possit recipere & admittere resignationem simplicem in ejus manibus factam alicujus Beneficii, spectantis ad Episcopi institutionem vel collationem, tanquam ipsius institutionis præambulam. Verùm de hoc melius statues ex dicendis paulò infra, ubi quid possit Vicarius circa recipiendas resignationes.

### *Quæstio 235. Num Vicarius instituere possit extra Diœcesin?*

1. REspondeo quemadmodum Episcopus ipse extra suam Diœcesin instituere potest, contradictore non comparente, sive ubi institutio facienda non est in judicio contradictorio, ita etiam id poterit ejus Vicarius generalis, quin & alii inferiores, ad quos spectat instituere. Ego *Fori Benef. p. 2. q. 183.* & de Vicario nominatim Castropal. *tract. 13. d. 2. p. 30. n. 17.* Garc. *de benef. p. 5. c. 8. n. 138. juncto n. 142.* Sbroz. *l. 2. q. 113. n. 4.* citans Gemin. *in c. cùm in Generali. de off. Vicar. in 6.* Boërium, Rotam, &c. Est enim talis institutio actus voluntarius & extrajudicialis. Garc. Castropal. *lit. cit.* Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 2. n. 84.* citans Franc. *in c. fin. de elect. n. 9.* Gonz. *ad Reg. 8. Cancell. gl. 62. n. 9. &c.* qui exerceri potest extra territorium proprium AA. iidem. Contrarium tamen apud Sbrozium *l. c. n. 3.* sentiunt Franc. *in c. in generali. de off. Vicar. in 6.* Abb. *in c. novit. de off. Legat. n. 5.* Roch. *de jurep.* & alii moti per textum *c. statutum. in fine de præb.* Nituntur Baldus & alii hac ratione: quod licèt jurisdictio voluntaria possit exerceri extra Provinciam ab Ordinario, ut Bald. *l. c. n. 1.* Jason. *in l. fin. de jurisd. omn. Judic. n. 7.* Menoch. *de arbit. l. 1. q. 43. n. 19. &c.* apud Sbroz. *l. c. n. 1.* commissio tamen ab inferiore à Principe facta nunquam exerceri possit extra territorium committentis. Bald. *l. c.* Bartol. *in l. cunctos populos. Cod. de sum. Trinit.* Verùm hæc ratio, ut bene Sbroz. *n. 6.* hic locum non habet; cùm loquamur hic non de commissario, qui non est Ordinarius, sed de Ordinario, qualis est Vicarius.

2. Quòd si tamen ad institutionem procederetur cum causæ cognitione & discussione, intellige judiciali, contradictore apparente, non potest fieri extra Diœcesin seu territorium nec causæ cognitio, seu processus, nec institutio, si fit in sententia sine consensu Judicis loci, & partibus non contradicentibus. Quamvis latâ sententia intra territorium de instituendo institutio ipsa fieri possit extra territorium; quia jam est actus extrajudicialis & voluntariæ jurisdictionis. Garc. *loc. cit.* citans Lambert. *de jurep. p. 2. l. 2. q. 2. a. 6. & 3.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 8. n. 6.*

### *Quæstio 236. An Vicarius possit uni ex æqualibus præsentatis gratificari?*

REspondeo posse Vicarium sine speciali mandato ex sola generali facultate non solùm instituere, sed & gratificari in casu gratificationis, modò alias Vicarius habeat mandatum generale non limitatum (potest siquidem expressè aliqua excipere Episcopus in generali commissione Vicariatûs, quæ aliàs cum generali illa commissione transeunt in Vicarium. Sbroz. *l. 2. c. 112. n. 5. & 6.* juxta dicta à nobis supra) Sbroz. *in addit. ad q. 111. l. 2.* Garc. *p. 5. c. 8. n. 88.* citans ac recitans decis. Rotæ *in Calagurit. Beneficii de Haro. 17. Octob. 1580.* Rationem dat Ventrigl. quòd gratificatio illa non sit mera gratia; cùm uni ex præsentatis teneatur Ordinarius gratificari; quia tenetur unum ex iis instituere. Porrò quandonam locum habeat gratificatio illa, & qualiter in ea procedendum, vide fusè apud me *For. Benef. p. 2. q. 193.*

### *Quæstio 237. Insinuatio precum Cæsarearum an & qualiter fieri possit Vicario in casu, quo Episcopus esset collator Beneficii, in ordine ad quod diriguntur preces.*

REspondeo in eo casu absente Episcopo insinuatio precum fieri potest ejus Vicario. Pirhing. *ad tit. de præbend. n. 378.* Chok. *ad preces primarias. pag. 73.* etiam fieri Vicario posset dicta insinuatio, etsi is non esset in Diœcesi; cùm quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, possint exerceri extra territorium. Chokier *cit. n. 73.* Quin &, si postmodum Episcopus conferat alteri, ejus collatio non valeat, etsi dicat, se ignorasse insinuationem factam suo Vicario. Chok *l. c.* citans Rebuff. *de nominat. q. 14. n. 60.* Quòd si etiam Episcopo negligente aut recusante precistæ conferre, hic recurrat ad ejus Vicarium, qui ignarus collationis factæ ab Episcopo alicui, idem Beneficium conferat precistæ, & tertius quoque interim illud idem Beneficium impetrat à Papa, præferendam à Vicario isto factum collationem, si contulit ut executor Apostolicus, vigore precum, asserit Chok. *pag. 72.* eò quòd licèt Vicarius non possit expedire illa, quæ sunt meræ gratiæ, potest tamen expedire, quæ sunt justitiæ & necessitatis, & sic supplere moram Episcopi.

### *Quæstio 238. An Vicarius possit sine speciali mandato confirmare electos?*

1. REspondet affirmativè Garc. *p. 5. c. 8. n. 84.* ubi: *cum ea, quæ sunt justitiæ & necessitatis, expedire Vicarius, poterit confirmare electos & instituere præsentatos.* Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vic. in 6. n. 8.* Pax Jord. *l. 12. tit. 1. n. 150.* Sbroz. *l. 2. q. 70. à n. 3.* (loquitur autem expressè de confirmatione Abbatum, Priorum, &c. non exemptorum, quin & Episcoporum respectu Vicarii Archi-Episcopi) *cit.* atque pro hoc Glos. *in c. fin. de off. Vicarii in 6. V. non possunt.* Et *ibidem* Jo. And. & Anchar. *in ult. q.*

Gemin.

Gemin. *n.* 8. Selvam *tract. de Beneficiis. p.* 2. *q.* 14. *n.* 7. Federic. *de Senis tract. de permut. Benef. q.* 26. Milis *in repert. V. Vicarius Episc.* & alios. Ratio autem, quâ niti illos AA ait; nempe quòd aliud sit conferre, aliud confirmare, si plus non addatur, nullius est momenti; neque sat efficax, quam ipse de suo adducit, nempe quòd confirmare sit de lege jurisdictionis, ut Calderin. *cons.* 200. *de elect.* Pavin. *de potest. Capit. sed. Vac. p.* 2. *q.* 2. *n.* 2. Federic. *de Sen. loc. cit.* Milis *loc. cit.* Vers. jurisdictionis effectus. & alii, quos citat. Sbroz. *loc. cit. n.* 5. quæ autem sunt de lege jurisdictionis, transeunt in Vicarium. Restringit tamen valde Sbroz. hanc suam doctrinam *n.* 8. ut procedat, ubi Vicarius haberet plenum mandatum cum expressione aliquot sperialium & clausulâ: *quòd omnia facere posset, quæ Episcopus, etiamsi mandatum speciale exigant.*

2. E Contra istiusmodi confirmationes requirere speciale mandatum docent Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.* 33. Cuchus. *instit. jur. can. de Vicario Episc. n.* 120. Calder. *cons.* 1. & alii citati à Sbrozio *l. c. n.* 2. cum quibus sentit Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 46. *q.* 1. ubi, postquam dixisset, solere Episcopos, dum assumunt Vicarium generalem, concedere ei potestatem confirmandi Abbates, Priores, similesque non exemptos, addit *in fine* §. *confirmationes*: *hæc tamen potestas in generali mandato non continetur, quare specialiter committitur.*

*Quæstio* 239. *An Vicarius extra Diœcesin constitutus possit confirmare electos.*

REspondeo de hoc pariformiter ac de institutione loquendum. Sic confirmationem fieri posse extra Diœcesin, si fieret sine judicio contradictorio ex sola informatione superioris de electo; secus, si in contradictorio, tradit Sbroz. *l.* 2. *q.* 70. *n.* 7. citatis pluribus. Idem dicit Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 142. ubi: *melius ac distinctius dicendum est cum Lambertin.* de jurep. p. 2. l. 2. q. 2. a. 6. *quòd si ad institutionem vel confirmationem proceditur judicialiter, & cum causæ cognitione seu instante contradictore curiæ seu Fiscali (adde vel aliàs in forma judicii per assignationem auditorii seu stratorum, ut solet fieri) non potest fieri extra territorium nec causæ cognitio seu processus, nec institutio vel confirmatio, si fit in sententia, &c.* sequentia vide *quæst. ante hanc* 4. *n.* 2. Loquitur autem Garc. *loc. cit.* ut patet ex *n.* 138. *n.* 6. expressè tam de Vicario quàm Episcopo confirmante.

## PARAGRAPHUS III.

## De potestate Vicarii circa collationem & resignationem Beneficiorum.

*Quæstio* 240. *An Vicarius sine speciali mandato conferre possit Beneficia spectantia ad collationem Episcopi.*

1. REspondeo. negativè Paris. *de resignat. l.* 9. *q.* Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 118. *n.* 5. Pirh. *ad tit.* 7. *n.* 32. *de off. Vicar. n.* 49. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 80. Selv. *de benef. p.* 2. *c.* 14. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 14. §. 1. *n.* 8. Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. in* 6. *n.* 2. Sbroz. *l.* 2. *q.* 71. citans quam plurimos juxta *c. finale. de off. vicar. in* 6. Ratio est, quòd quæ meræ sunt gratiæ, Vicarius expedire nequit sine speciali mandato; collatio autem Beneficiorum, cùm sit quædam donatio. *c. relatum. de præb. c. post electionem. de conces. præb.* est quid meræ gratiæ, Garc. *loc. n.* 81.

2. Ampliatur responsio primò: ut, etiamsi Vicarius haberet generalissimam commissionem, etiam cum clausula, ut possit omnia facere, quæ potest Episcopus, adhuc nequeat conferre Beneficia. Ventrigl. *loc. cit.* citatis Anton. de Butrio *cons.* 9. *Col.* 2. 3. 4. Pavin. *de potest. capit. sed. vac. q.* 10. Decio. *cons.* 128. *col.* 1. uti hoc firmat ex eo, quòd is, cui concessa etiam libera bonorum administratio, non valeat adhuc donare, *l. contra jus. ff. de pactis. l. filiusfamil. ff. de donat.* Garc. *cit. n.* 81.

3. Ampliatur secundò: ut adhuc conferre nequeat, etiamsi haberet potestatem eligendi, præsentandi cum clausula; & alia majora faciendi. Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *n.* 165. Sbroz. *l. c. n.* 17. citans Paris. *cons.* 41. *vol.* 4. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.* 51. *& seq.* Bertrand. *cons.* 133. *col.* 1. *l.* 2. Gemin. *in c. cùm illis. de præb. in* 6. *&c.* Per citatum hunc textum, ubi dicitur; quòd unus specialis modus alterum non comprehendat.

4. Ampliatur tertiò: ut ne quidem Vicarii Episcoporum constituti à Papa conferre possint sine mandato Episcopi, nisi fortè haberent mandatum ad hoc speciale ab ipso Papa. Sbroz. *l. c. n.* 25.

5. Ampliatur quartò: ut etiam Vicarius constitutus in Urbe id nequeat sine speciali Papæ mandato. Garc. *l. c. n.* 182. citans Pavin. *ubi ante. n.* 19. Rebuff. *in pr. l. c. n.* 16. Gambar. *de off. Legat. l.* 3. *n.* 708. contra Coras. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 17. idque ut Garc. *n.* 183. & Sbroz. *l. c. n.* 4. *juncto n.* 7. citatis pluribus. Etiamsi dictus Vicarius esset Cardinalis. citat pro hoc Garcias Rebuffum *ubi ante. n.* 64. & 70. Gambar. *l. c.* Bald. *in l. aliquando. ff. de off. proconsul.* Aliud tamen dicendum de Cardinale Legato Urbis, qui Papâ ab urbe absente conferre potest Beneficia consistentia intra limites Legationis, etiam Urbis, nisi obstet reservatio. Atque ita aliud est in Cardinale Legato Urbis, quàm in Cardinale Urbis Vicario. Sbroz. *l. c. n.* 7. Garc. *n.* 186. citans Gamb. Rebuff. Bald. *ubi ante.*

6. Ampliatur quintò: ut etiam Beneficia devoluta ad Episcopum, quæ aliàs sede vacante per capitulum conferri possent, nequeat conferre Vicarius Episcopi sine speciali mandato. Pax-Jord. *l. c. n.* 162. Sbroz. *l. c. n.* 15. citans Milis *in repertor. V. Vicarius.*

7. Ampliatur sextò: Ut, etiamsi haberet potestatem recipiendi resignationes factas simpliciter, vel etiam permutationis gratiâ, ut adhuc non possit sine speciali mandato resignata conferre. Sbroz. *n.* 9 *juncto n.* 13. de quo tamen, in quantùm tangit collationem Beneficiorum resignatorum permutationis gratiâ, videbimus paulò infra.

8. Quòd si tamen concessa Vicario potestas providendi Beneficia, poterit quoque ea conferre; quia verbum providere est latum, comprehenditque institutionem, confirmationem, &c. Sbroz. *l. c. n.* 27. & 28. citans Rebuff. *ubi ante n.* 50.

*Quæstio* 241. *An Vicarius sine speciali mandato consentire possit collationi faciendæ per alterum.*

RESpondeo dum ad Episcopum spectet consentire collationi faciendæ per alterum *VG.* per capitulum, Vicarius sine speciali mandato Episcopi consensum hunc loco Episcopi præstare nequit. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 54. *n.* 61. Castropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 30. *n.* 3. citans Gratian. *discep. for. c.* 303. *n.* 1. Rebuff. *in pr. de Vicar. Episc. n.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 44. *q.* 3. Pax-Jord. *l. c. n.* 166. Sbroz. *cit. q.* 71. *àn.* 19.

& n. 19. citatis plurimis. Quia qui donare non potest, nec donanti valet consentire. *l. creditor. c. de donat. inter vir & uxor. L. cùm quis. ff. de reg. jur.* & qui consentit donanti rem ipsam donare videtur. *l. quæ dotis. ff. solut. matrim.* ubi Bald. *col. 3. l. si liqueat.* ubi Bald. *not. 20. c. de inoffic. donat.* ( quos textus citat Sbroz. *loc. c. n. 20.* & ex eo Pax-Jord. & Azor. *loc. cit.* ) ergo pari modo consentiens collationi conferre videtur, quod nequit Vicarius sine speciali commissione. Sbroz. Pax-Jord. *loc. cit.* Extenditque responsionem Sbroz. *loc. cit. n. 22.* & ex eo verbotenus Pax-Jord. *l. c. n. 168.* ut procedat Episcopo etiam absente, pro quo citat Federic. *cons. 264. n. 1.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 6. tit. de vicar. Episc. n. 16.* Selv. *tract. de benef. p. 2. q. 14. n. 10.* Cuch. *instit. jur. can. de vicar. Episc. n. 85.*

*Quæstio 242. An Vicarius, postquam in concursu elegit magis idoneum, possit eidem vigore generalis mandati conferre parochiam, dum ejus collatio spectat ad Episcopum.*

1. REspondet Fagn. *in c. ex frequentibus. de Instit. n. 3.* affirmativè; eò quòd licèt Vicarius ex generali mandato facere nequeat collationes voluntarias, seu quæ ex mera voluntate conferentis dependent, quia sunt species donationis, possit tamen facere collationes necessarias; ut nominatis Beneficia conferre, præsentatos instituere, &c. Quia tunc non exercetur aliqua liberalitas. Unde cùm hodiedum necessaria effecta sit collatio Parochialis, quò ad illum qui est electus tanquam magis idoneus inter probatos ab Examinatoribus synodalibus ( ut patet ex Concilio Trid. *sess. 24. c. 18.* verbis illis: *& non alteri collatio fiat ab eo, ad quem spectabit illam conferre*) sequitur, ut veniat in generali mandato; cùm non sit ampliùs species donationis; ac ita, ut inquit Fagn. *loc. cit. n. 8.* jam correcta ratio textus *cap. fin. de off. vic. in 6.*

2. Verùm contrarium tradit Garc. *p. 5. c. 7. à n. 83.* ubi postquam præmisisset *n. 81.* Rotam in causa sua, nempe *Abulensi Parochialis de la calcada 1. Febr. 1593.* censuisse, quòd etsi ex eo, quòd Parochiales ex dispositione Tridentini *sess. 24. c. 18.* sint conferendæ magis idoneis repertis, collatio earum sit de justitia & necessaria, adhuc tamen sede vacante non potuisse conferre ex eo capite, quòd iste casus non sit in jure expressus, & in collationibus Beneficiorum nunquam capitulum sede vacante succedit, nisi in casibus in jure expressis. Postquam inquam hæc præmisisset Garcias, subjungit *cit. n. 83. postea tamen Domini coram Cardinale Blancheto magis ierunt in hoc, quòd collatio parochialium, etiam hodie, non sit necessaria; quia tota radicatur in mera voluntate Episcopi, qui potest abstinere ab illa, & permittere, ut per lapsum temporis jus devolvatur ad superiorem, nec ad eam per alium cogi potest. Quod fundamentum videtur magis juridicum ex constitut. Pii V. ex qua Episcopo non conferente parochialem intra sex menses, ejus provisio libera devolvitur ad Papam, quamvis factus esset concursus, & etiam ex approbatis magis idoneus electus. Unde apparet electum ex approbatis magis idoneum non habere jus ad parochiam, nec ei debitam absolutè, ut sic collatio ejus dici possit necessaria, sed solùm Episcopum, si vult conferre, debere conferri uni ex approbatis in concursu quem magis idoneum judicaverit & elegerit. Et si talis magis idoneus haberet eo ipso jus aliquod ad parochiam, non fieret devolutio, &c.* Nihilominus tamen, ut habet Garc. *cit. n. 90.* cùm filius patrimonialis in concursu magis idoneus judicatus habeat jus ad beneficium, & ei absolutè debeatur sicut præsentato, ita ut Ordinarius per superiorem possit compelli, ut ei conferatur, videtur collatio verè necessaria & de justitia, & consequenter in ea succedit capitulum sede vacante, & esse longè diversum in parochialibus & in materiis collationis necessariæ & justitiæ, appellatione Ordinarii veniet capitulum sede vacante, sicut etiam veniet Vicarius Episcopi; quamvis ad effectum, ut intret alternativa & indultum Cardinalium, dicatur libera collatio; cum fiat sine præsentatione & interventu alterius. Id tamen non procedat stante *regul. 2. Cancell.* reservatoria beneficiorum vacantium sede Episcopali vacante, in quâ includuntur etiam beneficia patrimonialia, quæ providentur per Episcopum absque alterius præsentatione vel electione, nisi adsit indultum in contrarium. Ita ferè Garcias.

*Quæstio 243. An Vicarius habens speciale mandatum recipiendi resignationes factas permutationis gratia, possit absque alio speciali mandato beneficia ex causa permutationis coram se resignata permutantibus conferre.*

1. REspondeo negant idipsum Rota *decis. 1. de renunc. alias 43. in antiq.* Calderin. *cons. 3. de renunc.* Roman. *cons. 330. n. 5.* Felin. *in c. audiris. de præscript. n. 13.* Staphil. *de lit. grat. tit. de variis mod. vacat. ex n. 23.* Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n. 105. & & seq.* & alii apud Garciam *p. 5. c. 8. num. 107.* quibuscum sentit Sbroz. *l. 2. q. 71. n. 9.*

2. Affirmant è contra Garc. *loc. cit. n. 104. juncta n. 108.* citans Dominic. *in c. fin. de off. Vicar. in 6. n. 10.* Coras. *p. 2. c. 8. n. 2.* Zechum *de benef. & pens. c. 2.* Item Ventrigl. *tom. 2. amor. 14. §. 1. n. 11.* citans Gemin. *in c. final. de off. Vicar. in 6. n. 10.* Bellam. *decis. 94. col. 2.* Paris. *de resignat. l. 7. q. 14. n. 62.* Nixi hac ratione, quòd collatio illa non sit voluntatis & libera sed necessitatis, & quia verisimile est, quòd Episcopus dando potestatem recipiendi resignationes ex causa permutationis voluerit ( etsi id non expresserit ) dare potestatem faciendi collationem, quæ necessariò illis fieri debet, maximè quia in permutatione eodem contextu solita admitti ut iusque renunciatio, & pariter fieri utriusque collatio.

*Quæstio 244. An Vicarius sine speciali mandato conferre possit beneficia patrimonialia.*

1. REspondet affirmativè Garcias *loc. cit. n. 109. in fine* ex eodem fundamento, nempe quòd necessario facienda collatio tali personæ, adeoque non sit libera & voluntatis. Et sic in terminis beneficiorum patrimonialium tenuisse Rotam, *in Calagurit. beneficii de ascarca. 17. Maij. 1596.* testatur Garc. *p. 5. c. 7. n. 89.* In qua decisione dicitur quoque illam in proposito dici collationem necessariam; ad quam Episcopus tenetur & potest compelli, & quæ incipit à tertiò, ut à patrono; non autem, quando totus actus dependet ab illius potestate.

2. Negat è contra Gonz. *ad regul. 8. gl. 9. §. 1. n. 78.* nixus contraria ratione; nempe quòd collatio talium beneficiorum sit adhuc libera. Pro quo *n. 75.* citat Achill. *de Graff. decis. 5. n. 1. & 3. de privileg.* Put. *decis. 162. n. 3. l. 2.* Rotam *in Abulens. parochialis 12. Jun. 1594.* & sic consequentet tradit Gonz. *l. c. n. 77.* ob dictam rationem ( quia nimirum talis collatio est libera ) non posse Capitulum sede vacante aut ejus Vicarium conferre istiusmodi beneficia patrimonialia, uti collationem talem factam à capitulo sede vacante nullam declaratam fuisse à Rota *in Calagurit. benef. de Arcaya. 26. April. 1596.*

Quæstio

*Quæstio* 245. *An sine speciali facultate Vicarius conferre possit beneficia denominatis.*

1. REspondeo affirmativam tenent Fagn. *l.* 6. Garc. *l. c. n.* 109. ubi: *Verius videtur, Vicarium ex generali mandato posse conferre beneficia denominatis, & facere aliam quamlibet collationem necessariam, ut tenere videtur Probus ad Monach. in c. fin. de off. Vicar. in* 6. *n.* 5.

2. E contra apud Garc. *n.* 105. id negant Selv. *p.* 2. *q.* 14. *n.* 4. Rebuff. *de nominat. q.* 17. *n.* 26. *aliàs* 7. Coras. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 13. Idque, etiamsi admittant collationem talem non esse liberam sed necessariam.

*Quæstio* 246. *Num Episcopus possit Vicario concedere facultatem conferendi beneficia, & quidem omnia spectantia ad suam collationem.*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Castropal. 12. 13. *d.* 2. *p.* 30. *n.* 3. cum communi, & supponunt id AA. uti patebit ex responsionibus ad *seq. quæst.* quin & Castropal. *ibidem* ait, ferè semper solere illi concedi hanc facultatem.

2. Ad secundum quoque affirmativè. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *q.* 1. citans Gl. *in c. ult. de off. Vicar. in* 6. *v. commissa.*

*Quæstio* 247. *An Episcopus concedere possit facultatem conferendi omnia beneficia alteri quam Vicario suo.*

REspondeo negativè. Sbroz. *l.* 1. *q.* 52. *n.* 26. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 119. citans Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 21. Quintadven. *l.* 1. *eccleſiaſticon. c.* 5. *n.* 7. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 6. Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Epiſ. à n.* 15. *& tit. form. vicar. n.* 2. Franc. *in c. fin. de offi. vicar.* Fagn. *in c. præſentata. de teſtibus n.* 14. juxta *c. conſtitutus. de conceſſ. præb.* & *c. ſtatutum. de præb. in* 6.

*Quæstio.* 248. *An Vicarius, cui committi poteſt collatio beneficiorum, debeat esse generalis tam in ſpiritualibus quam temporalibus.*

1. REspondeo imprimis debet esse generalis. AA. citati pro responsione *ad quæſt. præced.* Unde jam Vicario foraneo non solere, sed nec posse, hanc facultatem concedi ab Episcopo, habet communis sententia, pro qua à Castropal. *l. c. n.* 5. citantur Gl. *ult. in c. ſtatutum. de præb. in* 6. & *in c. deliberatione. de off. delegat. in* 6. Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. n.* 15. & plures alii apud Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 6. Et sic expresse docet Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n.* 50. Ubi: *non poteſt autem alteri quàm Vicario generali Epiſcopus vel alius Papâ inferior committere in genere vel in ſpecie poteſtatem conferendi beneficia vacatura.* Eadem ferè habet Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. n.* 3. Hoc ipsum tamen intelligendum de potestate conferendi beneficia totius Diœcesis; de potestate namque conferendi beneficia certi loci alicujus non videtur, cur committi nequeat Vicario foraneo Episcopi, tametsi generalis non sit. Castropal. *l. c.* Idem volunt Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 125. Sbroz. *l.* 1. *q.* 53. *n.* 5. dum dicit, sufficere esse Vicarium generalem certi loci, ut committatur ei hæc conferendi facultas, licèt, ut expresse addit Garc. aliàs non sit Vicarius generalis.

2. Respondeo ad secundum: Ut Vicario committatur hæc facultas conferendi, non requiritur, ut sit quoque Vicarius in temporalibus, ut volunt Pavin. *de poteſtate capit. ſcd. vac. q.* 10. *num.* 31. Rebuff. & alii apud Garciam. *l. c. n.* 120. & velle etiam videtur Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *q.* 7. & in terminis vult Sbroz. *l.* 2. *q.* 90. ubi: *Illud vidi notari per Od. Epiſcopum non posse committere beneficiorum collationem Vicario, qui non habet adminiſtrationem temporalium, ut per Mtis in repertor. V. Vicarius Epiſcopi.* Nituntur hi AA. hoc fundamento, quòd Vicarius generalis is tantùm dicitur, qui in spiritualibus & temporalibus est creatus, ut Rebuff. *tit. de Vicariis. n.* 18. & *tit. de devolut. n.* 59. Pavin. *ubi ante, n.* 6. Bonifac. *in clem. etsi principalis. de reſcrip. n.* 28. Cuchus &c. apud Garc. *n.* 121. quibus consentit Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 46. *q.* 1. Sed sufficit esse Vicarium generalem in spiritualibus juxta subjectam materiam collationis beneficiorum, quæ spiritualis est. Garc. *l. c. n.* 122. Castropal. *l. c. n.* 6. Contrario nixi fundamento, nempe quod Vicarius in spiritualibus tantùm constitutus absolutè dicatur Vicarius generalis, pro ut præter Garc. & Castrop. apud illos tenent Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *n.* 11. Sbroz. *l.* 1. *q.* 25. *n.* 4. citatis pluribus. Paris. *de reſignat. l.* 8. *q.* 7. *n.* 187. & constat. ex *c. cùm. nullus de tempor. ordinat.* Trid. *Seſſ.* 13. *c.* 2. & ex Brevibus Apostolicis, quibus committuntur aliqua Episcopis seu eorum Vicariis, Vicarii hi in Spiritualibus appellantur generales.

*Quæstio.* 249. *Num Episcopus constituere possit ſpecialem Vicarium ad conferenda beneficia.*

1. REspondet negativè Sbroz. *l.* 1. *q.* 52. *à n.* 2. citans Jo. Andr. *in c. deliberatione* §. *prohibemus. de off. Legat.* Gemin. *in c. fin. de off. Vicar. m.* 6. *n.* 9. Abb. *in c. conſtitutus. de conceſſ. præb. n.* 5. Bellam. *de cis.* 343. Oldrad. *conſ.* 77. Paris. *conſ.* 50. *n.* 1. *vol.* 4. Selv. *tract. de benef. p.* 2. *q.* 22. *n.* 1. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.* 7. Covar. *l.* 3. *variar. c* 20. *n.* 6. & plures alios contra Bisign. *ad Rotam deciſ.* 2. *tit. de conceſſ. præb.* Staphil. &c. Sequitur hæc responsio ex ea, quam dedimus paulò ante: quòd nimirum Episcopus collationem beneficiorum committere possit alteri quàm Vicario suo generali in spiritualibus juxta textum *c. ſtatutum. de præb. in* 6. *v. tantummodo.* Probatur quoque *ex c. deliberatione.* §. *prohibemus. de off. legat. in* 6. ubi prohibetur expresse Legato, etiam de latere, ne in genere vel in specie cuiquam committat seu det potestatem recipiendi resignationes, & conferendi beneficia etiam personis idoneis intra Legationem suam existentia. Ratio autem, quòd per dictos textus prohibeatur hujusmodi concessio, est, ne aperiatur via ad vacatura, & periculum captandæ mortis, ut patet ex *cit. c. conſtitutus. de conceſſ. præb.* Quæ ratio Concilii Lateranensi, cum cesset, dum committeretur alicui non generalis illa potestas conferendi, quocunque tandem modo vacet beneficium, sed duntaxat, si beneficium vacet per resignationem, insinuat Sbroz. *l. c. n.* 4. posse alicui specialiter concedi in eo casu collationem beneficiorum vacaturorum per resignationem.

2. Ampliat responsionem primò Sbroz. *à n.* 5. & ex eo Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 46. *q.* 1. §. *dicitur conſtituimus.* Ut procedat, etiamsi Episcopus daret alicui generalem potestatem conferendi, & illum postea crearet Vicarium generalem; quia adhuc diceretur Vicarius generalis ad conferendum tantùm, non autem in cæteris spiritualibus; cùm illa generalitas restringatur ad specialem concessionem conferendi. Sed quid si crearet illum post concessam illi generalem illam potestatem conferendi

Vica-

Vicarium absolutè in spiritualibus? certè jam ab illo tempore creationis in Vicarium generalem in spiritualibus, potestas illa conferendi ex antè illi concessa invalida, dici posset evadere valida, quatenus perseverat nimirum ex pòst voluntas illa Episcopi, qua vult illum conferre beneficia, cùm jam ampliùs nihil desit, quò minùs validè illi conferri possit dicta facultas.

3. Ampliatur ab eodem secundò *num.* 8. ut procedat, etiamsi in literis diceret Episcopus: *Creamus te Vicarium generalem in spiritualibus, quin & in temporalibus specialiter & expressè ad conferendum*: quia diceretur adhuc deputatus ad conferendum tantùm, & ideo non valeret ejus constitutio, tanquam expressa illa generalitas restricta fuerit in fraudem legis ad specialem conferendi potestatem. Citat pro hoc Socinum *cons.* 260. *col.* 12. *conclus.* 5. *vol.* 2. Rebuff. Franc. Marc. &c. idémque firmat ex eo, quòd quando fit enumeratio specierum post genus, illa enumeratio restringitur in dubio ad illas species juxta L. *sed si adjiciatur. ff. pro soc,* L. *quæsitum.* §. *sed si fundus. ff. de fundo inst.* & *ibi* Bartol.

4. Ampliatur tertiò *num.* 11. & 12. ut procedat, etiamsi consuetudo exstaret in contrarium; utpote quæ attendendâ non foret: cùm quia hac ratione inducitur votum captandæ mortis, sit contra bonos mores. Citat pro hoc Socin. *ubi antè.* Paris. *cit. cons.* 50. *nu.* 11. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 10.

5. Ampliatur ab illo quartò *num.* 13. ut in eo casu non valeat collatio facta à tali speciali Vicario constituto ad conferendum, etiamsi ab Episcopo ratificata foret. Citat Guido Papam *cons.* 189. Rebuff. *loc. cit. num.* 11. dárque rationem; quia collatio nulla non potest ratificari, nec retrotrahi, sed de novo est facienda. *cap. examinata. de confirm. utili vel inutili.* ubi Doctor. Socin. *in regul. ratihabitionem. de regul. jur. in* 6. Gozad. *cons.* 72. Paris. *cons.* 14. *num.* 156. *vol.* 2.

6. Ampliat illam quintò: ut procedat non tantùm in Episcopo, sed & in Legato de latere; quia nec is dare potest specialem potestatem conferendi beneficia, & ad hunc actum specialem creare Vicarium. ut Abb. *in cap. constitut. de conces. præb. num.* 2. & *in cap. fin. tit. eod. num.* 6. Pavin *de potest. Capit. sede vac. part.* 2. *quæst.* 10. *num.* 34. Roland. *cons.* 47. *num* 56. *in* 1. &c. juxta *cit. cap. deliberatione.* §. *prohibemus. de off. Legat. in* 6. Item ut procedat in quolibet alio habente potestatem conferendi beneficia, ut nec is alteri concedere possit facultatem generalem ea conferendi. *cap. statutum.* §. *ut hi. de præb. in* 6. Sbroz. *num.* 16. citatis Paris. *cons.* 50. *num.* 1. Franc. Marc. *quæst.* 995. *num.* 15. militat enim in his quoque eadem ratio, nimirum fraus ad beneficia vacatura.

7. Ampliatur sextò: ut non solùm nequeat ad id constituere Vicarium specialem, sed nec procuratorem quidem ratione ejusdem fraudis. Sbrozius *num.* 17. citatis Paris *ubi antè.* Rebuff. *loc. cit. nu.* 12. Franc. Marc. *nu.* 3. & 7.

8. Restringit è contra Sbroz. *num.* 18. & 19. responsionem, citans pro hoc *cap. is, cui. de præb. in* 6. *cap. proposuit. de conces. præb.* Oldr. *cons.* 87. Rebuff. *ubi antè. num.* 12. ut non procedat in summo Pontifice, qui istiusmodi facultatem conferendi beneficia, etiam certa concedere potest. Item in Regibus & Principibus, qui nulla habent jura spiritualia, ad quæ creare possunt Vicarios, ut illi creare possint generales procuratores omnium bonorum, dando illis potestatem conferendi & præsentandi. Pro quo Sbroz. *cit. num.* 19. citat Paris. *cit. cons.* 50. *nu.* 4. Rebuff. *loc. cit. n.* 13. Paul. de Citadin. *de jure pat. p.* 6. *qu.* 41. Roch. *tit. eod. v. honorificum. qu.* 5. Roland. *cit. cons.* 47. *nu.* 54. *in.* 1.

*Quæstio* 250. *An Episcopus committere possit Vicario etiam generali potestatem conferendi beneficium certum vacaturum?*

1. Resp. Negativè. Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. nu.* 50. Sbroz. *lib.* 1. *qu.* 53. *nu.* 1. citans Rotam *decis.* 367. *de off. Vicar. nu.* 2. & *seq. in novis.* Abb. *in c. constitutus. de conces. præb. nu.* 5. Pavin. *de potest. Cap. part.* 2. *qu.* 10. *nu.* 31. Oldr. *cons.* 77. Milis *in repertor. v. Vicar. Episc.* & plures alios. Item Laym. *in c. cum in generali. nu.* 3. citans gl. communiter recept. *in c. deliberatione.* §. *prohibemus. v. cujuscunque. de off. Leg. in* 6, & Doctores communiter *in c. constitutus.* & specialiter Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. nu.* 15. ubi, quòd Episcopus non possit Vicario committere collationem sive respectu certi beneficii, sive respectu certæ personæ. v.g. dicendo: *Titio conferas beneficium hac in ecclesia vacaturum sive per mortem, sive per resignationem*: tum quia talibus commissionibus præbetur occasio modis illicitis aperiendi viam beneficiis vacaturis; éstque periculum, ne mortis machinatione, aut circumventione resignaturi vacatio beneficii procuretur: tum quia talibus commissionibus determinatis inducuntur beneficiorum reservationes vel exspectativæ, quæ odiosæ sunt; & Episcopis non concessæ juxta *gloss. in c. dilectus. v. quempiam. de jure pat.* & Trid *sess.* 24. *c.* 19. Laym. *loc. cit.*

2. Ampliat Sbrozius responsionem *num.* 2. ut locum habeat, etiamsi Episcopus daret Vicario generali generalem potestatem conferendi, & postea per secundas literas inhiberet, ne procederet ad secundam collationem, antequam insinuaret sibi primam, & exspectaret secundum responsum, an vellet habere ratum; quia quoad secundas literas non videtur delegata generalis potestas conferendi, & esset in fraudem Concilii Lateranensis; idcóque non valeret, citat pro hoc Jo Andr. *in cit. cap. constitutus.* & *ibidem* Abb. *num.* 5. Buttrio. Imol. &c.

3. Poterat tamen committi alicui facultas conferendi beneficia vacatura respectu alicujus loci restricta ad certum locum diœcesis, modò ibi sint plura. Laym. *in cap. cùm in generali. nu.* 3. Pirh. *loc. cit.* ex Sbroz. *l.* 1. *qu.* 53. *nu.* 5. & Rebuff. *ubi antè. nu.* 23. & 24. Potest quoque Episcopus, dum debitum alicui est beneficium in ecclesia quadam; quia v.g. canoniam sine præbenda consecutus est, mandare Vicario suo, ut proximè vacaturam ei conferat; quod enim de jure faciendum est, ut fiat, mandari seu committi potest. Pirh. *num.* 15. Layman. *loc. cit. num.* 6. citans seipsum *Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. Item potest committere ei facultatem recipiendi resignationem certi beneficii, eâque admissâ, eidem committere facultatem conferendi: quia sic non committit collationem beneficii vacaturi, sed vacantis;

adeòque jam cessat prohibitio. *cap. deliberatione §. prohibemus, de off. leg. in 6.* Laym. Pirh. *ll. cit.* Quamvis simul ac conjunctim potestatem certi beneficii resignationem recipiendi, & illud conferendi committere illi non possit *l. 1. q. 52. num. 25.* & plerique alii Laym. *loc. cit. num. 4.* Pirh. *loc. cit.* De cetero beneficii alicujus certi actu vacantis collationem committi posse Vicario indubitatum est. Sbroz. *L. 1. q. 53. n. 6. & q. 51. n. 21.* citatis Rebuff. *ubi ante. n. 14.* Abb. *in c. constitutus. n. 5.* Bellam. *decis. 443.* & alios cum communi.

4. Illud hic ex dictis deducendum & notandum, mandatum conferendi datum Vicario dici speciale, non ex eo, quòd detur ad conferenda certa beneficia vacatura, vel ad conferendum certis personis; id enim, ut dictum, non valeret; sed ex eo, quòd ad hoc, ut Vicario concessa censeatur facultas conferendi beneficia, specialiter debeat exprimi, quòd facultas ei detur conferendi beneficia. Garc. *de benef. p. 5. c. 8. n. 113.* citans Sbroz. *L. 1. q. 53.* Pavin. Rebuff. Cuchum &c.

5. Facultas itaque seu mandatum conferendi respectu beneficiorum vacaturorum generale esse debet: Quale adhuc dici potest si detur ad conferenda beneficia certi loci, seu partis Diœcesis, modò ibi sint plura beneficia Garc. *loc. cit. n. 114.* aut ad conferendum in certis mensibus. Garc. *loc. cit.* citans Cuchum: aut ad conferendum in simplicia tantùm aut curata tantum, aut certi valoris, aut vacutura per mortem Garc. *ibid.* ex Rebuffo.

*Quæstio 251. An, ut conferre possit Vicarius, sufficiat, eum habere mandatum generale cum clausula: quòd possit omnia, quæ constituens seu Episcopus, seu administrandi omnia sicut ipse Episcopus?*

Resp. negativè. Garc. *p. 5. c. 8. n. 118.* Castrop. *tract. 13. de benef. d. 2 p. 30. n. 8.* citans Paris. *de resignat. L. 9. q. 7. num. 34.* Ex tali enim clausula cum plena & libera potestate administrandi solùm infertur, posse Vicarium ea præstare, quæ ad rectam episcopatûs administrationem spectant, non verò posse eum exercere etiam, quæ sunt meræ gratiæ & donationis; in concessione namque administrationis, etiam liberæ, non conceditur potestas donandi. Castropal. juxta *c. fin. de off. Vicar. in 6.*

2. Ampliatur responsio primò, ut procedat, tametsi ab Episcopo dicatur Vicario, ut loco sui præstare possit omnia, etiam quæ speciale mandatum requirunt, quale quid est collatio beneficiorum. Nam dum nihil eorum, quæ speciale mandatum requirunt exprimitur, verba illa: *etiam illa, quæ speciale mandatum requirunt:* habentur pro non adjectis. Castropal. *cit. n. 8.* citans *c. qui ad agendum. de Procurator. in 6.* Molinam. *tract. 5. de Just. d. 10. num. 9.* Quòd si tamen aliquid speciale mandatum requirens exprimeretur, & simul adderetur: *& alia omnia speciale mandatum requirentia*: eò ipso ad omnia illa (modò tamen illa omnia generaliter expressa graviora vel majora non contineant, quàm sit illud speciale expressum) mandatum illud conceditur, adeóque etiam ad collationem beneficiorum. Castropal. *ibid.* citans Molin. *ubi ante.* Covar. Abb. Sbroz. *L. 1. q. 65. num. 5. & 7.* Garc. *cit. c. 8. n. 68. & 69.*

3. Ampliatur secundò; ut necdum facultas illa conferendi concessa censeatur, dum dicta clausula generalis est talis, ut loco Episcopi Vicarius omnia facere possit, esto speciale mandatum requirant, excepta suppressione beneficiorum, unione illorum aut præsentatione. Ex vi enim adjectæ hujus exceptuationis non conceditur potestas efficiendi quicquam speciale mandatum requirens; si enim per dictam clausulam generalem, seclusâ illâ exceptione aliquorum, non censetur concedi, quod speciale mandatum requirit, nisi id ipsum in particulari exprimatur, jure sic disponente, jam etiam per adjectam illam exceptionem id conceditur; cùm illa exceptio non tam ad ampliandam concessionem, quàm ad illius restrictionem apponatur, juxta *L. 1. ff. de regul. juris.* Castropal. *loc. cit. n. 9.* ex Covar. *L. 2. var. c. 5. num. 4.* & maximè *n. 8. & 9.* & Molin. *ubi ante. d 10. num. 9.* Neque his obstat illud: *exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*: nam exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, modò tamen hi casus non excepti comprehendantur sub concessione; adeóque cùm in præsente, jure sic disponente, nullus casus speciale mandatum requirens sub illa concessione comprehendatur, nullus casus speciale mandatum requirens non exceptus firmabitur per talem exceptionem. Castropal. *loc. cit.*

*Quæst. 252. An potestas illa conferendi arguatur concessa Vicario ex data eidem facultate admittendi resignationes beneficiorum?*

1. Resp. primò ex data facultate admittendi resignationes absolutè & simpliciter factas; non infertur data facultas conferendi resignata. Castropal. *loc. cit. num. 11.* citans Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. num. 68.* Rebuff. *in addit. ad Regul. 13. Cancell.* Laym. *in c. cùm in generali. de offic. Vicar. in 6.* plus enim est conferre beneficia quàm resignationes recipere, ut patet in Capitulo Sede vacante potente recipere resignationes, non tamen conferre beneficia liberæ collationis spectantia ad Episcopum. Laym. *loc. cit.* & quia collatio est actus omnino separatus, & cum resignatione non connexus. Castropal. *loc. cit.*

2. Resp. secundò ex facultate data admittendi resignationes ex causa permutationis, censetur quoque data facultas beneficia sic resignata conferendi; eò quòd licèt conferre beneficia permutantibus distinguatur à receptione & approbatione permutationis seu resignationis factæ permutationis gratiâ, est tamen ita ei connexum, ut recipiens tales resignationes seu approbans permutationem obligetur permutantibus ea conferre; adeóque collatio tunc non est voluntatis sed necessitatis. & sic habet stylus communiter observatus, ut eodem tempore & contextu, quo admittuntur resignationis gratiâ, ipse beneficia

ficia resignata permutantibus conferantur. Unde verisimile est, Episcopum dando potestatem faciendi collationem, quæ necessariò illis fieri debet. Laym. *loc. cit. n 6.* Castropal. *loc. cit. n.13.* citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 44. q. 6.* & Dominic. *in c. fin. de off. Vic. in 6.* Garc. *p. 5. c. 5 n. 104. & 108.* citans insuper Coras. *de benef. p. 2. c. 8. num. 2.* Zechum *de benef. & pens. c. 2.* contra Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. n. 104. & 106.* Staphil. *de lit. grat. tit. de var. mod. §. resignationes. num. 23.* Barbos. *ubi supra. n. 68.* Felin. *in c. auditis. de præscrip. n. 3.* apud Castropal.

3. De cetero ex data Vicario facultate admittendi resignationes, non addito: etiam ex causa permutationis, non potest Vicarius admittere resignationes ex causa permutationis factas; quia aliud est admittere resignationes, aliud dare authoritatem permutare volentibus, ut fit in admissione resignationis permutationis gratiâ. Castropal. *num. 12.* Garc. *num. 110.* Garc. *num. 110.* citantes Rebuff. *ubi ante.* Contra Petrum de Perus. *de permutat. benef. p. 2. q. 6. n. 23.*

*Quæstio 253. An ex data Vicario potestate destituendi seu privandi beneficiis arguatur concessa eidem conferendi?*

Resp. negativè. Sicut nec vice versâ concessâ potestate conferendi venit potestas destituendi; tametsi enim hæc ferme conjuncta sint in potestate ordinaria, non tamen delegata seu commissa; cùm hæc dependeat à voluntate committentis Laym. *loc. cit. num. 7.* Pirh. *de off. Vicar. num. 53.* Nec obstat, quòd, qui potest destituere, potest etiam instituere & beneficia conferre; nam etsi id verum in habente potestatem ordinariam, non tamen in eo, qui habet destituere specialiter ex delegatione vel commissione. Pirh. *loc. cit.* citans Paris.

*Quæstio 254. Num speciale mandatum conferendi concessum Vicario sit latæ interpretationis?*

Respond. affirmativè. Castropal. *Tract. 13. d. 2. p. 30. num. 7.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. num. 63.* Pax-Jord. *L. 12. tit. 1. num. 171.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 44. q. 8.* Sbroz. *L. 2. q. 82. num. 1.* siquidem talis facultas data Vicario, cum sit favor & beneficium cedens in detrimentum solius concedentis, latè, quantùm fieri potest, est interpretanda. Castrop. *loc. cit.* ubi illud observandum ex Cucho. *de institit. jur. can. l. 2. tit. 8. num. 90.* apud Pax-Jord. *loc. cit. num. 174.* Quòd lata interpretatio attenditur, præsertim contra concedentem; Respectu vero tertii strictè, quatenus patitur natura verborum. Porrò latissimam illam interpretationem faciendam esse ab aliis, à Principe verò sive ab alio gratiam concedente illius authoritate posse fieri interpretationem, prout illis placuerit juxta *L. & ideo ff. de ll. c. inter alia. de sentent. excommunicationis.* Unde jam privilegium alicui concessum à Papa ad conferenda beneficia alienæ Diœcesis angustè interpretandum esse, utpote aufferens ordinariis collatoribus, & sic tertiis conferendi facultatem.

*Quæstio 254. Facultas illa specialiter concessa Vicario conferendi omnia beneficia, quæ spectant ad collationem Episcopi, ad quæ in specie beneficia se extendat?*

1. Resp. primò extendit se ad curata. Pax-Jord. Castrop. Barbos. *ll. cit.* Fagn. *in c. de mandato. de Simon. n. 36.* Sbroz. *L. 2. q. 82. n. 1.* citans Cuchum. *institit. jur. can. de Vicar. Episc. num. 91.* Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. n. 116.* Felin. *in c. causam quæ. de rescrip. n. 14.* Staphil. &c. Licèt enim in provisione non veniant curata, nisi fiat de iis mentio. *c. cùm in illis. de præb. in 6.* quia tamen dicta facultas est favorabilis, est ampliando. Sbroz. *loc. cit.* & hæc sub nomine beneficiorum simpliciter prolato veniunt in materia favorabili, & non ambitiosa, & nulli præjudicanti. Castropal. Azor. Barbos. Pax Jord. Pirh. Fagn. *ll. cit.* Qualiter etiam procurator constitutus ad acceptandum beneficia potest etiam acceptare curata teste Imol. *in c. accedens. de præb. col. 2.* Staphil. *de liter. grat. rubrica. de modo & form. impetrandi. vers. prædicta tamen.* apud Sbroz. *loc. cit. num. 2.*

2. Secundò ad beneficia in Cathedralibus propter easdem rationes. Azor. Pax-Jord. Castropal. Barbos. *ll. cit.*

3. Tertiò ad dignitates. Pirh. *cit. n. 50. in fine.* Pax-Jord. Barbos. *ll. cit.* Azor. *loc. cit. q. 7.* Sbroz. *L. 2. q. 81.* citans Gemin. *in c. fin. de off. Vicar. in 6. n. 11.* Lapum. *alleg. 84. num. 10.* Felin. ubi ante Selv. *p. 3. q. 65.* Cuch. *ubi ante. n. 91.* Abb. Mandos. Staphil. &c. Quia in materia favorabili non ambitiosa vel pœnali, qualis est collatio beneficiorum, veniunt dignitates. Sbroz. *loc. cit. nu. 2.* Quamvis *n. 3.* dicat, Rebuffum *tit. de form. Vicar. n. 111.* subjungere, tutius esse exprimere: *etiam dignitates.*

4. Quartò ad præbendas, capellas, officia & munia ecclesiastica. Pax-Jord. *loc. cit.* Sbroz. *cit. q. 82. num. 1.* citatis pluribus ob eandem rationem.

5. Quintò ad beneficia vacantia jam ante concessam hanc Vicario facultatem conferendi; eò quòd hujusmodi provisio favorabilis sit, & ideo amplianda. Sbroz. *L. 2. q. 84. num. 1.* & ex eo Pax-Jord. *num. 176.*

6. Sexto ad beneficia post concessam illam Vicario facultatem priùs erecta, eò quòd dicta concessio sit favorabilis. Castropal. *loc. cit. n. 7.* Quem secutus fui in *foro benefic. p. 2. q. 690. n. 3.* contra Barbos. *cit. n. 63.* Azor. *cit. q. 8.* Pirh. citantem Rebuff. *ubi ante. n. 124.* tenentes contrarium ex eo fundamento, quòd ea tempore datæ aut acceptæ potestatis non fuerint in rerum natura, & quòd id colligi videatur, ut Azor. ex *Clem. literas. de rescrip. juncta gl.* quibuscum etiam sentit Sbroz. *L. 2. q. 73.* ubi: *ex mandato speciali conferendi non potest Vicarius Episcopi conferre beneficia de novo erecta, nisi in literis Vicariatûs* (dic potius: in literis concessæ illius specialis facultatis conferendi, si ea seorsim à Vicariatu concessa) *singularis quoque facultas conferendi illa etiam noviter erecta exprimatur.*

7. Septimò, ad conferenda beneficia, quæ possidet ipse Episcopus, dum Episcopus illa resignâsset in manus Superioris, non autem Vicarii. Sbrozius *l.2.q.85.* & ex eo Pax Jord. *nu.* 176. citantes Put. *decis.* 94. *l.1.*

8. Octavò, ad beneficia spectantia ad Episcopum jure devoluto ob negligentiam vel delictum collatorum; quia ea beneficia confert Episcopus jure ordinario & communi. Pirh. *loc. cit. num.* 54. (quàmvis ex Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. nu* 88. addat, tutiùs esse, ut in mandato speciatim exprimatur facultas conferendi beneficia, etiam ad Episcopum devoluta) Barbos. *cit. alleg.* 54. *num.* 62. Azor *cit. c.* 44. *q* 2. Castrop. *cit. p.3. nu.*14. Secus tamen est, ubi beneficia essent devoluta ad Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, v. g. ob negligentiam Prælatorum regularium; quia tunc Episcopo ea conferendi potestas non competit jure communi ordinario, sed delegato. Castropal. Azor. Pirh. Barbos. *locis. cit.*

9. Nonò, conferre quoque potest vi istius facultatis generalis conferendi beneficia vacantia in mense alternativæ. Sbroz. *l.2. q.86.* Pax-Jord. *loc. cit. nu* 177. Gonz. *ad regul.* 8. *Cancell. glos.* 42. *nu.* 10. ex Puteo *decis* 488. *l.2.* testans sic tentum à Rota *in una Portogalensi de Galeras.* 25. *Octob.* 1546. Et ratio est; quia clausula generalis: ad conferendum quæcunque beneficia vacatura, quæ potest conferre ipse Episcopus, comprehendit hujusmodi beneficia, quæ poterat conferre Episcopus vi alternativæ; tota siquidem potestas est translata in Vicarium vi dictæ clausulæ generalis, quàmvis non exprimatur, quòd conferat beneficia vacatura in mensibus Ordinarii vi alternativæ. Gonz. *cit. nu.*10. ex Put. *ubi antè nu.*2. & 6. Quemadmodum etiam Vicarius Cardinalis habens potestatem conferendi omnia beneficia, quæ dictus Cardinalis vigore indulti desuper concessi conferre posset, ut Gonz. *loc. cit.* ex Germon. *de indult. Cardin.* §. *tibi quoad vixeris, nu.* 40. Neque opponas, quòd concessio alternativæ sit privilegium, quæ autem conferuntur ab Episcopo vi præcisè privilegii ei concessi, non veniunt in generali potestate conferendi concessa Vicario. Nam per alternativam nullum Episcopis conceditur privilegium, sed tantùm tollitur obstaculum & impedimentum, quo vi reservationis Papæ reservantis sibi octo menses aliàs impediebatur conferre illis sex mensibus. Gonz. *loc. cit. n.* 13.

10. Decimò: videtur quoque extendere se dicta facultas conferendi ad beneficia resignata coram Episcopo. Castropal. *loc. cit. num.* 10. non obstante, quòd is resignationem recipiendo applicuerit manus. Nam exinde non oritur reservatio, seu quòd Episcopus ea reservârit suæ collationi, utì contingit in summo Pontifice, dum is resignationem acceptavit, & in quo solo illa applicatio manuum locum habet.

## *Quæstio* 256. *Ad quæ beneficia conferenda se non extendat ista potestas generalis conferendi?*

1. RESP. primò, non extendit se ad beneficia, quorum collatio competit Episcopo non nisi jure speciali, seu ex privilegio; cùm privilegium personæ ad alium non transeat. Azor. *p.2. l.3. c.*44. *q.*2. Castrop. *loc. cit. n.*14. Barbos. *citat. allegat.* 54. *n.*62. Pax-Jord. *loc. cit. nu.*180. Pirh. *loc. cit. n.*50. Laym. *in cap. cùm in generali. de off. Vicar. in 6. n.*7. citantes Paris. *de resign. l.*1. *q.*24. *in* 64. Secus tamen esse, si in ista facultate conferendi exprimatur, dari facultatem non solùm conferendi ea, quæ jure communi & ordinario, sed etiam quæ jure speciali conferre potest Episcopus, ait Pirh. *loc. cit.*

2. Secundò, non extendit se ad ea, quæ ad Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum devoluta sunt, ut propter negligentiam Prælatorum regularium juxta Clement. unic. de supplend. neglig. Prælator. Pirh. Azor. Barbos. *locis. cit.* Sbroz. *l.2. q* 72. *n.*1. ubi is: *Mandatum ad conferenda beneficia procedit in beneficiis spectantibus ad collationem ipsius Episcopi jure ordinario, non autem se extendit ad ea, quæ Episcopus conferre potest authoritate Apostolicâ.* Et hæc juxta dicta *q. præced. n.*8. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. *loc. cit. n.* 2. nimirum nisi idipsum exprimatur in dicta facultate, nempe quòd ea detur ad conferenda quoque, quæ jure devoluto authoritate Apostolica spectant ad Episcopum. Ponit *loc. cit.* Sbroz. formulam, sub qua concedenda facultas in ordine ad conferenda quoque ista beneficia, nimirum: *Damus potestatem conferendi beneficia, quæ nos jure ordinario conferre possumus, & etiam omnia alia, quæ jure devoluto authoritate Apostolicâ, vel quavis aliâ potestate à jure communi vel speciali nobis concessa.* Idem est, ut ibidem Sbroz. ac si dicatur: *qualitercunque, seu quomodolibet ad nos spectantia.*

3. Tertiò, non extendit se ad beneficia vacantia in Curia per obitum (quæ de cetero conferre potest Ordinarius, dum ea Papa non contulit intra mensem juxta *c. statutum. de præb. in* 6. de quo vide me *in for. benef. p.2. q.*533.) ita ut ea etiam post elapsum mensem conferre nequeat vi datæ generaliter facultatis conferendi omnia beneficia, nisi id specialiter quoque in dicta facultate exprimatur. Sbroz. *l.2. q.*76. *n.*1. citans Archid. *in cit. c. statutum. in fine.* Franc. March. &c.

## *Quæstio* 257. *Num Vicarius vi talis facultatis illi concessæ ad conferenda beneficia conferre possit illa præsente Episcopo.*

1. RESP. Si facultas illa restricta est ad tempus absentiæ Episcopi, indubitatum est, Vicarium conferre non posse præsente Episcopo. Sbrozius *l.2. qu.*72. *nu.*1. & ex eo Pax-Jord. *l.* 12. *tit.*1. *nu.* 187. Unde etiam proviso à tali Vicario probanda absentia Episcopi pro tempore factæ collationis; quia istam absentiam habet pro fundamento suæ intentionis; tum etiam, quia præsumitur Episcopus præsens. Sbroz. *loc. cit. num.*2. Pax-Jord. *loc. cit.* ex Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. nu.*235. & Cuch. *Instit. jur. can. de Vicar. Episc. n.*102. Quòd si tamen Vicarius contulisset innovans præsentiam Episcopi, collationem fore validam, ex Rebuff. *in rep. c. postulasti. de cler. excommunic. nu.* 341. *in* 4. referunt Sbroz. & Pax-Jord. *loc. cit.*

2. De cetero ubi in concessione illa conferendi beneficia mentio nulla fieret de præsentia vel absentia Episcopi, nil vetat, quominus Vicarius ea præsente quoque Episcopo conferre possit. Sbrozius *l.2. q.*87. eò quòd, ut ait, recurri ad Vicarium possit Episcopo præsente, quemadmodum absente.

*Quæstio*

*Quæstio* 258. *An vi concessæ talis facultatis conferendi possit quoque commendare Vicarius in casibus, in quibus id potest Episcopus?*

REsp. Affirmativè. Sbroz. *l.2.q.83.n.1.* Barbos. *cit. alleg.54. num. 64.* Azor. *cit.cap.44. qu.10.* Castropal. *loc.cit. nu.15.* Pax-Jord. *loc.cit.nu.172.* quia conferre est quid majus, quàm commendare, & cui vi facultatis alicujus concessæ licèt aliquid, quod plus est, non potest non eidem licere, quod minus est, Sbroz. Azor. Castropal. *locis cit.* Procedúntque hæc à fortiori, dum dicta facultas concessa esset Vicario sub verbo *providendi*, Castropal. *loc. cit.* quia illud significationem latiorem habet, omnésque modos provisionis propriissimè comprehendit. Castrop. *loc.cit.* ex Gonz. *gl.17. num.2.* ubi is expressè, quòd etiam includat commendam citatis pro hoc Gemin. *in c. nemo de elect. in 6. nu.7.* Franc. *ibidem. num.5.* Rotâ *decis.791. num.9. part.1. divers.* Responsionem tamen non procedere in Vicario speciali constituto ad conferendum (posito quòd talis constitui possit) ità ut ille commendare nequeat, asserit Sbroz. *cit.qu. 83.* citatis Gemin. *ubi antè.* Felin. *in cap. auditis. de præscript. num.12.* &c.

*Quæstio* 259. *An igitur etiam vi talis facultatis possit eligere & præsentare, ubi ea spectant ad Episcopum?*

1. REspondet affirmativè Azor. *loc.cit.* ubi expressè: *Pari ratione quando Vicarius accipit specialem facultatem conferendi beneficia, eo ipso intelligitur accepisse potestatem eligendi, instituendi, confirmandi, & præsentandi,* &c. Idem tenet Castropal. *loc.cit. n.15.* citans Lambert. *de jurep. part.1. cap.2. qu.4. art.4.* eò quòd nomine conferendi in materia favorabili, & in mandatis & facultatibus ordinariis comprehendantur omnes modi providendi, etsi in mandatis otiosis sit contrarium. Procederètque hoc ipsum quoque à fortiore, si facultas illa conferendi ei data sub dicto termino *providendi.* Gonz. *loc.cit. n.1.* citatis quamplurimis.

2. Verùm contrarium tenent Pirh. *loc.cit. nu.52.* Laym. *in cap. cùm in generali. de off. Vicar. nu.7.* Garcias *part.5. cap.8. num.83.* citans Roch. de Curte *v. honorificum. n.25.* eò quòd licèt conferre longè plus sit, quàm præsentare, sit tamen etiam longè quid diversum à præsentare, adeóque etiam potestas conferendi, & potestas præsentandi valde inter se differant, à diversis autem non sit illatio, præsertim in materia stricta. Pro qua posteriore sententia videntur quoque facere illa, quæ dicta *quæst. ante hanc. 3. nu.1.* nempe quòd facultas generalis conferendi non extendat se ad ea beneficia, quorum collatio seu provisio non nisi jure speciali, seu non ordinario competit Episcopo (non enim per jus speciale ibi intelligi videtur solum privilegium) qualia sunt, ad quæ eligere vel præsentare haberet Episcopus, cùm id non haberet de jure ordinario, sed de jure aliquo speciali, v. g. quia vi fundationis à se factæ, vel donatione sibi facta haberet juspatronatûs.

*Quæstio* 260. *An facultas conferendi beneficia extendat se quoque ad resignationes recipiendas?*

REsp. Affirmativam probabilem censet Castropal. *loc.cit. nu.10.* eò quòd resignatio solùm postulet fieri coram Superiore potente beneficium resignatum conferre, ut gl. *in Clem. unic. de renunc. v. manibus.* adeóque, cùm Vicarius sit Superior, & possit resignata conferre, poterit & resignationes admittere. E contra Pirh. *loc. cit. n.52.* absolutè negat posse Vicarium vi concessæ facultatis conferendi admittere resignationes sive factas simpliciter, sive permutationis gratiâ; eò quòd hæ sint diversæ potestates, à quarum una non liceat argumentari ad alteram. Citat pro hoc Parisium *de resign. lib.7. qu.24. nu.15. & 16.*

*Quæstio* 261. *An Vicarius conferens vi dictæ facultatis sibi concessæ conferat tanquam Ordinarius?*

REsp. Negativè, sed dicitur illa conferre tanquam delegatus seu specialis commissarius. Sbroz. *lib.2 qu.88. nu.1.* citans Felin. *in cap. licet, de off. Ordinar. col.1.* Pavin. *de potest. Capit. sede vac. part.2. qu.10. nu.31.* Paris. *cons 80. nu.13. in 4.* Cuch. *Instit. jur. can. de Vicar. Episc. nu.112.* Unde jam etiam à tali collatione appellari poterit ad Episcopum. Sbroz. *loc. cit. nu.2.* citatis Pavin. Paris. *ubi antè.* Gemin Franc. *in cap.2. de off. Vicar. in 6.* Cuch. *n.113.* Milis. *in repertor. v. Vicar Episc.*

*Quæstio* 262. *Num Episcopus, postquam Vicario suo contulit dictam facultatem, possit adhuc concurrere cum illo, illúmque prævenire in conferendo?*

1. REsp. Affirmativè. Barbos. *cit. alleg.54. n.65.* Pax-Jord. *cit. loc. nu.181.* Azor. *cit. cap.44. qu.12.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. nu.55.* Laym. *ad c. cùm in generali, tit. eod. in 6. nu.2.* Sbroz. *l.2. qu.93.* citans quamplurimos. Dando enim istam facultatem Vicario, non dedit illam privativè, seu privando se illâ, sed cumulativè, retinendo semper sibi quoad hoc majore potestate, quemadmodum dicitur de Papa concedente Episcopis alternativam, quin &, ut Sbroz *loc.cit. nu.3.* per collationem factam ab Episcopo Vicarius censetur revocatus quoad illam collationem.

2. Unde jam etiam, si uterque Episcopus & Vicarius contulissent, & non constaret, quis eorum prius contulisset, præferri debet collatio facta ab Episcopo. Azor. Pirh. Laym. Pax Jord. *locis cit.* Sbroz *lib.2 qu.94.* Ampliatur idipsum, ut procedat, etiamsi Episcopus contulerit beneficium extra diœcesin eâdem die, quo contulit Vicarius. Pirh. ex Sbroz. *loc. cit. num.3.* citante pro hoc Lambert *de jurep. lib.2. part.3. qu... art.3.* Covar. *lib.3. variar resol. cap.20. num.8.* Cuch. *ubi antè. nu.97.* Restringitur è contra, ut non procedat, ubi provisus à Vicario accepisset jam possessionem ante provisam ab Episcopo; quia melior est conditio possidentis. Sbroz. *loc cit. nu.5.* citans Cuch. *ubi antè, num 44.* Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. num. 213.* Item si in collatione facta à Vicario adesset dies & hora, & in collatione facta ab Episcopo tantùm adesset dies. Idque ideo, quia colla-

tio Vicarii magis determinatum tempus habet, Sbroz. citans Jason. *in l. 1. ff. solut. matrim. n. 6.* quemadmodum hæc dicuntur de Papa concurrente cum inferioribus collatoribus. Item si provisus à Vicario priùs acceptasset collationem sibi factam. Sbroz. *num.* 8. Porrò quæ hic dicta de Vicario & Episcopo, Sbroz. *loc. cit. num* 4. extendit ad Capitulum sede vacante, ejusque Vicarium, ita ut præveniens vel in dubio collatio à Capitulo facta prævaleat collationi factæ à Vicario, cui à Capitulo potestas illa conferendi commissa. citat pro hoc Pavin. *de potest. Capit. Sed. vac. p. 2. q. 10. n. 21.* Calder. *cons. 11. de off. Vicar.*

*Quæstio 263. An Vicarius instructus facultate conferendi, conferre possit beneficia constitutus extra provinciam.*

1. REsp. affirmativè, Fagnan. *in c. præsentata. de Testibus. n. 12.* Sbroz. *L. 2. q. 102. n. 4.* citatis quamplur. Castropal. *Tract. 13. d. 2. p. 30. d. 16.* citans Azor. *inst. mor. p. 2. l. 3. c. 44 q. 9.* Garcias. *p. 5. c. 8. n. 126.* citans Covar. *L. 3. var. c. 20. n. 28.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 34. num. 19.* Paris. *de resign. l. 2. q. 24. n. 32.* Menoch. *de arbit. l. 1. q. 43. num. 19.* Lamb. *de jurep. p. 2. l. 2. q. 2. c. 6. n. 3.* Coras. *de benef. c. 8. n. 3. &c.* Contra Bald. *in l. 2. ff. de off. Proconf. n. 1.* Barbat. *in c. novit. de off. leg.* Germon. *de Indult. Cardin. §. tibi quo ad. n. 89.* hoc nixos fundamento, quòd licèt Ordinarius possit exercere jurisdictionem voluntariam extra territorium, id tamen non possit locumtenens ordinarii inferioris à Principe, ut Bald. *loc. cit.* Bartol. *in l. cunctos populos. c. de Sum. Trinitate.* Franc. *in c. cum in generali. de off. Vicar. in 6.* Quod tamen fundamentum leve est, cum Vicarius Generalis Episcopi sit Ordinarius; & ad summum locum habeat in locumtenente Ordinarii, non Ordinario. Ad hæc non magis præjudicium aut injuria irrogetur Episcopo per exercitam in ejus Diœcesi jurisdictionem hanc voluntariam ab Episcopo extraneo, quàm ab hujus Vicario, cùm absque strepitu & figura judicii exerceatur, esto jurisdictio Vicarii in hoc, nimirum quòd ad conferenda beneficia sit delegata, & non ordinaria, sicut est Episcopi (ut Garcias *num.* 129. contra Corasium. Boërium, Sbrozium) nam etiam delegata jurisdictio voluntaria concessa ab inferiore à Principe rectè exercetur extra territorium ob rationem datam. Garc. *cit. n.* 129. ex Sanch.

2. Neque his obstat citata *L. 2. de off. Proconf.* in qua se fundant adversarii. Nam (quòd solum dicitur in *cit. Lege*) licèt Legatus Proconsulis à puncto, quo Proconsul Urbe egressus fuit non habeat jurisdictionem neque intra, neque extra provinciam, quia hanc dare non potest Proconsul Legato suo, quousque Provinciam fuit ingressus; per hoc tamen non negatur, quòd Proconsule ingresso in provinciam, Legatus ejus sicut & ipse Proconsul non possit exercere jurisdictionem voluntariam extra provinciam seu Diœcesim. Garc. *n.* 130. Castrop. *l. c. n.* 15.

3. Responsionem quoque ampliat Sbroz. *loc. cit. num. 6.* ut Episcopus committere etiam possit Vicario alterius Episcopi in aliena Diœcesi residenti collationem beneficiorum suæ Diœcesis, adeoque is existens extra Diœcesim, in qua sunt beneficia conferenda ea conferre possit. Sed vide, quomodo hæc consistant cum eo, quòd Episcopus alteri à suo Vicario Generali committere nequeat collationem beneficiorum. Fortè hæc ampliatio locum habet, ubi Episcopus Vicario istius alterius Diœcesis hic & nunc committeret seu delegaret collationem unius alteriúsve beneficii.

4. De cetero quod dictum in hoc puncto de collatione rigorosè tali facienda à Vicario, idem dicendum de institutione rigorosè tali & confirmatione. Licèt enim necessarium sit priùs à Vicario cognosci aptitudinem præsentati & electi, potest tamen hæc cognitio esse extrajudicialis, & sic unà cum institutione ab eo fieri extra Diœcesim. Garc. *loc. cit. n.* 138. *juncto n.* 142. Castrop. *loc. cit. num.* 17.

*Quæstio 264. An Vicarius habens dictam facultatem conferendi possit conferre Episcopo, à quo habet illam facultatem, vel etiam sibi ipsi?*

1. REsp. ad primum negativè Castrop. *loc. cit. num.* 19. citatúsque ab eo Azor. *cit. c. 44. q. 13.* Sbroz. *L. 2. q. 91. n. 1. & 2.* Garcias *loc. cit. n.* 143. citans Rebuff. *in pr. tit. de forma Vicar. n.* 82. Coras. *p. 2 c. 8. num. 6.* Quintanadv. *l. 1. Ecclesiast. c. 5. num.* 7. Debet enim inter dantem & accipientem esse distinctio. Jam verò Episcopus ejúsque Vicarius unum tribunal, unámque personam & corpus constituunt, uti & id ex eo patet, quòd à Vicario conferente beneficium inhabili non fiat devolutio ad Episcopum, juxta *c. 2. de consuetud. in 6.* & *c. Romana. de appellat. in 6.* Castrop. Garc *ll. cit.* citatique ab illis.

2. Limitat tamen hoc ipsum Garc. *n.* 144. ut intelligendum videatur, quando Vicarius conferret ut ordinarius; quia nimirum simul cum jurisdictione generali & ordinaria potestate data ei esset potestas conferendi. Supponit enim & fusè tradit Garc. *à n.* 41. quòd cùm illa, quæ speciale mandatum requirunt, committuntur simul cum designatione Vicariatûs seu jurisdictione generali & ordinaria potestate (aut etiam, dum ea separatim ac postea committuntur ab Episcopo, non solùm faciente mentionem Vicariatûs, salutando illum & compellando Vicarium suum, ut Jo. And. sed dicendo; quòd commissionem aliàs datam extendat, ut Garc. *n.* 44.) tunc Vicarium esse in omnibus Ordinarium. *c. translato. de constit.* Unde fiat, ut nunquam appelletur à Vicario Generali ad Episcopum, etiam in iis, quæ speciale mandatum requirunt; quia solent simul cum potestate ordinaria committi; citátque pro hac doctrina sua Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. n. 8.* Felin. *in c. corrigenda. de off. Vicar. n. 1.* Sbroz. *l. 1. q. 67. n. 3. &c.* Secus proinde esse ait Garc. *n.* 144. Seu Vicarium posse Episcopo conferre beneficium, si conferat ut delegatus. Cujus tamen contrarium tenet Castrop. *cit. n.* 19. eò quòd, dum hæc delegata potestas ab Episcopo proveniat, si Episcopus vi illius acquirere possit beneficium, ipse sibi censeretur providere beneficium, quod alienum est ab usu Ecclesiæ; cùm provisio beneficii à beneficiato ortum habere nequeat, ne detur locus ambitioni.

3. Limitat quoque hoc ipsum Sbrozius *loc. cit.* hoc modo: nisi Vicarius Episcopi creatus esset authoritate apostolica, quia tunc poterit conferre Epi-

Episcopo, pro quo citat Rebuff. *ubi ante num.* 83. & ait, id notandum pro Vicariis & Commissariis Apostolicis, qui in dies in Episcopatibus per Papam deputantur propter Episcoporum inhabilitatem & impedimentum.

4. Resp. ad secundum quoque negativè. Sibi enim ipsi conferre beneficium est prohibitum Sbroz. *loc. cit. n.* 2. citans plures. item *l.* 2. *q.* 92. *num.* 1. juxta *c. fin. de Institut. c. per vestras. de jurep.* cum adductis per Pavin. *de potest. capit. Sede vac. p.* 2. *q.* 5. *num.* 19.

*Quæstio* 265. *An substitutus à Vicario habente facultatem substituendi in ordine ad conferenda beneficia, possit ipsi substituenti conferre beneficium?*

REspondet affirmativè Sbroz. L. 2. *q.* 92. *n.* 2. citans Rebuff. eò quòd, ut Rebuff. *tract. de nominat. q.* 8. *num.* 28. contra Pavinum. *de potest. capit. Sed. vac. p.* 2. *q.* 5. *num* 9. substitutus à Vicario non capiat auctoritatem à Vicario substituente, sed ab Episcopo juxta *c. non indiscreta. de procurat.* Melius respondet Castrop. *loc. cit. n.* 9. citans Garciam *cit. c.* 8. *num.* 145. distinguendo: nimirum, quòd si Episcopus designaret Vicarium Generalem cum potestate substituendi sibi alium Vicarium cum clausula: *Quem nos Vicarium nunc prout ex tunc cum eadem potestate constituimus*: videatur talis Vicarius substitutus, non Episcopo, sed Vicario substituenti posse conferre beneficium; eò quòd is non à primo Vicario, sed ab ipso Episcopo, acceperit potestatem conferendi; dum verò substitutus ille Vicarius constitutus est à Vicario Generali, in casibus nempe, in quibus is independenter ab Episcopo aliam deputare potest, non potest Vicario, à quo constitutus conferre beneficium, quia jam militat eadem ratio, quare ipse Vicarius Generalis Episcopo, à quo constitutus conferre nequeat beneficium.

*Quæstio* 266. *An Episcopus stare teneatur collationi factæ à Vicario suo?*

REsp. affirmativè, ubi nimirum contulit legitimè & idoneo, & non contra formam mandati ad conferendum. Sequitur ex dictis supra, ubi an Episcopus contravenire possit gestis à Vicario. Secus. si is contulit contra formam mandati, vel non legitimè Sbroz. L. 2. *q.* 79. argumento *l. diligenter ff. mandati* & *c. dilecta. de rescript.* subjungit quoque Sbrozius *loc. cit. n.* 2. ex Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. n.* 4. teneri hoc casu Vicarium illi, cui contulit, ad damna & expensas. Item teneri illi conferre aliud beneficium juxta *c. inter cetera. de præb.* & *ibi* DD.

*Quæstio* 267. *An, si Vicarius contulit indigno, is ejusque Episcopus pro illa vice privatus sit potestate conferendi?*

REsp. ad primum affirmativè Sbroz. *l.* 3. *q.* 28. *n.* 1. ubi: si Vicarius contulit indigno, digno ampliùs illud non poterit conferre, tanquam jam functus officio suo. *c. compromissarios. de elect. in* 6. sicut Judex, qui sententiam protulit, quam revocare non potest. *l. Judex. ff. de re judic. c. in literis. de off. deleg.*

2. Resp. ad secundum negativè Sbroz. *l.* 3. *q.* 27. *n.* 1. Nam cum Episcopus committens Vicario facultatem conferendi censeatur mandasse, ut idoneæ personæ conferat, adeóque Vicarius conferens indigno transgressus est limites mandati, id Episcopo nocere non debet, quò minùs ad eum redeat potestas conferendi, seu is digno conferre possit; neque enim culpa officialis aut Vicarii domino nocere debet. Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in* 6. *n.* 9. citans Rebuff. *in pr. tit. de Vicariis. n.* 41. *& tit. de form. Vicariat. n.* 140. vide me ipsum. *Fori benef. p.* 2. *q.* 753.

*Quæstio* 268. *An collatio facta à Vicario Episcopi excommunicati valeat?*

REsp. non valere collationem factam à Vicario tempore, quo excommunicatus est Episcopus. Sbroz. *l.* 3. *q* 17. *num.* 3. citat pro hoc Aret. *in c. cum non ab homine. de Judic. col. penult.* Paris. *cons.* 89. *vol.* 4. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num* 217. *& seq.* Idémque esse, dum Episcopus interdictus est vel suspensus, ait Sbroz. *loc. cit. n.* 4. citatis Paris. & Rebuff. *ubi ante.* Bertach. *Tract. de Episc. l.* 4. *p.* 5. *n.* 69. Item non valere collationem factam à Vicario, quando persona Episcopi est inhabilis ad conferendum, ait Sbroz. *cit. num.* 4. ex Caldas *alleg.* 56. *n.* 2. Verùm hæc intelligenda, ubi Episcopus esset excommunicatus non toleratus (idem est de suspenso & interdicto) Sbroz. *loc. cit. n.* 6. Paris. *loc. cit. in fine.* Quibus contrarium sentire videtur Rebuff. *loc. cit. n.* 228. dicens, Vicarium non posse conferre Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, etiamsi Episcopus & Vicarius ignorent excommunicationem; eò quòd quæ geruntur ratione privati officii, non sit differentia inter occultum & publicum excommunicatum, secus ac accidit in iis, quæ geruntur ratione officii publici. Quam Rebuffi sententiam refutare cupiens Sbroz *num.* 9. citatis Innoc. *in c. si verò. de sent. excommun.* Abb. *in c. veritatis tit. eod. n.* 43. Paris. *cons.* 89. *num.* 23. *& seq. vol.* 4. Felin. &c. ait, collationem exerceri à dignitate, & non à persona, & dignitatem non esse excommunicatam. Verùm hæc refutatio non videtur solida, cùm etiam locum habeat in excommunicato non tolerato & notorio. Melior est refutatio, quam subjungit Sbroz. *ad finem. n.* 9. Quòd collatio fieri dicatur ratione officii publici, ut Franc. Marc. *q.* 969. *n.* 7. & 10. De cetero contra ipsam responsionem esse videtur, quòd habet Sbroz. *num.* 10. nimirum quòd locum non habeat in delegato excommunicati, utpote cujus jurisdictio non suspenditur excommunicato delegante ex ratione, quia Vicarius in causa sibi delegata non facit idem consistorium cum Episcopo. Nam Vicarius instructus facultate illa conferendi non confert tanquam Ordinarius, sed tanquam delegatus juxta dicta paulò supra.

*Quæstio 269. An & qualiter valeat collatio facta à Vicario revocato, vel post mortem Episcopi?*

1. REsp. ad primum: Vicarius habens facultatem conferendi si revocatus vel amotus fuerit ab officio per Episcopum, valet adhuc collatio facta ab eo revocationem ignorante. Sbroz. *lib. 3. qu. 36. nu. 6.* citatis Bertach. *ubi antè. part. 1. lib. 4. quæst. 21.* Roman. *singul. 57.* Boër. *decis. 347. n. 12. & 13.* Rebuff. *ubi antè n. 210.* &c. Garc. *de benef. part. 5 cap. 8. nu. 174.* citans Sanch. *de matrim. lib. 3. d. 30. nu 11.* Paris. *de resign. lib. 7. qu. 24. n. 41.* Lancell. *de attent. part. 3. cap. 10. num. 23.* Coras. *de benef. part. 2. cap. 8. nu. 8.* Selvam. &c. In revocatione enim facta per Episcopum requiritur intimatio per ipsum Episcopum, aut de ejus ordinatione facta, aliàs valebunt gesta per Vicarium, etiamsi habeat notitiam revocationis: quin &, etiamsi revocatio hæc sit publicè nota. Garc. *loco cit. nu. 176.* citans Sanch. *ubi antè.* Boërium *decis. 347.* Rebuff. *in pr. tit. de form. Vicar. nn. 210.* Cuchum *lib. 3. tit. 8. nu. 148* Quin & Episcopus licèt revocârit Vicarium, non censetur tamen voluisse hanc revocationem effectum habere antequam sit ei pro ejus parte intimata, non secus ac in ipsa constitutione Vicarii. Garc. *nu. 177.*

2. Resp. ad secundum: collatio facta à Vicario revocato per mortem aut translationem Episcopi, aliámve vacationem Episcopatûs valet, Vicario hanc vacationem ignorante. Garc. *loc cit. nu. 175.* citans Gonz. *gl. 15 § 2. nu. 19 & § 5. proœm. n. 103.* Lancell. *ubi antè. nu. 24.* Paris. &c. testánsque hic decisum à Rota *in Ianens. canonicatûs anno 1546.* Tametsi enim revocatio, seu potiùs exspiratio Vicariatûs habeat suum effectum etiam non intimatâ morte Episcopi, aliáve vacatione Episcopatûs; eò quòd sit à jure ipso facta, ut Sanch. *loc. cit. num. 4.* Felin. *in cap ex part. de rescript. num. 8.* Paris. apud Garciam *num. 178.* Valent tamen gesta per eum, quando communiter ignoratur mors, quamvis ipse Vicarius sit conscius illius; uti etiam, quando est communis error, aut ignorantia revocationis etiam ipsi intimatæ; non autem quando communiter scitur mors, licèt Vicarius eam ignoret. Garc. *num. 179.* ex Sanch. *loc. cit. nu. 4. & 11.* & *d. 22. nu. 59.*

*Quæst. 270. An valeat collatio facta à Vicario non habente aliàs facultatem conferendi præsente & patiente Episcopo?*

RESp. Affirmativè: quia talis scientia & patientia habetur pro legitima concessione seu licentia saltem tacita quoad illum actum, etsi non sit approbatio seu licentia generalis simpliciter & absolutè conferendi beneficia. Pirh. *ad tit. de offic. vicar. nu. 55. in fine.* citans Sanch. *de matrim. lib. 3. d. 35. nu. 20 & 22.* Sic quoque valere collationem post revocationem Vicariò intimatam sciente & patiente Episcopo; eò quòd vel sic renovata sit potestas conferendi, tradit Sbroz. *cit. qu. 36. nu. 11.* citato Rebuff. *loc. cit. nu. 213.* dissentiente Boërio *loc. cit.* eâ ratione, quòd potestas conferendi tacitè non detur, nisi expressè constituatur, *cap. fin. de off. Vicar. in 6.* quod verum dicit Sbroz. de ipsa collatione, nimirum quòd ratificatio collationis nulliter factæ non teneat, nisi quatenus de novo confertur.

*Quæstio 271. An Vicarius cognoscere possit de collatione facta ab Episcopo?*

RESp. Negativè. Sbroz. *lib. 2. qu. 95.* citans Bero. *cons. 14. nu. 6. vol. 1.* eâ ratione, quia inferior factum superioris rescindere non potest. *cap. cum venissent. de instit. cap. ut nostrum, de appellat.*

*Quæstio 272. Num mandatum Apostolicum de conferendo præsentatum Vicario liget Episcopum absentem & ignorantè hoc mandatum (de Episcopo enim præsente & sciente illud non est dubium quin liget illum) quò minùs ille conferre valeat?*

RESp. Non conveniunt in hoc Doctores, non sufficere fieri præsumptionem Vicario, & quòd si Episcopo in remotis agente mandatum fuerit præsentatum ejus Vicario vel Capitulo, & Episcopus hoc ignorans contulit præbendam primò vacantem, tenere collationem, tenet apud Sbroz. *lib. 2. qu. 106.* Joan And. *in cap. soli. de concess. præb. in 6.* Contrarium apud eundem Sbroz. *num. 2.* tenet Selva *de benef. part. 2 qu. 2. num. 4. & 6.* ubi: quòd licèt Episcopus ablens contulerit beneficium vacans, ignorans insinuationem mandati Apostolici vel nominationis fuisse factam suo Vicario, non valeat in præjudicium nominati: quia Episcopus & Vicarius sunt unum & idem. Quod ipsum tamen declarat *loc. cit.* Selva, ut, si præsentatio fuisset Vicario Episcopi in subsidium, eò quòd haberi non poterat copia Episcopi, tunc non ligaret Episcopum, & in hoc casu dicit procedere sententiam Jo-Andreæ.

*Quæstio 273. An, dum plures sunt Vicarii, sufficiat mandatum Apostolicum præsentari seu insinuari uni ex illis?*

RESpondet Sbroz. *lib. 2. qu. 105.* sufficere, citatis pro hoc Rebuff. *tract. de nominat. quæst. 14. num. 62. & 64.* & Rub. *de collat. §. teneantur, v. aut eorum vicariis in concord.* Selv. *de benef part. 2. qu. 14. num. 11.* qui tamen ipsum declarat procedere, ubi Vicarii haberent potestatem conferendi in solidum, nec potestas unius ab altero dependeret.

*Quæstio 274. An Vicarius sine speciali commissione possit recipere resignationes beneficiorum?*

1. RESp. Negativè. Ventrigl. *tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 9.* Pax Jord. *lib. 12 tit. 1. nn. 169.* Paris. *de resignat. lib. 7. qu. 24. num. 1. & 2.* Barbos. *juris eccles. lib. 3 cap. 15. num. 12.* Sbroz. *lib. 2. qu. 130.* Castropal. *tract. d. 3. part. 2. §. 2. num. 3.* Garc. *part. 11. cap. 3. num. 55.* Pirh. *ad tit. de renunc. nu. 73.* Zerola *in pr. Ep. part. 1. v. renunc. num. 54.* Riccius *in pr. aurea resol 471.* Rationem hanc dat Sbroz. *loc. cit. num. 2.* quòd is possit regulariter recipere resignationes, qui potest etiam invitum destituere

tuere beneficio. Pro quo citat Innocent. & alios *in cap. quòd in dubiis de renunc.* Abb. *in cap. cùm olim, de major. & obed. col. antepenult.* De quo vide dicta à nobis accuratiùs *in Foro benef. part. 3. quæst. 389. num. 6.* nempe id verum non esse nisi in eo, qui ex jure communi habet potestatem destituendi, non verò qui id ex jure & commissione speciali habet, Paris. *cit. quæst. 24. num. 19.* Laym. *in cap. cùm in generali. de off. Vicar. in 6. nu. 6.*

2. Potest tamen Episcopus Vicario suo committere hanc facultatem. Sbroz. *loco cit. num. 5.* citans Pavin. *de potest. Capit. sede vac.* Parisius *loc. cit. num. 22.* citans Selv. *part. 2. qu. 21.* Abb. *in cap. constitutus. de concess. præb. num. 5.* & sic decisum à Rota, & habere communem inquit idem Parisius.

3. Solet etiam quandoque Papa deputare administratorem, quem mittit ad regendam ecclesiam Cathedralem, vel Metropolitanam, donec Episcopus perveniat ad legitimam ætatem. Quandoque verò Vicarium Apostolicum, quem mittit cum Brevi de consilio Cardinalium præpositorum negotiis Episcoporum ad gubernandam ecclesiam, donec causa Episcopi inquisiti cognoscatur & decidatur, vel suspensio tollatur. Et talis administrator & Vicarius Apostolicus potest recipere resignationes beneficiorum, inspectis verbis, quæ solent apponi in concessionibus. Paris. *loc. cit. à nu. 23. juncto nu. 27.* qui etiam *nu. 25.* ait, tales habere ordinariam jurisdictionem, & dici Ordinarios, quidquid dixerint in contrarium alii, habere nempe illos jurisdictionem delegatam.

4. Potest quoque talis administrator Apostolicus constituere Vicarium generalem cum potestate conferendi beneficia, & recipiendi eorum resignationes. Paris. *cit. qu. 24. nu. 74.* citans Butt. *decis. 224. nu. 2.* Nec obstat, quòd locumtenens alium locumtenentem deputare nequeat; non enim id potest, dando ei totam jurisdictionem, abdicando eam à se, & faciendo eum Ordinarium, secus ac contingit in præsenti casu. Paris. *loc. cit. num. 75.*

*Quæstio 274. An & qualiter in generalibus clausulis censeatur Vicario concessa ab Episcopo hæc facultas recipiendi resignationes?*

1. Resp. Primò: Non adhuc hæc ei concessa censetur, dum constitutus cum potestate administrandi in spiritualibus & temporalibus, cum honoribus & præeminentiis datis aliis Vicariis, & cum plena & omnimoda potestate de omnibus cognoscendi; quin & adsint in mandato alia adhuc verba generalia & prægnantia; eò quòd debeat fieri specialis mentio de receptione resignationis. Paris. *loc. cit. nu. 6.* quemadmodum ex commissione ampliſſima ei data ab Episcopo, etiam in qua dictum fuit, ut omnia possit quæ ipse Episcopus, adhuc conferre non poterit beneficia juxta Parisium *loc. cit. n. 7.* citantem pro hoc Pavin. *de potest. Capit. sede vac. part. 2. qu. 10.* Decium *cons. 128. col. 1.*

2. Secundò, non censetur adhuc concessa, si Vicario data fuisset facultas conferendi omnia & singula beneficia vacantia. Paris. *loc. cit. nu. 15.* idque sive resignationes illæ sint absolutæ, sive factæ permutationis gratiâ. Laym. *loc. cit. num. 6.* citans Sbroz. *l. 2. q. 71.*

3. Tertiò, etiamsi Vicario concessa foret potestas destituendi omnes & singulos beneficiatos, Paris. *loc. cit. nu. 19.* juxta dicta *quæst. præced. num. 1.* uti nec è contra destituere potest seu privare beneficio, etiamsi ei concessa potestas recipiendi resignationes. Laym. *loc. cit. num. 6.* cùm plus sit & majoris potestatis destituere, quàm recipere resignationes. Laym. *ibid.*

4. Quartò, de cetero datâ ei hac facultate recipiendi resignationes beneficiorum, poterit recipere resignationes omnium beneficiorum, sicut potest ipse Episcopus concedens hanc facultatem. Paris. *l. 7. q. 24. n. 28.* adeóque subjectorum juripatronatûs, electivorum. Paris. *cit. n. 28.* reservatorum Papæ. Paris. *n. 30.* nisi fortè concessa illi fuisset hæc facultas cum hac limitatione: omnium beneficiorum spectantium ad collationem Episcopi. Paris. *num. 31.* Item poterit recipere resignationes, factæque ex ab illo tempore, quo erat irregularis, aut aliter, inhabilis valebunt, si communiter reputabatur habilis (sufficit enim communis reputatio de habilitate juxta *L. Barbarius. de offic. Prætoris.* quæ etiam in spiritualibus locum habet. Paris. *num. 47.*) sicut in eo casu valeret receptio resignationis factæ per Episcopum inhabilem. Paris. *num. 44.*

*Quæstio 276. An beneficiorum spectantium ad institutionem, seu collationem necessariam Episcopi resignationes recipere possit Vicarius, tum quando dicta institutio competit quoque Vicario sive in concessione Episcopi speciali, sive ex ordinaria?*

Respondet affirmativè ex Pavino *de potest. Capit. sed. vac. part. 2. qu. 10. nu. 7.* Sbroz. *lib. 2. q. 130. num. 5.* eò quòd sicut tunc potest Vicarius instituere præsentatum à Patrono, ità & possit recipere resignationem tanquam præambulam institutionis, ut per similia ait probari à Pavino. Verùm videtur id meliùs negari: quemadmodum enim ex eo quòd conferre possit, non sequitur quòd beneficiorum, quæ conferre potest, resignationes recipere possit, etiamsi non minùs ista receptio sit præambulum ad collationem, quàm receptio resignationis beneficiorum, ad quæ instituere potest ut præambulum ad illam institutionem. Non obstante etiam, quòd institutio illa sit necessitatis: nihil enim ista necessitas facit ad receptionem resignationis, dum illa non magis per hoc evadat actus necessarius, quàm receptio resignationis beneficiorum, quæ conferre potest.

* * *

*Quæstio* 277. *An beneficia dimitti saltem possint coram Vicario Episcopi, quæ relinquenda sunt, quia obtenta sunt alia cum iis incompatibilia.*

REsp. affirmari hoc ipsum à Sbroz. *L.* 2. *q.* 130. *num.* 6. videturque id ipsum satis probabile; cum simplex talis cessio seu demissio (quæ adhuc facienda coram superiore Laym. *in c. quidam. de renunc. n.* 2.) sit solummodo voluntas non habendi amplius tale beneficium ut suum, ad quam voluntatem seu demissionem cogitur à lege beneficiatus recipiens beneficium aliud cum priore incompatibile. Sufficere vero videatur, talem voluntatem declarare coram superiore, absque eo, quod ejus positivus consensus, seu admissio positivæ dictæ dimissionis requiratur, sicut ea aliàs requiritur in resignatione propriè & rigidè tali, etsi simplex sit. Ego *fori benef. p.* 3. *q.* 234. *n.* 6. cum definiatur talis resignatio; esse dimissio spontanea propria beneficii coram legitimo superiore id acceptante. Laym. *ad tit. de renunc. sub initium.* Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 4. §. 7. *n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 1.

*Quæstio* 278. *An ex facultate admittendi resignationes beneficiorum rectè inferatur facultas resignata coram se conferendi, aut etiam privandi beneficiis?*

1. REsp. ad primum satis de eo dictum *quæst.* 251.

2. Resp. ad secundum negativè; cùm privare posse beneficiatum sit longè majoris potestatis. Laym. *in c. cùm in Generali. de offic. Vicar. in* 6. *n.* 6. Quin & si privare non esset majoris potestatis quàm recipere resignationes, adhuc ex uno non sequeretur aliud, ut dictum aliàs, quia adhuc sunt longè diversa.

*Quæstio* 279. *An Vicarius, qui facultatem recipiendi resignationes accepit, possit admittere factas permutationis gratiâ?*

REspondet negativè Garcias *de benef. p.* 5. *c.* 8. *num.* 110. eò quòd aliud sit: admittere resignationes; aliud dare authoritatem permutare volentibus; ut fit in admissione resignationis ex causa permutationis. Citat pro hoc Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. n.* 104. Zerol. *pr. Episc. v. Vicarius,* §. 10. contra Pet. de Perus. *de permut. benef. p.* 2. *q.* 6. *num.* 23. *aliàs* 40. quatenus *ibidem* tradit; quòd si tale esset beneficium, quod posset renunciari in manibus inferioris ab Episcopo, quia talis inferior haberet potestatem instituendi, tunc in talibus beneficiis permutandis Vicarius Episcopi authoritatem interponere posset, qui haberet eandem ordinariam potestatem quam Episcopus.

*Quæstio* 280. *An Vicarius habens potestatem recipiendi resignationes factas permutationis gratia possit quoque beneficia resignata causâ permutationis conferre?*

1. REsp. negari idipsum à Sbrozio. *L* 2. *q.* 71. *num.* 9. ubi expressè: *etiam, si Vicarius potestatem haberet recipiendi resignationes beneficiorum permutationis gratiâ, vel simpliciter, non poterit conferre resignata absque speciali mandato conferendi.* Rota *decis.* 5. *alias* 397. *num.* 2. & 3. *in novis.* ubi etiam in dubio reliquit, nisi specialis conferendi commissio distinctè fieret post factam resignationem. Citat insuper pro hoc Gemin. *in c. fin. n* 10. *de off. Vicar. in* 6. Calder. *cons.* 3. & plurimos alios.

2. E contra idipsum affirmant Garc. *p.* 5. *c.* 8. *num.* 104. *juncto n.* 104. citans pro hoc Dominic. *in c. fin. de off. Vicar. in* 6. *num.* 10. Coral. *de benef. p.* 2. *c.* 8. *num.* 2. Zechum &c. item Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 3. *n.* 3. contra Rebuff. & Barbos. eò quòd collatio illa non sit voluntatis sed necessitatis, & verisimile sit, quòd Episcopus dando potestatem recipiendi resignationes ex causa permutationis voluerit dare potestatem faciendi collationem, quæ necessario illis fieri debet. Et maximè, quia in permutatione eodem contextu solet admitti utriusque renunciatio, & pariter fieri utrique collatio. Sive quòd licèt ista duo: Recipere talem resignationem, & conferre, sint tamen omnino connexa; Dum enim beneficium resignatur ex causa permutationis, eâ conditione resignatur, ut permutanti concedatur; Adeóque admittens resignationem admittat eo ipso conditionem. Quomodo autem hanc conditionem admittere potest, si non possit ea beneficia conferre, nec collatorem ad ea conferenda cogere?

*Quæstio* 281. *An, & qualiter concessa Vicario hac facultate recipiendi resignationes beneficiorum, subsistat receptio resignationis facta ab illo post mortem Episcopi, aut revocationem sui ab officio?*

1. RÈsp. primò subsistet si obitus Episcopi ignorabatur à Vicario, quando faciebat dictam receptionem. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 24. *num.* 33. Barbos. *Jur. Eccles. l.* 3. *c.* 15. *num.* 12 citans Sbroz. *L.* 3. *q.* 36. *n.* 10. Sperell. *for. Eccles. decis.* 30. *n.* 16. Proceditque id ipsum, etiamsi Vicarius potuisset scire mortem Episcopi. Paris. *loc. cit.*

2. Secundo subsistet, etiamsi Vicarius sciviset mortem Episcopi, dum hæc aliàs communiter ignoratur. Sperell. *loc. cit.* juxta *Legem Barbarius.* utpote quæ se fundat in errore ceterorum; contrarium tamen est, ubi mors vel renunciatio communiter scitur, etsi Vicarius ipse eam ignoret. Vide dicta de collatione facta à Vicario *Quæst.* 268. Porrò quod dictum hic de morte, idem procedat in renunciatione & translatione Episcopi, ita ut si is resignasset Episcopatum in Urbe, vel translatus fuisset in alium Episcopatum, subsisteret receptio resignationis facta à Vicario, antequam is de dicta renunciatione vel translatione notitiam habuisset. Paris. *loc. cit. n.* 38. dicens sic decisum à Rota *in Oretana Canonicatûs.*

3. Tertiò subsistet facta talis à Vicario receptio post expressam ejus revocationem, ubi eam ignoravit. Paris. *loc. cit. n.* 41. subjungens *num.* 43. præsumi in dubio ignorantiam revocationis.

4. Quartò subsistet adhuc ubi revocatio hæc intimata est Vicario, ubi de cetero adest communis error & ignorantia revocationis juxta ea, quæ de collatione dicta *Quæst.* 268. & dicenda infra in genere de gestis à Vicario post mortem Episcopi cujus est Vicarius, aut post ejus ab officio amotionem.

*Quæstio*

*Quæstio* 282. *An Vicarius possit pensionem imponere beneficiis (intellige iis, quibus & quomodo eam imponere potest Episcopus) sine speciali ejus commissione?*

REsp. negativè. Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 13.* Pax. Jord. *L. 12. tit. 1. num. 169.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. n. 77.* Garc. *p. 1. c. 5. num. 317.* Sbroz. *L. 2. q. 71. n. 24.*

*Quæstio* 283. *An Vicarius possit sequestrare possessionem beneficii cum fructuum custodia apud idoneam personam?*

REspondet Sbroz. *L. 2. q. 127.* id eum posse tanquam Ordinarium in casu *Clem. 1. de sequest. possess. & fructuum*, ubi Canonistæ, & latè Vestrius *in pract. l. 7. c. 2. n. 1.*

# CAPUT QUINTUM.

## De Sustentatione, Amotione Vicarii, gestisque ab eo post amotionem.

### PARAGRAPHUS I.
### De sustentatione Vicarii.

*Quæstio* 284. *An Vicario Generali Episcopi possit ac debeat dari salarium?*

RResp. ad primum affirmativè Fagn. *in c. quoniam. ne Prælati vices suas. à n. 8.* Licèt enim jurisdictionem ecclesiasticam vendere vel locare prohibitum sit. *c. præterea. c. quoniam. ne Prælati vices suas.* & Trid. *sess. 25. c. 11.* ubi expresè: *non liceat etiam jurisdictiones ecclesiasticas seu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in Spiritualibus locare, nec conductoribus per se aut alios ea exercere; aliterque concessiones etiam à Sede Apostolica factæ subreptitiæ censeantur &c.* Quin & quia jurisdictio ecclesiastica est quid spirituale, Simoniacum sit illam vendere. Fagn. *loc. cit. num. 4.* citans *c. ex multis. c. vendentes. c. non solum. 1. q. 3.* gl. 1. *in cit. c. quoniam.* & *in c. præterea.* & *ibidem* Host. *n. 6.* Jo. And. *n. 3.* Card. *n. 2.* Butrio. Abb. Marian. Socin. omnes *in notab. 1.* & quia illa jurisdictionis, etiam sæcularis, venditio & locatio redundat in subditorum gravamen & judiciorum subversionem. *cit. c. quoniam.* Officialis siquidem, ut Abb. *in c. præterea. ne Prælati vices suas. num. 4.* ut aliquid lucretur supra pecuniam datam superiori per fas & nefas inducitur ad extorquendam pecuniam, pœnam & modicam culpam faciet graviorem, & sæpe puniet bursam, ubi punienda esset persona: vendi quoque prohibetur jurisdictio merè temporalis juxta Authent. *ut Judices sine quoquo suffragio fiant.* & Authent. *de mandat. Princip. §. illud tamen.* Fagn. *n. 6.* citatis Host. *in cit. c. præterea. n. 5.* Butrio. *n. 10.* Innoc. & Card. *num. 2.* Et licèt eam vendere non sit Simoniacum, est tamen turpe lucrum, & sicuti in venditione jurisdictionis spiritualis committitur Simonia spiritualis, ita in venditione jurisdictionis temporalis committitur Simonia Laicalis, Fagn. *loc. cit. n. 7.* Licèt inquam hæc se ita habeant de jurisdictionis emptione & venditione, illicitáque proinde sit tam ex parte committentis quàm susципientis commissio officii jurisdictionem complectentis, constitutio tamen & datio pecuniæ, officio jam commisso, loco salarii facta ipsi, cui committitur officium, Simoniaca aut illicita non est Fagn. *num. 8.* ex Butrio. *loc. cit. num. 7.* citatis quoque *c. charitatem* & *c. quicumque. 12. q. 2.* Locat siquidem Vicarius operas suas Episcopo; & accipit mercedem laboris sui, uti & Assessori datur stipendium. *c. statutum. de rescrip. in 6.* & sic licitè vendit Advocatus patrocinium suum. *c. non sanè. 14. q. 5.* ita Fagn. *n. 9.* & 10. uti hæc à fortiore firmantur responsione sequente.

2. Resp. ad secundum. Debetur quoque Vicario salarium ab Episcopo. argumento *c. inter cetera. de off. ordinar.* Fagn. *loc. cit. n. 9.* Sbroz. *L. 1. q. 55. n. 1.* citatis gl. *in c. 1. ne Prælati vices suas. v. quantitate.* Host. Card. Innoc. *ibidem* Imol. *in Clem. statutum. de elect. num. 27.* Fundatur hæc responsio in regula illa: nemo cogitur suis stipendiis militare: Fagn. & Sbroz. *ll. cit.*

*Quæstio* 285. *An Vicario debeatur salarium, etiam, dum de hoc conventum non est?*

REsp. affirmativè. Sbroz. *cit. q. 55. n. 6.* sic decisum testans à Rota *in Turritana. 20. Maji. 1569.* Barbosa *juris eccl. l. 1. c. 15. n. 46.* sic testans tantum à Rota apud Marchesan. *de commissio. p. 1. pag. 1192.* contra Mohed. *decis. 4. de off. Vicar. in novo.* Marta *voto 99. n. 2.* Valenz vel. *cons. 179. n. 62.* tenentes contrarium; eò quòd regulariter salarium non conventum non debeatur, & secundum Alex. *cons. 109. l. 3.* & Decium *cons. 132. in fine* ad effectum Salarium exigendi extrema probanda sunt; nempe quòd Episcopus solitus esset conducere, & Vicarius locare suas operas. Rationem responsionis dat Barbos. quòd ex æquitate salarium non conventum Judicis officio peti possit; ut Mohed. *decis. 4. n. 1. de off. Vicar.* Joan. Baptist. Magon. *de recta patrocin. rat. c. 8. n. 3.* & quòd dictum Alex. & Decio procedat in famulis & aliis vilibus personis, quæ sæpe numero inserviunt pro expensis sine salario.

* * *

Quæst.

*Quæstio* 286. *An Vicario generali debeatur quoque salarium, dum is est Canonicus, & de sua præbenda commodè vivere potest?*

RESP. Deberi ei nihilominus salarium, non secus ac externo assumpto in Vicarium. Sbroz. *l.* 1. *qu.*55. *nu.* 7. ubi etiam, quòd possit deducere expensas, quas aliàs domi facturus esset tanquam reputatus præsens & residens propter ecclesiæ servitium. & *l.*2. *qu.*60. *nu.*4. ex Pavin. *de potest. Capit. sede vac. p.*2. *q.*10. *n.*4. qui etsi loquatur de Vicario Capituli sede vacante, idem tamen est de Vicario Episcopi ob eandem rationem; cùm neque is gratis teneatur locare operas suas Episcopo.

*Quæstio* 287. *An Vicarius mortuo Episcopo consequi debeat salarium pro tempore, quo vixit Episcopus?*

RESP. Debere illum id consequi à Capitulo. Sbroz. *lib.*2. *qu.*55. *nu.* 3. cum Imol. *in c. statutum. de elect. nu.*27. non tamen tenetur Episcopus successor Vicario prædecessoris sui solvere salarium, Sbroz. *loc. cit. nu.* 7.

*Quæstio* 288. *An Vicario ignoranti revocationem seu exspirationem sui Vicariatûs debeatur salarium pro rata temporis post dictam exspirationem?*

RESP. Affirmativè. Sbroz. *lib.*3 *qu.*35. ubi: *Vicarius Episcopi, quamdiu revocationem sui Vicariatûs, & successoris creationem ignorat, consequi debet salarium.* Citat pro hoc Rebuff. *in pr. de nominat. qu.*14. *nu.*71. Roman. *in L. diem functo. ff. de offic. Assess.*

*Quæstio* 289 *Vnde solvendum Vicario salarium?*

RESP. Teneri Episcopum ex Camera sua constituere Vicario suo salarium. Fagn. *in c. quoniam. ne prælati vices suas. nu.*8. juxta *c. charitatem. & c. quicunque. 12. qu. 2. & gl. 2.* Innoc. Card. Butrio. Host. *in c. præterea. ne Prælati vices suas.* Mortuo verò Episcopo, salarium pro tempore, quo vivente Episcopo deservivit Vicarius eidem, solvendum à Capitulo de bonis ecclesiæ vacantis. Sbroz. *l.*1. *qu.*55. *nu.*3. ex Imol. *in Clem. statutum. de elect. num.* 7. Ex pœnis tamen & mulctis nulla portio assignari potest Vicario pro ejus mercede. Fagn. *in c. presbyteri. de pœnis. nu.*36. sic responsum testans à S. Congregatione Concil. Sed neque in reparationem domûs Vicarii quicquam insumi posse ex hujusmodi pœnis pecuniariis, censuisse eandem S. Congregationem, ait Fagnan. *loc. cit. num.*38. ubi etiam, quòd licèt Papa quandoque ex gratia concesserit Episcopis pauperibus facultatem, eas pœnas in certa summa in reparationem Episcopalis palatii erogandi, plerumque tamen eam denegârit. Procedúntque hæc omnia multò magis in illis pœnis pecuniariis, quæ à SS. Canonibus, vel Synodalibus statutis pro delictis ad certam quantitatem non sunt præfinitæ, sed ab Episcopi arbitrio dependent, vel per sententiam, nullâ præcedente Canonum vel statutorum Synodalium determinatione imponuntur, ait Fagn. *loc. cit. nu.*39. eò quòd has pœnas pecuniarias omnes S. Congregatio, eriam in statu egestatis Episcopi, censuerit indistinctè nequaquam aliis, quàm piis locis & usibus esse applicandas, non obstante contrariâ consuetudine.

## PARAGRAPHUS II.

## De Exspiratione Vicariatûs.

*Quæstio* 290. *Quot modis exspiret Vicariatus?*

1. RESP. Exspirare officium & jurisdictionem Vicarii generalis Episcopi variis modis. Ac primò quidem per mortem Vicarii naturalem; mors enim omnia solvit. Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. nu.*68. Non tamen per mortem illius, aut Episcopi, aut quamcunque aliam amotionem propriè vacat Vicariatus; cùm, ut dictum aliàs, non sit beneficium. Laym. *in c. statutum, de rescript. nu.*5. Azor. *loc. cit.*

2. Secundò per renuntiationem expressam vel tacitam factam ab ipso Vicario, v. g. dum è diœcesi discedit, in qua constitutus erat Vicarius, animo non redeundi. Fagn. *in c. præsentata, de testibus. nu.*10. & ex eo Pirrh. *loc. cit.* eo ferè modo, quo legati Pontificii munus legationis exspirat, si provinciam sibi commissam egressus sit animo non redeundi. argumento *l.*3. *ff. de off. Præsidis.* Fagnan. *loc. cit.* citatis gl. *in c. præsenti. de off. Legat. in* 6. *v. finitur.* Villadiego *tract. de legat. qu.*16. *n.*7. Gambar. *eod. tract. l.*9. *n.*5. Idque absque eo, quòd Vicarius revocatus exisset è diœcesi. Nam etsi detur (quod tamen negat Fagn. *loc. cit.*) ut volunt Hostiens. *in c. novit. de off. Legat.* & qui eum sequuntur, Archidia. Jo. And. *in c. præsente. tit. eod. in* 6. finiri officium legationis legato non solùm egresso è provincia, sed etiam revocato: adhuc tamen aliud est in Vicario Episcopi, differentiâ consistente in hoc, quòd ut citati Authores velint, ideo per solum recessum à provincia animo non redeundi non exspirat legatio; quia legatus compelli possit etiam invitus ad munus legationis obeundum & continuandum, & hinc, sicut expressè renunciare nequit legationi, ità nec possit tacitè eidem renunciare per egressum è provincia; cùm, qui potest expressè renunciare, egrediendo è loco, in quo eam exercet, animo illuc non redeundi, censetur ei renunciare. Econtra verò Vicarius Episcopi, cùm invitus compelli nequeat ab Episcopo (præsertim ubi ei non erat subditus) ad suscipiendum officium Vicarii, sed potiùs cogi deberet ad residentiam in loco beneficii sui, sequitur, ut, sicut ipse expressè resignare poterat Vicariatui, ita egressus è diœcesi animo extra eam perpetuò manendi, eidem Vacariatui tacitè renunciâsse censeatur. Fagnan. *cit. num.*10 idipsum *num.*11. confirmans per textum *cap. præsentata. de Testibus.* ubi probatur, eum, cui mandata est jurisdictio, si de loco recedat, ubi erat exercenda, & ad locum, in quo tenetur residere, proficiscatur, non habere ampliùs jurisdictionem. Unde etiam

Card.

Card. & Felin. *in cit. cap. præsente* notant, absentiam à loco cum obligatione anb. residendi morti æquiparari.

3. Tertiò per mortem Episcopi tam naturalem, quàm civilem, puta per renuntiationem admissam à Papa, depositionem, translationem illius ad aliam ecclesiam (veniunt enim hæc omnia nomine mortis civilis) extinguitur mox ipso facto omnis potestas & jurisdictio Vicarii. Pirh. *loc. cit.* citans Sanch. *de matrim. d. 30. num 2. & 3.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 14. §. 1. num 57.* Sbroz. *lib. 3. quæst. 2. à num. 2.* citans quamplurimos. Cùm enim Vicarius generalis eandem cum Episcopo jurisdictionem, idemque tribunal habeat, reputetúrque eadem utriusque persona, cessétque per mortem naturalem & civilem Episcopi tribunal & jurisdictio, cessare quoque necesse est jurisdictionem Vicarii Pirh. *loc. cit.* Pax-Jord. *lib. 12. tit. 1. num 249.* Et cùm principalis constituens desinit esse dominus, vel quasi dominus illius rei, cujus contemplatione constituerat Vicarium, cessat quoque Vicariatus, quia cessante causâ præsumitur cessare voluntas, & dissolvi mandatum: ex quo videtur ab initio adjecta, vel saltem tacita inesse conditio, quòd in eodem statu maneat. Sbroz. *loc. cit. nu. 4.* citata *L. cùm quis. ff. sol. L. si Cornelius. tit. cod.* & *ibi* Bartol.

4. Dixi *mox*, adeóque ante adventum successoris Episcopi; cùm Vicarius non habeat jurisdictionem cohærentem territorio principaliter, sed accessoriè, & ideo non obstent *L. meminisse. ff. de off. Proconf.* & *L. si fortè. ff. de off. Præsid.* cùm loquantur de Ordinario, tenente jurisdictionem principaliter cohærentem territorio, non autem accessoriè, sicut habet Vicarius, ità ferè Sbroz. *loc. cit. n. 7.* Extingui autem officium Vicarii mox ab ejus translatione in Consistorio (idem est de depositione & renuntiatione illius in eo admissa) etiamsi Episcopus ignoraret suam translationem; quia eo ipso cessat omnis jurisdictio Episcopi, tradit Sbrozius *loc. cit.*

5. Dixi etiam: *ipso facto seu jure.* Nam opùs non est revocatione factâ per Capitulum. Pax-Jord. *loc. cit. n. 250.* citans Felin. *in c. ex parte. de rescript. nu. 19.* contra Henriquez *in sum. l. 7. c. 21. §. 5.*

6. Porrò jurisdictio & officium Vicarii ità exspirat morte naturali & civili Episcopi, etiam respectu causarum & negotiorum jam cæptorum Episcopo vivente, & regnante, ut ea perficere nequeat, & hæc ab eo profecta, aliáque gesta post mortem Episcopi sint omninò irrita, tanquam facta à privato jurisdictione. Azor. *p. 2 l. 3. c. 45. q. 14.* Pax-Jord. *loc. cit. n. 252.* Ventrigl. Pirh. citatíque ab illis cum communi, pro qua quoque Pignatel. *tom. 1. conf. 250.* citat Archid. *in c. 1. de off. Vicar. in 6. nu. 2.* Gloss. *in Clem. fin. de Procurator. v. contestata.* ibidemque Cardin. *nu. 5.* Imol. *nu. 17.* Bero. *in cap. quoniam Abbas. de off delegat. num. 100.* Bertach. *de Episc. l. 4. p. 7. q. 6. n 4.* Rebuff. *in pr. p. 1. tit. form. Vicar. n. 162.* &c. Tuetur tamen ipse Pignat. *loc. cit. nu. 2.* contrarium, dum ait: *Dico tamen, si Vicarius ante obitum sui Episcopi caperit in causa procedere, haud dubiè, re non integrâ, prorogatur ac perpetuatur sua jurisdictio.* Citat pro hoc *c. gratum. §. nos autem. de off. delegati.* & *ibi* gloss. *v. captam.* Abb. *nu. 1.* Felin *nu. 5.* Jason. *in L. more majorum. ff. de jurisd. omn. Iudic. n. 58.* Decium *ibidem nu. 42.* Rotam *decis. 9. de dolo & contumac. in antiquis*, &c. Loquitur autem Pignat. de Vicario, cui delegata causa canonizationis. Citátque in specie sic censuisse S. Congreg. Rituum *in Sepotiensi servi Dei Ioannis de Duola*, quòd etiam sola citatio, licèt non executa, sufficiat, ut procedere possit Vicarius mortuo suo Episcopo. Quæ si intelligat Pignat. in casu, quo Vicario sub nomine hujus officii delegata sit talis causa, non ab Episcopo proprio, sed à Papa, vera fortè erunt.

7. Pari ratione exspirare officium Vicarii per permutationem Episcopatûs cum alio Episcopatu, ac per translationem, tenent Ventrigl. ex Meroll. *Theol. mor. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 51. nu. 473.* Sbroz. *cit. q. 42. n. 11.* & cum eo Pax Jord. *loc. cit. nu. 262.* contra Rebuff. *pr. benef. form. Vicar. n. 225.* Calderin. *conf. 4. de rescript.* Cuch. *Institut. Iur. Can. de Vicar. Episc. nu. 155.* Socin. *conf. 27. l. 3.* quos citat Sbrozius *nu. 10.* In permutatione enim non minùs contingit vacatio ecclesiæ permutatæ, quàm in translatione ecclesiæ, à qua Episcopus transfertur. Sbroz. *cit. num. 11.* cum gl. *in c. si propter. de rescript. in 6.* vacante autem ecclesiâ exspirat Vicariatus.

8. Quartò, per revocationem factam ab Episcopo. De quo paulò pòst.

## *Quæstio* 291. *An exspiret Vicariatus per captivitatem Episcopi?*

Resp. Exspirare illum, si Episcopus capiatur à paganis, hæreticis vel schismaticis, tenent cum gl. *in cap. si episcopus, de suppl. negl Prælator. in 6. v. sed Capitulum.* Ventrigl. *loc. cit.* aliique; eò quòd velint amittere illum per hoc libertatem, & consequenter jurisdictionem, & captivitas censeatur mors civilis, & æquiparetur morti naturali. E contra sentit Fagn. *in cap. per tuas. il primo. de simoniâ.* Pirrh. *cit. n. 68.* non extingui per captivitatem Vicariatum; eò quòd Episcopus captus non efficiatur servus capientium, seu non amittat libertatem, nisi de facto, prout intelligi debet *cit. c. si Episcopus*, dum ait: *donec illum libertati restitui contingeret.* ac pari modo habitualiter retineat jurisdictionem, & ea solùm quoad exercitium suspendatur, & interea devolvatur ad Capitulum; adeóque non sit civiliter mortuus, quantùm quoad habitum jurisdictionis; sed solùm quoad jurisdictionis exercitium. Proinde jam etiam Vicarii jurisdictio durante captivitate Episcopi tantùm suspensa est quoad exercitium, ità ut interea eam exercere nequeat (nisi fortè exercitium illius committatur eidem à Capitulo) & habitu remanet Vicarius.

## *Quæstio* 292. *Qualiter exspiret Vicariatus per revocationem?*

1. Resp. primò: exspirare illum per revocationem factam ab Episcopo constituente. habet communis. Barbos. *Iuris eccles. l. 1 c. 15. n. 44.* Ventrigl. *loc. cit. n. 57.* Pirh. *n. 75.* Sbroz. *l. 3. q. 33.* Azor. *p. 3. l. 3. c. 45. q. 14.* Pax-Jord. *l. 1. c. 257.* citans insuper plures alios. Sicut enim Episcopi voluntate & nominatione ordinariam jurisdictionem à lege consequitur, ita quoque contrariâ Episcopi voluntate removetur. Eo enim modo unumquodque dissolvitur, quo colligatum est, & per quas causas res nascitur, per eas etiam dissolvitur. *c. omnes res. de Reg. Iur. in 6.* Barbos. Pax Jord. *locis cit.* sed neque Vicarius in suo officio est intitulatus, ideóque ad libitum Episcopi revocari potest, Sbroz. *l. 3.*

7. 32. citatis quamplurimis. Pirh. Pax-Jord. Ventrigl. *locis cit.* Cardin. de Luca *ad Trident. d. 4. n. 8.* Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. in 6. n. 9.* juxta gloss. *in Clem. si principalis. de rescript. v. per electionem.* Idque etiamsi Episcopus jurâsset, se illum non revocaturum, quâmvis si id faceret sine causa, perjurus esset. secus si cum causa justa. Sbroz. *loc. cit. n. 5.* citatis iterum quamplurimis. Pirh. *n. 76. in fine.* Ventrigl. *loc. cit.* citatis Rebuff. *in pr. tit. Vicar. n. 193.* Boërio *decis. 341. n. 1.* Jo. And. *in c. tua. de off. Vicar.* juxta dicta à nobis aliàs. Et quidem sine consensu Capituli. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *cit. q. 32. n. 2.* Secus tamen est, ubi Vicarius Episcopi confirmatus esset à Papa ad vitam, vel ex certa scientia; revocare enim illum nequiret Episcopus, & sic per ejus revocationem, utpote nullius efficaciæ, non exspiraret Vicariatus. Pax-Jord. *n. 264.* citans Rebuff. *in pr. tit. form Vicar. n. 194. & seq.* Cuch. *eod. tit. n. 139* Ventrigl. *loc. cit.* citans Merol. *ubi antè, c 6. dub. 51. nu. 452.* Idem videtur, dum Papa simpliciter constituisset Vicarium Episcopi: sicut enim tunc non deputatur ab Episcopo, sic nec ab eo removeri potest. Pax Jord. *loc. cit. nu. 265.* qui tamen etiam *n. 264.* ex eodem Rebuffo & Cucho secus esse ait de Vicario constituto ab Episcopo, & simpliciter tantùm, non verò ad vitam confirmato à Papa; eò quòd confirmatio simplex non alteret naturam rei.

2. Resp. secundò: ad hoc tamen, ut exspiret officium & jurisdictio Vicarii per revocationem, necesse est hunc ei intimari seu denuntiari. Ventrigl. *loc. cit.* Pirh. *cit. nu. 75.* Pax-Jord. *nu. 266.* cum communi. Generaliter enim loquendo, non cessat jurisdictio Judicis, donec certior reddatur de revocatione. *L. si fortè. ff. de off. præsid.* Quòd si tamen Vicarius suâ culpâ, seu ob delictum suum depositione dignum revocaretur, etiam ante notitiam de sui revocatione, exspirare ejus jurisdictionem, tradit Azor. *instit. mor. p. 2. l. 3 c. 45. q. 15. § dubia.* dicens communem. Item Rebuff. *loc. cit num. 207.* Nihilominus probabiliter quoque, si non melius & probabiliùs, tradunt Sbroz. *l. 3. q. 33. n. 5.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 30. n. 11.* Pax Jord. *n. 268.* citâs Cuch. *ubi antè, nu. 143.* in hoc quoque casu necessariam adhuc esse intimationem revocationis: quin & non cessare illius jurisdictionem, dum habet notitiam de sua revocatione, modò adsit error communis populi, quo publicè ignoratur Vicarium revocatum esse, tradit Pirh. citato Sanch. *ubi antè.* Imò, etiam cessante hoc errore communi, non sufficere ad cessationem illam jurisdictionis in Vicario notitiam revocationis à quocunque fide digno haustam; sed requiri, ut revocatio illa sit notificata vel per ipsum Episcopum, ejúsve epistolam, vel per alium nomine illius, puta per procuratorem, vel nuncium ad id destinatum, tenent Azor. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. nu. 13.* Layman. *in cap. gratum. de off. deleg. nu. 11.* Ventrigl. *cit. loc.* dicens hanc sententiam magis communem. Garc. *de benef. p. 5. c. 8. nu. 176.* (qui etiam ait, hanc esse differentiam inter revocationem Vicarii per mortem Episcopi, aliámve Episcopatûs vacationem, & inter revocationem factam per Episcopum) Pax-Jord. *num. 267.* citans Rebuff. *ubi antè, num. 208.* & Cuch. *num. 146.* quam sententiam probabilem dicit Pirh. *cit. num. 75.* contra Sbrozium *lib. 3. quæst. 33. num. 10.* Ratio hujus sententiæ est, quòd licèt Episcopus Vicarium suum revocârit, non censetur tamen voluisse hanc suam revocationem effectum habere, antequam ei suo nomine, seu ex parte sua sit denuntiata. Garcias *loc. cit. n. 177.* Cuch. *loc. cit.* qui etiam addit, levitatis insimulandum fore Vicarium, si ex alienis tantùm monitis ab Episcopi jussu non procedentibus officii curam temerè deponeret. Et confirmantur hæc à pari, nempe, quòd sicut in constitutione Vicarii requiritur expressa intimatio facta ei nomine Episcopi; cùm ex parte Vicarii necessaria sit illius acceptatio, ita etiam in ejusdem revocatione: cùm, ut dictum supra, per easdem causas res nascatur, & dissolvatur. Garc. Pirh. *locis cit.*

3. Resp. tertiò: sufficit ad exspirationem Vicariatûs revocatio quoque tacita, v. g. facta per constitutionem alterius Vicarii, modò ex verbis constitutionis secundi Vicarii appareat revocatio illa primi, adeoquin is non censeatur revocatus per constitutionem secundi, sed secundus constitutus cumulativè; cùm plures sæpe Vicarii seu Ordinarii in solidum constitui soleant, ut facilius possit consuli Reipublicæ. Pirh. *cit. num. 76.* Ventrigl. *cit. num. 57. in fine.* Sbroz. *cit. qu. 33. num. 2. junctò num. 3.* Ait tamen Pax-Jord. *loc. cit. num. 260.* sufficere tacitam revocationem per constitutionem secundi Vicarii, quando Episcopus consuevit non nisi unicum habere Vicarium. Porrò ad exspirationem Vicariatûs per talem revocationem tacitam requiritur quoque, ut primo illi Vicario intimata sit constitutio secundi. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *loc. cit. num. 7.* Et quidem non qualiscunque, & undecunque hausta notitia de constitutione secundi Vicarii sufficiet; sed requiritur notificatio de hoc expresè ei facta nomine Episcopi, ut dictum de revocatione expressa juxta Sbrozium *num. 9. & 10.* citantem Boër. *decis. 347. num. 14.* adeóque non sufficiet intimatio ei facta per ipsum secundum illum Vicarium de creatione sua, ut habet Sbrozius *nu. 10.* nisi fortè ad intimationem illam faciendam primo Vicario, secundus ille haberet mandatum seu commissionem ab Episcopo, adeóque id faceret nomine illius, ostenderétque insuper in sua constitutione haberi verba, quæ revocationem primi contineant. Extendit hæc ipsa Sbrozius *loco cit. nu. 12.* ad Vicarios foraneos, ità ut per constitutionem secundi censeatur revocatus primus. Quod tamen intelligendum, si constitutus secundus in eadem diœcesis parte, vel pro eodem genere causarum. Tacitè quoque censeri revocatum Vicarium per reditum & adventum Episcopi, dum nimirum deputatus fuisset pro solo tempore absentiæ & peregrinationis Episcopi, qui præsens soleret non habere Vicarium, habet Pax-Jord. *loc. cit. num. 236.* ex Sbroz. *l. 3. qu. 34. num. 2. junctò nu. 4.* citante pro hoc *cap. si delegat. de off. deleg. in 6. cap. si quem sub ea forma. de procurat. in 6.* Vant. *de nullit. sentent. tit. de inhabilitate ex defectu mandat. nu. 175.* Selv. *de benef. p. 2. qu. 12. nu. 2. & 3.*

* * *

Quæstio

*Quæstio 293 An & qualiter Vicariatus exspiret per excommunicationem, suspensionem, vel interdictum Episcopi?*

1. RESP. Primò: quemadmodum per excommunicationem (intellige, etiam, dum nominatim denuntiatus est, adeóque vitandus; dum enim taliter nominatim denuntiatus non est, retinet jurisdictionem, ejúsque exercitium juxta *Extravag.* Martini. v. *ad extirpanda.*) suspensionem & interdictum, non extinguitur jurisdictio Episcopi, sed apud eum manet habitualiter, ità etiam per dictas censuras ab Episcopo incursas non extinguitur jurisdictio Vicarii. Pax-Jordan. *loc. cit. num.* 269.

2. Ob excommunicationem tamen incursam ab Episcopo, uti suspenditur jurisdictio Episcopi quoad exercitium, ità quoque impeditur jurisdictio Vicarii quoad exercitium, etiam quoad negotia jam cæpta. Pax-Jordan. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit. nu.* 69. Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *qu.* 13. Sanch. *cit. d.* 30. *nu.* 5. & 6. Barbos. *alleg.* 54. *nu.* 146. Sbroz. *lib.* 3. *qu.* 17. *nu.* 1. citans Cuchum *Instit. Iur. Canon. tit. de Vicar. Episc. nu.* 134. Paris. *cons.* 89. *nu.* 6. Selv. *de benef. part.* 2. *qu.* 14. *nu.* 6. & alios quamplurimos. Idem est, dum Episcopus est interdictus aut suspensus nominatim denuntiatus. Azor. Pirh. Pax-Jord. *locis cit.* Sanch. *loc. cit. nu.* 7. & 8. Sbroz. *loc. cit. nu.* 4. citato Parisio *ubi antè, nu.* 10. Bertach. *de Episc. lib.* 4. *part.* 5. *num.* 69. &c. est enim unum idémque tribunal & jurisdictio, & ut Bald. *in cap. licet. de offic. deleg. nu.* 9. excommunicatio inficit auditorium Episcopi. Quòd si verò Vicarius excommunicato Episcopo exercere vellet jurisdictionem, potest & is excommunicari Pax Jord. *num.* 271. citans Archid. *in cap.* 1. *de off. Vicar. in* 6. *num.* 2. Surdum *cons.* 50. *num.* 1. *vol.* 1. Procedit tamen responsio, si Vicarius est creatus ab Episcopo, secus si ab alio, puta Papa. Sbroz. *loc. cit. nu.* 5. citans *cap.* 1. *de offic. Vicar. in* 6. ubi: *si jurisdictionem tantùm recipiunt ab eodem.* & *ibi* Doctores & Felin. *in cap. insinuante. de offic. deleg. nu.* 1. Sic etiam, ubi causa aliqua delegata est Vicario (intellige, etiam sub nomine officii Vicariatûs, seu tanquam Vicario) ab alio, non suspenditur jurisdictio Vicarii per excommunicationem Episcopi, quo minùs de causa illa delegata cognoscere possit, re non ampliùs integrâ, sive cæptâ jam causâ; ex una enim parte manet adhuc Vicarius habitualiter, ex altera parte jurisdictio, qua cognoscit de illa causa, est delegata, adeóque diversa à jurisdictione Episcopi, nec ab illo, sed à delegante derivata, ac proinde non suspenditur per excommunicationem Episcopi. Pirh. *loc. cit. num.* 72. citato Sanch. *ubi antè, num.* 9. Porro qualiter excommunicato aut suspenso ipso Vicario suspendatur aut exspiret substitutorum & delegatorum ab eo jurisdictio seu commissio, dictum est supra.

*Quæstio 294. An Vicariatus generalis Episcopi exspiret per promotionem Vicarii ad Episcopatum alium?*

RESP. Non exspirat, sed poterit Vicarius, qui durante hoc officio suo creatus & consecratus est Episcopus, creatione hac & consecratione non obstantibus, retinere munus Vicarii generalis, interea, dum se præparat & exspectat opportunam commoditatem conferendi se ad suam ecclesiam. Nullo enim jure prohibetur, quò minùs Episcopus possit esse Vicarius alterius Episcopi; quinimò permissum id videtur per *cap. plerique. de offic. Ordinar.* ubi gl. *v. necessitas.* Pignat. *tom.* 3. *cons.* 22. *num.* 1. citans Azor. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 45. *qu.* 9. Anchar. *in cap. fin. de off. Vicar. in* 6.

*Quæstio 295. Quæ sint potissima causæ auferendi à Vicario Vicariatum?*

RESPONDET Pignatelli *tom.* 9. *cons.* 162. *num.* 4. si constiterit de mala Justitiæ administratione, de abusu censurarum, de extorta pecunia, ut idcirco de aliis dici possit, quod de Vicariis quibusdam, qui plus, quàm debent, accipiunt in collatione beneficiorum, inquit Rebuff. *pr. benef. tit. quot modis benefic. acquir. numer.* 13. quòd sint simoniaci, & simoniacos faciunt suos Episcopos, ita ut seipsos & suos damnent. Item quod Petrus Blesensis *Epist.* 25. scribit: *Tota Officialis intentio est, ut Episcopi sub jurisdictioni commissas miserrimas oves quasi vice illius tondeat, emungat, excoriet. Isti enim sunt Episcopi sanguisuga, evomentes alienum sanguinem, quem biberunt; quia testimonio Scripturæ divitias, quas congregavit impius, evomet, & de faucibus illius extrahet illas Deus,* &c. Quæ si in judicibus sæcularibus sunt graviter punienda, *L. Iudices. c. de dignitat. ubi* Luc. de Penn. *nu.* 1. & 17. ait, in specie eos privandos esse dignitate & honore. Et comprobat *ibidem* And. de Barul. multò magis puniri debent in Judicibus ecclesiasticis, & potissimùm in Vicariis Episcoporum, quorum mores debent esse inculpabiles, maximè verò ab extorquenda pecunia, ut probant relati à Sbroz. *l.* 1. *qu.* 33. Unde iterum dico, quòd hujusmodi Vicarii non sunt constituendi, & constituti removendi sunt, dum alioquin prospici non possit subditorum indemnitati. Ità ferè Pignat.

* * *

## PARAGRAPHUS III.

## De gestis à Vicario post mortem Episcopi aut revocationem, & de malè ab eo gestis.

*Quæstio* 296. *An & qualiter valeant gesta à Vicario post mortem Episcopi naturalem, vel civilem.*

Resp. Tametsi exspiratio Vicariatûs habeat suum effectum per mortem Episcopi, aliámve Episcopatûs vacationem, etiam non intimatâ Vicario morte Episcopi; eò quòd sit à jure ipso facto. Paris. *de resignat. lib.7. quæst.* 24. *num.*36. Garc. *part.* 5. *cap.* 8. *num.* 178. citans insuper Sanchez *de matrim. lib.*3. *d.* 29. *num.* 4. Felin. *in cap. ex parte de can. de rescript. num.* 8. sintque omnia gesta à Vicario post illam (intellige, publicè notam) irrita ac nulla. Pirh. *num.* 68. valent tamen gesta per eum post mortem Episcopi, quàmvis ipse eam scire potuerit. Paris, *loc. cit.* quin &, etiamsi ipse conscius fuerit mortis, modò ea communiter ignoretur. Garcias *loc. cit. num.* 179. Layman. *in cap. gratum. de offic. delegat. num.* 9. citans Henriquez *in sum. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 3. *lit. a.* qui loquitur de dimissoriis à Vicario datis post mortem Episcopi publicè ignoratam. Secus tamen, ubi communiter scitur mors, licèt Vicarius eam ignoraverit. Garcias *cit. num.* 179. citato Sanchez *ubi antè.* uti & *d.* 22. *num.* 59. pari modo, ac de morte naturali loquendum est de translatione Episcopi, de renuntiatione ejus admissa, de depositione; quia prædicti Authores loquuntur de vacatione quacunque Episcopatûs. Et sic in specie valere gesta à Vicario post renuntiationem Episcopatûs, ante tamen notitiam dictæ renuntiationis, tradit Sbrozius *loco immediatè pòst citando, num.* 2. ex Peregrin. *decis.* Rotæ 158. *lib.* 2. Unde jam, dum Calderin. *consult. de sent. & de re judic.* apud Sbrozium *lib.* 3. *quæst.* 42. *num.* 5. ait, non valere gesta per Vicarium post translationem Episcopi, etiam ignorantis suam translationem, intelligendus erit, dum dicta translatio publicè nota est.

*Quæstio* 297. *An & qualiter valeant gesta Vicarii post ejus revocationem?*

Resp. Valent, ante tamen habitam de hac revocatione notitiam. Azor. *part.*2. *lib.*3. *cap.*45. *quæst.* 45. *vers. dubia quæst.* Pirh. *loco cit. num.* 75. Itaque, etiamsi ejus revocatio facta ob delictum Vicarii dignum depositione. Item valent, ubi ipsi Vicario notificata est revocatio aliunde quàm per Episcopum ipsum, aut ejus nomine. Azor. *loc. cit.* citans Calderin. *cons.* 4. *de off. Vicar.* Felin. *in cap.*3. *de rescript.* Pirh. *loc. cit.* Idque, etiamsi de cetero publicè nota esset revocatio. Pirh. *cit. num.* 75. Garc. *part.*5. *cap.* 8. *num.* 17. citatis Boer. *decis.* 347. Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 210. Cuch. *lib.*3 *tit.*8. *nu.*148. Sanch. Coras. &c. Item valebunt, dum facta Vicario denuntiatio revocationis per Episcopum, aliúmve ejus nomine, dum ex communi errore adhuc habetur pro legitimo Vicario, quia publicè adhuc ignoratur, eum revocatum esse. argumento *L. Barbarius. ff. de off. Prætor.* Pirh. *cit. num.* 75. citans Sanch. *de matrim. lib.*3 *d.*22. *num.*59. & *d.*30. *num.* 11. quàmvis Pirrhing expresè non dicat de revocatione notificata ei per Episcopum, sed simpliciter de notitia ab eo habita, eadem tamen est ratio, nempe boni communis, stante illo errore communi, in quo fundatur lex illa *Barbarius.* Eadem quoque applicanda revocationi tacitæ, verbi gratiâ, factæ per creationem secundi Vicarii. De quo vide dicta supra *q.* 291. *n.* 3. Eadem quoque intelligenda de translatione Vicarii ad aliud officium, quia hæc translatio est vera revocatio Vicarii.

*Quæstio* 298. *An & qualiter post exspirationem Vicariatûs valeant gesta à Vicario in causis specialiter ei commissis & delegatis?*

1. Resp. primò: dum causa commissa Vicario sub expresso nomine proprio Vicarii, gesta ab eo in dicta causa, postquam definit esse Vicarius, valent. Pax-Jord. *lib.* 12. *tit.* 1. *num.*254. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 54. *num.*156. Sbroz. *lib.*3. *quæst.*46. *num.*1. citans gloss. *in Clement.*2. *de rescript. v. principalis.* & *ibidem* Cardin. *nu.*7. Imol. *num.* 11. & 13. Franc. *in cap. statutum. de rescript. in* 6. *col.* 1. gloss. *ibidem. v. tertiò adverte.* Gemin. *ibidem. num.*8. Abb. *in cap. quoniam. de off. delegat. num.*10. Pavin. *de potest. Capit. sede vac. part.*2. *quæst.* 10. *num.* 13. &c. dicitque idem de Legato Sbrozius *loc. cit. num.* 2. quòd possit, postquam desiit esse Legatus, procedere in causa ei sub nomine proprio commissa. Videtur idipsum procedere, etiamsi desinente Vicariatu res adhuc esset integra, & nihil cæptum circa illam causam. Quare frustra videtur Sbrozius declarare responsionem *num.*3. ubi ait: *declaratur, quando Vicarius cæpisset de causa cognoscere.*

2. Resp. secundò: secus est, dum causa ei commissa non sub nomine proprio, sed sub nomine dignitatis & officii Vicariatûs. Pax-Jord. Barbos. *locis cit.* Sbroz. *lib.*3. *quæst.*7. *num.* 1. citatis Cardin. Imol. Abb. *ubi ante.* Roland. *cons.* 39. *num.*16. *vol.*1. &c. Proceditque responsio juxta Sbrozium *loc. cit. num.*3. citato Franco *in cap. statutum. de rescript. in* 6. *col.*2. etiamsi Vicarius cæpisset cognoscere de causa. Idemque statuit Sbrozius *num.*2. de Legato. Contrarium tamen expresè sentit Pirh. *num.*73. ubi: si causa aliqua à sede Apostolica Officiali seu Vicario, non sub nomine proprio, sed sub nomine dignitatis seu officii delegata sit, Episcopo mortuo, adeóque finitâ potestate Vicarii, si res non sit ampliùs integra, adhuc cognoscere & expedire poterit Vicarius causam sibi delegatam: quin etiam, ut ait *ibidem* Pirh. si res adhuc sit integra, & nondum causa cæpta, probabile est, quòd Episcopi Vicarius, postquam mortuo Episcopo assumptus est & confirmatus à Capitulo, maneat delegatus, & causam delegatam à Papa expedire possit; quia reputatur quodammodo Vicarius Episcopi; cùm Episcopalem jurisdictionem vice Capituli exerceat. Et quanquam Capitulum

nequeat

nequeat de illa causa cognoscere, adeóque etiam non transferat potestatem cognoscendi illam in Vicarium, constituit tamen Vicarium, qui sic constitutus potest illam delegationem exequi virtute rescripti Apostolici Vicario talis Diœcesis eam committentis. citat pro hoc Sanch. *de matrim. l. 3. d. 27. num. 33.* Confirmat hoc ipsum postremum ex eo, quòd licèt rescripta ad lites stricte debeant interpretari, quatenus tendunt in præjudicium partium, latè tamen & benignè interpretari ea convenit, quatenus concernunt potestatem principis delegantis; & in his commissionibus magis ad mentem concedentis, quàm ad rigorem juris attendendum est. citat pro hoc Beroium *in c. quoniam. de off. delegati num. 81.* Laym. *in c. 1. de off. Vicar. in 6. num. 16.*

3. Secus tamen sentit Sbroz. *num. 4.* de Canonico Cathedralis Ecclesiæ, vel alio Prælato; eò quòd, si desinat esse Canonicus vel Prælatus, non tamen desinat esse Judex. citat pro hoc Bald. *in l. generaliter. c. de Episc. & Cleric. num. 9.* Castrens. *cons. 288. num. 3. vol. 1.* Franc. *ubi ante &c.* Quod tamen ipsum limitat Sbroz. *num. 5.* ut non procedat, ubi quis ob delictum privatus Prælaturâ vel Canonicatu; eò quòd tunc desinat esse Judex. Secus tamen, ubi solùm remotus vel suspensus fuisset ab administratione. citat pro hoc Bald. & Franc. *ubi ante.* Uti idipsum limitat secundò: ut Canonicus talis amisso Canonicatu non possit procedere, & de causa cognoscere, si res est adhuc integra, ut Franc. *loc. cit.*

4. An verò commissio facta Vicario sub nomine officii, Vicario, cui facta, amoto ab officio, transeat ad ejus in officio seu Vicariatu successorem, ex Sperello *decis. 31. num. 12. & seq.* Barbos. *loc. cit.* resolvit: Quòd licèt regulariter commissio facta sub nomine dignitatis transeat in successorem; eò quòd dignitas nunquam moriatur, id tamen non procedat, quando dignitas ipsa extinguitur, prout contingit in dignitate, quam habet Vicarius, quæ per ejus mortem, remotionem, cessationem ab officio extinguitur, isque non dicitur habere successorem, sed alius, qui ei subrogatur, de novo creari dicitur, & hinc Vicarius successor non potest cognoscere nec decidere causas commissas Vicario antecessori, sive is cognoscere eas cœperit, sive re integrâ ejus officium exspiraverit. Quamvis Sperellus *num. seq.* asserat, contrarium sibi semper placuisse, quando est contemplatum officium, & non fuit expressum nomen proprium; adeóque hic Author sibi parum constet. Quam sententiam posteriorem, nimirum quòd adhuc successor in Vicariatu talem causam expedire possit, probabiliorem dicit Pirh. *loc. cit. n. 73.* citatis Sanch. *de matrim. l. 3. d. 27. num. 41.* Sbroz. *l. 3. q. 49. num. 9.* eò quòd, dum non apparet ex conjecturis aut circumstantiis, quòd intentio Papæ delegantis ad certam personam restricta sit ex rescripto Papæ delegantis eam Vicario sub nomine officii, satis colligitur, intentionem illius esse, causam delegare illi, qui Vicariatus officium exerceat, non habitâ ratione singularis seu certæ personæ. Unde etiam non solùm successor in Vicariatu (quamvis propriè loquendo, ut dictum est, successorem non habeat Vicarius, utpote ad nutum amovibilis, & cui jus illud dignitatis & officii precariò concessum) sed etiam in absentia ejus ad tempus illi substitutus seu subrogatus causam sub nomine dignitatis seu officii Vicarii commissam exequi possit; quia subrogatus ille non est moraliter alius, sed idem reputatur cum priore, in cujus locum subrogatur. argumento *L. 2. c. de off. ejus, qui vicem alien. Judic. obtin.* Laym. *loc. cit. num. 17.* & ex eo Pirh. Et licèt Laym. expressè dicat, plerosque sentire contrarium, nempe, quòd, si dignitas alicui competat, non proprio, sed alieno jure (uti contingit in Vicario Episc.) commissionem illi factam ratione dignitatis non transire ad successorem; eò quòd dignitas habita jure proprio non extinguatur mortuo possessore illius, secus, ac contingit in dignitate habita jure alieno. Addit tamen in fine, quòd, licèt hæc sententia posterior spectato juris rigore sit vera, prior tamen sit quoque probabilis, & in praxi tuta ob præsumptam mentem Papæ delegantis illi, qui officium Vicariatûs exercet, ut bene advertit Abb. *in c. quoniam. de off. deleg. num. 11.*

*Quæstio 299 Num igitur quoque vice versa, dum delegatio à Sede Apostolica facta Vicario Generali Episcopi sub nomine dignitatis & officii Vicariatûs, Vicario mortuo vel deposito, Episcopus possit causam illam cognoscere & expedire?*

REsp. negativè. Pirh. *num. 74.* Laym. *cit. num. 17.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 27. num. 30.* Navar. *L. 1. cons 5. de off. deleg. editione 2.* contra Bertach. *de Episc. l. 4. p. 7. quæst. 4.* eò quòd, licèt mortuo aut deposito Vicario officium Vicariatûs redeat ad Episcopum, non tamen jurisdictio à Papa delegata Vicario devolvitur ad Episcopum; cùm ea omnino sit diversa ac separata. Laym. Pirh. *loc. cit.* Unde jam etiam sequitur illud: quòd, si Vicarius Episcopi, cui delegatio facta, sub nomine officii; dein factus sit Episcopus istius ejusdem Diœcesis, non possit causam sibi adhuc Vicario delegatam prosequi. Pirh. *cit. num. 74. in fine,* citans Sanch. *ubi ante num. 31.* Sequitur item à fortiore, non posse Episcopum vivente & in officio constituto Vicario suo in causis ei sub nomine officii delegatis à Papa se immiscere, vel ei quicquam imperare; cùm in iis Vicarius nullam habeat cum Episcopo communionem, neque ei subjectus sit aut subordinatus, sed eo potiùs major & superior. Pirh. *loc. cit.* Laym. *cit. num. 17.* dicens, sic ex omnium sententia docere Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num. 161.* Navar. *ubi ante* & Sanch. *loc. cit. num. 30.*

* * * *
* * *
*

*Quæstio* 300. *An Episcopus cognoscere possit de delicto & negligentia commissa à suo Vicario, eamque punire?*

1. Resp. primò. Si Vicarius deliquerit tanquam persona privata, potest de delicto illius cognoscere Episcopus, eumque punire, non secus ac alios subditos delinquentes; malè enim agens tanquam privatus non dicitur gerere vices Episcopi, nec minus est ei subditus quàm alii. Pirh. *loc. cit. num.* 65. Sbroz. *l.* 3. *q.* 57. *num.*8. citans gl. *in c.* 1. *de off. Vicar. in 6. v. rationabili causa* Decium *in c. Sane. de off. delegat. col.* 2. Innoc. *in c. fin. de foro compet. in 6. &c.* Et in hoc casu eam punire nequit Metropolitanus, nisi fortè ad illum appellatum sit. Pirh. *loc. cit.*

2. Resp. secundò. Si verò Vicarius deliquit circa jurisdictionem, seu in spectantibus ad officium Vicarii, & Episcopus ipse non sit particeps culpæ, poterit Episcopus de delicto & negligentia illius cognoscere, eumque punire. Pirh. *loc. cit.* Laym. *in c. Romana. de offic. Vicar. in* 6. *n.* 9. Sbroz. *loc. cit. num.* 10. citans Speculator. *l.* 2. *partic.* 1. *tit. de compet. Judicis additione.* §. *sequitur videre. numer.* 3. Unde Sbroz. *loc. cit. num.* 3. *& seq.* inquit: Verius est, quòd Episcopus non possit Vicarium suum punire; quia ubi Vicarius peccat in iis, quæ sunt jurisdictionis, vel circa officium, punitur ab Archiepiscopo secundùm gl. *in c.* 1. *de off. Vicar. in* 6. *v. rationabili.* & quòd ad illa, quæ ratione officii potest exercere, non dicitur subditus Episcopo, neque minor illo. Bero. *cons.* 22. *num.* 13. *vol.* 1. pro ut etiam, quia Episcopus non potest esse Judex in causa sui Vicarii, ergo nec illum punire potest ex eo defectu jurisdictionis, ne aliàs dicatur judicare in propria causa, sicut etiam, quia Episcopus tenetur de delicto sui Vicarii vel Officialis delinquentis in officio. Rota *decis.* 6. *aliàs* 278. *in nov. de off. Vicar.* Gemin. *in c. si Episcopus. de off. Ordinar. in* 6. Felin. *in c. Petrus de homicidio. num.* 8. Nec non etiam, quia Episcopus teneatur exhibere Vicarium vel Officialem delinquentem. Pavin. *de potest. Capit. Sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 23. unde, cùm non conveniat sibi ipsi illos exhibere, ne sit Judex & Pars, meritò illum punire non poterit. Hæc inquam, dum habet Sbroz. necessariò intelligendus venit pro casu, quo Episcopus particeps est delicti sui Vicarii, ut manifestè constat ex iis, quæ habet *cit. num.* 10. *in fine & num.* 11. De cetero ratio responsionis est, quam dat Laym. & ex eo Pirh. *ll. cit.* quòd Vicarius etiam ratione Officii sui quodammodo subjectus & subordinatus sit Episcopo suo. quia licèt ejus potestas & jurisdictio eadem sit cum jurisdictione Episcopali, alio tamen modo in Vicario residet, & aliter in Episcopo, in illo videlicet cum dependentia à voluntate & imperio Episcopi.

3. Ex his jam sequitur, quòd in hoc casu delicti commissi à Vicario in officio Vicariatûs non participante Episcopo in eodem delicto immiscere se nequeat Metropolitanus, nisi fortè Episcopus requisitus de eodem delicto cognoscere recuset. Laym. Pirh. Speculat. Sbroz. *ll. cit.* Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 285. ubi: de maleficio seu quasi in officio commisso, puta, in sententia vel processu &c. agendum erit coram Episcopo, non autem coram Metropolitano; Episcopo verò negligente in cogendo Officialem ad commendam, poterit ratione hujus maleficii conveniri coram Metropolitano ipsemet Episcopus. Quòd si cognoscendo absolverit Officialem, aut etiam condemnaverit, conveniri coram Metropolitano nequibit ratione talis delicti, sed tantùm ab illius sententia licitum erit appellare. Porrò his stantibus non video, cur Sbroz. *loc. cit. num.* 13. hanc adjiciat declarationem; quòd Vicarius delinquens in officio conveniri nequeat ab Episcopo durante Vicariatu, sed solùm eo finito, pro quo citat Pavin. *ubi ante.*

4. Resp. Tertiò. Si Vicarius deliquit aut negligentiam admisit in officio suo, Episcopo culpæ participe, non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum pertinet causam cognoscere, & punire Vicarium. Pirh. *num.* 66. Sbroz. *loc. cit. n.* 11. argumento *c.* 1. *de off. Vicar. in* 6. & gl. *ibi. v. rationabili.* uti & in hoc casu teneretur sistere Vicarium suum Metropolitano, si is id petat. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *num.* 6. Ratio hujus est, quòd si Vicarius consideretur quà talis, seu ut substitutus in eodem tribunali jurisdictionem exercens censetur eadem persona cum Episcopo. Huc spectant, quæ paulò ante relata sunt ex Sbrozio. Plura de hoc, quando Episcopus puniri possit à Metropolitano, vide supra, ubi an Vicarius Archiepiscopi exercere possit jurisdictionem in Suffraganeos eidem Archiepiscopo subjectos, & in eorum Vicarios.

*Quæstio* 301. *Quandonam Episcopus teneatur ex delicto, vel etiam imperitia Vicarii sui?*

1. Resp. primò. Non tenetur ex delicto & gestis à Vicario suo extra officium suum, nisi fortè mandasset, aut alio modo de delicto participasset. De cetero enim Dominus non tenetur de delicto officialis sui extra officium commisso. Sbroz. *l.* 3. *q.* 30. *num.* 4. *& seq.* citatis Felin. *in c. si quando. de rescrip. num.* 2. & *in c. Petrus. de homicidio n.* 10. *& seq.* Bertach. *de Episc. l.* 4. *p.* 6. *tit. de Vicar. Episc. num.* 6.

Resp. secundò. Quòd si tamen Episcopus fuerit in aliqua culpa. v. g. non satis inquirendo de vita illius, & moribus, & gestis per illum in constituendo illum, vel etiam post constitutionem illius, vel quia illius negligentiam toleravit, Pirh. *loc. cit. num.* 67. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 283. Sbroz. *loc. cit. num.* 1. citatis plurimis. Ita etiam, ut teneatur Episcopus ad restitutionem damnorum causatorum & illatorum per talem suum Vicarium. Sbroz. *num.* 2. citatis Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num.* 188. Rot. *decis.* 6. *aliàs* 432. *tit. de offic. Vicar. in antiq.* Pax-Jord. *loc. cit. num.* 282. ubi ait: declara prædicta (nempe quòd Episcopus teneatur ad restitutionem dictorum damnorum) quando Episcopo aliqua culpa imputari potest; quia nimirum sibi cooptavit in Vicarium, quem notorii ejus mali mores, inscitia

scitia vel aliud vitium tanto ministerio reddebant indignum; vel si post factam probi & idonei viri electionem Vicarius in officio corrumpatur, ut multi solent, nec Episcopus illum curet emendare, aut ab officio removere, vel sit in culpa, non invigilando circa illum, ut multi faciunt qui magno studio, sumptibus & laboribus idoneos undequaque cum Lucerna Diogenis Vicarios quæritant; & postquam in officio constituerunt, nihil ulterius quærunt, sed clausis oculis tam oscitanter vivunt, ac si nullam essent Deo & hominibus de illorum administratione reddituri rationem; imò, si quandoque aliqua minus recta de illis insinuantur, tanquam detractoria & calumniosa respuunt & excandescunt in tantum, ut delatores exterreant, & à justis quibusque delationibus abstrahantur &c. Illi enim imputatur, qui utitur opera malorum hominum, puta Officialium. *L. ex maleficiis. ff. de act. & qui malum elegit. Official. §. fin.* Rebuff. & Rota *ubi ante.* Bertach. *ubi ante. num. 5.* Bald. *in margarit. v. Episcopus. num. 9.* Innoc. *in c. ad hæc. de off. Archid. apud.* Sbroz. & Pax Jord. *ll. cit.* Secus foret, ubi Episcopus non foret in culpa aliqua, v. g. quando communi omnium opinione bonum elegit Officialem, qui postmodum in Officio corruptus fuit Episcopo ignorante (intellige citra culpam) Sbroz. *L. 3. q. 29. num. 6.* citatis Rebuff. *ubi ante. num. 189.* Bald. *rubr. de pœnis Judic. qui malè judicant.* Felin. *in cit. c. Petrus, num. 11.* Velladiego *tract. de legat. p. 2. q. 3. num. 9. &c.* Vide hæc omnia confirmata à me *in Foro benef. p. 2. q. 753.* ubi: quid si Vicarius indigno contulit beneficium? & vide de hoc ipsò quoque Pirh. *loc. cit.* Porrò Episcopus noviter creatus convenìri nequit ex gestis per Vicarium (intellige ante suum ingressum) Sbroz. *cit. q. 29. num. 8.* citatis Jo. And. Innoc. Butrio Gemin. *in c. eam te. de rescript.*

3. Resp. Tertiò. Idem esse de imperitia Vicarii, ut ex ea teneatur Episcopus, dum ipse in aliqua culpa fuit, non satis inquirendo de ejus peritia & scientia. Pirh. *loc. cit. num. 67.* ut satis colligitur ex Sbroz. *cit. q. 29. n. 6.* dum postquam *num. 5.* dixisset: *non tenetur Episcopus de imperitia sui Vicarii; quia creando ipsum dedit operam rei lictæ*, citatis pro hoc quamplurimis subjungit *num. 6.* subdeclaratur: *quando Episcopus in aliqua culpa non possit deprehendi.*

*Quæstio* 302. *Num Episcopus teneatur defendere sententiam Vicarii sui, & stare gestis per illum?*

1. REsp. primò. Tenetur defendere sententiam ab eo latam (intellige justè & canonicè) Sbroz. *L. 3. q. 28.* citans Speculator. *de compet. Judic. addit. §. sequitur. n. 3.* Cui non obstat, quòd Episcopus contra sententiam Vicarii restituere possit in integrum; cùm & vice versa Vicarius restituere possit in integrum contra sententiam Episcopi secundum dicta superius; aliud siquidem est restituere in integrum contra sententiam, aliud sententiam impugnare

2. Resp. secundò. Si Vicarius quippiam ex commissione officii sui Canonicè egit, Episcopus revocare aut impugnare nequit. Azor. *p. 2. l. 3. c. 43. q. 6.* Laym. *in c. non putamus. de consuetud. in 6. numer. 5.* citantes Rebuff. *in pr. tit. form. Vicar. num. 40.* Sbroz. *L. 3. q. 29. num. 1.* ubi: non diffiteor, gesta per Vicarium adeò obligare Episcopum, ut illis non possit contravenire, citatis pro hoc Castrens. *cons. 348. col. 3. vol. 1.* Decio *cons. 142. num. 3.* Et ratio horum est; quia factum à Vicario dicitur factum ab Episcopo, & unum est illorum Tribunal. Sbroz. *loc. cit. num. 2.*

3. Resp. Tertiò. ubi tamen malè egit & canonicè non processit, non tenetur Episcopus stare isti actui. Sbroz. *cit. q. 29. num. 3.* citans Castrens. *cons. 348. col. 2.* Gemin. *cons. 114.* Hinc Episcopus invigilare debet Vicario, & quæ malè ab eo acta sunt, rescindere. Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. in 6. num. 9.* Sic Episcopus retractare potest compositionem factam à Vicario in pœnis, in quibus dispensare non poterat. Sbroz. *cit. q. 29. num. 4.* ex Castrens. *ubi ante.* item *L. 3. q. 40. à num. 1.* ex eodem Castrens. *cons. 347. col. 1. vol. 1.* ubi, quòd Episcopus contravenire possit compositioni factæ à suo Vicario de pœna depositionis pro crimine in pecuniariam transmutata; & quòd, non obstante compositione facta per Vicarium, potest Episcopus de novo inquirere, & convictum deponere, pro quo citat quoque Sbroz. Bertach. *de Episc. l. 4. p. 5. tit. de auct. Episc. circa Judic. num. 53.* Rebuff. *ubi supra.* Jul. Clar. *in pr. crim. §. fin. q. 37. vers. dictum est.* Et rationem addit Sbroz. quia pœna depositionis non potest transmutari in pecuniariam, nisi per eum, qui habebat potestatem dispensandi de crimine juxta *c. licèt. de pœnis.* & *ibi* gl. Milis *in repertor. v. Vicar. Episc.* Bertach. *ubi ante. num. 53.* ubi etiam, quòd Episcopus peccet, dispensando sine causa super pœna depositionis, transmutando illam in pecuniariam.

4. Denique illud hic observandum, quòd Sbroz. *L. 3 q. 27.* tradit citatis Bald. *in l. tribuimus. §. cùm aliquis. ff. de testam. tut. num. 3.* Felin. *in c. cùm Venerabilis. de except. num. 42.* quod, si Episcopus confirmet unam causam de gestis & administratis per suum Vicarium, videatur cetera reprobare; & contra, si unam reprobet, cetera confirmare videatur. Quod ipsum tamen *num. seq.* limitat: si Episcopus ad hujusmodi actum devenerit omnibus discussis, secus, si levato velo aliquid approbasset, citat pro hoc Bald. & Felin. *ubi ante.*

*Quæstio* 303. *An Vicarius Episcopi stare teneatur Syndicatui?*

REsp. illum liberum esse ab hujusmodi obligatione, cui subjicitur solus Vicarius Capituli & alii Officiales Sedis vacantis. Pax Jord. *loc. cit. num. 286.* vide de hoc, ubi de Vicario Capituli sede vacante.

***

Qua-

*Quæstio 304 Num Episcopus agere possit de injuria illata Vicario suo.*

REsp. affirmativè Sbroz. L. 3. *q.* 60. *num.* 1. citatis Bertach. *de Episc. l. 4. p. 3. num.* 15. *&* 18. Pavin. *de potest. Cap. Sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *n.* 24. Card. *in Clem. de reliq. venerat. SS.* tenenturque Clerici conspirantes in Vicarium Episcopi, vel illi contumeliam infligentes eadem pœnâ, quâ conspirantes in Episcopum. Sbroz. *loc. cit. num.* 2. ex Bartol. *in Extrav. contra Rebell. v. rebellando. num.* 4. Franc. March. *quæst. Delphin.* 618. *in fine part.* 2 Bald. *in l. Sed si hac. §. semper. ff. de in jus vocand.* ubi, quòd offendens Vicarium vel Nuntium Episcopi ipsum Episcopum offendere censeatur. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. *num.* 8. *& seq.* ut procedat, dum quis molestasset vel injuriasset Vicarium ratione officii; secus, si illum malè tractasset ratione odii privati, non autem in contumeliam, neque in contemptum dignitatis, sed ut privatum. citat pro hoc Bartol. *in l.* 1. *§. fin. ff. de injuria.* Roland. *cons.* 48. *num.* 9. *vol.* 2. Gig. *de Crim. læsæ majest. q.* 4. *l.* 1. Menoch. *cons.* 107. *num.* 23. *in* 2. ubi: non aliter punitur offendens Officialem ratione odii particularis, nisi pro injuria illata privatæ personæ. & Bertach. *de Episc. l.* 4. *p.* 3. *tit. de potest. & auth Episc. in tempor. circa person. num.* 15. ubi in terminis, quòd Episcopus agere nequeat pro injuria illata Vicario, nisi fuerit facta in contumeliam ipsius Episcopi. Porro tunc facta videtur Vicario injuria ratione officii, non autem ratione odii privati, quando est in executione ipsius officii. Sbroz. *loc. cit. num.* 12. citatis Roland. *ubi ante. num.* 12. Menoch. *cons.* 99. *n.* 19. *in primo.*




TRACTA-

# TRACTATUS II.
## DE
# COADJUTORIIS.

## CAPVT PRIMVM.
## DE NATURA ET DIVISIONE COADIVTORIÆ.

*Quæst.* 305. *Vbinam in jure tractetur de Coadjutoriis, & à quibus in professo tractetur hæc materia.*

1. REspond. ad primum: Sunt de iis textus *c. ult. de Clerico ægrot.* & pluribus aliis cap. ejusdem tit. uti & *c. unico, eod. tit. in 6.* Item Tridentinum *sess. 25. c. 7. de reformat.*

2. Resp. ad secundum: Tractant de iis Campegius speciali tractatu, Remouchamps *in synopsi de Coadjut.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. §. unico.* Barbos. *Juris ecclesiast. l. 3. c. 10.* & *de potest. Episc. p. 3. allegat. 63.* & *collect. ad c. 7. sess. 25. Trident.* & *in collect. ad c. unic. de Cleric. ægrot. in 6.* Castropal. *tr. 13. de benef. d. 1. punct. 9.* & 10. Garc. *de benef. p. 4. c. 5.* Gamb. *de off. Legat. l. 5. rubric. de Coadjutor.* Scipio de Rubeis *in aphorism. Episc. v. Coadjutor.* Riccius *p. 3. collectan.* 489. & *p. 6. collectan.* 2218. & *collect.* 2425. Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gl. 5. §. 9. & seq.* Lotter. *de re benef. l. 2. q. 25* Paris. *de resign. l. 7. q. 20.* Bertach. *de Episc. p. 1. l. 1. q. 3.* & *p. 2. l. 4. q. 13.* Lambert. *de jurepat. p. 1. l. 2. §. 6. a. 20.* Rebuff. *de nominat. q. 8. à n. 44.* Quintanadven. Ecclesiasticon. *l. 2. à n. 30.* Novarin. *singul. concl. tit. de Coadjut.* Aldan. *compend. canonic. resolut. l. 3. tit. 18.* Gratian. *disceptat. forens. c. 805. à n. 31.* Ludovic. à Saravia *tract. de jurisdict. adjunctor. q. 29.* Campan. *ad diverf. juris rubricas. rubric. 7. c. 6. à n. 102.* Monet. *de option. can. c. 4. q. 8.* Fusc. *de visitat. l. 2. c. 27. à n. 5.* Camill. Borrell. *in sum. omn. decis. tit. 9. de Cler. ægrot. n. 10.* Mendez. de Vasconcellos *diverf. jur. argum. l. 4. c. 1.* Laym. *in c. 3. §. 6. de Cleric. ægrot.* item *in c. unic. eod. tit. in 6.* Cardin. de Luca *de benefic. in sum. à n. 185. &c.*

*Quæst.* 306. *Coadjutor quid sit, & unde sic dictus.*

RESp. Coadjutor sic dictus ab officio coadjuvandi alium. Castrop. *tract. 13. punct. 9. n. 1.* Fagn. *in c. ex parte. de Cler. ægrot. n. 13. & n. 20.* Quemadmodum Tutor à tuendo. Fagn. *cit. n. 13.* Remouchamps *in synopsi. de Coadjutor. c. 1. n. 3.* propriè quidem, in genere tamen, pro ut abstrahit ab ecclesiastico & sæculari, est, qui adjungitur Rectori, aut Administratori, ut eum in officio & administratione coadjuvet. Barbos. *Jur. eccles. l. 1. c. 15. n. 6.* vel ut Fagn. *loc. cit. n. 21.* ex Jo. And. Coadjutor est, qui ad hoc datur ex causâ juris vel Judicis authoritate, ut coadjuvet ministri vel præsidentis officium. Unde etiam nonnulli Coadjutorem Vicarium Episcopi vocant; quia Vicario nomine administrat. Remouch. *c. 8. n. 21.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 40.* ubi, quòd Coadjutoriæ sint fere Vicariæ temporales.

*Quæstio* 307. *Coadjutoria quomodo definienda?*

1. RESp. in genere definiri potest, quòd sit gratia, quâ quis à superiore ad id potestatem habente alteri in subsidium adjungitur, explendi officii causâ. Nicolarts *in Concord. German. tit. 1. dub. 8. §. 2.* vel ut explicatiùs Remouch. *loc. cit. c. 1. n. 1.* quòd sit gratia, quâ per principem ecclesiasticum vel sæcularem, aut alium potestatem à jure vel consuetudine habentem, persona idonea in gratiam utriusque, vel tantùm in supplementum alterius personæ inidoneæ certo officio administrando ex causis legitimis pro bono Ecclesiæ vel Reipublicæ deputatur.

2. Dicitur primò *gratia* juxta Remouch. *loc. cit. n. 2.* quia Coadjutoria sine forma judicii conceditur, rex attestationibus extrajudicialibus ac beneplacito concedentis. Vel potiùs dicitur gratia reflexivè ad eum, in cujus subsidium conceditur, quatenus nimirum is redditus inidoneus, aut minùs sufficiens muneri suo exequendo, ab eo non removetur, ne afflicto addatur afflictio. Vel reflectendo præcipuè ad Coadjutoriam perpetuam, quæ est cum futura successione, utpote quæ liberaliter omnino conceditur in favorem quoque Coadjutoris, & rationem exspectativæ involvit. Remouch. *loc. cit. c. 8. n. 11.* adeoque uti huic, ut & ipsi beneficio, ita etiam Coadjutoriæ nomen

gratiæ meritò competit. Quin & vocatur gratia præventiva ; quia Papa sic providens dicitur prævenire vacationem. Tondut. *in qq. benef. p. 2. c. 1. §. 13.* Remouch. *loc. cit.* Unde &

3. Dicitur secundò *in gratiam utriusque*, hoc est, tam Coadjutoris quàm Coadjuti. Neque enim in odium hujus datur ; nam si contigerit officiatum aut beneficiatum qualemcumque se malè gerere in officio vel beneficio, vitam agere turpem aut scandalosam, prævisque monitionibus ac correctionibus salutaribus perseverare incorrigibilem, non Coadjutor, sed prævia depositione judiciali successor absolutus & pleno jure subrogari jubetur à Tridentino *sess. 21. c. 6. de reform.*

4. Dicitur tertiò : *Vel tantùm in supplementum alterius personæ idoneæ* ; quia definitur Coadjutoria in genere, comprehendendo quoque Coadjutoriam simplicem absque futura successione, quæ non tam in gratiam utriusque quàm solius Coadjuti subsidium conceditur, adeóque particula illa taxativa respicitur. Remouch. *loc. cit. n. 6.*

5. Dicitur quartò : *certo officio administrando inidoneæ.* quia, sive officium sit publicum, ut Episcopatus, aut præfectura sæcularis ; sive privatum, ut Canonicatus, simplex beneficium, vel aliud simile, debet tamen ei inesse onus aliquod aut cura, ut Coadjutoriæ sit locus. Remouchamps. *loc. cit. n. 7.* Ne tamen vel hinc excludi videantur Coadjutoriæ eorum, qui, quia nullum beneficio suo officium annexum habent, Coadjutoris operâ non egent, ait idem Author *n. 8.* sufficere, si onus aut officium habituale seu in habitu annexum habent. Unde & istiusmodi onus habituale pro causa finali hujus gratiæ in Bullis Pontificum soleat adjici ; adeóque Coadjutor talem possit habitu sublevare. Cætera, quæ ad ulteriorem definitionis datæ elucidationem requiri videbantur, & spectant Coadjutoriæ causam efficientem, materialem, formalem, & finalem, patebunt ex deinceps dicendis.

*Quæstio* 308. *Coadjutoria quotuplex sit ?*

1. Resp. Coadjutoria sic generaliter accepta dividi potest primò ratione materiæ, nempe temporalis & spiritualis, in temporalem, hoc est, sæcularem, & ecclesiasticam ; illa datur ob inidoneitatem, insufficientiam & nimiam remissionem Principum vel administratorum sæcularium. Cujus exemplum exstat *c. 2. de suppl. negl. Prælator.* ubi Bonifacius VIII. circa annum 1200. rescribens ad status & subditos regni Portugalliæ, attentâ Regis in administrando hoc regno negligentiâ, de gratia ob respectum Regium pro illius & regni utilitate, nec non ad defensionem Ecclesiarum, Clericorum, viduarum & cæterorum subditorum dat Regi Coadjutorem Comitem Bolonensem ejusdem fratrem, mandando Baronibus & aliis quibuscunque vasallis & subditis illi honorem & obedientiam deferre. Hæc verò datur propter inidoneitatem & insufficientiam Prælatorum, & administratorum ecclesiasticorum. & de hac unicè, relictis Coadjutoriis illis temporalibus, agendum nobis deinceps. Potest etiam Coadjutoria Ecclesiastica subdividi ratione materiæ in temporalem & spiritualem ; quarum illa detur ob Prælatorum ecclesiasticorum inidoneitatem & insufficientiam respectu administrationis in temporalibus, hæc ob insufficientiam eorundem quò ad rerum spiritualium administrationem. Remouch. *loc. cit. c. 4. n. 1. & 2.* Poteritque Coadjutoria hæc, prout utramque hanc speciem comprehendit, sic breviter definiri ex Castropal. *tract. 13. d. 1. p. 9.* Quòd sit facultas alicui concessa adjuvandi beneficiatum in beneficii regimine ; tam enim administratio bonorum seu fructuum temporalium spectantium ad beneficium, quàm onerum & officiorum spiritualium eidem incumbentium venit nomine regiminis beneficii.

2. Secundò principaliter dividitur Coadjutoria ratione temporis & formæ in temporalem, quæ datur ad tempus, nimirum vitâ aut impedimento Coadjuti durante sine futura successione ; & in perpetuam, seu quæ datur cum futura successione, sive quæ ita datur, ut quamprimum Coadjuti beneficium per illius cessum aut decessum vacarit, in eodem succedat Coadjutor. Barbos. *Jur. eccles. l. 3. c. 10. n. 1.* Remouch. *cit. c. 4. n. 3. & 4.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. §. unic. n. 2.* Castropal. *loc. cit.* Nicolartz. *loc. cit. §. 3.* Garc. *de benef. p. 4. c. 5. n. 2.*

3. Differt hæc Coadjutoria perpetua ab illa temporali per hoc solummodo, quòd qualitas futuræ successionis adjecta literis coadjutorialibus tanquam pars formæ det esse rei, & sic constituat aliam speciem. Remouch. *loc. cit. n. 5.* Cùm de cætero tam hæc quàm illa extinguatur per cessum vel decessum Coadjuti : ac proinde hæc dicatur perpetua ; non quòd in hac ratione formali durare pergat ultra vitam Coadjuti, sed respectivè ad regimen ejusdem beneficii, quatenus illud extincto Coadjuto continuat ; ita tamen, ut quod vivente Coadjuto non gerebat jure, habitu & potestate ; sed ipso facto, ut Castrop. *loc. cit.* dein eo defuncto gerat jure & nomine proprio tanquam titularis & proprietarius beneficii. Differt item ab ea differentiâ quasi extrinsecâ desumptâ à fine seu motivo illam concedendi, dum deputatio Coadjutoris temporalis fit ob solam Ecclesiæ utilitatem, quæ utilitas, quia cessat per obitum Prælati seu Rectoris, succedente in illo beneficio alio non insufficiente aut inidoneo illius regimini, cessat & ipsa hæc Coadjutoria temporalis. Deputatio verò Coadjutoris cum futura successione fiat non solùm ob utilitatem ecclesiæ, sed etiam pro utilitate provisi. Tondut. *in qq. benef. p. 2. c. 1. §. 13. n. 1. & 2.* Unde jam explicitè Coadjutoriam perpetuam sic definit Remouch. *loc. cit. c. 2. n. 10.* quòd sit gratia, quâ Papa vel superior ecclesiasticus, seu uterque subordinatè deputat personam idoneam in sublevamen alterius beneficiati inidonei ad subeundum seu explendum munus beneficiato incumbens cum collatione præventiva ejusdem per obitum vel cessum Coadjuti vacaturi in favorem ecclesiæ & Coadjutoris ex causis utilitatis vel necessitatis ecclesiæ per summum Pontificem approbandis. Differentiæ aliæ similes extrinsecæ desumptæ à causis earum efficientibus ab effectibus, quos pariunt diversos à modo procedendi in earum concessione, elucidabuntur in sequentibus.

*Quæst.* 309. *Coadjutoria num favorabilis, num odiosa sit ?*

1. Resp. Coadjutoriæ cum futura successione sunt odiosæ & exorbitantes. Gonz. *ad reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 9. n. 74.* Remouch. *loc. cit. c. 8.*

8. n. 11. Pignatel. *tom. 9. conſult. 84. n. 7.* Mohed. *de privileg. deciſ. 10. aliàs 36. ad finem.* Tholoſan. *de benef. c. 30. n. 2.* & alii apud Fagn. *in c. nulla. de conceſſ. præb. n. 46.* Continent enim gratiam exſpectativam ſeu præventivam (quæ ſic compellantur non tam ex eo, quòd per eas præveniantur Ordinarii in collationibus ab ipſis faciendis, quàm quòd tempus vacationis præveniant. Lotter. *de re benefic. l. 2. q. 25. n. 1.* & ex eo Remouch. *loc. cit. n. 13.*) dum per talem Coadjutoriam conceditur impetranti beneficium Coadjuti poſt illius obitum vacaturum realiter & actualiter aſſequendum. Remouch. *loc. cit. n. 11. & 12.* Lotter. *loc. cit. n. 6.* Jam verò exſpectativas, utpote occaſionem dantes deſiderandi mortem Rectoris beneficii, ad quod habetur exſpectativa, odioſas eſſe, odioſámque & ſtrictam recipere interpretationem, negari nequit. Lotter. *loc. cit. n. 2.* cum communi.

2. Nihilominus reſponſionem noſtram ita reſtringit & mitigat Remouch. *loc. cit. n. 14. & ſeq.* innixus Lotterio *loc. cit. à n. 6,* dum cenſet non aliter Coadjutorias has odioſas dicendas, quàm ſi ſolennitates Concil. Trident. in earum conceſſione ſervatæ non ſint; eo quòd, licèt Coadjutoria expedita juxta ſenſum & amuſſim Trident. non deſinat continere gratiam præventivam, ſit tamen qualificata, longéque diverſa ab odioſa illa exſpectativa, ex qua naſcitur votum captandæ mortis beneficiati, & quæ citra illius conſenſum, citráque ullam Eccleſiæ neceſſitatem, aut beneficiati favorem conceditur, adeóque non ſubjiciatur ampliùs odioſis illis iſtarum exſpectativarum regulis. Quinimo tam reſpectu Papæ concedentis, quàm Eccleſiæ Prælatíque Coadjuti ſint favorabiles; pro quo citat Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 75.* Gabr. *l. 3. tit. de non tollend. jure quæſit. n. 6.* Pureum *deciſ. 478. l. 2. n. 6.* Verùm an & qualiter hæc reſtrictio ſuſtineri valeat, patebit ex dicendis *Quæſt. ſeq.*

*Quæſt.* 310. *Num omnes Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione habeant illam odibilitatem, & à jure exorbitantiam: an verò aliquibus, & quibus jus aſſiſtat.*

1. REſpond. primò: Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione conceſſæ pro Canonicatibus, aliiſque beneficiis inferioribus Cathedralium Collegiatarum aliarúmve Eccleſiarum ſunt omnino exorbitantes tam à jure communi quàm à Concil. Trident. Fagn. *in c. nulla. de conceſſ. præb. n. 50.* Garc. *de benef. p. 4. c. 5. n. 13.* ubi ait: Coadjutoria cum futura ſucceſſione non eſt juri conformis, ſed potiùs à ſtylo inventa. Quamvis *n. 19.* inclinare videatur in ſententiam oppoſitam. Caſſad. *deciſ. 2. n. 2. de reſtitut. ſpol.* Gamb. *tract. de off. & poteſt. Leg. l. 5. ſub titulo de Coadjutoriis.* Navar. *conſil. 2. n. 2. ſub tit. de Cler. ægrot.* Tholoſ. *loc. cit.* dicens deteſtabiles in jure eſſe iſtiuſmodi Coadjutorias, & alii apud Fagn. *loc. cit. n. 46.* qui dum indifferenter loqui videtur de Coadjutoriis omnibus cum futura ſucceſſione, à fortiore de Coadjutoriis iis, quæ dantur in inferioribus illis beneficiis, ſic tenere cenſendi ſunt. Et ſic in ſpecie de iis loquens Remouch. *cit. c. 8. n. 18.* hiſce expreſſis: in aliis verò beneficiis (intellige inferioribus Epiſcopatibus & Monaſteriis, in quibus eas permittit Trident.) quibuſcunque Coadjutorias cum futura ſucceſſione tanquam odioſas, decretis Patrum contrarias & hæreditarias expreſsè prohiber, Thomaſin. *de veteri & nova Eccleſ. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 59. n. 11.* inquiens: Canonicis aliisq; inferioribus beneficiatis, qui jam adduntur Coadjutores, ii nec uſquá in Canonico Decretalium Jure commemorati ſunt, nec in Concilio Trid. attinguntur, niſi ut proſcribantur ab univerſa Eccleſia, &c. Contra Lotter. *de re benef. l. 2. q. 25. à n. 6.* conantem Coadjutorias cum futura ſucceſſione indifferenter à contradictionibus vindicare, oſtendendo earum uſum eſſe antiquiſſimum, & à SS. Canonibus approbatum. Item contra Puteum *deciſ. 478. n. 5. l. 2.* dicentem gratiã Coadjutoriæ non eſſe merè præventivam, ſed habere fomentũ juris propter conſenſum Coadjuti, nec eſſe ita odioſam, ſicut eſt gratia merè præventiva. Item contra Mandoſ. *ad reg. 11. q. 5. n. 5.* quatenus dicit, uſum hujus gratiæ habere aliquá conformitatem cum Jure Canonico.

2. Procedítq; reſponſio, tametſi in conceſſione harum Coadjutoriarum adhibeantur ſolennitates, cæteráque omnia, quæ Trident. adhiberi voluit in conceſſione Coadjutoriarum in Cathedralibus, & Monaſteriis, ſive in Epiſcopatibus, & Præpoſituris Regularibus, ut ſupponere videtur Fagn. præcipuè *n. 52.* in fine, & expreſsè indicat *n. 71.* in fine, prout etiã patebit ex dicendis paulò in fin.

3. Stabilitur pars prima reſponſionis, nempe illas incognitas, quin & adverſari juri communi. Imprimis enim in eo nullibi fit mentio iſtiuſmodi gratiæ in inferioribus beneficiis, dum textus in contrarium adduci ſoliti v. g. *c. periiſti. 7. q. 1.* & *cæp. immediatè ſequens eadem cauſ.* loquantur de Epiſcopo. Fagn. *loc. cit. n. 51.* ubi etiam *in fine* audacter adverſarios provocat hiſce expreſsis: *Qui contrarium dicit, adducat textum, alioquin erubeſcat ſine lege loqui.* Remouch. *c. 3. n. 7.* ubi: *in veteribus codicibus nullus reperitur textus formalis, ex quo poſſit trahi inſtitutio Coadjutoriæ perpetuæ cum futura ſucceſſione.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 46.* ubi ex Caſſiador. modus Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione non invenitur de jure communi, ſed eſt adinventus de ſolo ſtylo. Addítque Gonz. *ibid.* textus in contrarium adductus à Mandoſio potiùs contra illum retorqueri. Dein SS. Canones magnopere abhorrent ſucceſſiones quaſi hæreditarias in beneficiis eccleſiaſticis; fuítque ſemper conſtans Pontificum & Conciliorum intentio impediendi hujuſmodi ſucceſſiones, juxta *c. accepimus. de pactis.* ubi dicitur id iniquum & SS. Canonibus inimicum, & ideo nullatenus tolerandum; & paulò infra: hujuſmodi ſucceſſiones deteſtabiles eſſe dicuntur. Quin & ipſo Concilio Trid. teſte *ſeſſ. 25. c. 7.* Jam verò dicta ſucceſſio quaſi hæreditaria manifeſtè reperitur in dictis Coadjutoriis. Fagn. *loc cit. n. 52.* Remouch. *cit. c. 3. n. 7. & 8.* Gamb. *loc. cit. n. 13. & ſeq.* ubi: quòd tales Coadjutores non ſunt Coadjutores, ſed hæredes, plerumque pueri, qui nedum Coadjutore, ſed pædagogo egerent; & quòd ſub iſto colore ſubintrat fæda ſucceſſio in Eccleſia Dei, adeóque iis reſiſtunt citata jura. Uti & ipſum patere videtur ex eo, quòd dum Concil. Trid. veluti rationem præmittit *loc. cit.* hæc verba: *Cùm in beneficiis eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, ſacris conſtitutionibus ſint odioſa & Patrum decretis contraria:* Dein veluti conſequens ex præmiſſa ratione deductum ſtatuit, ut receſſus, acceſſus & Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione de cætero nemini permittantur. Fagn. *cit. n. 52.* Neque ſatis per hoc excluditur ſpecies illa hæreditariæ ſucceſſionis, quòd in conceſſione iſtarum Coadjutoriarum exigantur literæ com-

commendatitiæ Episcopi aut Capituli super qualitatibus Coadjutoris & indigentia Ecclesiæ, ut vult Lotter. *cit. c.* 25. *n.* 27. citans pro hoc Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 9. *n.* 48. ubi is quidem dicit, exigi quidē literas illas, sed non dicit exigi illas ad excludendam speciē illam hæreditariæ successionis. Porrò ratio potissima, cur jura ita abhorreant dictam successionem, est, votum captandæ mortis alienæ, *c. detestanda. de concess. præb. in 6.* Fagn. *loc. cit. n.* 13. *&* 53. Unde jam etiam, cur in veteribus codicibus nullus exstet textus, ex quo trahi possit institutio Coadjutoriæ perpetuæ cum futura successione, rationem hanc dat Remouch. *cit. c.* 3. *n.* 7. *&* 8. quòd veteres profani abhorruerint constitutionibus suis in omnibus materiis præbere ansam captandæ vel desiderandæ mortis alienæ. Jam verò negari nequit, quin votum captandi mortem alienam ingeratur ab istiusmodi Coadjutoriis non secus, ac ab aliis exspectativis. Fagn. *loc. cit. n.* 54. *&* 55. contra Lotter. *loc. cit. n.* 20. *&* 21. Remouch. *c.* 8. *n.* 15. *&* 16. *&c.* minùs rectè sentientes impediri votum illud captandi mortem beneficiati per hoc, quòd non nisi requisito & præstito Coadjuti consensu, adhibitáque cognitione causæ, aliísque solennitatibus præscriptis à Tridentino concedantur istiusmodi Coadjutoriæ : cùm enim Coadjutor non possit succedere in beneficio, nisi priùs de medio sublato Coadjuto, in desiderandam hanc sublationem tanquam necessarium antecedens ad consecutionem beneficii naturaliter inclinari Coadjutorem necesse est; ridiculum autem est dicere, ut inquit Fagn. *cit. n.* 55. quòd naturalis hæc inclinatio cesset ex eo, quòd Coadjutus consenserit futuræ successioni ; non enim Coadjutor minùs appetit hoc beneficium, quòd Coadjutus voluerit eum sibi in eo succedere, quàm si eo etiam invito ad succedendum illi destinatus fuisset; cùm juxta proverbium, quod ipse Remouch. *cit. c.* 8. *n.* 12. adducit: *etiam amici vitam illius oderint, cujus mortem exspectant.* Hoc verum, quòd & non amplius ait Puteus, gratiam Coadjutoriæ propter consensum Coadjuti esse minùs odiosam, quàm sit simplex exspectativa. Fagn. *n.* 56. Denique Coadjutorias has esse contra jus commune, probat idem Fagn. *à n.* 57. & ex eo Thomas. *loc. cit.* ex plurimis differentiis, quæ apparent inter has, & illas, quæ sunt secundùm formam juris communis, v. g. quòd illæ non extendebantur ultra tempus ægritudinis, donabantur ecclesiarum necessitatibus etiam præter beneficiati voluntatem. Coadjutores illi prisci residere cogebantur & ecclesiæ obire ministeria, dabantur senibus & immedicabili morbo languentibus, sustentabantur parte fructuum. Moderni verò Coadjutores sunt perpetui, dantur petentibus, nec in Choro, nec in Capitulo locum habent; invito Coadjuto nulla munia implere possunt; dantur Canonicis sexagenariis vegetis & bene valentibus ; neque per has Coadjutorias consulitur tam ecclesiis, quàm gratificatur cognatis & amicis, &c.

4. Stabilitur quoque pars altera responsionis, nimirum esse istiusmodi Coadjutorias contrarias quoque Tridentino, & ab eo exorbitantes, non solùm in casu, quo deviant ab orbita dicti Concilii, seu quando in earum concessione non observantur præscriptæ à Concilio solennitates, id est, requisitio consensûs Coadjuti, cognitio causæ, ut vult Lotter. *loc. cit. n.* 17. sed & simpliciter; ex eo enim, quòd Concilium per modum exceptionis Coadjutorias respectu Cathedralium & Monasteriorum cum futura successione concedi à Papa permittat, ubi conceduntur cum præscriptis à se solennitatibus, dum è contra Coadjutorias cum futura successione respectu beneficiorum inferiorum tanquam odiosas, decretis Patrum contrarias vetat simpliciter, manifestè colligitur eas vetari etiam ex quacunque causa, & cum consensu Coadjuti concedi etiam à Papa ; firmat enim exceptio regulam in contrarium, adeóque dum Concilium præmittit regulam universalem negativam de non concedendis Coadjutoriis in quibuscunque beneficiis, eíque dein immediatè subnectit exceptionem per hæc formalia : *Quòd quando Ecclesiæ Cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulat Prælato dari Coadjutorem, is non aliàs cum futura successione datur, quàm hæc causa prius diligentissimè à Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à jure & decretis hujus S. Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur, aliàs concessiones super his factæ subreptitiæ esse censeantur &c.* Clarè patet Coadjutorias alias, nimirum in ecclesiis inferioribus, etiam quacunque de causa, de cetero cum futura successione à Papa nullatenus permittendas ; uti hoc ipsum fusè deducit Fagn. *loc. cit. à n.* 69. hac ferè ratione. Concilium *sess.* 25. *c.* 7. post prohibitum à se accessum & regressum ad quodcunque beneficium, sic pergit : *In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem post hac observetur, ut nemini in quibuscunque beneficiis permittantur :* satis indicat, se hac suâ regulâ (& quidem, ut ait Fagn. præcipuè) includere Papam ; eò quòd cùm facultas concedendi illas Coadjutorias cum futura successione ante Concilium nullatenus competeret Episcopis (subintellige, etiam de usu & consuetudine) frustraneè constitueret, ut id iis ampliùs seu in futurum per illam dictionem *post hac.* (utpote quæ jus novum importat, Gl. *in Clem. eos. v. deinceps. de Regular.*) non permittatur, adeóque necesse sit, ut mens Concilii fuerit, ut post hac non permitterentur hujusmodi Coadjutoriæ à Papa, cui eæ soli priùs permissæ. Tametsi enim Concilium vi coactiva non constringat Papam *c. significasti. de elect.* & *ibi* Abb. *n.* 3. comprehendit tamen eum vi aliqua directiva rationis, quia voluntarius debet se ei subjicere ; pro quo Fagn. citat *c. ult.* §. *his ita.* 25. *q.* 1. *l. digna vox. c. de LL.* D. Thom. 1. *p. q.* 96. *a.* 5. *ad* 3. & seipsum *in c. canonum. de constit. n.* 9. per hoc enim Concilium indicat Papæ, non quid possibile, sed quid honestum & laudabile, uti fecit idem Concilium *sess.* 24. *c.* 5. vetando in secundo gradu dispensari, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam, & *c.* 19. *ejusd. sess.* vetando exspectativas, reservationes mentales & alias quascunque gratias ad vacatura, etiam in favorem Cardinalium, quæ inhibitiones similiter non concernunt inferiores Papâ ; cùm in his jam nulla erat potestas in gradibus illis dispensandi. *c. quod super his. de consanguin. & affinit.* & modò adhuc nequeant etiam cum Principibus in illis dispensare, neque etiam exspectativas concedere contra Concilium Lateran. & *c. dilectus. il primo de præb. c. detestanda. de concess. præb. in 6.* Atque ita dictæ Coadjutoriæ dicuntur quoque exorbitantes, quia deviant ab orbita Concilii Tridentini. Fagn. *ibid.* ex Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 24. *&* 25.

5. Resp.

§. Resp. secundò: Coadjutoriæ cum futura successione pro Cathedralibus Ecclesiis & Monasteriis concessæ cum præscriptis à Tridentino solennitatibus non exorbitant neque à jure communi, neque à Tridentino in eo sensu, ut neque ex privilegio vel dispensatione Papæ sint alicui concedendæ. Fagn. *loc. cit. n.* 47. Jus enim commune permittit, ut Papa possit illas concedere ex urgente necessitate, ut est apertus textus in *c. petitisti. 7. q. 1.* ubi Zachar. Papa anno 741. permisit Archiepiscopo Moguntino, ut in senectute & corporis infirmitate adjungeret sibi Coadjutorem, & dein, si eum aptum ad hoc deprehenderet, sibi in hora mortis præsentibus omnibus successorem designaret; quamvis tamen, ut ostendit Fagn. *loc. cit. n.* 80. hæc non fuerit propriè Coadjutoria cum futura successione, de quo plura *quæst.* 315. *in resp.* 4. Concilium quoque Tridentinum longè expressiùs easdem permittit à Papa concedendas *sess.* 25. *c.* 7. *vers. quòd si quando.* Nihilominus & has Coadjutorias in tantùm adhuc contrarias juri communi & ab eo exorbitare, etiam respectu Papæ, dici posse, affirmat Fagn. *loc. cit. n.* 49. in quantùm conceduntur à Papa non jure ordinario, sicut conceditur Coadjutoria temporalis; sed ex speciali privilegio & dispensatione, uti id satis colligitur ex *cit. c. petitisti.* ubi postquam Papa fecisset gratiam illam Archiepiscopo Moguntino, subjicit hæc verba: *Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.* Atque ita concessionem hanc uti Ecclesiæ necessariam prodisse ex speciali privilegio notant *ibidem* Archid. Præpos. & alii apud Fagn. *cit. n.* 49. sive ex speciali indulgentia, ut apud eundem Host. *in c. accepimus. de pactis. n.* 2. & Bellam. Buttio, Jo. And. &c. & cum iis Remouch. *de Coadjutor. c.* 3. *n.* 12. hisce expressis; Prætacta Zachariæ constitutio seu rescriptum intelligendum venit tanquam speciale privilegiū, & ex plenitudine potestatis favore personarum, seu potiùs missione extraordinaria & cœlesti instinctu, & proinde tanquam exorbitans à jure, contrariúmque doctrinæ Patrum & regulis Ecclesiæ nullo modo trahendum in consequentiam. Unde jam, dum Thomasin. *de vet. & nova Eccles. disciplin. p.* 2. *l.* 2. *c.* 58. *n.* 1. ait: *Peculiariùs pugnant & colliduntur Canonibus Resignationes, quibus Episcopi Coadjutores sibi simul & Successores agglutinant:* necesse est id intelligi de iis, qui id sine licentia Papæ faciebant.

*Quæst.* 311. *Cur Concilium Tridentinum permiserit potiùs Coadjutorias in Cathedralibus & Monasteriis, quàm in beneficiis inferioribus.*

1. Resp. hanc à Fagn. *in c. nulla. de conces. Præb. n.* 72. Thomas. *cit. c.* 59. *n.* 11. reddi rationem: quòd cùm Episcopus, vel Prælatus seu Præpositus Monasterii propter senium, vel ægritudinem redditus est inhabilis ad pastorale officium exercendum, necessitas cogit, ut illi de Coadjutore provideatur ob periculum animarum, ne gregi fidelium desit officium pastorale. Sæpe autem contingat, præsertim ultra montes, ut Episcopatus vel Abbatia, Prælato existente inhabili, indigeant Coadjutore magnæ authoritatis & potentiæ, qui valeat religionem, bona immunitatémque Ecclesiæ ab hæreticis aliisque adversariis conservare illæsam, personæ verò hujusmodi vix & ne vix quidem induci possint ad id onus Coadjutoris suscipiendum, nisi cum futura successione, ut experientia docuit, ideo in hoc & similibus casibus, charitate urgente, circumspectâ Papæ providentiâ Coadjutorias perpetuas salubriter provideri. Hæc autem ratio non urget pro Coadjutoriis perpetuis in beneficiis inferioribus; siquidem in iis non imminet illud periculum animarum; & si fortè immineret, non deessent, qui cum competente mercede Coadjutoriam susciperent sine futura successione. Sed neque dum in Ecclesiis illis inferioribus officia divina persolvuntur à reliquis Canonicis & ministris, insuper Canonicus infirmus aut senio confectus non tenetur sibi adsciscere Coadjutorem, aut inservire per substitutum. Fagn. *loc. cit. n.* 73. & *in c. licèt. de præb. à n.* 136. mirum non est Concilium Tridentinum in iis Coadjutorias illas non permisisse; cùm in iis ratio nulla urgentis necessitatis considerari possit; in argumentum enim trahi non possunt, quæ propter necessitatem aliquando concessa. *c. in argumentum. de reg. jur. in 6.* Sed neque in his inferioribus obtendi potest ratio utilitatis Ecclesiæ (quæ necessitati æquiparatur. Fagn. *n.* 74.) ex eo, quòd concedendo Coadjutorem addatur Ecclesiæ minister, qui loco Canonici impediti inserviat divinis; ea námque utilitas tanta non est, ut ei non præponderent gravamina & pericula plurima, quæ inde ecclesiis & personis ecclesiasticis obveniunt, præcipuè ex invecta hac ratione fœda illa successionis hæreditariæ specie votóque captandæ mortis. Fagn. *cit. n.* 74. & 75. Et licèt hæc etiá à Coadjutoriis perpetuis concessis respectu Episcopatuum & Abbatiarum non omnia absint (præsertim, ubi Episcopo se solo sine Capitulo denominandi Coadjutorē cum successione daretur facultas. Item dum Coadjutus adhuc juvenis & vegetus longam polliceretur vitam) necessitas tamen urgens & ingens Ecclesiæ hic & nunc præponderare videtur, quâ urgente Papa in beneficio viventis concedere successionem valet. Castrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 9. *n.* 10. ubi etiam ex Azor. *instit. mor. l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. *in fine*, quòd hoc ipsum nempe constituere Coadjutorem cum futura successione sæpe sit necessarium vel saltem utile, ut sic Coadjutor majore cum authoritate munus exerceat, diligentiùs procedat, & subditis sit carior, non secundùm jus commune, sed contra illud, & ex speciali indulgentia, dispensatione, ac de plenitudine potestatis, juxta textum *c. proposuit. de conces. Præb.* Fagn. *loc. cit. num.* 82. uti & in provisione præbendæ vacaturæ Papa tollit vitium, quod est in promissione voti scilicet captandæ mortis, quia Papa est supra jus. Jo. And. *in cit. c. proposuit. n.* 3. *v. vacaturæ.* & ne captandæ alienæ mortis occasio ex benignitate gratiarum Sedis Apostolicæ tribuatur, & sic successio in beneficiis, emanat non secundùm jus, sed ex gratiæ benignitate & speciali indulgentia Sedis Apostolicæ. *c. ne captandæ. de conces. præb. in 6.*

2. Absurda alia, quæ potiùs ex permissione istarum Coadjutoriarum in inferioribus profluunt, dum in iis faciliùs & frequentiùs Sedes Apostolica decipitur, Vide apud Fagn. *n.* 75. & 76. ubi dictum illud Gambari, de quo supra, quòd nimirum vi talis successionis plerumque pueri, qui nedum ipsi Coadjutore, sed præda-

gogo egent, in beneficiis illis substituantur, ostendit locum habere etiam ex natura rei, & non solùm per meram contingentiam, ut vult Lotter. *cit. q.* 25. *n.* 19. contra mentem Papæ ex siniſtra informatione, quæ vix caveri possit, aliúdque absurdissimum addit, quod se audivisse ait; nempe quòd Canonicus Cathedralis (utique ex deceptione Papæ) prætextu inhabilitatis suæ serviendi Ecclesiæ in divinis, obtinuerit Coadjutoram in Canonicatu suo cum futura successione, & paulò post idem ipse obtinuerit constitui Coadjutor in dignitate alterius Ecclesiæ. Atque ita, qui inhabilis habebatur ad inserviendum pro se ipso in Ecclesia propria, fuerit repertus habilis ad inserviendum pro alio in Ecclesia aliena. Concludit Fagn. *n.* 77. Ad hæc & similia absurda cavenda, fortè consultiùs fore, ut Papa ab hujusmodi gratiis abstineret ubique, sicut abstinet in Germania.

*Quæst.* 312. *An igitur, dum Papa contra Concilium Tridentinum de facto ex plenitudine potestatis concedit istiusmodi Coadjutorias in beneficiis inferioribus, necesse habeat eidem Concilio derogare?*

Resp. Tametsi Papa non nisi ex speciali indulgentia dispensativè, & de plenitudine potestatis laxando vinculum legis concedere queat hujusmodi Coadjutorias à jure communi & Tridentino exorbitantes, ut dictum. Tametsi etiam hoc faciendo ad summùm exercitè seu in actu exercito deroget in hoc Tridentino, hoc est, operetur contra ejus dispositionem, non tamen necesse est, derogare illum ei in hoc specialiter & signanter. Fagn. *in c. nulla. de conceſſ. præb. n.* 86. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 30. *& seq.* Tametsi enim in concessionibus & gratiis contra constitutiones Conciliorum generalium requiratur ad earum validitatem specialis mentio & derogatio Concilii, cui concessio adversatur, ut habet communior, &, pro ut ait Garc. *loc cit. n.* 19. praxi & stylo approbata, adeóque sequenda quam juxta *c ex parte. de Capell. Monachor.* cum Archidiac. *in c. 1. de constit. in* 6. tenent Millis *in reportor. v. gratia facta contra Concil. gener.* Felin *in c. nonnulli. de rescript. num.* 2. & 3. dicens, totum mundum in hoc sequi Archidiaconum. Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 11. *n.* 31. & *p* 4. *q.* 7. *n.* 4. Rebuff. *conſ.* 134. Cuchus *Inſtit. major. l.* 1. *tit.* 2. *à n.* 3 Germon. *de sacror. immunit. l.* 3. *c.* 11. *n.* 52. & *de Indult. Cardin. §. per quæ ſubiatis. n.* 57. ubi etiam *n.* 74. advertit in Cancell. Apostolica suppleri derogationem Concilii, si omissa sit in supplicatione, modò pars Concilii, quæ obstat gratiæ, registrata sit in corpore juris. Paris. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *à n.* 36. Zerol. *in pr. Epiſc. p.* 1. *v. pensio. & p.* 2. *v. absolutio. §.* 8. & plurimi alii apud Garc. *loc. cit. n.* 25. contra Innoc. *in c. ex parte. de Capellis Monach.* Gamb. *de off. Legat. l.* 10. *n.* 398. Cened. *in collect. collect.* 123. *ad cit. c. nonnulli. n.* 3. apud Garc. *n.* 27. tenentes, non magis faciendam mentionem Concilii quàm alterius juris, quam sententiam Felin. *loc. cit. n.* 3. dicit fortè veriorem per textum *c. nonnulli.* & Garc. *n.* 29. in puncto juris valde probabilem. Tametsi prior illa sententia sequenda, adhuc tamen Concilio Tridentino derogatum non est in dicto puncto, nec ei solet aut oportet specialiter derogari propter expressam præservationem authoritatis Sedis Apostolicæ, quæ continetur *sess. 25. de reform. decreto ultimo* his verbis: *Omnia in dicto S. Concilio statuta de morum reformatione & ecclesiastica disciplina ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Castrop. Fagn. Garc. *locis cit.* & Rota *in una pension. S. Angeli* 16. *Decemb.* 1594. coram Pamphilo apud Garc. *n.* 31. hisce formalibus: Concilio Tridentino derogatur per clausulam generalem: *non obstantibus constitutionibus Apostolicis:* propter dictum decretum ultimum *sess. 25.* ad notata per Felin. *in c. at si Clerici*, & Jacobat. *de Conciliis. l.* 5. *a.* 18. quem sequitur Tolet. *in sum. l.* 1. *c.* 41. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 6. *n.* 120. ubi: *sufficeret generalis derogatio, si aliàs appareret de intentione Papæ, licèt de Concilio Tridentino specialis aut in individuo mentio facta non fuerit; quia propter authoritatem illius nunquam ei solet specialiter derogari, ac ita servari video, & decisum, & declaratum audio.* contra Hojed. *de incompat. benef. p.* 2. *c. nit. n.* 85. Zerol. *loc. cit.* Menoch. *conſ.* 294. *à n.* 11. *l.* 3. Enriq. *in sum. l.* 7. *c.* 26. §. 3. apud Garc. *n.* 36. tenentes requiri specialem Concilii Tridentini derogationem. Item contra Molin. *de Just. tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 173. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 26. *n.* 7. Vivald. *in Candelab. aureo tit. de absolut.* 13. & *in append. c.* 12. *n.* 22. apud Garc. *n.* 41. tenentes ad derogationem legis Concilii recentis, ut est Tridentinum requiri, ut specialiter exprimatur, derogari tali decreto talis Concilii, ut habere dicunt praxin; in quo tamen eos falli ait Garcias. Quin neque speciali neque generali derogatione Concilii Tridentini opus in quibuscunque concessionibus; sed satis est, ut Papa disponat contrarium ejus, quod Concilium disponit, modò supplica manu Papæ signata fuerit. Fagn. *cit. n.* 86. Garc. *loc. cit. n.* 32. juxta expressum motum proprium Pii V. anno 1570. emanatum, quem verbotenus recitat Garcias; uti & ad hunc motum proprium se referens expressè respondit S. Congregat. & decisum fuit in Cancell. Apost. per Abbreviatores teste Garcia. *n.* 34. & 35. Sed neque in concessionibus contra constitutiones aliorum Conciliorum necessaria est derogatio in specie & in individuo istius constitutionis, cui contravenit concessio, sed sufficit dicere v. g *non obstante Concilio Lateranensi &c.* Garc. *n.* 37. contra Jo. Guttier. *in repetit. L. nemo potest. ff de legat. num.* 173. Germon. Selv. *ll. cit.* Mandosium &c. Quinimo sufficit dicere: non obstantibus constitutionibus editis in Concilio generali. Garc. *n.* 40. ex Decio & Probo: *Vel non obstante cujusque Concilii determinatione.* Garc. *cit. n.* 40. *Vel non obstante lege quacunque seu aliqua lege, etiam in Concilio generali edita.* Jacobat. *de Concil. l.* 5. *a.* 8. Garc. *n.* 40. Idque sive Concilium sit recens, sive antiquum. Benzonius *in Specul. Episcop. de fuga. l.* 1. *d.* 14. apud Garc. *n.* 42. Item Concilio generali derogatur per clausulam generalem: *non obstantibus ordinationibus & constitutionibus Apostolicis;* quando concessio fit motu proprio, & ex narrativa appareat de certa scientia Papæ. Garc. *n.* 45. citans Puteum *decis.* 494. *l.* 2. Mandos. *de signat. grat. tit. de provision. &c.* Sed neque inferiorem, cui Papa dedisset facultatem dispensandi super aliquo prohibito à Concilio generali, teneri derogare specialiter tali decreto aut Concilio, tenet Gambar. *de off. Legat. l.* 5. *rubrica. an Legatus possit uni conferre plura beneficia. à n.* 184. loquens de Legato.

Item

Item apud illum Præpos. Paul. de Castro. loquentes in materia Comitis Palatini habentis potestatem legitimandi apud Garc. *n.* 46. Denique, dum Papa disponeret aliquid contra Concilia, non per viam rescripti, sed legis, ne quidem requiri derogationem generalem, tradit Garc. *n.* 47. citans *c.* 1. *de constit. in 6.* & Gl. *ibi. v. noscatur*; quem sequuntur Anchor. Felin. *in c. nonnulli. n.* 5.

*Quæst.* 313. *Num Coadjutoriæ adversentur concordatis Germaniæ?*

1. Resp. primò: De Coadjutoriis, quæ conceduntur in Episcopatibus, Abbatiis aut etiam aliis dignitatibus, inferioribus à Papa ad petitionem Capitularium aliorúmve, qui eligere aut conferre eas habent, quæstio esse non potest, quia per hoc non gravantur.

2. Resp. secundò: Coadjutoriæ cum futura successione in quibuscunque beneficiis ad solum consensum vel petitionem beneficiati, aut etiam citra eum, absque consensu Capitularium, seu electorum, aliorúmve collatorum ordinariorum, ad quos eorum provisio spectat, concedi à Papa, manifestè & directè repugnat concordatis Germaniæ. Fagn. *in c. nulla. de conces. præb. n.* 77. Remouch. *in synop. de Coadjutor. c.* 5. 11. 16. Gonz. *ad reg. 8. gl.* 5. *n.* 11. citans Cassador. *decis. unic. sub tit. de pact.* quam vocat auream, canonizatam, & ab omnibus impugnationibus contra illam defensam à Rota *in una Germana concordator.* 11. *Martii* 1549. Brauden *ad concordat. Germ. q.* 11. *n.* 2. Paris. *de resign. l.* 6. *q.* 5. *n.* 70. Wames. *Consil. can. tom.* 1. *cons.* 33. *n.* 12. Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *n.* 7. 23. *& seq.* Piasec. *in pr. episc. p.* 2. *c.* 5. *a.* 2. *n.* 10. Nicolart. *ad concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 8. §. 6. recitans quoque hanc in rem decisionem rotalem pulcherrimam apud Puteum 225. vel ut alii, 226. utì & §. 7. aliam *in una Leodiens. Canonicat. de* 16. *Jun.* 1606. quas decisiones Rotæ per plures alias ejusdem Rotæ decisiones confirmatas testatur §. 8. nempe decis. 10. *p.* 3. *l.* 3. *divers.* & apud Mohedam *decis.* 10. *alias* 330. *de privileg. & indult.* Item *decis.* 570. *n.* 9. *p.* 1. *recent.* utì & *cit.* §. 8. refert motum proprium Pauli V. Concordata siquidem excludunt quascunque gratias præventivas & exspectativas, reservationes, ac collationes, & quasvis dispositiones Ordinariorum jus, collationem, electionem seu dispositionem in sex mensibus impedientes. Remouch. *cit. n.* 16. Nicol. *cit.* §. 6. juxta Rotæ *decis.* 570. *n.* 9. *p.* 1. *recent.* & tenorem ipsum Concordatorum, §. *placet etiam Nobis.* súntque omnino favorabilia, ac pleniſſimè ad favorem Ordinariorum interpretanda; cùm quòad sex menses Ordinariorum reducant ad dispositionem juris communis. Nicol. *loc. cit. n.* 11. quo Episcopi sunt collatores beneficiorum omnium quovis mense vacantium. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 1. *proœmial. n.* 21. Wames. *cons. Can. tom.* 1. *cons.* 262. *n.* 15. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 52. Piasec. *in pr. Episc. p.* 2. *a.* 2. *n.* 9. *&* 10. & AA. passim juxta *c. omnes Basilicæ, & c. nullus omnino.* 16. *q.* 7. utì idem etiam patet ex eo, quòd Papa per concordata intenderit uberiorem gratiam concedere Ordinariis Germaniæ, quàm regula octava Cancell. concedat aliis Ordinariis, quæ ubertas major inter reliqua consistit in eo, quòd respectu aliorum Ordinariorum in regula mensiũ removerit tantùm reservationes & gratias exspectativas impedientes dispositiones illorum aliorum Ordinariorum; per Concordata verò ultra reservationes & exspectativas intenderit removere quascunque etiam alias dispositiones (quo nomine utique venit etiam Coadjutoria cum futura successione per notata DD. *in c. cùm in illis.* §. 1. *de præb. in* 6. Puteus *in memorata decis.* §. 4.) impedientes Ordinarios Germaniæ in dispositione sua quòd ad sex illos menses, adeóque & Coadjutorias hujusmodi Put. *loc. cit.* §. 3. *&* 4. Unde jam Ordinarii Germaniæ, ad quos spectat jus conferendi, eligendi, alitérque disponendi de beneficiis, plenam habent potestatem beneficia, etiam Coadjutoriis fortè obnoxia, seu affecta in sex illis suis mensibus liberè conferendi, ad ea eligendi &c. Nicol. *cit.* §. 6. Wames. *loc. cit. cons.* 33. *n.* 12. & quodcunque à quocunque, etiam per Papam fit in contrarium, hoc est, impediens illam illorum collationem, irritum est & inane. Wames. *loc. cit.* clausula enim irritans Concordatis inserta *loc. cit. n.* 12. *&* 14. ligat quoque Pontificem juxta Wames. & plures alios apud Chok. *loc. cit. n.* 9. etiamsi non dicatur: per Nos aut successores nostros contigerit attentari: etsi iis contrarium teneat Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 29. Chok. ipse *loc. cit. n.* 22. & illud *n.* 7. sic limitet: nisi Papa ex justa causa ejusmodi concordatis derogaret, quod num possit, dictum est alibi. Adde, quòd Concordata hæc quoque veri pacti rationem & vim habeant. Wames. *lit. cit. n.* 13. sic testans expresè declarasse Julium III. adeóque à Papa sine nationis Germanicæ consensu eis contraveniri nequeat; cùm, quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consueverint, & contractus liget quemlibet, etiamsi Princeps sit aliàs legibus solutus. Wames. *n.* 13. citans *c.* 1. *de probat.* Bald. *in l. Princeps. de LL.* Lud. Rom. *cons.* 352. *quæritur primò. n.* 16. Ita ut proinde sæpe parum operetur etiam clausula derogatoria Concordatorum; eò quòd ea vel importunitate impetrantium tales Coadjutorias adjecta sit, dum frequenter in nonnullis causis Papa aut Princeps inverecunda petentium inhiatione constringitur, ut non concedenda tribuat, quæ tamen sic extorta nihilo plus firmitatis aut roboris habere debent. *l.* 1. *c. de petit. bonor. subl. lib.* 10. Wames. *cit. n.* 14. vel etiam derogatio illa ob expeditorum inadvertentiam irrepserit, utì id indicat Pius IV. apud Chok. *loc. cit. sub n.* 23. dum motu proprio revocavit derogationem Concordatorum Germaniæ in simili Coadjutoria, declarando, per deputationem in Coadjutorem, & exinde collationem Canonicatûs Ecclesiæ Metensis in mense ordinario cum Concordatorum derogatione intentionis suæ non fuisse aut esse dictis Concordatis derogare, aut aliàs illis in aliquo præjudicare, sed eandem prætensam derogationem ob Expeditorum inadvertentiam & præoccupationem obreptam tanquam contra intentionem & voluntatem suam extortam nullam & invalidam, ac nullius roboris vel momenti fuisse aut esse. Quò etiam spectat, quòd teste Simonett. *de reservat. q.* 99. *n.* 28. apud Chok. *loc. cit.* Gregorius XIII. quadam constitutione suá anno 1572. 6. Jun. Romæ publicatâ declararit, se sub quacunque verborum forma rescripserit, Concordata lædere nolle. Vel quòd, ut Wames. *cit. n.* 14. dicta derogatio per se resolvatur ob decretum irritans, aut rationem pacti, quam Concordata continent. Unde jam sequitur, quòd si Papa concederet cuipiam Coadju-

toriam istiusmodi cum futura successione in Germania, eam suum effectum sortiri non posse, nisi Coadjutus in mense Apostolico cesserit aut decesserit, vel aliàs ad provisionem Papæ tale beneficium aliqua ratione spectaret. Chok. *loc. cit. n.* 7. ex Wamesl. *cons.* 33. *n.* 12. Vel enim conditionem illam: *si beneficium vacabit in mense Apostolico &c.* ab initio continuisse dici debet: vel, si pura & simplex fuerit, valere non potuisse, obstantibus nimirum Concordatis Germaniæ. Wamesl. *n.* 13.

3. Neque his obstat primò, quòd salvis Concordatis Papa, quin & ejus Legatus de Latere possit conferre beneficia in sex mensibus Ordinariorum, & cum illis concurrere. Rebuff. *in Concord. rubric. de collat.* §. 1. *si quis vel alium superiorem.* Brand. *in Concord. Germ. not.* 1. Chok. *loc. cit. n.* 15. *& 16.* Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 25. *n.* 15. *& seq.* pluribus id firmans Rotæ Decisionibus. Nam gratiæ solùm præventivæ respectu illorum sex mensium contrariæ sunt Concordatis. AA. iidem & Simonet. *de reservat. q.* 2. eò quòd hæ absolutè impediant collationes Ordinariorum: quòd verò cum illis possit concurrere Papa, non impedit, quò minùs ipsi possint prævenire Papam, in quo casu prævalebit illorum provisio provisioni Apostolicæ.

4. Nec obstat secundò, quòd regressus ad beneficia non obstent Concordatis: cùm tamen regressibus æquiparentur Coadjutoriæ cum futura successione. Paris. *loc. cit. n.* 71. cum Mandos. *ad reg. de impetrand. benefic. per obitum. q.* 10. *n.* 7. utpote quæ non minùs quam Coadjutoriæ impediunt provisiones Ordinariorum. Nam regressus habent cautam juris de præterito, nimirum ex voluntate resignantis, non aliter volentis resignare, nisi reservato sibi regressu, & voluntate Papæ id admittentis. Paris. *loc. cit. n.* 72. juxta citatam illam decisionem Rotalem apud Puteum §. 11. Unde jam, ut dicitur in eadem decis. per fictionem juris non videtur inducta vacatio; sed potiùs est quædam continuatio primævi juris propter voluntatem ejus, nempe resignantis, qui legem apposuit in re sua, & illa voluntas tempore, quo locus est regressui, adhuc durat, & sic fingitur, quòd nulla interveniat vacatio, ex quo fit dispositio in eandem personam & non diversam. Coadjutoriæ è contra nihil habent de præterito, & in iis fictio illa non vacationis non habet locum, dum Coadjutor non dicitur continuare; cùm jus sit & fuerit titularis, & ideo dispositio dicitur fieri in diversam personam, ac proinde per illas Coadjutorias dicitur contraveniri Concordatis cit. decis. Rotæ. §. 11.

5. Nec obstat tertiò, quòd sicut regressus detur ex causa aliqua onerosa, nempe cessionis. Paris. *loc. cit. n.* 73. citans Put. *decis.* 174. *l.* 1. Sarnens. *de non judicand. juxta for. supplicat. q.* 4. ideóque non dicatur propriè gratia, ex quo potiùs in compensationem exhibiti beneficii concedi videtur. Paris. *loc. cit. n.* 74. Sarn. *loc. cit. n.* 2. ac propterea non contraveniat Concordatis; ita etiam Coadjutoria detur propter bene merita, ac ita pariter non videatur Concordatis contraria; cùm juxta *l. Aquilius. ff. de donat.* dispositio loquens simpliciter non habeat locum in dispositione remuneratoria. Nam non ideo solùm, sed etiam propter necessitatem Ecclesiæ, cui Coadjutus inservire non potest. *c.* 1. *de Cler. ægrot. in* 6. & *toto tit. extra.* & in recompensationem laborum suorum Coadjutori detur portio fructuum. *cit. c.* 1. & *c. de Rectoribus. de Cleric. ægrot.* & ideo, si aliunde remunerationem habet, non debet illi dari successio. *cit. decis.* Rot. Put. §. 12.

6. Nec obstat quartò, quòd dando Coadjutorem, etiam temporalem, Papa apponat manus, & ex hac appositione resultet affectio impediens Ordinarios collatores à provisione talis beneficii, non minùs quàm Coadjutoria ipsa cum futura successione; & tamen talis affectio non sit contraria Concordatis. Nam dato, nasci ex datione Coadjutoris affectionem (de quo, ut habet citata decis. Rotal. §. 13. meritò dubitatur & negabitur à nobis infra *quæst.* 323. neque enim huc applicari potest simile de datione beneficii in commendam; cùm in commenda vacet beneficium, & Papa commendando beneficium declarat, quòd de eo disponere intendat; in datione verò Coadjutoris beneficium non vacet, & Papa tunc faciat, quod de jure est, adeóque non afficiatur per hoc beneficium, ita ut Ordinarius cessante Coadjutoriâ, non possit de eo disponere) dato inquam tantisper hoc, malè adhuc apponitur. Siquidem cùm Papa dicat in Concordatis: *Reservationibus aliis à præmissis, & dispositionibus non obstantibus quibuscunque*: & ista reservatio seu affectio per appositionem manûs in datione Coadjutoris non contineatur, sequitur, quòd talis affectio non obstet Ordinariis. cit. decis §. 13.

7. Nec obstat quintò textus *in l. fin. §. cui dulcia. ff. de vini trit. & oleo leg.* ubi dicitur: quòd cui dulcia legata, veniunt dulcia potabilia & comestibilia; sed si dictum fuisset: *Lego vinum amphorarium & omnia dulcia*: ex legatione vini tantùm veniunt potabilia; ut proinde idem dicendum videatur in casu præsente, nempe quòd verba illa: *Vel quamvis aliam dispositionem*: ex collatione præcedente verborum sint restringenda ad dispositiones similes præcedentibus, scilicet reservationibus & exspectativis, quæ fiunt sine consensu ad corpora incerta, adeóque sub iis venire nequeat Coadjutoria, utpote quæ fit de consensu ad certum corpus; cùm universalis illa tantùm referri debeat ad illa, quæ sunt ejusdem speciei. Nam verum est, quòd dictio illa: *Quamvis aliam*: non comprehendat nisi similia expressis, quando sumus in materia restringibili; in præsente autem non sumus in materia restringibili; quia concordata facta sunt ex causa, & proinde Papa intendebat uberiorem illis Ordinariis facere gratiam quàm aliis. *cit. decis.* §. 5. Adde, quòd, cùm reservatio non tantùm fiat ad incerta corpora, sed etiam fieri possit de certo corpore & de consensu possidentis, in quo casu dicetur reservatio specialis. Æneas de Falcon. *tract. de reservat. q.* 2. & Papa excludat quamcunque reservationem, excludet etiam reservationem vel dispositionem de consensu ad certum corpus, qualis est Coadjutoria. *cit. decis.* §. 7. Ac denique, cùm verba illa: *Vel quamvis aliam dispositionem*: implicent qualitatem similem in genere, nempe quamvis aliam dispositionem impedientem Ordinarios in sua dispositione, implicabunt quoque dictas Coadjutorias, ut sicut Papa excludit reservationem & exspectativam impedientem Ordinarios in sua dispositione, ita etiam excludat quamcunque aliam dispositionem impedientem Ordinarium in sua dispositione. *cit. decis.* §. 8. Plura huc conducentia infra, ubi de modo concedendi Coadjutorias cum consensu Ordinariorum.

*Quæst.*

*Quæstio* 314. *Num coadjutoriæ istiusmodi cum futura successione repugnent indultis Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum aliorum Collegiorum, & Vniversitatum, quæ habent circa collationem beneficiorum in mensibus Papæ reservatis.*

1. REsp. ad primum, nimirum quo ad Cardinales, & Episcopos affirmativè. Paris. *de resig. l. 6. q. 5. n. 70.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 12.* Remouch. *c. 5. n. 18.* Nicol. *tit. 1. dub. 8. §. 9.* Rota in una Toletan. Archipresb. teste Moheda *dec. 10. de privileg. per totam.* Put. *dec. 108. l. 2.* apud Gonz. & sic expresè de indultis Cardinalium, quod excludant gratias illas præventivas, & quòd ad derogandum illis per coadjutorias requiratur expressa derogatio. Cassad. *tit. de pactis, dec. jur. c. 4. de privileg.* Put. Mohed. *loc. cit.* apud Remouch. *loc. cit.* cùm enim illi de jure communi intentionem fundatam habeant conferendi beneficia in omni mense vacantia, per talia indulta nihil de novo iis conceditur, nec propriè augetur illa ipsis à jure communi concessa facultas, & indulta illa non tam sint privilegia, quàm solùm removeant impedimenta illis obstantia per reservationes apostolicas. Gonz. *ad reg. 8. cancell. gl. 24. n. 24. & seq.* Garc. *de benef. p. 5. c. 5. n. 7.* Remouch. *de coadjutor. c. 5. n. 18.* Nicolart. *in concord. Germ. tit. 1. dub. 8. §. 9.* citans pro hoc plures Rotæ dec. Idcirco illi vi illorum indultorum, quæ non minus sunt favorabilia, & clausulis æquè præguantibus munita, quàm ipsa concordata Germ. (quamvis ex eo fortè difficilius illis derogetur, quòd insuper, ut dictum, habeant rationem pacti) beneficia coadjutoriis affecta in prædictis mensibus aliàs reservatis rectè conferunt; cum Papa citra eorundem indultorum specialem & expressam derogationem aut ipsorum indultariorum consensum tales coadjutorias concedere nequeat aut soleat.

2. Resp. Ad secundum negativè, nimirum quò ad indulta concessa collegiis, Universitatibus studiorum generalium, & Prælatis, quibus citra assistentiam juris communis extraordinariè, & ex mera sedis Apostolicæ indulgentia competit facultas nominandi, & providendi de beneficiis vacantibus in mensibus reservatis. Remouch. *cit. c. 5. n. 18.* & ex eo verbo cenus Nicolart. *loc. cit. §. 10.* Indulta enim in hoc casu nixa favore & privilegio speciali, & emanare plerumque solita ob privatam utilitatem certorum beneficiorum verè per obitum in certis mensibus Apostolicis vacantium careant illa juris assistentiâ, conceduntur salvis non solùm præventionibus (ut dictum etiam de concordatis Germaniæ) sed & gratiis præventivis, nempe exspectativis à Papa concessis aut concedendis & aliis beneficiis, quæ fortè per manus appositionem à Papa affici solent; uti Papæ tanquam per manus appositionem affecta manere beneficia, de quibus per gratiam Coadjutoralem disponit, sive super quibus coadjutoriam concedit, sentire videntur Remouch. & Nicolart. citato Garcia. *p. 5. c. 1. n. 174.* qui tamen ibi aliud nihil, quam quod nos *quæst. præced.* ex Puteo, nimirum dubitari de eo, num ex inde nascatur talis affectio impediens collatores ordinarios, & ad illud probandum non valere exemplum de commendis. Quin etsi hæc indulta gratias istiusmodi præventivas excluderent, adhuc, quia integra pleniórque potestas inabdicabiliter remanet penes Papam concedentem, tacita & virtualis derogatio resultans ex contraria Papæ dispositione sufficit. Remouch. & Nicol. *ll. cit.* citantes Gonz. *ad reg. 8. §. 2. proæm. n. 2. & 9.* ubi tamen is nihil aliud, quàm quòd Papa concedendo Episcopis quatuor aut sex illos menses, adhuc possit in illis cum iis concurrere; quia penes Papam concedentem manet eadem & major potestas juxta *c. dudum, de prab. in 6.* & quòd Princeps, ut Bald. *cons. 326. in fine*, dum committit alteri jurisdictionem, videatur eandem sibi reservare, nisi pro bono pacis permittat expresè contrarium; & quòd semper authoritas concedentis maneat illæsa & inseparabilis penes eum resideat potestas. Qualia, & non alia, utpote loquens de solis Episcopis respectu mensium ordinariorum habet Lotter. *l. 2. q. 2. n. 26. & 28.* quem insuper citat Nicol. de cetero obstare non videtur responsioni, quod quibusdam hujusmodi indultis inseratur prærogativa gaudendi concordatis Germaniæ cum decreto irritante, quia prærogativa illa respicere duntaxat potest executionem seu modum conferendi & immittendi taxativè respectu dictorum beneficiorum verè per obitum, non autem fictè seu alio modo vacantium vel reservatorum, aut per collationem, exspectativam, aut aliam manûs appositionem affectorum. Remouch. *loc. cit.* & ex eo Nicol. *loc. cit. §. 11.*

*Quæstio* 315. *Quis ortus & progressus Coadjutoriarum.*

1. REspond. primò: quòd spectat ad Coadjutorias temporales, fuêre eæ primitus non aliunde, quam moribus ob insufficientiam Episcoporum, aliorúmque Prælatorum ex necessitate pro salute populi, & subditorum introductæ; donec dein sic jure statutum à Gregor. IX. ut Episcopis, Archidiaconis & rectoribus quarumcunque Ecclesiarum senio aut morbo impeditis & redditis inhabilibus ad explendum munus suum darentur Coadjutores, assignatâ illis congruâ sustentatione, & ceteris ecclesiæ proventibus relictis, quò ad viverent, dictis rectoribus inhabilibus, ut patet ex *tit. de cler. ægrot. & debilitato.* Remouch. *tract. de Coadjut. c. 3. v. 1.* vide Thomasin. *in vet. & nova Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 59. n. 7.*

2. Resp. secundò. De Coadjutoriarum perpetuarum, sive quæ sunt cum futura successione, origine non ita liquet. Illud tamen certum, fuisse eam antiquissimam. Paris. *de resign. l. 7. q. 20. n. 1.* Lotter. *de re benef. l. 2. q. 25. n. 8.* & non tam jure communi (utpote in quo, ut dictum supra, nullum earum exstat vestigium) quàm moribus & stylo adinventas esse. Remouch. *loc. cit. n. 4.* & ex Cassador. *dec. 2. n. 2. de restit. spoliat.* Gonz. *ad reg. 8. cancell. gl. 5. §. 9. n. 46.* Thomas. *cit. c. 59. n. 9.* in specie de Coadjutoriis illis perpetuis in beneficiis inferioribus ait: *quàm certis præsidiis nitantur Coadjutores, quibus canonica suffragantur causa & rationes, tam nutat vacillatque horum Coadjutorum ratio, quorum succedendi consuetudini nulla favent jura, sed unus Romanæ curiæ usus stylusque, ideo & proscripti sunt à Tridentino Coadjutores hi omnes spe improba succedendi sibi blandientes &c.* Permitti quoque potest, habuisse illas in tantùm affinitatis aliquid à jure veteri, in quantùm legitimè datus coadjutor temporalis, si post decessum Coadjuti inveniebatur dignus, designari solebat per Papam successor. Remouch. *loc. cit. n. 4. & 5.* citans Rebuff. *in pr. benef. de resign. expres. n. 6.* Et id quidem rationabiliter; tametsi enim, ut inquit Lotter. *loc. c. n. 9. & 10.* defuncto Coadjutore possit

possit magis idoneus successor inveniri, id tamen neque ex honestate est, neque utilitate Ecclesiæ; nam quò ad idoneitatem, eo ipso, quòd semel causâ cognitâ electus quis sit huic muneri, in tantùm præsumitur quovis alio melior, ut de ejus idoneitate non possit dubitari, pro quo est textus *c. 1. dist. 94. & gl. in c. miramur. v. pro laboribus. dist. 61.* & Coadjutor perfunctus officio videtur in assecutione istius beneficii cuivis alteri præferendus ob labores semel pro Ecclesia illa impensos.

3. Resp. Tertiò. Stylus ille adsciscendi coadjutores, etiam cum futura successione, respectu Episcopatuum usitatus per prima quinque sæcula, antiquus valde videtur, etsi non semper pariformis. Pro quo Remouch. citat. *l. 2. Histor. Eccl.* auctore Ruffino. *c 3. n. 7.* Sic Macarius Episcopus Hierosolymitanus singulari & sapiente invento, ne sibi subrogaretur Episcopus Arianus, instigavit cives Hierosolymitanos, ut clam à se ordinatum Maximum Episcopum Diospolitanum invaderent, & detinerent Hierosolymis successorem sibi aliquando futurum, interim verò Coadjutorem. Sozomen. *l. 2. c. 15.* apud Thomas. *loc. cit. p. 2. l. 2. c. 55. n.* 12. Similiter, & quidem divino instinctu contigit Episcopum alteri Episcopo adsciscì, primò quidem ut Coadjutorem, futurum dein in ecclesiæ successorem, dum Narcisus Episcopus Hierosolymitanus, Alexandrum Cappadociæ Episcopum venientem Hierosolymam ad visitanda loca sancta ad legit sibi in Coadjutorem, & se defuncto, in successorem cum Episcoporum provinciæ consensu, triplici in hoc casu utentium dispensatione, nempe solvendo Alexandrum à nexu prioris ecclesiæ, dando illum Narcisso in Coadjutorem & viventi in successorem. Euseb. *Hist. Eccl. l. 6. c. 11.* apud Thomas. *loc. cit. n. 10.* Idem fecit S. Athanasius, assumendo Petrum presbyterum in Coadjutorem, & laborum suorum socium, & designando illum, non quidem tunc, sed ex post, adventante nimirum morte successorem suum, cui designationi & voluntati clerus & populus subscripsit, Theodoret. *l. 4. c. 18.* apud Thomas. *loc. cit. n. 3.* & Ruffin. *loc. cit.* apud Remouch. *cit. n. 10.* sic quoque in latina & occidentis Ecclesia Valerius Hipponensis Episcopus ingravescente senecta & infirmitate ab Episcopo Carthaginensi primate suo impetravit licentiam, accedente consensu Episcoporum illius provinciæ, nec non cleri populique Hipponensis, ut Augustinus se superstite crearetur in Episcopum in eum finem, ut non tantùm sibi mortuo succederet, sed & superstiti accederet Coadjutor. Possevin. *in vita S. Augustini c. 8.* apud Thomas. *loc. cit. c. 56. n. 1. & 2.* in quo facto ipse Augustinus illud maximè improbavit, quòd Valerius se adhuc vivente ordinari fecerit Episcopum, atque ita duos simul esse Episcopos unius Ecclesiæ, quod fieri vetuerat concilium Nicænum *can. 8.* quam ingestâ exemplorum copiâ obrutus priùs obmutuerat Augustinus: nequaquam verò, ut ait Thomassin. Augustino futuro sollicito circa canonis illius transgressionem, modò Valerius, designato & electo Coadjutore & successore suo, solâ ejus consecratione abstinuisset. Hunc errorem postmodum correcturus Augustinus, dum Erradium presbyterum suum in concione cleri & populi, eo applaudente, designavit successorem suum, & tantisper, quo ad vixit, Coadjutorem suum hisce expressis, ut constat ex ejus epistola 110, cujus textum recitat Thomas. *cit. c. 56. n. 5. adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo; quod Concilio Nicæno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat. quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo, erit presbyter ut est, quando Deus voluerit futurus Episcopus.* Interim tamen in munia ipsa & functiones episcopalis officii succedere Erradium voluit Augustinus successorem designatum, ut ipse totum se conferret ad Ecclesiæ defensionem, & ad hæreticorum expugnationem, quam illi provinciam demandarant Numidiæ & Carthaginis Concilia, ut ipse Augustinus testatur hisce expressis: *obsecro, ut huic juveni, huic presbytero Erradio, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum &c.* Verùm quod attinet factum illud Valerii Hipponensis Episcopi (de quo textus est in *c. non autem 7. q. 1.*) videtur contineri in eo non tam designatio successoris quàm accessus; eò quòd Augustinus non fuerit successor, sed cõepiscopus Valerii, ut constat ex illis citati textus verbis: *Ita consecratus est, ut non succederet in cathedra Episcopo, sed accederet*; nam incolumi Valerio Hipponensis ecclesiæ cõepiscopus factus est Augustinus. Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n. 81.* contra Lotter. *l. 2. q. 25. n. 8.* & Puteum *decis. 226. n. 17. l. 3.* quos errore lapsos ait Fagn. *loc. cit. n. 44.* & *cit. n 81.* ait, exemplum hoc potuisse omitti; quia impertinens est ad stabiliendam Coadjutoriam cum futura successione. Quò etiam facit, quòd qui cum alio simul & pari jure eandémque sedem ex æquo occupat, non possit, dum postmodum collegâ defuncto, solus regit, dici collegæ successor. Sed quidquid sit de hoc, eadem saltem instantia obmoveri non potest contra factum ipsius Augustini simul in Coadjutorem & verum successorem designantis Erradium. Sed neque obstat Nicæno Concilio vetanti duos in una urbe, seu potiùs unius urbis esse Episcopos, quò minùs is qui jam est episcopali charactere insignitus, vel etiam propriam ecclesiam reipsa, & non merè titulariter regendam habet, designetur Coadjutor alterius Episcopi, modò hoc vivente pari ac æquè principali jure unà cum Coadjuto Episcopo non regat eandem Ecclesiam. De cetero qualiter practicatum primis illis sæculis, ut quandoque unius civitatis duo essent Episcopi, vide apud Thomas. *loc. cit. c. 55. & 56.* ubi etiam, uti & in sequentibus, qualiter Episcopi morti vicini soliti sint suos denominare successores, non obstante synodo Antiochenâ *can. 23.* vetante, ne Episcopi etiam morti vicini sibi successores constituant; quem canonem vel in totum ignoravit Augustinus, aut existimavit, eo vetari solùm successoris designationem ejusmodi, cui non suffragaretur cleri plebisque consensus; unde necà Carthaginensi, nec ab alio Primate ullo copiam ac dispensationem adsciscendi successoris expetiisse legitur Augustinus. Thomas. *cit. c 56. n. 6.* Atque ex his vides, hucusque necdum in designatione Coadjutorum cum futura successione experitam & exspectatam Romani Pontificis licentiam, sed ad summùm Primatis vel Metropolitani cum consensu cleri & plebis.

4. Resp. quartò. Ab anno Christi 500. ad 800. quoque exstare videntur hujus rei exempla, interveniente in ea Coadjutorum perpetuorum designatione summi Pontificis authoritate: sic anno 741. Bonifacius ille sanctitate & apostolatu Germaniæ notissimus Archiepiscopus Moguntinus à Zacharia Papa impetravit licentiam assumendi sibi Coadjutorem cum futura successione, prout de

de hoc est textus in *c. petitisti 7. q. 1.* de quo textu inquit Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n. 78.* loqui illum de Episcopo, cui ex permissione canonum dispensativè dari potest Coadjutor cum futura successione. Quamvis addat *n. 79.* patere ex hoc textu, Papam non concessisse Episcopo designationem Coadjutoris cum futura successione, nisi cum duabus conditionibus, quarum una fuit, ut Episcopus eum probaret in ministerio Coadjutoriæ; altera, ut postquam probaverit, & aptum esse repererit, ad officium pastorale in ultima hora, quâ se cognoverit ex hoc sæculo migraturum, sibi successorem designet: adeóque talis coadjutoria valde diversa fuerit à modernis Coadjutoriis, utpote quæ dantur ante ullum experimentum citra periculum mortis Coadjuti, & uno contextu cum futura successione. Adde, quòd si textus idem accuratè consideretur, Papa solùm concesserit Archiepiscopo Moguntino assumere sibi coadjutorem, qui post obitum ejus accederet ad apostolicam sedem, ab ea ordinandus, hoc est, providendus de Episcopatu illo; *ordinare* enim hìc idem significat, quod *conferre*, vel certè idem quod *confirmare*, ut pluribus probat Fagn. *n. 80.* Exempla cetera præterio, utpote quæ non tam Coadjutoriam quàm puram designationem successoris superstitibus Episcopis factam continent, quæ conglobata vide apud Thomas. *loc. cit. c. 57.*

5. Resp. quintò. Accedendo nunc ad tempora Caroli magni & stirpis ipsius, continuata fuerunt similium Coadjutoriarum cum futura successione in Archiepiscopatibus exempla. Sic S. Rembertus Bremensis Archiepiscopus, cùm jam non esset ampliùs ferendo oneri par, petiit à regibus Ludovico ejusque filiis Ludovico & Carolo cum approbatione Concilii, ut (nondum tamen interpellata sedis Apostolicæ authoritate) permitteretur Adelgarium Corbejensis in Saxonia cœnobii monachum sibi jam nunc coadjutorem accersere, habiturus dein successorem. Thomas. *loc. cit. n. 58.* ex Surio *in vita S. Remberti, ad 4. Februar.* Sic S. Udalricus Augustanus Episcopus impetravit ab Imperatore, ut Adalberoni nepoti suo administratio temporalis Episcopatûs permitteretur, desponsâ etiam in Episcopatum ipsum successione, cui tamen impetrationi vehementer dein restitum in Concilio Ingelheimensi ab Archiepiscopis & Episcopis, de quo vide Thomas. *cit. c. 58. n. 8.* & Surium *ad 14. Julii.* similia attentata ab aliis Episcopis vide apud Thomas. Atque ita necdum recurrebatur Romam, nec ad cessionem Episcopi, nec ad resignationem in favorem, nec ad Coadjutorem & successorem sibi asciscendum, sed tota ea potestas residebat penes Imperatorem & concilium provinciale. Thomas. *cit. n. 8.*

6. Resp. sextò. Post annum Christi 1000. res hæc se aliquantò aliter habuit, dum pro impetrando Coadjutore cum futura successione cæpit recurri quoque ad Papam, non tamen declinato regum consensu & cleri suffragio; ut patet ex eo, quòd dum Sancius Aragonum in Hispania Episcopus à Gregorio VII. peteret licentiam sibi asciscendi successorem, præsentaritque hunc in finem duos clericos, quorum alteri ipse & Rex averent Episcopatum illum conferri, Papa rejectis illis clericis, utpote concubinâ natis, monuit Episcopum, ut sibi pium aliquem adjungeret clericum, curas suas & functiones in eum refunderet, probatumque per annum & repertum idoneum Romam mitteret, cleri totius testimonio instructum, unà cum charta regia, quâ regis assensus declaretur; tunc enim talem non passurum repulsam. Thomas. *loc cit. c. 59. n. 1.*

7. Resp. septimò. Posterioribus verò sæculis ante Tridentinum coadjutoriæ illæ quoque perpetuæ in beneficiis inferioribus à summis Pontificibus gratiosè & specialiter concedi solebant. Garc. *de benef. p. 4. c. 5. n. 22.* Et quidem facilè, ut Barbosa *juris eccl. l. 3. c. 10. n. 32.* juxta formulam, quam ponit Mandos. *ad reg. cancell. 11. q. 6.* Nascentibus tamen postea ex inde variis abusibus regimini ecclesiastico valde noxiis, penitus eas abrogavit Tridentin. *sess. 25. c. 7.* Remouch. *c. 3. n. 15.* Garc. *l. c. n. 23.* ac ita quoque edicto regio à Ludovico XIII. Galliæ Rege anno 1629. Coadjutoriæ hæ ad Canonicatus & parochiales ecclesias proscriptæ sunt teste Thomas. *l. c. c. 59. n. 10.* ac ita observatum est tempore Pii V. & Gregor. XIII. usque ad tempora Sixti V. à quo non obstante Concilio, tales Coadjutoriæ concessæ denuo, & tempore Clementis VIII. concedebantur in dignitatibus, canonicatibus & portionibus cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, & aliquæ, licèt paucæ, in parochialibus absque derogatione dicti Concilii. Garc. *loc. cit. n. 24.* Barbos. *loc. cit. n. 33.* Et sic hodie ait de suo tempore Gonz. *ad reg. 8. gl 5. §. 9. n. 47. & seq.* passim Conceduntur à sede Apostol. tales Coadjutoriæ perpetuæ, modò ad id porrigantur literæ commendatitiæ Episcoporum, etiam per modum Epistolæ missæ attestantes, similem concessionem Coadjutoriæ Ecclesiæ utilem esse. et si petatur Coadjutoria ad aliquam præbendam in Cathedrali vel Collegiata, tunc quidem servatur, quod sufficiant literæ missivæ, seu epistola solius Capituli, vel majoris partis illius, quamvis Episcopus non scribat; & statim, si persona prætendens Coadjutoriam est aliàs idonea ad tale beneficium, ad illius & proprietarii instantiam conceduntur similes gratiæ, quòad rectorias autem seu beneficia curata rarò conceduntur, sed aliquando transeunt &c.

*Quæstio 316. Coadjutoria an sit beneficium ecclesiasticum?*

REspondeo Coadjutoria neque temporalis, neque cum futura successione est verè ac propriè beneficium. Barbos. *loc. cit. n. 50.* Gonz. *loc. cit. n. 40. & 64.* Azor. *institut. mor. p. 2. l. 3. c. 2. q. 4.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. §. unico. n. 36.* Castropal. *tract. 3. d. 1. p. 9. n. 1.* ubi: Coadjutoria alia est cum jure succedendi in beneficio, alia sine tali jure; quocunque modo concedatur Coadjutoria, non est beneficium, Remouch. *c. 8. n. 19.* Tondut *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 3. n. 3.* ubi: nec temporalis Coadjutoria, nec perpetua propriè appellatione beneficii venit. Per neutrum enim harum Coadjutoriarum confertur jus in re, sed solùm per illam, quæ est cum futura successione, confertur jus ad rem. Barbos. *l. c.* Tondut. *l. c. n. 4.* Castrop. *l. c.* Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n. 54.* nam per Coadjutoriam temporalem conceditur solùm functio & regimen beneficii non quidem jure, habitu aut potestate, sed solo facto. Castropal. *l. cit.* adeoque accedit propiùs ad naturam vicariæ temporalis, quæ beneficium dici nequit, utpote cujus natura est, ut sit perpetuum, hoc est, aptum durare toto tempore vitæ possessoris, & sic, si non actu, saltem habitu, perpetua: Coadjutoria verò hæc non potest dici perpetua, quæ non Coadjutoris, sed Coadjuti morte terminatur: Tondut. *loc. cit.* Sic quoque Coadjutor cum futura successione jus nullum habet in beneficio, nec respectu

ctu tituli, nec respectu possessionis; quamvis jus habeat quoddam noviter creatum circa facultatem coadjuvandi. Fagn. *loc.cit.& n.66.* Et si per Coadjutoriam cum futura successione titulus & jus in beneficio Coadjuti daretur, duo forent ejusdem beneficii possessores & intitulati. Coadjutus enim beneficio suo non privatur, sed verum ejus nomen & jus penes eum remanet, etsi sit impotens illud administrare. Tondut. *cit n.4.& 5.* non obstante *c. tuanos. de cler. ægrot.* ubi: *ab administratione debet removeri.* Quia intelligitur de administratione, non quò ad potestatem, sed quò ad exercitium, à quo Rector leprosus ob scandalum & horrorem est arcendus, & Coadjutor subrogandus. Castrop. *loc.cit.* Garc. *p.4.c.5.n.5.& 6.* citans gl. *ibid. v. administratio nis.* Abb. *ibidem n.4.* Suarez. *tom 5 de censur. d 51. s.2.* Navar. *cons.1. de cler. ægrot. &c.* Uti idipsum, nempe Coadjutoriam non esse beneficium ex eo patet, quòd per obitum vel cessionem Coadjutoris non vacet beneficium, sed solùm per cessum velde cessum Coadjuti, unde & in literis Coadjutoriæ dici solet, quòd, cùm primùm tale beneficium per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem Coadjuti, vel alio quovis modo, vacare contigerit, & sic eodem Coadjutoriæ officio cessante, conferatur & assignetur eidem N. & in corporalem possessionem illius & annexorum jurium & pertinentiarum authoritate apostolica inducatur & defendatur; & sic per obitum Coadjutoris non vacat beneficium, sed cessset coadjutoria. Gonz. *loc.cit n.65 & seq.* citans Put. *decis. 226.n.3. l.3.* ubi etiam *n.11.& 12.* dicatur, quòd in Coadjutoria dari non potest continuatio primævi juris & tituli, nec fictio non vacationis. Proinde jam Papa concedendo Coadjutoriam non providet absolutè de beneficio, illud absolutè conferendo, sed ad effectum providendi necessitati ecclesiæ. Barbos. *loc.cit. n.51.* citans Bursat. *decis. 78.* tametsi Coadjutorias tales cum futura successione provisiones palliatas vocet Mandos. *in reg. de impetrat. benef. vac per obit. familiar. Cardin. q.30.n.3.* apud Gonz. *loc.cit. n.47.* differt tamen ab aliis provisionibus canonicis, seu veris ac puris collationibus, quòd per has acceptatas acquiratur provisio jus in re, etiam ante possessionem. Remouch. *cit c.8. n.22.* Quamvis Coadjutoria uberior & efficacior sit electione & præsentatione acceptatis in eo, quòd licèt & hæ conferant solum jus ad rem, non tamen ejusmodi jus producat effectum regularum Cancellariæ, uti fit in Coadjutoria. Remouch. *loc. cit.n.23.* Sic quoque Coadjutor talis fictus dicitur beneficiatus. Fagn. *loc. cit.n.54.* citans Rot. *in Salmant. Coadjutoria 25. Junii 1593. coram Penix,* & Coadjutor Canonici Canonicus fictus. Tondut. *loc.cit. n.6.* Ventrigl. *loc.cit.n.37.* Card. de Luca. *de Canonicis. d.6.n.10.* Gonz. *loc.cit.n.107.* ubi: Coadjutor vocatur Canonicus fictus, & ideo Canonicis veris præferri non debet; cùm semper verum ficto præferri debeat. Barbos. *loc. cit.n.52.* citans Monet. *de option. q.8.n.148.* Ludovic. *à Saravia. de jurisdict. adjunctor. q.29.n.33.* Item Barbos *de Canon. & dignitat. c.29.n.31.* citans Garc. *p.4 c.5 in addit post n.130. dub. 28.* & licet sedeat post omnes Canonicos, id tamen non est ex eo, quòd sit Canonicus junior, sed quia non est verè Canonicus Barbos. *ibid. n.33.* Videri quoque beneficium secundùm quid, quatenus producit titulum præventivum seu habitualem & initialem, ut Put. *decis.478. l.2.* adeóque jus fictum in re operaturum plenos effectus demum per cessum vel decessum Prælati, ait Remouch. *c.12. n.4.*

*Quæstio 317. Coadjutoria cum futura successione in dignitate num sit dignitas vel Prælatura.*

1. Respond. primò, non esse verè dignitatem. Barbos. *de can. & dignit. loc.cit.29.n.31.* (ubi etiam ex Garsia subdit, propterea commissionem factam dignitati non transire in ejus coadjutorem, non solùm, quando fuit expressum nomen proprium, sed etiam quando non fuit expressum) Ventrig. *tom.2. annot.13. §. unico. n.35.* ubi etiam, quòd Coadjutor non possit eligi in Judicem synodalem aut etiam Apostolicum; quia non dicatur verè habens dignitatem.

2. Respond. secundò: Coadjutorem aliquem cum futura successione in Episcopatu non posse dici Prælatum illius Ecclesiæ; quia Coadjutoria non dicitur beneficium sed officium, toto jure remanente penes Coadjutum: & licèt Coadjutor per acceptationem Coadjutoriæ acquirat jus in re, nempe in ipso officio Coadjutoris, non operatur tamen jus tale, ut Ecclesia dicatur spectare ad Coadjutorem. Tondut. *qq. benef. p.3.c.194.n.3.* Quemadmodum itaque Coadjutor Canonici dicitur Canonicus fictus respectu illius Canoni Coadjuti, ita Coadjutor Prælati alicujus ecclesiæ dicetur Prælatus fictus talis ecclesiæ: quod voluisse videtur Remouch. dum *loc.cit.n.20.* inquit: vocant nonnulli Coadjutorem administrantem Prælatum fictum, quasi habeat titulum pariter fictum.

3. De cetero num Coadjutor Prælati v.g. Episcopi, dici possit simpliciter Prælatus verus ex hoc ipso officio Coadjutoriæ, in quo jus habet, meritò dubitatur. Pro negativa facit, quòd sicut, qui nomine & loco beneficiati administrat beneficium, exinde non est aut dicitur beneficiatus; ita, neq; qui munia prælaturæ incumbentia exercet, seu Prælaturam alieno nomine, nempe ipsius veri Prælati exercet, exinde non videatur dicendus Prælatus. Pro affirmativa tamen stare videntur Remouch. *c.12 n.32.* ubi Coadjutor cum futura successione licèt tantùm respectu Coadjutoriæ admissus dicitur Prælatus. Gonz. *cit gl.5.§.9.n.2.* ubi ait: Coadjutor est Prælatus, & uti talis habet curam animarum. & *n.3.* uti talis Prælatus habet plenam & liberam administrationem, pro quo citat multos textus. Parisius quoque *de resign. benef. l.7. q.20. n.17.* ait: *Coadjutor ita* (hoc est, pro cura animarum) *satis dicitur Prælatus.* Pro quo citat Archid. *in c. quamvis. 7. q.1. n.6.* gl. *in c.2.7. q.1.* Innoc. *in c. de rectorib. de cler. ægrot.* Verumtamen loquitur de Coadjutore creato Episcopo in partibus infidelium cum onere coadjuvandi Episcopum alium non merè titularem, ut patet, dum mox subjicit: & omnibus notus est stylus vulgaris Curiæ. Nam quando datur Coadjutor alicui Episcopo, ille Coadjutor fit Episcopus in partibus infidelium, id est, nullarenentium, cum onere, ut coadjuvet. N. de quali Coadjutore etsi dubitari non possit, quin sit Prælatus ratione characteris sui episcopalis, dubitari tamen adhuc potest, num quà præcisè Coadjutor Episcopi sit verus Prælatus.

*Quæstio 318. Coadjutoria num sit resignatio, & subjiciatur publicationi.*

1. Respondeo ad primum, quamvis Coadjutoria cum futura successione imaginem referat resignationis. Remouch. *c.8. n.26.* Sitque in aliquibus similis illi. Tondut. *qq. benef. p.2. c.1. § 13. n.21.* citans Cavalcr. *decis. 116. n.4.* videatúrque habere

habere naturam illius Garc. *de benef. p. 11. c. 3. n.* 275. vel etiam vim habeat resignationis, quatenus conceditur cum consensu Coadjuti, qui consensus, ut gl. *in c. beneficium. de regular. in 6.* vim resignationis habet Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 9.* & sic in Coadjutoria locum habeat regula de consensu. Gonz. *loc. cit. n.* 10. citans Put. *decis.* 108. *n.* 1. *l.* 2. Hæc ipsa tamen qualiter intelligenda, explicat Gonz. *n.* 69. & *seq.* Non tamen etiam talis Coadjutoria cum consensu Coadjuti est resignatio. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 25. *n.* 23. Garc. *loc. cit.* nec propriè dici potest resignatio. Gonz. *loc. cit. n.* 69. Sed multùm à resignatione differt, & aliud longè est resignatio, aliud deputatio Coadjutoris cum futura successione. Nam per resignationem effectum sortitam titulus abdicatur à resignante, per Coadjutoriam verò talem non solùm titulus, verùm etiam possessio non abdicatur, sed utrumque remanet penes Coadjutum, unde moriente Coadjuto beneficium vacat per obitum illius. Tondut. *loc. cit. n.* 18. & 19. citans Caval. *ubi ante. n.* 5. Unde jam licèt requiratur consensus Coadjuti (in quantum is est capax consentire) ille tamen consensus non habet vim resignationis, sed solùm operatur, seu servit ad tollendum odium, sive quò minùs odiosa sit Coadjutoria respectu Coadjuti. Remouch. *c.* 5. *n.* 30.

2. Respondeo ad secundum. Resignatio non subjacet publicationi, seu regulæ de publicandis. Tondut. *loc. cit. n.* 20. ubi: *timiditatis arguendi sunt illi, qui publicari faciunt Coadjutorias ad instar resignationum.* Quia regula *de publicandis.* locum non habet nisi in beneficiis vacantibus per resignationem, ut patet ex Bulla Gregor. XIII. desuper edita, & *n.* 22. ubi pro hoc citat Barbos. ad Trident. *sess. 23. c. 7. n. 9.* Garc. *loc. cit.* ubi, quòd constitutio illa Gregorii non procedat in Coadjutoriis cum futura successione, etiamsi sint cum consensu Coadjuti; cùm, ut dictum, non habeant naturam resignationum, adeóque iis verba dictæ Constitutionis adaptari nequeant; cùm in Coadjutoriis capi non possit possessio intra sex vel novem menses à tempore datæ, & ita, ut inquit *ibid.* Garc. sine dubio tenendum, quamvis aliqui de hoc dubitaverint, & aliquæ Coadjutoriæ sint publicatæ. Gonz. *loc. cit. n.* 72. ubi, quòd constitutio dicta locum non habet in Coadjutoriis; cùm non sint resignationes aut jurium cessiones. Et *n.* 69. ostendit, his non obstantibus, quæ dixerat *n.* 9. nempe quòd vim resignationis habeant istæ Coadjutoriæ; nam ut ait id minùs est propriè, nimirum ad effectum, ut requiratur consensus Coadjuti, & quòd præstatio consensûs habeat vim renunciationis, id solùm procedere ait *n.* 70. & 71. quando consensus est, ut provideatur alteri statim, simpliciter, perfectè, irrevocabiliter de beneficio suo; hic autem, qui consentit futuræ successioni, consentit solùm, ut post mortem suam, & non se vivente, beneficium suum obveniat alteri, ac proinde non possit inducere resignationem. Idem, nempè quòd non subjaceant regulæ cancellariæ & constitutioni Gregorii XIII. de publicanda renunciat, tenent Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 13. §. *unico. n.* 57. Remouch. *cit. c.* 8. *n.* 26. & *c.* 12. *n.* 5. ubi, quòd nullum nascatur præjudicium in non publicando & intimando illis gratiam Coadjutoriæ, ad quos admissio seu traditio possessionis pertinet, possit se tamen præsentare Coadjutor ad capiendam possessionem Coadjutoriæ, seu ad illius obtinendam executionem. Quinimo soleant istiusmodi gratiæ quantocius intimari, ne contingente vacatione, prætextâ causâ ignorantiæ quicquam sinistri obveniat.

*Quæstio* 319. *Num Coadjutoriæ cum futura successione subjaceant regulæ 8. Cancellariæ?*

Respond. negativè. Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n.* 38. & 39. ubi licèt id asserat expressè de Coadjutoriis temporalibus; idem tamen etiam sustinere debebit ob rationem, quam adducit, utpote quæ pari omnino modo militat pro Coadjutoriis perpetuis. Ait enim, id ideo esse, quia Coadjutoriæ istæ temporales non sunt beneficium, adeóque non vacent nec vacare possint in aliquo ex mensibus dictæ regulæ, sed cessant & extinguuntur, cessante vita Coadjuti.

*Quæstio* 320, *Coadiutoriæ cum futura successione num præbeant titulum ordinationis?*

Respond. negativè. Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 5. *n.* 131. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. §. *unico. n.* 37. Barbos. *de canon. & dignit. c.* 29. *n.* 39. citans Monet. *de opt. c.* 4. *q.* 8. *n.* 169. *&c.* Nemò enim ad titulum de futuro, & in spe, etiam certa ad beneficium, quod exspectat, ordinari potest, cùm Concilium Tridentinum requirat titulum de præsente. Garc. *loc. cit. n.* 130. Secus tamen est seu ordinari poterit, si fortè ratione Coadjutoriæ talis haberet congruam; tunc enim ad titulum illius ordinari posset, non tanquam ad titulum beneficii, sed illius juris percipiendi congruam assignatam tanquam ad titulum pensionis. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 25. *n.* 16. Barbos. Ventrigl. *ll. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 132. citans Navar. *de oratione c.* 20. *n.* 10. & plures alios. Et sub hac quoque conditione habitæ congruæ intelligendus videtur Gonz. *loc. cit. n.* 8. dum indifferenter & simpliciter ait, aliquem titulo Coadjutoriæ perpetuæ ordinari posse, stante etiam Tridentino. *sess. 21. c.* 2.

*Quæstio* 321. *An Coadjutoria inducat incompatibilitatem cum beneficio tam habito quàm habendo à Coadjutore?*

Resp. Coadjutoria cum futura successione, dum actualem deserviturum habet, inducit incompatibilitatem ad effectum retentionis; non quidem quia beneficium est, sed quia officium est habens actualem administrationem incompatibilem cum residentia quam requirit beneficium; beneficia enim illa (idem est de officiis, sive dum unum est officium & alterum est beneficium) simul retineri non possunt, quorum obligationibus simul satisfieri nequit. Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 123. Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 30. Remouch. *c.* 12. *n.* 37. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.* 33. contra Gonz. Mendez Lusitan. *l.* 4. *diversor. juris argum. c.* 1. *n.* 8. & *per totum*, quem sequuntur Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. § 9. *n.* 64. & 65. Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 1. *n.* 22. hac nixos ratione, quòd Coadjutor talis non teneatur residere præcisè; cùm beneficium non habeat; sed solùm causativè, id est, si non resideat, non lucretur fructus, & ob illos amissos tenetur satisfacere Coadjuto. Hinc jam obtentâ Coadjutoriâ tali, & si non vacet ipso jure beneficium præhabitum habens incompatibilitatem cum servitio Coadjutoriæ, dimittendum tamen est, & retineri non potest sine dispensatione. AA. iidem. Nisi fortè, ut Tondut. & Garc. in literis Coadjutoriæ caveatur, quòd non teneatur dimittere prius obtentum, nisi eveniente successione, & sic jam prævie cum tali dispensa-

spensatum sit. Similiter, si post obtentam Coadjutoriam Coadjutor assequatur beneficium tale cum ea incompatibile, exspirat Coadjutoria, & non potest vi illius in beneficio Coadjuti succedere. Garcias, Tondutus, Castropalao *ll. cit.* Unde jam etiam in Bulla Coadjutoriali debent sub pœna nullitatis exprimi alia beneficia, quæ Coadjutor habet, & viciſſim in aliis proviſionibus aliorum beneficiorum exprimenda est Coadjutoria. Remouch. *loc. cit. n.* 36. citans Barbos. *ad Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 7. *n.* 41. de quo infra pluribus. Ad rationem verò illam in contrarium adductam ex Gonz. dicit Garc. *loc. c. n.* 57. illam deſerviturum & reſidentiam Coadjutoris esse præciſam, & illum ad eam compelli posse; quia ipse se obligavit & conſensit tali obligationi. Sed de onere reſidendi & deſerviendi Coadjutoris infra. Quæ contra hæc obmoveri poſſent ex non vacatione beneficii propter aſſecutionem alterius incompatibilis, quamdiu iſtius primi adepti non est realis & fructuoſa poſſeſſio; hæc nquam, vide ſoluta inferius, ubi de exſpiratione Coadjutoriæ.

*Quæſtio* 322. *An Coadjutoria pariat privilegium fori?*

REſpond. Coadjutor carens omni beneficio, & ſolùm etiam primam tonſuram habens, gaudet privilegio fori, modò habitum & tonſuram clericalem deferat, & inſerviat eccleſiæ (uti hæc requirit Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 6. ad hoc, ut clerici in minoribus ſolùm conſtituti, nullum beneficium Eccleſiaſticum habentes fruantur privilegio fori. Cardin. de Luca *ad Trident d.* 24. *n.* 11.) Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 97. & 98. Barboſ. *de can. & dignit. c.* 29. *n.* 42. citans plures alios, Caſtrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 21. Remouch. *cit. c.* 12. *n.* 33. Cardin. de Luca *loc. cit. n.* 15. Coadjutoria enim ad hunc effectum æquipollet beneficio. Carol. de Luca. *ad Ventrigl. annot.* 13. *tom.* 2. *n.* 8. & Coadjutor receptus ad adminiſtrationem dicitur filius Eccleſiæ titulatus. Remouch. *cit. c.* 12. *n.* 37. Secus tamen est & non gaudebit privilegio fori, ſi non inſerviat Eccleſiæ; quia Coadjutoria non est beneficium eccleſiaſticum. Garc. *loc. cit.*

*Quæſtio* 323. *Coadjutoria num pariat affectionem: ſive an, ſi præmoriatur Coadiutor: beneficium remaneat affectum Papæ, quò minùs ab Ordinario aliàs illius collatore provideri nequeat, Coadiuto moriente in menſe Ordinarii.*

REſpondet negativè Lotter. *l.* 2. *q.* 25. *n.* 31. (etſi *n.* 33. dicat, per conceſſionem Coadjutoriæ intrare reſervationem ſeu affectionem ad favorem Coadjutoris) Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 3. *n.* 55. citantes pro hoc Garciam *p.* 5. *c.* 1. *n.* 174. ubi tamen is potiùs inclinat in contrarium cum Puteo, quem citat *deciſ.* 216. *n.* 14. *l.* 3. & expreſsè addit: *idem videtur* (nempe quòd ex datione Coadjutoriæ naſcatur affectio) *quando Coadjutoria eſſet ſubreptitia ſeu invalida, & ſic non haberet locum futura ſucceſſio, quæ eſt acceſſoria ad Coadjutoriam.* pro quo etiam citat Mandoſ. *de ſignat. grat. tit. de Coadjut. verſ. Coadjutoria habebat.* & Put. *deciſ.* 98. *l.* 2. contra Carol. de Luca *ad Ventrigl. loc. cit. n.* 5. Tondutum *qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 7. ubi expreſsè: *per deputationem Coadjutoris cum futura ſucceſſione affectio beneficii inducitur, quamvis Coadjutus decederet, antequam Coadjutor literas intimaſſet, vel Coadjutoris officium exercere capiſſet; tunc enim ex tali manus appoſitione beneficium ita cenſetur affectum, ut illud nullus inferior conferre poſſit.* citat pro hoc Rotam. *deciſ.* 570. *n.* 2 *p.* 1. *recent.* & in ea plures pro hac ſententia allegari ait, vide à nobis dicta ſupra. *quæſt.* 313.

*Quæſtio* 324 *Quale jus Coadjutoria conferat Coadjutori?*

REſpond. præter plura ſparſa de hoc in antecedentibus, Coadjutori vivente Coadjuto per Coadjutoriam jus nullum quæritur in beneficio, reſpectu cujus est Coadjutor, neque reſpectu tituli, ſed tantùm jus quoddam noviter creatum circa facultatem coadjuvandi, & ipſum ſimplex officium penitus à beneficio diſtinctum, nec quidpiam aliud aut obtinere aut poſſidere ex propria perſona cenſeatur. Lotterius *l.* 2. *q.* 25. *n.* 30. ſic quoque ait Tondutus. *p.* 3. *c.* 194. *n.* 3. ait: Coadjutor in vita Coadjuti non habet in Epiſcopatu jus in re, ſed ſolùm jus ad rem, quod jus ad rem licèt ſit conſiderabile quòad diſpoſitiones facientes mentionem de jure quæſito non tollendo, ut Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 79. non tamen est tale jus, quòd operetur, ut beneficium dicatur ſpectare ad Coadjutorem. & *n.* 3. ſubdit: Coadjutor quidem habet jus in officio Coadjutoris, ſed non in beneficio. Fagn. *in c. ex parte. de cler. agrot. n.* 16. ubi: per hujuſmodi gratiam præventivam acquiritur Coadjutori in beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum, adeo, ut non requiratur pro Coadjutore nova collatio, ſed abſque aliquo miniſterio gratia Coadjutoriæ ex primo jure ſibi conceſſo effectum ſortiatur; cùm Papa in iſtis Coadjutoriis ex nunc pro ut ex tunc faciat collationem juxta deciſionem Rotæ *in Tiraſon. Coadjutoriæ 8. Novemb.* 1599. *coram Penia*, quam verbotenus recitat Garcias *p.* 4. *c.* 5. *n.* 138. Plus aliquid velle dicere videtur Remouch. etſi quò ad rem ipſam plus non dicat, *c.* 12. *à n.* 2. ubi ait: quidni etiam Coadjutoria talis conferat jus in re, ſi effectus conſideretur. Cùm enim ratio, cur præſentatio, electio, &c. dent jus duntaxat ad rem, in eo conſiſtit, quòd procedant à perſonis inhabilibus vel non conſtitutis in dignitate, ſeu quibus non competit facultas conferendæ canonicæ inſtitutionis; uti &, quòd poſt ejuſmodi actum deſideretur alius actus, nempe inſtitutio, confirmatio: gratia autem Coadjutoralis procedat à Papa, penes quem ſtat plenitudo juris can. nec ſit opus ulla alia proviſione poſt obitum Coadjuti, videtur acquiri Coadjutori jus in re. Ac denique *n.* 4. addit: quidquid ſit, licèt non producat jus in re verum ſeu propriè, propter particulas: *ex nunc pro ut ex tunc*; certum tamen est producere titulum præventivum ſeu habitualem & initialem, proindèque jus in re fictum operaturum plenos effectus demum per ceſſum vel deceſſum Prælati, & ſic videatur beneficium eccleſiaſticum ſecundùm quid.

*Quæſtio* 325. *Effectus alii Coadjutoriæ quinam ſint?*

REſpond. Cæterorum effectuum, quos parit Coadjutoria, nomine venire poſſunt, Coadjutoris obligatio, poteſtas, juriſdictio, præeminentia, jura aliáve emolumenta, de quorum ſingulis ſub ſpecialibus titulis in ſequentibus.

C A-

# CAPUT SECUNDUM.

## De Causa materiali & efficiente Coadjutoriæ, sive in quibus beneficiis, & à quibus concedatur.

*Quæst.* 326. *Quænam beneficia sint capacia Coadjutoriæ temporalis?*

1. RESpond. primò: Beneficia omnia & quæcunque majora, duplicia cujuscunque generis & nominis, curam aliquam, jurisdictionem vel administrationem habentia, & per consequens etiam officia ecclesiastica. Remouch. *de Coadjutor. c. 6. n. 1.* Sic itaque Prælatis, Rectoribus utriusque sexûs præeminentiâ vel dignitate quavis, etiam sæculari fulgentibus, modò jurisdictionem aliquam vel administrationem habuerint, dari tales Coadjutores, dum ob senium, morbum aliúdve impedimentum non sunt amplius pares; & in speciatis curatis, aut ad officium aliquod in ecclesia obligatis. Remouch. *c. 7. n. 1. & 2.* Sic in specie Coadjutor dari potest Archidiacono. *c. consultationibus. de Cler. agrot.* & *ibi* Fagn. *n. 2.* Episcopo & Prælatis superioribus. *c. ex parte. tit. eod.* Fagn. *loc. cit.* Rectoribus parochialium. *c. de Rectoribus. tit. eod.* Fagn. *loc. cit.* Habentibus personatum vel quodcunque beneficium certi ministerii & officii. Fagn. *loc. cit. n. 3.* citans Hostiens. *in c. consultationibus. n. 1.* Abbat. Fagn. *n. 4.* Archid. *in c. fin. n. 2. de suppl. negl. Prælator. in 6.* & alii apud Fagn. Generali perpetuo Religionis. Fagn. *n. 5.* ex Anchor. *cons. 118. n. 7.* Tusch. *Lit. C. concl. 402. n. 5.* ubi, quòd tali, si sit decrepitus & inutilis, debet dari Coadjutor; non autem debet amoveri in totum, vel ptivari.

2. Resp. secundò: Secus est de beneficiis simplicibus, etiam Canonicatibus. Remouch. *loc. cit. n. 2. & c. 14. n. 6.* ubi, quòd beneficia simplicia, nempe Canonicatus, nequeant esse subjectum materiale Coadjutoriæ simplicis seu temporalis, idque, ut addit in parenthesi, impossibilitate juris & facti. Dantur enim Coadjutoriæ temporales in favorem Ecclesiæ & Coadjuti; dum autem illis beneficiis nulla administratio, nullúmque regulariter onus annexum, quàm legendi horas, vel ad summùm exercitium Ordinis; & Ecclesia in utroque, dum ob infirmitatem suam ad id inhabiles sunt, gratiosè dispensat, relictis iis integris fructibus, quorum aliàs partem in Coadjutorem illum temporalem erogare debuissent. Hinc, inquam, cessat ille beneficiati infirmi favor, uti & Ecclesiæ eo ultro cedentis. Remouch. *num. 2. & 3.* Et si fortè talibus beneficiis incumbat onus dicendi sacra aliquot, debeántque fortè curare ea legi per altos dato stipendio, non exinde ad supplendum hoc onus legendi sacra illa dicentur eorum Coadjutores. Satis id ipsum quoque patet ex eò, quòd SS. Canones, dum agunt de constituendis Coadjutoribus temporalibus horum beneficiorum, nullam faciendo mentionem meminerint solùm eorum, quibus incumbit cura animarum, administratio, dignitas, vel officium aliquod, quorum exercitium impediretur per infirmitatem Coadjuti in grave Ecclesiæ & subditorum detrimentum, uti videre est ex *can. 17. q. 1. & seq.* ubi de Coadjutore dando Episcopis & Rectoribus parochialium morbo gravi & incurabili impeditis, & ex *tit. de Cler. agrot.* ubi in posterioribus capitibus mandatum dari Coadjutores Episcopis & Rectoribus parochialium; in prioribus verò, ubi agebatur de simplicibus presbyteris factis inidoneis & infirmis silet Pontifex de Coadjutoribus illis dandis, permittítque illis integram fructuum perceptionem, vetitâ simpliciter Missæ celebratione ob debilitatem vel scandalum. Remouch. *loc. cit. à n. 4.*

*Quæstio* 327. *Quænam beneficia sint capacia Coadjutoriæ perpetuæ?*

1. RESp. primò: Coadjutoriæ perpetuæ non cadunt in beneficia simplicia, quæ nullam administrationem habent, utpote quæ unica est harum quoque Coadjutoriarum materia, seu causa materialis. Remouch. *c. 6. à n. 9.* Wamesi. *in Iure Pontif. cons. 3. n. 33.* ubi, quòd dum beneficium neque in temporalibus, neque in spiritualibus ullam administrationem habet; sed titulo tenus tantùm dignitas est, alioqui per omnia simplex beneficium, quod sub simplici tonsura obtineri potest, nullam requirens residentiam, deficiente hac materia administrationis, quæ Coadjutoriarum unica & sola causa est, ut Rebuff. *in pr. benef. tit. reprob. benef. viven. impetrat. gl. 7. n. 59.* illius obtinendi Coadjutoriam nullus potest esse color. Wamesium verò loqui de Coadjutoriis perpetuis, patet ex ipso statu controversiæ, quam ibi tractat. Præterquam enim, quòd Coadjutoriæ hæ (quod illis cum temporalibus commune est) secundùm etymon nominis intrinsecè respiciant administrationem, officium seu onus aliquod, in quo ferendo, quia alter est insufficiens, indiget coadjuvatione, adeóque beneficia carentia tali administratione eas veluti ex natura rei excludant per leges quoque positivas, & sic veluti ab extrinseco ab iisdem beneficiis excluduntur, illáque earum redduntur incapacia, ut patet ex *c. 1. & 2. de concess. præb.* & *c. detestanda. eodem tit. in 6.* ubi, etsi expresè solùm provisiones, gratiæ præventivæ, exspectativæ aliæque promissiones super beneficiis necdum vacantibus reprobentur & inhibeantur (ita etiam ut nullæ sint, nec unquam reconvalidari possunt aut effectum aliquem directè aut indirectè, aut alio quovis modo sortiri absque expressa sanatorio & dispensatione, ut Remouch. *cit. c. 6. num. 12.* citans Abb. *in c. 1. de concess. præb.*) nulla facta mentione explicita Co-

adjutoriarum, nihilominus & Coadjutoriæ perpetuæ, utpote in se continentes gratiam præventivam & concessionem tituli seu beneficii vacaturi cum clausula: *ex nunc prout ex tunc*: prohibitæ intelliguntur. Remouch. *loc. cit. n.* 15. Quin & quòd Coadjutoriæ simplicium beneficiorum censeri debeant omni jure reprobatæ subjiciantur iisdem odiis & nullitatibus, quibus merè exspectativæ, luculenter expresèq; disposuit, & dubium omne sustulit Tridentinum *sess.* 15. *c.* 7. ubi post damnatas quascunque provisiones hæreditariæ successionis imaginem referentes tanquam odiosas & PP. Decretis contrarias, idem in Coadjutoriis cum futura successione observari mandat sub iisdem pœnis, excipiendo solùm Episcopatus & Monasteria. Remouch. *n.* 17. & 18.

2. Secundò videmus nihilominus absque eo, quòd inde Ecclesia aut Coadjutus commodi quicquam habeat, aut sublevaminis, in solius Coadjutoris gratiam in istiusmodi beneficiis simplicibus, ut Canonicatibus, Coadjutorias istiusmodi concedi, utì id frequens esse in Italia & Hispania in Canonicatibus Cathedralium, & Collegiatarum testatur Card. de Luca *ad Trident. d.* 45. *num.* 9. quod utique validè ac rectè fieri à Sede Apostolica dispensatorio modo, & de plenitudine potestatis, quam habet in beneficialibus, modò id fiat ex certa ejusdem sedis scientia, dubitandum non est; cùm, ut idem Cardin. *loc. cit. num.* 1. competat Papæ potestas dispensandi generaliter Conciliis generalibus, multóque magis huic Tridentino ob decretum illi in fine adjectum, de quo supra. Verumtamen ait Remouch. *cit. c.* 6. *à num.* 26. passim ejusmodi Coadjutorias nulliter & subreptitie impetrari sub fictis & commentitiis narratis, quasi ad sublevamen Ecclesiæ & Coadjuti, sequentibus tamen aliis clausulis directè contrariis ab omni onere narratorum pro clausula finali adjectorum dispensatricibus per Scriptores corrupto stylo extensis; ac proinde sint planè ridiculæ & elusoriæ Tridentini, ac mentis summi Pontificis; quippe quòd contineant meram exspectativam seu provisionem palliatam, ut Mandos. *ad reg.* 32. *q.* 30. *num.* 1. apud eundem Remouch. maximè attenta clausulâ: *ex nunc prout ex tunc*. operante perfectionem actûs collationis, ut idem Mandos. *loc. cit.* de præsente, effectu collato post obitum Coadjuti. Ac proinde jam etiam, ut Remouch. *num.* 28. cùm hæ Coadjutoriæ respectu simplicium beneficiorum in sua forma & materia sint per Trident. æquè prohibitæ ac merè exspectativæ & gratiæ præventivæ, gratiæ seu provisiones desuper quomodocunque extensæ non possunt convalidari per ficta narrata, & formam plane commentitiam & omni effectu destitutam; vanúmque est, quòd velint authoritatem Papæ tollere omnem suspicionem, & de illicito facere licitum; quia id verum est accedente certa scientia concedentis, & in facto jure communi aut conciliari non permisso vel aliter disposito (lex enim dispositiva tantam vim habere non solet, quantam prohibitiva) non verò in gratiis per importunas petitiones conceſſis, & in casibus per Oecomenicum Concilium damnatis, & expresè & maximè utì contra bonos mores prohibitis; nam tunc, cum nulla consuetudo qualiscumque vel lex rationi & bonis moribus expresè universalis Ecclesiæ Concilio corroboratis contraria sit tolerabilis, ut dicitur *c. veritate. d.* 8. voluntas Papæ non præsumitur, nec simplex derogatio sufficit absque perfecta scientia & causa rationabili & vera, minimè ficta. Remouch. *loc. cit. n.* 30. ubi etiam ait, minùs proinde sufficere generales derogationes inseri solitas ex stylo Scriptorum Coadjutoriis Canonicatuum.

3. Resp. secundò: Coadjutoriarum perpetuarum, si Tridentinum spectetur, capacia sunt solùm beneficia majora, nempe Episcopatus & Monasteria, veluti solùm excepta ab eodem Concilio vetante Coadjutorias cum futura successione. Remouch. *cit. c.* 6. *n.* 19. ubi in genere fatendum in Concilio Tridentino sola beneficia duplicia, idque majora, nempe Episcopatus & Monasteria tanquam tantummodo excepta in eodem Concilio esse subjectum materiale Coadjutoriarum cum futura successione.

4. De cætero, num eâdem exceptione conciliari, implicitè saltem, contineantur & alia beneficia jurisdictionalia aut curata, nempe dignitas & Rectoriæ pastorales Episcopatu & Abbatiis inferiores, ut sunt Archidiaconatus, Præposituræ Decanatus, Pastoratus, meritò dubitatur. In partem affirmativam inclinat Remouch. *cit. c.* 6. *à n.* 24. dum ait, ea illa beneficia majora comprehendi sub ratione finali dictæ exceptionis; quia sæpe concurrunt causæ legitimæ, quibus plurimum interesse potest Ecclesiæ & subditorum, ut Coadjutores dentur similibus Prælatis & Rectoribus, servatis tamen solennitatibus ejusdem Concilii. Et sicut Episcopatibus & Monasteriis Concilium permittit dari Coadjutorias perpetuas in compensam laborum, quidni pari modo Prælatis aliis & Rectoribus parochialium, qui vices eorum supplent, censeatur permittere clausulam futuræ successionis per modum accessionis & in compensam, præsertim si ii vivente Coadjuto salarium nullum accipiant. Illud saltem verum, quòd addit Remouch. *loc. cit. n.* 25. Papam saltem faciliùs pro causæ qualitate, & æquitate ac bono Ecclesiæ subditorúmq; salute supplere & derogare posse dicto *c.* 7. *sess.* 25. Porrò illud mirandum, quod Card. de Luca *loc. cit. à n.* 7. & ex eo verbotenus Carol. de Luca *ad Ventrigl. tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 9. dicat, in Italia & Hispania, ubi observantia Tridentini magis viget, pene nullum esse Coadjutoriarum perpetuarum in Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis usum, bene tamen in Ecclesiis & beneficiis inferioribus, puta in parochialibus vel in dignitatibus & Canonicatibus Cathedralium & Collegiatarum, quando justa causa infirmitatis vel gravis ætatis accedat. In Germania vero & Gallia, ubi observantia Concilii non ita vigeat, faciliùs concedantur hæ Coadjutoriæ in Episcopatibus & Monasteriis ex justa causa examinari solita in S. Congregatione consistoriali, id inquam mirandum; cùm Concilium expresè permittat illas Coadjutorias in Cathedralibus & Monasteriis, in aliis verò veset.

*Quæstio* 328. *An in Papatum cadat Coadjutoria?*

1. Respond. primò: Summo Pontifice præsenio aut infirmitate reddito inhabili dari non potest ab alio Coadjutor; deficit siquidem persona aut Collegium authoritate, aut jurisdictione eo superius, ut patet Remouch. *c.* 7. *n.* 4.

2. Re-

2. Resp. secundò: Nec ipse sibi Coadjutorem cum futura successione assumere potest, aut saltem non expedit; sed ejus inidoneitas sive in spiritualibus sive in temporalibus supplenda per Camerarium aliósque Officiales. Remouch. *loc. cit.* inquiens, sic in primitiva Ecclesia seu ipsius incunabilis resolutum; cum Clemens I. denominatus per Petrum in successorem, ne ipsius exemplum induceret consuetudinem Ecclesiæ pernicioſam, renunciavit, remisitque ad electionem judicium-ve Ecclesiæ, ut Bellarmin. *de Rom. Pontif. l.* 2. *c.* 5. ubi, quòd Petrus passione sua imminente B. Clementi Sedem Episcopalem reliquit; Petro autem mortuo Clemens in Sede Apostolica sedere noluit, donec vixerunt Linus & Cletus, qui ipsius Petri Adjutores in Episcopali officio fuerant juxta Epiphan. *hæresi* 27. Verumtamen non relucere in hoc speciem Coadjutoriæ, de qua hìc, patet ex eo, quòd Petrus Linum quòad vixerit, assumpserit quidem in Adjutorem, non autem in successorem; ècontra Clementem designarit in successorem, quem non constat ab eo adhibitum in Adjutorem. De cætero, quàm fuerint Pontifices Romani alieni ab invehendis hujusmodi Coadjutoriis in ipsam Sedem Apostolicam, constituendísque successoribus sibi, constat ex sequentibus. Dum Bonifacius II. ut inquit Thomasin. *in veteri & nov. Ecclesiæ discipl. de benef. p.* 2. *l.* 2. *c.* 57. *num.* 10. ex Baron. *ad annum Christi* 531. ipsemet ultus, quam canonicis Regulis inusserat, contumeliam, flammis absumpto coram Clero & Senatu eo decreto, quo Vigilium Diaconum successorem sibi curaverat deligi. Dum Bonifacius III. in Concilio Romæ coacto decrevit, ne de Pontificis superstitis successore unquam tractaretur, sed non nisi tertio Depositionis die ejus adunato Clero & filiis Ecclesiæ tunc fiat electio. Thomas. *loc. cit.* ex Baronio *ad annum* 606. *n.* 8. Dum Martinus I. captivus abductus Constantinopolim, Clero jusso eligere ei successorem, ipse in *Epistola sua* 15. expresè testetur, nunquam id, nempe subrogationem successoris, ex quacunque absentia Pontificis contigisse, & se sperare neque id imposterum futurum; quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter & Primicerius repræsentant locum Pontificis. Dum verò senescente sæculo duodecimo Cælestinus III. morti proximus consilium iniit subrogandi sibi Cardinalis S. Priscæ, quem sibi adjunxerat nexu arctissimo curarum omnium conscium, & pontificalium functionum administrum; sed quia tunc nulla supperebat persecutio, adeóque non uni Ecclesiæ utilitati serviebant ea consilia, invictissima constantia restitere Cardinales; & sic res ad effectum deducta non fuit. Baronius *ad annum* 1198. & ex eo Thomas. *loc. cit. c.* 59. *n.* 5. Quòd si etiam quidam alii Pontificum suos designavere successores (præterquam id non fecerint unico veluti contextu assumendo illos in Coadjutores, & simul in successores designando) fecerunt id adacti graviſſimis, & in certis persecutionum discriminibus, & non nisi invitante Clero, aut etiam Cardinalium Collegio, aut certè designatione illa ab aliis approbanda, ut videre est apud Thomas. *cit. c.* 59. *n.* 3. 5. & 6. ubi etiam, quòd certum de cætero fixúmque fuerit omnibus æmulari potiùs Gregorii VII. constantiam, qui, ut Malbesb. *l.* 3. *p.* 108. refert, rogatus à Cardinalibus, ut Papam constitueret, B. Petri exemplum referentibus, qui lactentis Ecclesiæ rudimentis vivens Clementem præfecerat, negavit ille, idem exemplum secuturum, quod ab antiquo Conciliis esset vetitum.

*Quæstio* 329. *An eidem dari possint plures Coadjutores, & pluribus coadjuvandis unus?*

1. Resp. primò: quod spectat primam quæstionis partem, & sermo est de Coadjutoriis perpetuis, patet, eam locum habere non posse; cùm eidem Coadjuto succedere nequeant plures simul in eodem beneficio illius. Secus tamen videtur, si Coadjutoriæ illæ perpetuæ respicerent diversa ejusdem Coadjuti beneficia. Sed neque pluribus coadjuvandis dari posse videtur unus Coadjutor cum successione; dum ex eo, quòd ea plurium beneficia inter se incompatibilia in unam personam confluere nequeant, nisi fortè dispensativè, concedi simul nequit successio illa respectu plurium beneficiorum ab istis coadjuvandis habitorum.

2. Resp. secundò: si sermo est de Coadjutoriis temporalibus, videtur primò, dari posse uni Coadjutores plures, dividendo inter eos onera & administrationem Coadjuti. Castropal. *tract* 13. *d.* 1. *p.* 9. *n.* 5. Quemadmodùm eidem dari potest Coadjutor quò ad ministrationē temporalium, & relinquendo eum sibi quò ad spiritualia; eò quòd quò ad ista, non verò quò ad hæc administranda Prælatus redditus sit inidoneus. Videtur quoque secundò posse unum pluribus dari Coadjutorem, dum onera, administrationes & obligationes subeundæ ab uno isto Coadjutore sunt compatibiles, vide de hoc Jo. Andreæ. *ad c. consultationibus. de Cler. ægrot. n.* 11. ex quo ferè ea omnia, quæ sunt de Coadjutoribus his non perpetuis ad literam ferè exscripsisse Cardinalem, Butr. Anchar. Abb. Jo. de Anan. ait Fagn. *ad cit. c. consultationibus. n.* 22.

*Quæst.* 330. *A quo concedi possint Coadjutoriæ perpetuæ?*

Respond. Tametsi olim ante Tridentinum, dum gratiæ præventivæ erant in usu, quidam voluerint ipsis adeo Ordinariis tribuere facultatem concedendi Coadjutorias perpetuas in beneficiis, quorum collatio quovis mense ipsis competiisset Remouch. *c.* 5. *n.* 7. modò tamen solus Papa, & quidem dispensativè tantùm has Coadjutorias, qualiacumque sint beneficia, concedere potest. Fag. *in c. nulla. de conces. præb. n.* 68. ubi: Coadjutoriam perpetuam, etiam in beneficiis inferioribus, dat solus Papa, qui solus contra Canones dispensare potest, Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 9. *num.* 7. citans Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. Tondutus *qq. benef. p.* 2, *c.* 1. §. 13. *n.* 27. Remouch. *loc. cit.* citans Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 19. *n.* 5. Mandos. *de signat. grat. tit. Coadjutoriæ. vers. si tamen Papa.* Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 10. *n.* 33. Laym. *ad c. bonæ de elect. n.* 5. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 17. Garc. *de benef. p.* 4 *c.* 5. *n.* 16. Patis. *de resign. l.* 6. *q.* 5. *n.* 15. & *l.* 7. *q.* 20. *n.* 14. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 91. Lambertin. *de jurep. l.* 2. *p.* 1. *q.* 6. *a.* 20 *n.* 3. *& seq.* Proinde jam illas concedere nequit Legatus Apostolicus de Latere. Gonz. *cit. n.* 91. Garc. *n.* 18. Castrop. Tondut. Barbos. *ll. cit.* cum Gambaro *de offic. & potest. Legati. l.* 3. *de Coadj. n.* 13.

*Quæst.* 331. *Coadjutores temporales quis possit concedere Episcopis & illis majoribus?*

REspond. solus Papa. Barbos. *loc.cit. n.*21. citans Gambar. *ubi ante. n.*4. Campanil. *in diversf. juris Rubr. rub.*7. *c.*6. *n.*105. *&c.* Gonz. *loc.cit. n.*34. citans Jacobat. *de Conciliis. l.*4. *a.*3. *n.*16. Abbat. *in c. fin. de Cler. ægrot. n.* 5. Butrium. *n.* 14. *&c.* Remouch. *loc.cit. n.*2. Castrop. *loc.cit. n.*5. Azor. *ubi ante.* ubi etiam, quòd ex potestate pontificia Episcopus senio, valetudine gravatus aut aliter impeditus perpetuò possit de sui Capituli vel majoris partis illius consilio & assensu unum vel duos Coadjutores authoritate Apostolica assumere. Si verò Episcopus fuerit demens, Capitulum aut duæ ejus partes eâdem authoritate Apostolicâ id possint. Et si Episcopus senio, morbo, aut alias impeditus nolit sibi assumere Coadjutorem, res sit deferenda ad Pontificem. Unde jam hodiedum Episcopo suffraganeo ægrotanti Coadjutorem temporalem dare nequit Archiepiscopus seu Metropolitanus, juxta *c. unicum. de Cler. ægrot. in* 6. ubi expressum, dationem Coadjutorum Episcopis & superioribus Prælatis esse de causis majoribus, & ad solum Papam pertinere. Neque huic decretali contraria est illa *ex parte. de Clerico ægrot.* quia ibi Archiepiscopus ille non dedit Coadjutorem Episcopo provinciali authoritate ordinaria, sed ut Sedis Apostolicæ Delegatus, ut patet *ex c. mandamus.* Fagn. *in c. ex parte. n.*1. citans Cardinalem *in idem c. n.* 4. Abb. *n.*3. *&c.*

*Quæstio* 332. *Coadjutorias temporales quis concedere possit Prælatis, aliis Episcopo inferioribus, aliisque beneficiatis?*

1. REspond. id posse Episcopos & Legatos Apostolicos. Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n.*67. ubi: *Licet Coadjutoria temporalis in inferioribus Prælatis dari possit ab Ordinario, ad quem spectat destitutio vel cessionis admissio.* pro quo citat. *c. de Rectoribus. & c. fin. de Cler. ægrot.* & *ibidem* Jo. And. Abbat. Barbos. *juris Eccles. l.*3. *c.*10. *n.*22. Venttigl. *tom.*2. *annot.*13. *n.*5. ubi expressè, quòd Rectori senio confecto Episcopus dare possit Coadjutorem, pro quo citat Tusch. *Lit. c. concl.*402. *n.*1. *&c.* Remouch. *c.*5. *n.*2. *&* 5. ubi expressè id ait de Archidiaconis & beneficiatis curam aliquam habentibus, & addit: habita semper ratione subjectionis, quâ nimirum coadjuvandus subjicitur Episcopo seu Ordinario. Gonz. *loc. cit. n.*36. citans Jo. And. *in c. fin. de Cler. ægrot. n.*7. Butr. *in c.*3. *n.*10. Abb. *n.* 5. Gamb. *ubi ante. n.*3. subdens rationem ex Gonz. quam approbat Barbos. *loc. cit.* quòd sicut Episcopi, Legati, Nuncii hos inferiores instituere & destituere ex causis, ita majore ratione possint iisdem dare ex causis Coadjutores temporales.

2. Limitanda tamen responsio primò, ut non procedat in Dignitatibus majoribus electivis, puta Præposituris, Decanatibus & similibus; respectu enim horum Legatum Apostolicum (multóque magis Episcopum) non posse constituere Coadjutores, etiam temporales, & Papam non solere sine consensu Capitulorum, obstantibus in Germania Concordatis, tradit Remouch. *cit. c.*5. *n.*4. *&* 6. Limitanda secundò, ut non procedat in beneficiis jurispatronatus Laici, ita ut neque respectu illorum Legatus aut Episcopus possit, nec Papa soleat concedere Coadjutorias temporales sine consensu Patronorum. Remouch. *loc.cit.* citans Lambert. *de jurepat. l.*2. *p.*1. *q.*6. *a.*2. *n.*1.

*Quæst.* 333. *A quibus concedi possint Coadjutores temporales Abbatibus similibusque Prælatis Regularibus, vel etiam non Regularibus, exemptis tamen.*

1. REsp. ad primum: Tametsi de jure communi Episcopus, uti Monasteriis vacantibus œconomum, ita etiam Abbatibus constituere poterat Coadjutorem; modò tamen, dum Sedis Apostolicæ privilegio Religiones ferè omnes ab Episcoporum & aliorum Ordinariorum jurisdictione exemptæ sunt, si contingeret de aliqua causa justa oportere dari Abbati alicui Coadjutorem, datio talis Coadjutoris spectaret ad Abbatem generalem, sive ad diffinitorium, in qua re, quemadmodum per privilegium summorum Pontificum hæc provisio Coadjutoris, sicut & tota alia Religionis administratio, data est Religionis Prælatis; ita etiam eorum Prælatorum in hoc negotio decreta observanda sunt, & uniuscujusque Congregationis constitutiones à Sede Apostolica approbatæ inspiciendæ. Ita ferè Tambur. *de Jure Abb. tom.* 1. *d.*13. *quæsito* 1. *&* 2.

2. Resp. ad secundum: Abbatibus aliisq; Prælatis, etiam non Regularibus, exemptis non nisi à Papa dari potest Coadjutor temporalis. Remouch. *c.*5. *n.*2. Tambur. *loc. cit. n.*3. citans Gambar. *ubi supra. n.*5 Barbos. *de off. Episc. allegat.*50 *n.*8. Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiepiscopi authoritas. n.*9. & alios.

*Quæst.* 334. *An igitur Prælati aliique ecclesiarum curatarum Rectores propria authoritate sibi assumere nequeant Coadjutores ad tempus solum, etsi non pro tota sua vita?*

RResp. quilibet non potest propria authoritate assumere Coadjutorem, imò nec substitutum; cùm id soli Episcopo ægrotanti de consensu Capituli ex speciali gratia concedatur. Remouch. *c.*10. *n.*4. Posse tamen ipsosmet sibi assumere non tam Coadjutorem quam Vicarium temporalem, id est, pro tempore durantis impedimenti, v.g. morbi curabilis & temporanei, tradit Fagn. *in c. ex parte. de Cler. ægrot. n.*4. *in fine.* ubi: *eo casu* (nimirum dum morbus curabilis est & temporalis) *ipsemet Prælatus poterit sibi Vicarium temporalem constituere, quidquid incautè in contrarium scripserit Garcias de benef. p.* 4 *c.*5. *n.* 4. *& in c. consultationibus. tit. eod. n.* 12. citans Hostiens. *in c. Clericos. de off. Vicar.* Quamvis enim authoritas instituendi Vicarios perpetuos in beneficiis sit penes Episcopos. *c. ex frequentibus. de institut.* ita ut nequidem Vicarius generalis Episcopi sine speciali mandato tales Coadjutores seu Vicarios perpetuos deputare possit; cùm ex generali commissione Vicariatûs non possit quem privare seu destituere beneficio. Sbroz. *de Vicar. Episc. l.*2. *q.*212. *n.*1. & ex eo Barbos. *Jur. Eccl. l.*3. *c.*10. *n.*15. citans Narbonam *de appellat. à Vicar. ad Episcop. p.*1. *n.*120. Ricc. *in pr. p.*4. *resolut.*545. *&c.* Curati tamen & Vicarii perpetui Vicarios temporales sine licentia Episcopi assumere sibi possunt, modò sint noti, & de eorum promotione constet, & non obstet statutum synodale; hodie tamen approbari debent ab Ordinario, uti & deputati ab illo in casu *cap.*7. *sess.*7. *& c.*6. *sess.*21. Tridentini. ita ferè Fagn. *l. cit. n.*13. sic quoq; tradit Tusch. *Lit. C. concl.*402. *n.*8. Coadjutores dari posse pro cura animarum, & ista Coadjutoria, quando non est in toto, sed in parte ministerii, est favorabilis, & permissa sine Superioris titulo; secus, si detur in toto & pro tota cura; quia est odiosa & non permissa.

CAPUT

# CAPUT TERTIUM.

## De Causa finali & motiva Coadjutoriæ, sive quando, & ob quas causas concedenda.

*Quæstio* 335. *An, & qualiter concessio Coadjutoriarum requirat causam.*

REspondeo: Causam requiri justam ad hoc, ut licitè concedatur Coadjutoria tam temporalis quàm perpetua, perspicuum est ex principio illo generali, quòd actus omnis honestus requirat motivum justum. Unde dum non nisi ob ambitionem & importunitatem impetrantium concederentur, minimè licita & honesta foret illa concessio, qualiter à Papa concedi illas, præsumendum non est. Sed & ad valorem earum requiri causas à Tridentino approbatas, manifestum est ex ejusdem Concilii decreto *sess. 25. c. 7.* adeóque sine illis à parte rei existentibus à Papa fraudulentis narrativis circumvento subreptitiè obtentas esse nullas & invalidas; quidquid sit de eo, num concessæ à Papa sciente causas obtentas non sufficere, sint validæ ob plenitudinem potestatis, quam is habet in beneficialibus.

*Quæstio* 336. *Quæ sit causa finalis legitimè, & de jure concedendarum Coadjutoriarum temporalium?*

REspond. Non est alia quàm favor Ecclesiarum parochialium, vel earum, quarum Rectoribus incumbit cura, jurisdictio vel administratio, uti & fidelium ipsis subditorum, nec non ipsius coadjuvandi, ne nimirum afflicto adderetur afflictio, dum is ob senium infirmitatémve redditus insufficiens & inidoneus amoveretur, subrogato illi Rectore alio. Remouch. *c. 9. n. 2.* prout hæc patent ex toto *titulo de Cleric. ægrot.*

*Quæstio* 337. *Quæ sit causa finalis legitima Coadjutoriarum cum futura successione?*

1. REspondeo primò: Causam principaliter moventem ad earum concessionem expressis verbis indicari & constitui à Tridentino *loc. cit.* nempe urgentem necessitatem, aut evidentem utilitatem Ecclesiarum. Paris. *de resign. l. 7. q. 20. n. 5.* Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 82.* Remouch. *c. 9.* Pignatell. *tom. 4. consultat. 137. n. 1.* Ventrigl. *loc. cit.* ubi etiam, quòd licet *cit. L.* Tridentinum loquatur de Coadjutoribus dandis Prælatis, id tamen etiam procedat in Coadjutore dando Rectori curato, prout testantur DD. communiter, qui in his causis Coadjutoriæ indistinctè loquuntur de Episcopo, & Rectore.

2. Respondeo secundò: quia tamen hæc Coadjutoria includit quoque gratiam futuræ successionis, pars quoque causæ finalis est favor ipsius Coadjutoris, non tamen alio modo quàm secundario in ordine ad assecutionem finis principalis. Dum enim aliàs rarò inveniuntur personæ habiles, & qualitatibus requisitis instructæ, quæ vellent hoc onus coadjuvandi gratis suscipere (maximè ubi nullum Coadjutori actu subeunti administrationis onera datur stipendium) & quidem cum justo timore, ne post obitum Coadjuti impensósque suos labores pro utilitate & necessitate Ecclesiæ inidoneis seu minùs dignis authoritate eorum, quibus jus collationis vel alterius dispositionis competeret, promovendis cedere cogerentur, Concilium ad faciliùs obviandum necessitati Ecclesiæ censerit non denegandam gratiam futuræ successionis per modum accessionis in compensam laborum; dum multa concedi solent per modum accessionis respectu principalis, quæ seorsim denegarentur. Ad hæc nil æquius sit, quàm ut ille, ut supra dictum ex Lotter. qui ex dispositione, maximè pontificia, inventus est aptus, onúsque Prælati supplevit, etiam post illius obitum cæteris præferatur, etiam æquè aut magis idoneis. Remouch. *c. 9, n. 5 & seq.* Quin & dari has Coadjutorias (intellige secundariò) propter bene merita antecedentia Coadjutoris, satis indicat Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n. 61. & 62.* ubi: *Coadjutoria, quæ de jure datur* (hoc est temporalis) *non datur propter bene merita aut in favorem personæ, cui conceditur, sed ob Ecclesiæ necessitatem; hodierna autem Coadjutoria* (id est, quæ est cum successione) *datur ex gratia & in favorem Coadjutoris & Coadjuti.* Dum verò subdit, Coadjutorias has perpetuas duas continere gratias æquè principales, unam in favorem Coadjutoris, alteram in favorem Coadjuti (utpote qui, etsi inidoneus, suæ tamen relinquitur prælaturæ) non loquitur comparatè ad ecclesiam, respectu cujus favor iste Coadjutoris & Coadjuti habet se, ut quid minùs principaliter intentum. Tradit nihilominus Tusch. *Lit. C. conclus. 403. n. 5. & 6.* dari etiam cum futura successione principaliter hisce expressis: *Datur Coadjutoria cum futura successione, & est ratio; quia futura successio sola directa non debet dari, sed bene datur accessoriè & in consequentiam; imò etiam datur cum futura successione principaliter.* Citat pro hoc Put. *decis. 226. in fine. l. 3.* Porrò hic notandum cum eodem Tusch. *à n. 7.* quòd si successio futura venit accessoriè (uti verba *cum futura successione* important dispositionem accessoriam) ea locum non habeat, nisi Coadjutoria habuerit suum effectum; cùm accessorium esse nequeat sine principali. *c. Accessorium. de Regul. Juris.*

*Quæstio* 338. *In quo consistat necessitas illa & utilitas Ecclesiæ, principaliter movens ad concedendas præcipuè Coadjutorias perpetuas?*

REspond. Respectu Coadjutoriarum temporalium de jure concedi solitarum attenditur unicè necessitas & utilitas procedens ex impedimento, senio aut infirmitate Coadjuti. Remouch. *cit. c. 9. num. 10.* Et reducuntur causæ omnes ad

impotentiam vel negligentiam Coadjuti non valentis vel non volentis deservire beneficio ejúsve, oneri plenè satisfacere. Castropal. *tract. 13. d. 1. p. 9. n. 4.* Respectu vero Coadjutoriarum perpetuarum consideratur necessitas & utilitas illa aliunde quoque resultans, sive attenditur, & sufficit generaliter quæcunque necessitas aut utilitas, etiam ad extra ex facto præterito vel futuro procedens. Remouch. *loc. cit.* loquitur enim Tridentinum non taxativè aut determinatè, sed generaliter omnino de necessitate & utilitate quacumque ex quocunq; facto in damnũ vel favorem Ecclesiæ resultante; adeóq; ut ait Remouch. pinguiùs & luculentiùs in favore Coadjutoriarum cũ futura successione dispositi Tridentinum quàm jura vetera respectu temporalium. Porrò inter has dictam necessitatem & utilitatem invehentes causas considerabiles potissimùm sunt, prout à Remouch. *n.* 11. enumerantur, divisiones, alienationes, contentiones, bella intestina, quæ frequenter oriri solent, sede aliqua, potissimùm episcopali (dum ei regiminis quoque politici suprema & principalis adjuncta authoritas) vacante, pendentéque termino ad eligendum dato inter competitores ambitiosos, unde non rarò Ecclesiæ ruina, statúsque politici subditorúmque excidium: quibus malis & periculis per dationem Coadjutoris juxta præscriptam à Tridentino formam securè occurritur. Siquidem eveniente morte Coadjuti tacitè ex sanctæ sedis dispositione ipso jure & facto sine ulteriore strepitu aut discrimine, metu vel scandalo ipsa Prælatura veluti continuatur in Coadjutorem, dum ei hoc ipso nascitur jus in re absque eo, quòd alio titulo aut canonizatione gratiæ alióve quovis adminiculo egeat, quàm actu executivo, capiendo nimirum possessionem naturalem salvo juramento &c. Remouch, *n.* 11. & 12. ubi etiam *num. seq.* de modo diverso, quo S. Sedi exercenti quoque in temporalibus principalem & supremam potestatem soleat provideri; dum nimirum pendente infirmitate aut inidoneitate Pontificis Cardinalis patronus aliíque officiales cuncta sub sigillo S. Sedis expediunt: sede vero vacante per obitum Papæ illico Cardinales Electores, vix dato ullo intervallo, conclave ingrediuntur ad electionem novi Pontificis, Camerario S. Sedis tanquam illius curatore seu mamburno absque alia designatione castrum, propugnacula & principalem authoritatem administrante.

*Quæstio 339. Qualiter senium sit causa concedendi Coadjutoriam, & qualiter justificandum?*

1. REspondeo ad primum. Senium est causa sufficiens ad dandum tam Episcopis quàm aliis Prælatis & ecclesiarum parochialium Rectoribus Coadjutorem tam temporalem quàm perpetuum, seu cum futura successione. Paris. *de resign. l. 7. q. 20. n. 6.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. n. 5.* Barbos. *jur. eccl. l. 3. n. 7.* Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 21.* Fagn. *in c. consultationibus. de cler. ægrot. n. 17.* Tuschus *lit. c. conclus. 402.* loquentes de Coadjutoria temporali, vel saltem indifferenter, ut dum dicunt, Episcopo posse dari Coadjutorem ob senium. Pignatel. *tom 4. consult. 137. n. 2.* Fagn. *in c. nulla. de conces. præb. n. 63.* Barbos. *juris eccl. l. 1. c. 15. n. 51.* expresè loquentes de Coadjutoria perpetua.

2. Estque senium causa se solâ sufficiens ad dandum Coadjutorem. Sic supponere videntur citati AA. & etiam si alia corporis imbecillitas non accedat. Fagn. *loc. ult. cit.* ubi *Coadjutoria hodierna* (id est perpetua) *indistinctè dari solet canonicis sexagenariis, etsi aliàs imbecillitate corporis non sint gravati, ut passim servari videmus.* Et sic sentire videntur AA. paulò post citandi, censentes sufficere ætatem 55. annorum, si cum ea concurrat infirmitas, dum aliàs volunt sufficere non nisi 60. vel 70. annos.

3. Porrò quis in ordine ad hunc effectum Coadjutoriæ dicatur senex, AA. non conveniunt. Coadjutor perpetuus, ut detur, sufficere in coadjuvando sexaginta annos, tenent Fagn. & Pignat. *ll. cit.* Gonz *gl. 5. §. 9. n. n. 84.* ubi: *quando conceditur*, (intellige hæc Coadjutoria cum futura successione, de hac enim loquitur, ut patet ex antecedentibus) *propter ingravescentem ætatem Coadjuti, verificanda est in ætate 60. annorum.* citat pro hoc Jo. And. Archid. Dominic. *in c. 1. de cler. ægrot. in 6.* Mandos. *de signat. grat. tit. Coadjutoria.* Rotam *in Tullensi Prioratûs de Castinero. 11. Jan. 1552.* Sic constitutum in ætate 60. annorum dici senem & ætatis ingravescentis, ut dari ei ex hoc capite possit Coadjutor simpliciter & absque eo, quòd expresè meminerint Coadjutoris perpetui, traduntVerall. *decis. 129 & seq. l. 1.* Ventrigl. *loc. cit. n. 5.* vel ut eum citat Pignat. *decis. 311. part. 13.* item Borrel. *sum. decis. tit. 9. de cler. ægrot. & coadjutor. n. 1. tom 1.* Alii ad hoc requirunt annos 70. Tusch. *lit. O. concl. 40. n. 2.* sic ait Gonz. *n. 86.* quando conceditur Coadjutoria propter senectutem narratam, tunc est probanda ætas 70. annorum. citat pro hoc Caputaq. *decis. 129. & 131. & 312. part. 1.* Sic expresè loquens de Coadjutoriis temporalibus Fagn. *loc. cit.* ait, eas non dari nisi decrepitis, id est, annorum 70. vel alio morbo impeditis exercere officium. Alii sufficere ajunt 55. annos, dum accedit infirmitas; quia infirmitatis labores & alii excessus imminuunt ætatem, Gonz. *loc. c. n. 85.* citans Caputaq. *decis. 130. p. 1. & decis. 315. part. eod.* Tiraq. *in l. connubiali 15. n. 6. & seq.* citatur quoque pro hoc à Ventrigl. Borrell. ubi ante n. 2. Verùm in his omnibus multum valere Judicis arbitrium, ut cognoscatur, quis verè dicatur senex ad hunc & alios effectum, consideratis omnibus circumstantiis Gonz *loc. cit. n. 87.* citans Barbatiam *cons. 25. vol. 2.* Felin. *in c. quoniam frequenter. n. 6. ut lite. non contestata.* Gem. & Francum. *in c. unic. §. verum n. 2. de cler. ægrot. in 6.* Mascard. *de probat. concl. 1301. n. 8.* Menoch. *de arbit. centur. 1. casu 59. n. 3.* juxta quod ait Ventrigl. *cit. n. 5.* ceteri verò AA. & melius, quis dicatur senex, ut ratione ingravescentis ætatis ei dari possit Coadjutor, ajunt, remitti arbitrio Episcopi, qui id judicabit consideratis singulis circumstantiis personæ & complexionis Rectoris, ac qualitate & magnitudine curæ & onerum, & aliis circumstantiis.

4 Resp. ad secundum. Dum una cum senio narrata fuit infirmitas, sufficit justificari senium; quia senectus ipsa morbus dicitur perpetuus & incurabilis juxta Card. de Luca. *de benef. d. 78. n. 5.* cujus contrarium tradit Garc. *p. 6. c. 2. n. 195.* citans Rotam *in Leodiens. canonicat.* in qua dicitur, quòd Coadjutoriam impetranti narranti ætatem & alia impedimenta illius, cui datus fuit Coadjutor, non sufficiat probare impedimentum ætatis tantùm, ut per Mandos. *reg. 11. q. 5. n. 7.* cujus etiam rationem præmiserat Garc. *à n. 191.* nempe quòd licèt in rescriptis ad lites ex pluribus narratis satis sit verificare unum, quod sufficeret ad movendum Principem; secus tamen sit in gratiosis, in quibus omnia sint verificanda. Pro quo citat Mascard. *concl. 325. n. 24.* Guttier. *qq. can. l. 2. q. 15. n. 68. & 108.* Unde

etiam

etiam, ut ait Garc. *n.* 196. verum non esset, quod tradit Navar. *cons.* 7. *de rescrip.* cui adhæret Sanch. *de matrimon. l.* 8. *d.* 21. *n.* 4. nempe quòd dispensatione seu privilegio concesso ob plures causas etiam copulativè narratas, quæ omnes non sint de jure necessariæ, satis sit, quòd una justificetur sufficiens. Unde jam illud à potiore inferri videtur, quòd, ut dictum fuit ex Ventrigl. & Gonz. ad narratam gravem ætatem conjunctam cum infirmitate justificandam sufficere annos 55. præter hanc ætatem justificanda quoque sit infirmitas. Porrò distinctionem hac in parte faciunt AA. inter ætatem ingravescentem & senilem. Sic enim ait Ventrigl. *loc. cit. n.* 6. quòd si gratia Coadjutoriæ concessa est propter ingravescentem ætatem, justificare sufficit ætatem 60. annorum: si verò ob senilem, necessariò justificandam ætatem 70. annorum. Et si concessa ob ingravescentem ætatem junctis infirmitatibus, sufficere, ut justificetur ætas 55. annorum.

*Quæstio* 340. *Infirmitas an & qualis sit causa sufficiens dandi Coadjutorem, & quomodo verificanda?*

1. Respondeo primò. Causa dandi Coadjutorem tam temporalem quàm perpetuum, tam Episcopis quàm aliis Prælatis inferioribus, & Ecclesiarum curatarum Rectoribus est corporis vel mentis infirmitas. Tusch. *lit. E. concl.* 403. loquens tam de Parochis quàm Episcopis respectu Coadjutoriæ simpliciter. Wamesius *tom.* 1. *cons.* 24. *n.* 3. Pignat. *loc. cit* Barbos. *juris eccles. l.* 1. *c.* 15. *n.* 51. Pariſ. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 7. loquentes de Coadjutoria perpetua respectu Episcoporum. Gonz. *gl.* 5. § 9. *n.* 19. loquens expresè tam de Coadjutoria, quæ datur simpliciter, quàm de ea, quæ datur in favorem.

2. Respondeo Secundò. Infirmitas illa corporis debet esse talis, ut impediat Episcopum vel Rectorem curatum, quò minùs exercere possit ea, quæ muneri suo incumbunt. Fagn. *in c. consultationibus de cleric. ægrot. n.* 9. & AA. paulò ante citati. Talis infirmitas erit v. g. respectu Episcopi, quæ eum impediat in festivitatibus solennibus celebrare, quæ cogat illum abstinere à collatione ordinum, à consecratione Ecclesiarum, à visitatione diœcesis, & similibus, unde imminet magnum periculum diminutionis cultûs divini. Pignatell. *loc. cit.* ubi etiam, quòd propterea etiam invito dari possit Coadjutor. Sic itaque vetus quartana vel debilis infirmitas, quæ non impedit propria negotia sua expedire, non esset justa causa dandi Coadjutorem, imò talis nihil perciperet, nisi per seipsum inserviret. Fagn. *in c. consultationibus. n.* 8. & 9. Idem de veteri quartana aliave levi febricula, modico vulnere habet Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 8. Præterea debet esse perpetua sive perpetuò impediens exercitium officii & muneri Coadjuti incumbens. Cardin. de Luca. *de benef. d.* 78. *n.* 4. Fagn. *loc. cit. n.* 10. Ventrigl. *loc. cit. n.* 8. Pignat. Barbos. Tusch. Pariſ. *ll. cit.* ubi etiam id exemplificat in infirmitate durante majore parte temporis, & cum illo Barbos. Ventrigl. qui postremus etiam addit *n.* 7. ex Paulo de Rubeis, quod ad validitatem Coadjutoriæ dolores debeant esse continui, quod tamen non nimis crudè accipiendùm: rectè enim ait Gonz. *loc. cit. n.* 89. quòd licèt infirmitas debeat esse talis, quæ præstet perpetuum impedimentum, non tamen obstet, quòd sit cum aliquo quietis intervallo. denique debet esse incurabilis sine spe recuperandæ valetudinis Ventrig. *cit n.* 7. Fagn. *loc. cit.* Gonz. *loc. cit. n.* 88. citans Felin. *in c. quoniam frequenter. n.* 6. *ut lite non contestata.* Card. de Luca. *loc. cit.*

3. Resp. Tertiò. Si propter corporis debilitatem narratam conceditur Coadjutoria, debet talis debilitas verificari, quæ ut dictum, præstet perpetuum impedimentum, & sit sine spe futuræ prosperitatis. Gonz. *n.* 88. & 89. Ventrigl. *loc. cit. n.* 10. citans Paul. de Rubeis *decis.* 237 *tom.* 3. *divers. & clariùs decis.* 308. *n.* 17. *tom.* 2. *divers.* aliàs *part.* 6. *recent.* Card. de Luca *loc. cit.* qui tamen id ipsum limitat *n.* 5. nisi admixta sit gravis ætas, quæ senectutem importet; tunc enim sufficeret verificare senectutem juxta dicta *quæst. præced.* quin & narrata infirmitas in impetratione Coadjutoriæ concludenter probanda. Barbos. *juris eccles. l.* 3. *c.* 10. *n.* 6. ubi si quis impetravit Coadjutoriam sub narrativa, quòd aliquis canonicus non potest amplius in choro propter adversam valetudinem inservire, id concludenter debet probare. Diligenter quoque inspiciendus est tenor supplicationis ac literarum, an nimirum gratia concessa ex sola infirmitate, quæ narrata esset tanquam unica, ad quam se Coadjutus & Papa arctarent, vel potiùs concepta per alternativam concipi solitam cum illis verbis, *seu certis de causis animum nostrum moventibus.* in hoc enim casu, si de facto adesset alia causa dicti impedimenti, quod ex facti circumstantiis verisimiliter seu perpetuum seu diu duraturum erat, cessante etiam justificatione infirmitatis, non per hoc gratia corrueret; cùm neque Papa, neque Coadjutus se ad hanc causam arctassent, atque subsisteret altera causa æquè habilis & sufficiens, quæ etiam cum jurata attestatione justificari potest, quamvis ex prudentioribus motivis ad speciem redacta non esset, sed implicitè contenta sub illa generalitate &c. ita ferè Card. de Luca. *loc. cit. n.* 2. & 3.

*Quæstio* 141. *An igitur etiam Episcopo necdum consecrato reddito inutili ob senectutem vel infirmitatem constitui possit Coadjutor?*

Respondeo negativè, sed esse in totum removendum. Tusch. *lit. C. concl.* 402. *n.* 6. Fagn. *in c. consultationibus, de cleric. ægrot. n.* 7. ubi, quòd Prælato ob morbum supervenientem facto inutili is amovendus non sit, sed dandus ei Coadjutor, perseverante illo interim in statu suo respectu tituli, etsi exercitio destitutus sit, quòd id inquam, fallat in electo in Episcopum & confirmato, qui ante consecrationem redditus est inhabilis; huic namque non dandum Coadjutorem, sed in totum removendum & non consecrandum, citat pro hoc gl. *in c. scripsit. v. quod autem.* 7. *q.* 1. & rationem dat hanc; quòd restet aliud adhuc scrutinium, & in illo transire non debet minus idoneus, ut *c.* 1. *de ætate & qualit.* Adeóque illud: quòd in Prælatum electus & confirmatus sine sua culpa Prælatura privari non debeat; intelligendum de Prælato non Episcopo. Idem nihilominus expresè de Abbate confirmato ante consecrationem reddito inhabili, quod de Episcopo tali tradit Tusch. *loc. cit.* secus tamen videtur de abbate, qui non consecratur.

*Quæstio* 342. *Quænam in specie sint infirmitates, propter quas dari possit Episcopo vel etiam aliis Prælatis aut Rectoribus curatorum beneficiorum Coadjutor perpetuus, vel etiam dari debeat Coadjutor temporalis.*

1. Respondeo sunt sequentes. Primò deperditum officium linguæ seu loquendi, qui est casus, ob quem *in c. consultationibus.* dicitur Archidiacono

diacono non valenti loqui dandum Coadjutorem. Fagn. *in idem cap* 4. *n* 14. Gonz. *loc. cit. n.* 24.

2. Secundò cæcitas. Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 20. *n.* 8. Barbos. *juris Eccles. l.* 1. *c.* 15. *n.* 51. Fagn. *loc. cit.* idque ex identitate rationis, seu potiùs majoritate, quæ est in privato linguæ officio. Fagn. *ibid. & n* 41. ubi etiam citat pro hoc Hostiens. *in princ.* Jo. And. *n.* 14. Butr. *n.* 19. &c. *in cit. c. consultationibus*, utì & in sequentibus multis textibus juris civilis probat, quòd cæcus etsi ad novum magistratum prohibeatur aspirare, retineat tamen magistratum priùs habitum. Quin &, quòd cæcus non solùm non possit, sed & debeat obire munera, quæ consilio adimplentur; & quòd, prout S. Congregatio Interpret. Trid. definivit, cæcus non privetur voto suo, quod aliàs haberet, si cæcus non esset. Secus tamen est, sive non potest dari alicui Coadjutor ex eo, quòd unùm solùm oculum amisit. Fagn. *loc. cit. n.* 15. citans pro hoc Jo. And. Butr. *ubi ante.*

3. Paralysis. Gonz. *loc. cit. n.* 24. Barbos. *juris eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 10. citans Riccium *in pr. fori eccl. resolut.* 494. *n.* 7. Scipio de Rubeis *in Aphoris. Epis. v. Coadjutor. n.* 6. juxta *c. ult. de cler. agrot.*

4. Epilepsia. Fagn. *loc. cit n.* 16. citans *cap. scripsit.* 7. *q.* 1. Jo. And. *in c. consultationibus. n.* 6. *&c.*

5. Lepra Gonz. *loc. cit. n.* 22. Paris. *loc. cit.* Barbos. *cit. c.* 10, *n* 9. citans Majol. de irregular. *l.* 2. *c.* 18. *col.* 3. Henriq. *in sum. l.* 14. *de irregular. c* 18. *in princ.* Campanil. *in divers. juris can. Rubric. Rub.* 11. *c.* 17. *n.* 154. *& seq.* Fagn. *loc. cit. n.* 19. juxta *c. de Rectoribus & c. tua nobis. de cler. agrot.* Quin & habenti curam animarum etiam in vito ex hoc capite dandum Coadjutorem tradit Campan. *l. c. n.* 160. apud Barbos. *loc. cit.* quin etiam Prælati & Rectores Episcopo inferiores propter lepram omnino amoventur à prælatione & beneficio; & hoc propter scandalum & abominationem populi. citat pro hoc Fagnanus *loc. cit. n.* 19 glossam *in c. tua. de cler. agrot. v. administrationis* Hostiens. *in c. consultationibus. n.* 1. *in fine.* Nec obstare videtur *c. de Rectoribus tit. eod.* ubi, quòd Rector leprosus non amovetur, sed datur illi Coadjutor, cum ille textus juxta Hostiens. intelligatur de Episcopis, de quibus, quòd leprosi non amovendi, sed dandus illis Coadjutor, specialis hæc est ratio, quod difficiliùs, quàm inferiores amoveantur. *c. inter corporalia, & c. licèt: de translation. Episc.* & ideo non amovetur etiam ob lepram, prout etiam habet consuetudo. Hostiens. *in c. de Rectoribus.* Archid. *in sum. 7. q.* 1. & alii apud Fagn. *loc. cit. n.* 21. quos Papa in illis textibus per excellentiam vocat Rectores. Verum Fagn. *ibid in fine hæc habet: Tu dic melius, idem esse in Episcopo, ut scilicet propter lepram nullus amoveatur ex toto, sed detur illi Coadjutor*; utì idipsum fusiùs probat *in c. de Rectoribus à n.* 4. nempe titulum & habitum curæ remanere penes leprosum Coadjutum; exercitium verò penes Coadjutorem; ac ita nihil esse speciale in leproso, ut propter scandalum & abominationem removendus omnino sit ab administrationis officio; cùm idem sit in lepra, quod in aliis infirmitatibus, ut nullo scilicet casu ægroto viventi alius substituatur, nisi eo remanente juxta opinionem veriorem & communiorem, ut testatur Abb. *in c. tua n.* 4. & pro qua est textus apertus *in c. de Rectoribus*, ut inquit Fagn. non cavillando literam, formatur siquidem ibi quæstio de leproso, & tamen Papa jubet illi dari Coadjutorem; ergo necessariò supponit, propter lepram eum non desinere esse Prælatum quò ad jus & habitum curæ; quia aliàs non esset, qui coadjuvaretur, & sic deficiente principali, nempè Coadjuto, deficeret & accessorium, nempe Coadjutor. Neque dici potest, hanc decretalem intelligendam solùm de eo, qui non erat adeò infectus leprâ, ut posset in collegio suo remanere. Cum hic intellectus repugnat apertè verbis textûs, utpote quæ clarè loquuntur de totaliter infectis, ut patet ibi: *lepræ maculâ usque adeò infectis, quod altari servire non possint, nec sine magno scandalo illorum, qui sani sunt, ecclesias ingredi.* Fagn. *cit. n.* 5. Neque dici potest intelligendum de Episcopo, qui propter lepram ex toto non amovetur propter vinculum arctius inter ipsum & Ecclesiam; cùm textus loquatur expresè de Rectoribus ecclesiarum habentibus curam animarum, quorum appellatione ex proprietate vocabuli veniunt inferiores curati, juxta *c. fin. de præb. c. ex transmissa. de decimis. c. ad audientiam il.* 1. *de Eccl. ædif.* Fagn. *n.* 5. Ad hæc *c. de Rectoribus*, loquitur de Coadjutore dando Rectori ab Episcopo, adeóque loqui non potest de Episcopis, ut pote quibus non dantur Coadjutores nisi à Papa Fagn. *cit. n.* 5. qui etiam *n.* 7. subjungit, pari modo intelligendum textum *in c. tua*, ubi dicitur, leprosum removeri ab administrationis officio; quia sacerdos leprosus privatur officio actualis administrationis, retinet tamen dignitatem seu officium, quòd in jus sonat; quia illi præstanda nihilominus obedientia in his quæ utiliter mandat.

6. Infirmitas mentis seu dementia, & furor. *c. unico* §. *si verò. de cler. agrot. in* 6. Tusch. *l. C. concl.* 402. *n.* 3. Fagn. *in c. consultationibus. n.* 23. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 9. Barbos. *jur. eccles. l.* 3. *c.* 10. *n.* 11. citans insuper Riccium *in pr. fori. eccles. p.* 4. *resol.* 543. *n.* 4. Bertach. *tract. de Episc. p.* 2. *l.* 4. *n.* 24. Anchar. *cons.* 188. &c. qui posterior est Fagn. *loc. cit. n* 40. loquitur de Generali perpetuo Humiliatorum, qui ex causa supervenientis dementiæ à summo Pontifice amotus fuit ab officio Generalatûs, & consuluit, literas ad instantiam partis desuper impetratas non valere, nec debere executioni mandari tanquam contra jus. & *n.* 7. Idem Ancharan. rationem reddit; quia valetudo corporis dementia vel defectus alius superveniens absque culpa non est justa causa remotionis ab officio, sed dationis Coadjutoris. Unde etiam *l. qui furore ff. de statu homin.* & *l. cum furiosus ff. de judic.* dicitur, furiosum retinere Magistratum ante furorem obtentum. Fagn. *loc. cit. n.* 43. Tradit quoque Gonz. *loc. cit. n.* 93. juxta. Navar. *cons.* 1. *de cler. agrot.* quòd licet impetrari non possit dignitas aut Canonicatus ejus, qui incidit in amentiam, possit tamen impetrari à Papa Coadjutoria cum futura successione dictæ dignitatis vel canonicatûs ab aliquo, de cujus persona verisimiliter crederetur, quòd non captaret mortem illius, & tali casu dicit, se credere quòd Papa concederet illam Coadjutoriam præcedente commendatione Episcopi vel Capituli; cùm redundet in utilitatem Ecclesiæ.

*Quæst.* 343. *An, & qualiter illiterato detur Coadjutor?*

RESpond. Illiteratura & imperitia est causa sufficiens dandi Coadjutorem. Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 7. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 3. Gonz. *loc. cit. n.* 29. citans Cardin. *cons.* 20 *n.* 1. Hostiens. *in c. quoniam, vers. sed si de off. Ordinar.* Sic illiteratis & imperitis parochialium ecclesiarum Rectoribus, si aliàs honestæ vitæ sint, deputat Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus Coadjutores pro tempore. Barbos. *loc. cit. n.* 12. citans Sbrozium *de off. Vicar. l.* 2. *q.* 212. Leo *in pr. fori eccles. p.* 2. *c.* 2. *n.* 7.

*n.71.* Ricc. *in pr. fori eccles. decis.574. n.1. aliàs* 494. Idque secundùm expressam dispositionem Conc. Trid. *sess.21.c.6.* per quam innovari cit. *c. quoniam.* ait Gonz. *loc.cit.* citans Grilenzon. *cons.5.n.5.* Ugolin. *de off. Episc.c.54.n.2.* Campan. *in diverf. Rubr. juris. rub.5.c.5.* Navar. &c. juxta ipsissima Tridentini verba *loc.cit.* ubi: *quacunque appellatione, & exemptione remota.* Unde jam hæc Coadjutoris datio vigore Concilii non erit attentata, quamvis sit executa post appellationem interpositam à sententia ejus, qui judicialiter processit; quia per illud decretum tollitur appellatio ad effectum suspensivum, sive facit, ut si huic assignationi interponatur appellatio, non suspendatur tamen dictæ assignationis executio, tametsi fuerit ad superiorem appellatum. Castropal. *tract.13. d.1.p.9.n.6.* Barbos. *loc. cit. n.9.& 10.* juxta Rotæ *decis. in Dertusin. Archipresbyteratus.* 16. *Nov.*1594. non autem ad effectum devolutivum. Castrop. Barb. Garc. *ll. cit.* juxta declarationem S. Congregat. poteritque ea appellatio interponi apud Metropolitanum, non obstante, quòd Episcopus procedat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, nisi quando procederet contra exemptum ut delegatus; tunc enim appellatio interponenda apud Sedem Apostolicam. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 11. quin etiam *num.* 12. ostendit, quandonam possit, aut non possit Episcopus prætextu, quòd sit Sedis Apostolicæ delegatus declinare jurisdictionem Metropolitani. Poterunt quoque ad hanc Coadjutoris deputationem in hoc casu procedere ii, ad quos spectat institutio. Garc. *loc. cit. n.8.* juxta declarationem, ut ait, S. Congregationis. Non tamen ista potestas constituendi in hoc casu tali Parocho Coadjutorem censetur comprehensa in generali Vicariatûs commissione. Sbroz. *loc.cit. n.2.* Barbos. *loc. cit. n.15.* citans Riccium *ubi ante.* Navar. *in singular. can. concl. 56.n.3.* Narbon. *de appell. à Vicar. ad Episc. part.1. n.210.* Porrò in hoc casu Coadjutus abesse non poterit, ne melioris conditionis sit stultus quàm literatus. Gonz. *loc.cit.n.30.* juxta dispositionem Tridentini *loc.cit.* dicentis: *propter deputationem Coadjutoris, Parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse à residentia.* Dicuntur autem ad hunc effectum illiterati seu imperiti illi, qui inhabiles sunt ad explorandas ea, quæ incumbunt muneri, & oneri beneficii, quod habent, & secundùm dignitatem, statum & officium, ad quod assumuntur. Barbos. *loc. cit.n.* 13. citato Riccio *in pr. fori eccles. part.4. resolut.* 547. Ventrigl. *loc.cit. n.*14. qui etiam *n.*15. addit, hæc non verificari in penitus illiterato, utpote cui non sit dandus Coadjutor; cùm ejus provisio sit nulla. Sed quid si scientiam habitam amisit? Notandus quoque hìc est textus posterior Tridentini *loc. cit. Eos verò, qui turpiter & scandalosè vivunt, postquam prænonitifuerint, coerceant & castigent; & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta SS. Canonum constitutiones, exemptione & appellatione semotâ, privandi facultatem habeant &c.* Ex his enim illud confici videtur, istiusmodi illiteratos curatos seu destitutos necessariâ scientiâ, accedente mala, & scandalosa vita, etsi fortè nondum omnino incorrigibiles, facilius amoveri à beneficiis posse.

*Quæstio* 344. *An propter negligentiam & remissionem dari possit Coadjutor Prælato.*

REsp. affirmativè. Si enim id factum à Papa Regi remisè & negligenter se habenti in administratione regni, prout est casus *in c. 2. de supplenda negligentiâ Prælatorum in 6.* Gonz. *gl. 5. §. 9. n.25.* potiore jure id poterit Papa respectu Prælati ecclesiastici. Castrop. *tract. 13. d. 1. p. 9. n.4.*

*Quæstio* 345. *Qualiter dilapidatio sit causa dandi Coadjutorem?*

REspond. Prælato, dum is suspectus est de dilapidatione bonorum Ecclesiæ, dandus Coadjutor. Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. n. 12.* Barbos. *juris eccles. l. 3. c. 10. n. 20.* Gonz. *loc. cit. n. 27.* citantes Abbat. *in c. venerabilis, not. 4. de off. deleg.* & *in c. Heli, de simon. n.8.* Mandos. *in reg. 2. q. 5. n.6.* Et in hoc casu providendum de Coadjutore, quò ad temporalia tantùm, si de cætero spiritualia bene administret. Ventrigl. *loc.cit.* Paris. *de resign. l.7. n.*10. siquidem juxta impedimentum Coadjuti conceditur Coadjutor. Sic si temporalia administrare potest, solùm conceditur Coadjutor pro spiritualium administratione, & è contra si spiritualia administrare potest, conceditur solùm pro administratione temporalium. Castropal. *tract.13. d.1.p.9.n.2.* citans Azor. *instit. mor.p.2.l.3.c.2.q.10.* Barbos. *p.3. de potest. Episc. alleg. 63. n. 13.*

*Quæst.* 346. *An, & qualiter concedendus Coadjutor ab hostibus capto?*

REspond. Ab hostibus capto dandus Coadjutor in spiritualibus & temporalibus. Ventrigl. *loc. cit. n.*11. Barbos. *Iuris Eccles. l.3.c.*10.*n.8.* Gonz. *loc. cit. n.28.* citantes Rebuff. *tract. de nominat. q. 8. n. 27.* juxta *c. si Episcopus. de suppl. negl. prælat. in 6.* & *Clem. 1. de foro compet.* sed reflecte quid dictum aliàs, nempe Episcopo capto ab infidelibus devolvi administrationem ad Capitulum.

*Quæst.* 347. *An, & qualiter concedendus Coadjutor ob numerositatem populi?*

REspond. Propter auctam populi numerositatem providendum est Rectori de Coadjutore. Barbos. *loc. cit. n.* 16. Gonz. *loc. cit. n.25.* citantes Cæsar. de Grass. *decis. unic. de Paroch.* non enim datur exinde justa causa dividendi parochiam, sed adhibendi ministros Coadjutores, dum solus Rector eodem tempore pluribus infirmis providere non potest. Barbos. *loc. cit.* citans Rotam *in Aquilan. nullitatis. erection.* 10. *Maji* 1613. Verùm vel ex his postremis patet, Episcopum non posse in hoc casu dare Coadjutorem propriè loquendo. Ventrigl. *loc. cit. n.* 16. Vide à nobis dicta

in *Foro benef. p.1. ubi de Parochiis.*

CAPVT

# CAPUT QUARTUM.

## De Causa formali, seu forma & modo concedendi & impetrandi Coadjutorias.

*Quæstio* 348. *Quis modus concedendi Coadjutoriam temporalem?*

RESpond. Præterquam, quòd temporalis Coadjutoriæ forma sat clarè doceatur in *titulo de Cler. agrot.* dum Rector ecclesiæ sublevandæ debilitatis gratiâ Coadjutorem temporalem ab Episcopo desiderat, solennitas alia non requiritur, quàm juret, non valere se præ infirmitate munus sibi incumbens explere. Remouch. *de Coadjut. c.* 10. *n.* 4. Et si fuerit persona suspecta simulationis, quæ delicatula fortè potiùs ad excutiendum onus id petat, & per aspectum corporis aut aliter verisimiliter probare nequit infirmitatem seu inidoneitatem, adhiberi debet medici & domesticorum attestatio. Remouch. *loc. cit. n.* 5. citans Vallens. *ad tit. de Cler. agrot. n.* 3. Dum verò alius præ senio, infirmitate, aut alio quovis impedimento detentus negligit aut recusat ex tenacitate & metu deperdendæ alicujus portiunculæ ex obvenientibus petere Coadjutorem in ecclesiæ & subditorum grave præjudicium, dandus est illi etiam invito Coadjutor temporalis authoritate Episcopi vel superioris, justificatâ tamen priùs qualitate & inidoneitate Coadjuti. Remouch. *loc. cit. n.* 6. Verùm de isto Coadjuvandi consensu infra accuratiùs.

*Quæstio* 349. *Quis in genere sit modus dandi Coadjutorem cum futura successione?*

RESpond. Coadjutoriis his concedendis tam respectu electivorum (quales in Germania sunt Episcopatus, Monasteria, & ferè Præposituræ, Decanatus similésque dignitates) quàm beneficiorum voluntariæ collationis, formam claris terminis præscribit Tridentinum *loc. cit.* nempe quòd coram Papa expositis & approbatis causis necessitatis, aut evidentis utilitatis ecclesiæ, & per illum approbatis, prout & qualitatibus à jure requisitis, is det Coadjutorem cum futura successione, aliàs gratia hæc sit subreptitia & nulla. Barbos. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 47. quam tamen formam Remouch. *loc. cit. n.* 10. ait, non ita restringendam, quin multa alia ex tacita consequentia juxta antiquos Canones, & pro ecclesiarum utilitate, quibus dandus talis Coadjutor, pariter inesse seu requiri intelligantur. Unde sit

*Quæstio* 350. *Qualis requiratur dictarum causarum, & qualitatum cognitio?*

1. RESpond. Requiritur, ut hæc causa necessitatis, aut evidentis utilitatis diligenter discutiatur à Pontifice, uti & in Coadjutorem assumendi qualitates, ita ut certum ei sit, qualitates omnes in eo concurrere, quæ à jure & decretis ejusdem Concilii in Episcopis requiruntur. Barbos. *loc. cit.* causáque illa & qualitates ideo diligenter examinata & probata requiruntur; quia istiusmodi Coadjutoriæ omni jure detestabiles sunt, & solo stylo inventæ, ut ait idem Barbos. ex Sanch. *cons. mor. l.* 2. *c.* 2. *dub.* 64. *n.* 1.

2. Tametsi autem textus Concilii videatur de forma requirere cognitionem judicialem, particula tamen illa *diligenter* aliud non vult, quàm indaginem & scrutationem aliquam extrajudicialem causarum, cùm judicialis disquisitio pertineat solùm ad contentiosa judicia; in gratiosis verò Principes contententur, moveríque soleant informationibus & attestationibus extrajudicialibus. Remouch. *c.* 10. *n.* 12. Solet tamen fieri illa causarum & qualitatum cognitio à Papa in Consistorio per Cardinales, Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *n.* 15. Remouch. *n.* 13. Card. de Luca *de Regular. d.* 53. *n.* 14. ubi, quòd, ut Papa arbitrium suum in concessione gratiæ coadjutorialis bene interponat, petitionem Coadjutoris examinandam remittit ad consultationem S. Congregationis Consistorialis, gerentis partes Assessoris seu Consultoris Papæ, qui ex laudabili & prudente stylo circumspectè in hac materia procedere solet, idque propter arduitatem & momentum negotii. Loquuntur enim hi AA. de Coadjutore Episcopi, & Card. de Luca de Coadjutore Abbatis. Unde à contrario non videtur requiri illa cognitio facta consistorialiter, dum expetitur Coadjutor pro inferioribus beneficiis, puta Canonicatu &c. alióve beneficio non solito provideri consistorialiter. Unde jam etiam opùs non esse gratiam Coadjutoriæ talis expediri in forma *dignum*. Imò nec sic expeditam cum remissione ad Ordinarium super veritate narratorum sufficere propter apertum & clarum sensum Concilii in particulis *priùs & coram*. & quòd dicatur: *qualitates concurrere certum sit*. quasi sufficiat, quocunque modo Papam consistorialiter certum fieri & plenè informatum ait Remouch. *loc. cit. n.* 14. & 15.

*Quæstio* 351. *Si ergo mortuo jam Coadjuto contingat, alterius, ad cujus collationem aliàs spectâsset Coadjuti beneficium, authoritate provideri de eo, contemptâ Coadjutoriâ, prætendendo, causas ejusdem esse falsas, & gratiam nulliter & subreptitiè impetratam, Coadjutor teneatur justificare causas in gratia Coadjutoriæ insertas, aliàs cesset omnis reservatio & gratia?*

RESpond. affirmativè, Lotter. *de re beneficiaria. l.* 2. *q.* 25. *n.* 33. & 34. & ex eo Remouch. citans Gemin. *in c. præsenti. n.* 2. *de off. Legat.* inest enim semper clausula: *salvo jure tertii. & si*

*pre-*

*preces veritate nitantur.* Et cùm gratia Coadjutoriæ principalis sit invalida & subreptitia, clausula accessoriæ futuræ successionis est omnino inefficax, cessátque omnis affectio & reservatio. Remouch. *loc. cit.* ex Garc. *p. 5. cap. 1. num.* 174. de quo postremo vide dicta à nobis supra *quæst.* 323.

*Quæstio* 352. *Num in datione Coadjutoriæ cum futura successione requiratur consensus Ordinarii collatoris?*

1. Respond. primò: Non solet Papa Coadjutorias perpetuas, sortituras suum effectum, pro quocunque mense vacaverit beneficium Coadjuti, in præjudicium, seu sine consensu Ordinariorum, sive ad quos aliàs spectat illius in mense ordinario vacaturi collatio, concedere; ita ut hi, contingente vacatione dicti beneficii in mense suo illud liberè conferre possint, non obstante titulo coadjutoriali, utpote nullo, sub- & obreptitio ac inefficaci, nisi fortè Coadjutoria concessa cum clausulis generalibus (hæc enim valida videtur) aut specialibus isti eorum conferendi potestati derogantibus. Remouch. *c. 5. num.* 13. *& seq.* Idque multò minùs respectu ordinariorum Collatorum Germaniæ ratione Concordatorum tanta cum solennitate, ex causa unionis & tranquillitatis publicæ inter Ecclesiam Romanam & inclytam illam Nationem Iuitorum & stipulatorum, vi quorum favorabilius longè, quàm aliarum provinciarum istiusmodi Concordatis non gaudentium Ordinariis, nec non cum veræ pactionis specie constituta illa alternativa. Quæque signanter excludunt omnes exspectativas, reservationes ac collationes, reducúntque respectu sex mensium materiam illam provisionis beneficiorum ad dispositionem juris communis, quo Episcopi juxta *c. omnes Basilicæ. & seq. 16. q. 7.* & Garc. *p. 5. c. 1. num.* 52. beneficiorum omnium quovis mense vacantium sunt collatores ordinarii. Remouch. *num. 16.* Unde concludendum, ut Idem ait *num.* 17. in Germania non dari per Pontificem, nec admitti hujusmodi Coadjutorias, nisi cum consensu Ordinariorum. Unde jam etiam sustinenda non erit gratia coadjutorialis respectu dignitatum collativarum, seu non electivarum cadentium in alternativa ex hoc capite, quòd consensus Coadjuti seu possessoris regulariter requisitus censeatur habere vim resignationis ad manus Papæ, quem constat posse, non obstantibus etiam Concordatis, quovis mense admittere resignationes. Nam verum non est, quòd dictus consensus habeat propriè vim & speciem resignationis. Remouch. *cap. 5. num.* 29. *& seq.* juxta dicta à nobis supra.

2. Respondeo secundò: Collatorum quoque ex indulto talium, seu habentium jus conferendi, dura sunt Episcopi, consensus requisiti videtur ex eadem ratione; quòd nimirum habeant intentionem jure communi fundatam conferendi beneficia in omni mense, ita ut tale indultum, quo scilicet datur facultas conferendi beneficia vacantia in mensibus Pontificiis reservatis non augeat propriè competentem iis potestatem conferendi, nec tam sit privilegium, quàm quòd per indultum illud removeatur impedimentum obstans per reservationes Apostolicas. Gratian. *discept. forens. c.* 127. *num.* 19. Gonz. *gl.* 24. *num.* 24. *& seq.* vel ad minimùm requiratur specialis & expressa derogatio indultorum illorum in datione Coadjutoriæ contenta. Remouch. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Prælatorum aliorum, Collegiorum, Universitatum &c. quibus citrà assistentiam illam juris communis extraordinariè, & ex mero indulto competit facultas nominandi vel providendi consensus non requiritur; eò quòd indulta eo casu nitantur favore & privilegio speciali, soléntque emanare ob privatam sæpe utilitatem respectu certorum beneficiorum verè per obitum certis tantùm mensibus Apostolicis vacantium, ac salvis reservationibus, præventionibus, gratiis exspectativis & iis beneficiis, quæ contingeret Papam per manus appositionem afficere. Qualia sunt juxta sententiam plurium ea, respectu quorum concedit Coadjutoriam. His non obstante, quòd fortè aliquibus hisce indultis inserta prærogativa gaudendi quò ad hoc indultis Germaniæ ad instar, cum decreto irritante; dum illa respicere potest executionem duntaxat, seu modum conferendi taxativè respectu illorum beneficiorum verè per obitum, non verò fictè seu alio modò vacantium, vel reservatorum, per exspectativam aliámve manûs appositionem affectorum. Quin & licèt ista indulta tollerent gratias tales præventivas; quia tamen sunt merè privilegia juris communis assistentiâ carentia, eórumque concessio non officit, quò minùs integra pleniórve potestas inabdicabiliter remaneat penes concedentem Papam, hinc tacita & virtualis derogatio resultans exercitè ex contraria dispositione sufficit; cùm ut Gonz. *gl. 5. §. 9. num.* 12. Mohed. *tit. de privilegiis. decis.* 10. *&c.* & nos supra. Solùm respectu Cardinalium, quibus fortè concessa facultas conferendi, sublatis etiam præventivis Rota resolverit, requiri expressam in Coadjutoriis derogationem. Ita ferè Remouch. *loc. cit. n.* 18.

*Quæstio* 354. *An requiratur quoque consensus patroni, dum beneficium, respectu cujus datur Coadjutoria, est juris patronatus?*

Respondeo: Requiri consensum patroni laici; sicut enim istiusmodi beneficia non possunt conferri sine consensu patroni, ne avertantur Christi fideles à piis fundationibus, ita nec Coadjutoria perpetua censetur per Papam concedi, nisi concurrente patroni consensu; eò quòd per Coadjutoriam transferatur aliqualis titulus. Remouch. *c. 12. num.* 17. *& cit. c. 5. num.* 28. citans Lambert. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 6. principal. a. 2. num.* 1.

* * * * * * * *
* * * * *
* * *
*

*Quæstio 355. Num consensus quoque electorum seu habentium jus ad eligendum, necessarius sit ad concedendam Coadjutoriam perpetuam respectu beneficiorum electivorum?*

1. REspond. affirmativè. Wamesius *Iuris Pontif. conf.* 16. *n.* 5. simpliciter inquiens: nunquam subsistitisse videtur Coadjutoria; eò quòd obtenta sit sine consensu Capituli, sine quo præcedente consensu eorum, quorum interest, Coadjutoria obtineri non debet, & aliter obtenta subdola & obreptitia censetur; pro quo citat Oldrad. *cons.* 44. Idem habet Card. de Luca *de Canon. & Capit. disc.* 27. *n.* 4. ubi: *Papa desiderare solet non solùm Coadjuti, sed & Capituli consensum.* Et *in annotat. ad Concil. Trid. d.* 45. *n.* 10. ubi: quòd Papa prudenter ad occurrendum aliquibus inconvenientibus Coadjutorem concedere non soleat sine consensu Capituli. Rationem quoque, cur hic consensus adhiberi soleat hanc dat Cardin. de Luca *cit. d.* 53. *de Regular. n.* 14. ne aliàs eis invisum, odibilem vel malè meritum præficiat Successorem.

2. Major verò hujus consensûs requirendi in Germania est necessitas, ubi nec solent nec possunt illæsis ejus concordatis hæ Coadjutoriæ in electivis concedi sine consensu Capitulorum; adeóque contingente vacatione Dignitatis electivæ quovis mense licitum esse Capitularibus procedere ad electionem, non obstante titulo coadjutoriali tanquam nullo, nisi ad summùm, si id fieri possit, in concessione illius derogatum expresè isti potestati eligendi vi Concordatorum relictæ Capitulis. Remouch. *cit. n.* 13. *& seq.* Atque ita servari & servandum in Germania, ut non dentur per Papam nec admittantur Coadjutores in electivis, præterquam prævia electione per Capitulum seu potiùs prævio consensu Capitularium, concurrente speciali placito & indulto pontificio cum cognitione causæ. Remouch. *cit. c.* 5. *n.* 17. Ac proinde ibi non tenet id, quod ita absolutè pronunciat Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 4. ubi ait: *Clarum est, Cathedrales non posse assignatos à Papa Coadjutores non admittere.* Hinc etiam licèt Papa invito quandoque Coadjuto possit concedere Coadjutorem, de quo infrà, absque eo, quòd per hoc contraveniat Concordatis (in his enim solummodo jus Collatorum & Electorum præservare intendit, non ipsorum beneficiatorum, quanquam etiam hi jus nullum habeant designandi sibi Successorem in beneficio, aut etiam impediendi, ne hic aut ille designetur Successor post mortem) licèt illæsis quoque Concordatis Papa ex paterna sollicitudine volens prævertere imminentia Ecclesiæ pericula, Episcopum & Capitulares monere possit, quin &, ubi rationabiliter inviti, astringere, ut Coadjutorem cum futura successione postulent; adhuc tamen Capitularibus inconsultis, aut non consentientibus dare vel obtrudere hunc vel illum Coadjutorem nequit, etiam Episcopo solo desiderante, quin per hoc lædantur Concordata. Pari modo licèt, ut sit Card. de Luca *de Regular. d.* 52. *num.* 14. concessio talis Coadjutoris dependeat à mera gratia Papæ, stétque penes illius solius arbitrium, Coadjutorem petitum concedere vel denegare, non tamen Coadjutorem non petitum dare, non est meri arbitrii Papæ, suppositis & stantibus Concordatis. Quamvis denique, ut rectè Card. de Luca *loc. cit. n.* 15. absurdum sit, potestatem Papæ in concessione Coadjutoriæ omnimodam habere dependentiam à consensu Capitularium, absurdum tamen non est, vi antecedentis voluntatis suæ in Concordatis inclusæ, sine dicto consensu Papam Coadjutorem concedere non posse; quod dependentiam propriè multóque minùs omnimodam non sonat; sed potiùs, ut loquitur Remouch. *cit. c.* 5. *n.* 25. quòd causa efficiens Coadjutoriarum respectu potestatis sit solus & principaliter Papa; respectu verò voluntatis seu legis directivæ causa sint Ordinarii & Capitula juxta Concordata, saltem per modum consensûs: contra quod loquitur Card. de Luca *cit. n.* 14. desideratur consensus ille, non quòd is necessarius sit, neque quòd Capitulum ipsum jus vel participationem habeat in ipsius gratiæ concessione. Nam etsi non participet de gratia hac, quatenus ea præcisè consistit in ipso beneplacito & indulto Papæ, in tantum tamen de ea dici potest participare, in quantùm sine ejus consensu Papa illud beneplacitum non haberet; & licèt jus non habeat designandi Coadjutorem, jus tamen habeat vi Concordatorum, ne is sibi se inconsulto aut non consentienti designetur.

3. Porrò num consensus Capitulorum uti & Ordinariorum ita sit necessarius, quin Papa illis expresè derogando non possit independenter ab eorum consensu reddere gratiam coadjutoralem omnino efficacem, dependet à celeberrima illa & decantata toties in Universitatibus quæstione, num nimirum Papa tanquam absolutus beneficiorum dominus possit ex plenitudine potestatis derogare Concordatis. Quod qui negant secuti Rebuffum, quem favore regii Senatûs Parisiensis pro Decanatu Andegavensi, sic resolvisse testatur Remouch. *cit. c.* 5. *n.* 22. eâ potissimùm ducuntur ratione, quòd Concordata rationem veri contractûs & pactionis utrimq; onerosæ contineant, cui jure naturæ stare teneantur etiam summi Principes. Ad quod tamen quid responderi possit ac soleat, dictum à nobis satis in *Foro beneficiali.* De cætero hanc controversiam hac distinctione temperandam censet Remouch. *num.* 23. nimirum attendendum, num Papa derogaret ex vera, justa & rationabili causa; an verò gratia nullam, vel falsam contineat causam; & in hoc secundo casu posse Ordinarios, contemptâ gratiâ jure suo uti censet; eò quòd tunc Papa non tam deroget Concordatis quam ipsimet æquitati & rationi, à cujus tamen dictamine non censetur ex quacumque plenitudine solutus deflectere.

*Quæst. 356. An dictus Capituli consensus importet veram electionem aut postulationem?*

1. REspond. ad primum: Tametsi ista præstatio consensûs vocari soleat electio, ubi solenniter, & ad normam electionis veræ celebrata; referátque etiam speciem quandam electionis, de cujus forma bene vel malè servata in Congregatione consistoriali peragi solent quæstiones, non est tamen vera & formalis electio. Remouch. *c.* 10. *n.* 36. Card. de Luca *ad Trid. d.* 45. *n.* 10. ubi etiam, quòd propterea de facili sanari soleant istæ nullitates, quæ districta juris censurâ aliàs obstare solent. & *de Regular. d.* 53. *n.* 14. & expressiùs *de Canonic. & Capitul. d.* 27. *n.* 4. ubi: hujusmodi actus capitulares (intellige præstationes consensûs, quamvis in forma electionis explicari soleant, atque juxta communem loquendi usum electiones dicantur; attamen in effectu simplicem consensum importare dicuntur; ac propterea agendi solet

solet ipsum solum factum, non curatis nullitatibus super non bene servata forma de juris stricta censura servanda; ut ita scilicet Papa certus reddatur, majorem partem Capituli, per quam illud totum dein repræsentatur, Coadjutoris deputationi assensum præbere &c. Sive ut habet idem Card. *n.25. juncto loc.cit. ad Trid. n.10.* ut quoquo modo per istiusmodi simplices actus capitulares certum se reddat de consensu Capitularium. Quin imò, etsi viciniùs ad rationem electionis accedat, dum una ex pluribus personis per vota Capitularium absque eo, quòd præviè à coadjuvando illis quis propositus sit, in Coadjutorem denominatur; quàm dum solùm præstant vel negant vota sua, seu consensum in unam personam certam per Prælatum coadjuvandum in Coadjutorem optatam seu petitam; siquidem in hoc posteriore casu prorsus deviat à natura electionis, utpote quæ manifestè importat delectum unius vel alterius rei, vel personæ è duabus vel pluribus juxta *c. in causis. & seqq. de Elect.* Verumtamen adhuc est contra naturam & effectum electionis. Nam primò electio propriè dicta nihil sit aliud quàm personæ idoneæ ad dignitatem vel munus aliquod vacans canonicè facta vocatio; & sic electio ecclesiastica vera ac formalis facienda non nisi de Episcopo seu Prælato Ecclesiæ viduatæ. Card. de Luca *de regular. d.27. n. 25.* cum communi; ut proinde electioni canonicæ nunquam sit locus, nisi actu vacante dignitate per mortem civilem vel naturalem Prælati *c. bonæ memoriæ. de elect. & c. abeuntibus. 35. dist. 13.* in præsente autem nulla est vacationis figura aut species. Remouch. *loc. cit. n.41.* Secundò electio propriè talis nititur juro, tribuitque electo etiam ante confirmationem jus ad Prælaturam & actionem, ut confirmetur, & per eam initiatur vinculum matrimonii spiritualis inter electum & Ecclesiam, præstatio verò illa consensûs Coadjuti & Capitularium solâ gratiâ, & beneplacito Papæ nituntur, nec ullum jus ex se conferunt. Remouch. *n.42.* & AA. passim. Præterea plurimas alias qualitates, quas electio ratione temporis, loci, formæ, personarum planè differentes habet ab illa præstatione consensûs per suffragia. Unde jam, dum Capitula quædam in dicta consensûs sui præstatione procedunt per modum formalis electionis cum scrupulosis illis juris formalitatibus & subtilitatibus, prætérque illius naturam & juris necessitatem, adeóque, ut loquitur Lotter. *de re benef. l. 3. c.17. n.15.* formam pinguius adimplent, id, inquam, faciunt, tum ut suum in eo negotio affectum & zelum testentur, actúmque magis celebrem reddant. Remouch. *n.43.* tum ut privatæ singulorum Capitularium intentiones odii declinandi causâ per scrutinium secretum celentur.

2. Resp. ad secundum, licèt hæc consensûs præstatio vicinùs postulationis, quàm electionis naturam præ se ferre videatur, in quantùm etiam hæc suo modo innititur gratiæ, & de se nullum jus tribuit ad Prælaturam; multùm tamen etiam à postulatione illa propriè tali, de qua est titulus *1. lib. 1. Decretal.* differt. Nam neque postulationi illi locus est, nisi vacante actu Prælaturâ, utpote per quam à Capitularibus à Papa alióve petitur concedi gratiosè, & dispensativè in sponsum Ecclesiæ viduatæ persona, quæ laborat impedimento Canonico, in quo dispensari potest ac solet. Ad hæc per solam admissionem postulationis confertur postulato jus plenum in beneficio; cum sapiat talis admissio electionem, & confirmationem. Lotter. *loc. cit. n.232. & 233.* cum communi. Neque potest usquequaque rejici citra injuriam postulati & ipsius Ecclesiæ. Lotter. *loc. cit. n.235.* juxta *c. penult. de postulat.* & *ibi* Gl. *v. nullum.* & Abb. *ibid. n.2.* Roman. *cons.330. sub n.20.* Adeò, ut si postuletur ab inferiore (nempe qui confirmare habet, & in tali impedimento dispensare) is possit à Papa adigi ad illam recipiendam. Lotter. *n.236.* Host. *n.12.* Neque reputetur materia simpliciter gratiosa, ut non magis dicatur justa & æqua, etiam dum ejus admissio fit à Papa, potissimùm, si esset unanimiter celebrata. Lotter. *n.237.* citans Butrium *in cit. c. bonæ. n.46.* Ac denique easdem ferè qualitates ad sui formam præscriptas à jure ratione loci, temporis, personarum habet, quæ electio, uti fusè hæc omnia videre est in *meo Foro benef. p.2. sect. 2. c.1.* ac proinde non jam in sensu canonico, sed non nisi abusivè, & in sensu omnino vulgari, quo dicimur postulare, & petere gratiam ab aliquo, hæc consensûs præstatio facta per vota & oblata Papæ dici poterit postulatio.

3. Ex quibus jam legitimè infertur, si consensus ille rationem nec electionis, nec postulationis rigorosæ rationem habeat, non curari nullitates ex juris subtilitatibus resultantes super non bene servata in dicta præstatione consensûs forma aliàs de jure præscripta electioni & postulationi, similésq; nullitates faciliùs sanari juxta dicta *respons. 1.* ex Cardin. de Luca. Porrò *disc. ille 52. de Regular.* est super causâ Coadjutoriæ Abbatiæ Sigburgensis Archidiœcesis Colonienſis, ubi in eligendo Coadjutore prætendebantur commissi defectus sequentes. Primò, quòd quidam eligentium non fuissent constituti in sacris, adeóque incapaces ferendi votum in Capitulo. Secundò, quòd actus ille capitularis gestus non fuisset in Monasterio, in loco solito electionis. Tertiò, quòd plures Capitularium, qui statuto die non comparuerant, ex post factæ isti electioni Coadjutoris adhæsissent per actus singulares. Quos quidem prætensos defectus etsi Cardinalis de Luca ostendat non nocuisse in istis circumstantiis, etiam stante necessitate servandi accuratè formam illam rigorosam electionis: verumtamen dicendo, se ista ad exuberantiam ac præter causæ necessitatem deduxisse, cùm non ageretur de confirmatione concedenda vel denegandâ veræ ac formalis electionis, quæ facta esset de Prælato Ecclesiæ viduatæ, & ad quem effectum de electione disputari solet in forma judicii, ac per rigorosos tramites juris coram eo, ad quem confirmatio spectat, justitiam commutativam administrando; sed solùm de Coadjutoria &c. Hinc inquam satis ostendit idem Cardinalis, memoratos illos defectus posse poni pro exemplo regulæ, seu esse tales, qui in electione Coadjutoris non curandi, vel saltem de facili veniant sanandi, uti *loc. cit. n.18.* id expresè magis de tertio illo defectu significat, dum ait: ex inde de plano resultabat responsio ad objectum circa vota singularia data per Monachos extra Capitulum, ac etiam circa alia data per non constitutos in sacris, ex quorum numeratione constabat, quòd exceptis oppositoribus omnium aliorum consensus aderat; cùm ita Papa certioraretur de consensu, ad quem effectum attenduntur etiam vota extra Capitulum, quoniam aliud est vera electio seu actus capitularis solennis ac jurisdictionalis, & aliud est consensus approbativus, ut magistraliter distinguit Innoc. *in c. Genesi. de elect. in fin. &c.*

*Quæstio 357. An in designatione ista Coadjutoris perpetui ad dignitatem electivam facta per suffragia Capituli requirantur unanimia, an duæ tertiæ, an verò solùm majora seu plura, & saniora?*

1. REspond. ad primum: non requiri unanimia, ita ut solùm dependeat à voluntate mera singulorum de Collegio comparentium, dissensúsque seu contradictio unius totùm negotium vitiare & irritare possit. Remouch. *cit. c.* 10. *n.* 49. dicens, hanc sententiam esse æquiorem, ac legibus & sactis Canonibus conformiorem. Nam primò licèt requiratur, ut omnes omnino concordent, nemine excepto, ubi Capitulum gratiam petit, ut videre est in postulatione rigorosè tali. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 17. *q.* 3. licèt etiam, ut inquit Gl. *in c. cùm omnes. v. constitutum. in fine de constit. in aliis, quæ ex necessitate non sunt, nihil potest fieri, nisi omnes consentiant.* idque eo magis, dum negotium est extraordinarium, seu non consuetum, ut Bald. *in l.* 1. *Magistr. convenien.* apud Remouch. *loc. cit. n.* 48. uti in iis, quæ sunt de genere prohibitorum ac contra statuta, privilegia & concordata ecclesiæ, ut Abb. *in c. veniens. de rescript. n.* 21. Innoc. *in c. accedentibus. de privilegiis.* cujus etiam hanc generalem rationem reddunt AA. quòd in arduis explicandis agatur de interesse singulorum de Collegio. Remouch. cum Felin. & Decio *in cit. c. cùm omnes.* Licet, inquam, in dictis materiis ita sit; adeóque jam etiam ita obtineat in præsente, si consensus ille verè esset mane étque merè gratiosus, dependens à sola voluntate Capitularium absque ulla causa necessitatis aut interventu authoritatis pontificiæ. Remouch. *loc. cit. n.* 49. locum tamen non habet in materia Coadjutoriæ, utpote fundata in beneplacito Apostolico, necessitate & utilitate evidente Ecclesiæ, ita ut non sufficiat consensus omnium & singulorum Capitularium in Coadjutorem, si desit causa legitima, aut non concurrat authoritas pontificia, in qua proinde materia consensus non aliter adhibetur, quàm sub beneplacito illo Apostolico, qui per appositionem manûs cognitionémque causarum necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, ac denique per concessionem gratiæ coadjutorialis facit ejusmodi consensum de voluntario necessarium, inducítque necessitatem assumendi Coadjutorem. Remouch. *n.* 54. Urgéntque hæc à potiore, ubi Papa motu proprio volens prospicere Ecclesiæ, & non rogatus mandavit aut monuit Capitulares designare Coadjutorem; vel etiam ubi ad petitionem Capitularium vel coadjuvandi indultum pontificium præcessit denominationem illam Coadjutoris per suffragia. Secundò quemadmodum jus ipsum activum eligendi Successorem in Episcopatu vel Prælatura Capitulis à jure, aut vi Concordatorum concessum non est in favorem Canonicorum seu Capitularium ut singulorum, sed ipsorum Capitulorum & Ecclesiarum, adeóque conservatur per suffragationem, etsi non unanimium, sed plurium convenientium in unam personam, ita quoque indultum illud seu potestas designandi Coadjutorem, & sic præventivè quasi Successorem in prælatura; cùm pari modo hic & nunc concedatur non in favorem Capitularium ut singulorum, sed ipsorum Capitulorum seu ecclesiæ, præservatur per assensum, etsi non unanimem in designanda Coadjutoris persona, absque eo, quòd vel sic ullius, puta, non consentientis juri contraveniatur; vel etiam sic præventivè designando Successorem Germaniæ Concordata lædantur. Ad hæc, quòd dum dicitur omnium consensum requiri, quando res pertinet ad singulos, & de jure singulorum agitur, juxta *Regul. juris* 29. *in* 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*: id intelligendum, dum negotium in solidum & unicè pendet ab eorum potestate; non autem, quando non tantùm concurrere debet, sed etiam prævalet potestas & authoritas alterius, uti accidit in Coadjutoriis, in quibus iste consensus, etiam unanimis nihil proficit, deficiente authoritate Apostolica. Remouch. *loc. cit. n.* 51. qui id ipsum exemplificat in permutatione beneficiorum jurispatronatus laicalis, pertinentis ad plures patronos; quorum quidem omnium consensus requirendus, sufficit tamen præstitus non ab omnibus: imò fieri potest hæc permutatio authoritate Superioris, dum ita exigit utilitas Ecclesiæ contradicentibus non solùm aliquibus, sed & omnibus horum patronorum. Tertiò confirmationis loco adjici potest, quod habet idem Remouch. *loc. cit. n.* 50. nempe secuturum hoc absurdum, quòd etsi stantibus causis necessitatis & utilitatis Ecclesiæ, etiam consentientibus omnibus tum temporis Capitularibus, seu habentibus jus suffragii, non tamen forè vix unquam locum successioni, sive vix unquam clausulam illam, *cum futura successione*, habituram effectum, reclamantibus nimirum post obitum coadjuti Canonicis priùs non vocalibus & interea factis vocalibus; eò quòd si major pars Capituli obligare nequeat contradicentes tunc præsentes, multò minùs obligare possit absentes & successores, dum hi re adhuc integra, hoc est, necdum secuta successione evadunt præsentes seu capaces ferendi suffragii. Ad quod tamen facilè respondere posse videtur dicendo, quòd si pro tempore vocales omnes unanimiter, prout requiritur consenserint, per supervenientem Apostolicam concessionem nominati Coadjutoris cum futura successione per modum affectionis intercluſa sit omnis via nascituris dein Canonicis impediendi istam successionem eveniente morte Coadjuti.

2. Respond. secundò: neque requiruntur duæ tertiæ suffragiorum. Tametsi enim postulatio canonica seu propriè talis, ut admittatur, requirat duas tertias, dum concurrit cum electione. Lotter. *de re benef. l.* 3. *q* 17. *num.* 241. Passer. *in. de elect. c.* 24. *num.* 55. cum communi juxta textum *c. scriptum. de elect.* in præsente tamen neque est postulatio talis propriè, ut dictum *quæst. præced.* neque supponitur, vel etiam potest esse electio personæ in Coadjutorem, multóque minùs in Successorem Prælati, utpote adhuc viventis. Unde jam consequens est, ut sufficiant majora vota, prout ad electionem & postulationem propriè talem, dum hæc non concurrit cum electione, sufficit. Quod ipsum & exinde confirmat Remouch. *loc. cit. n.* 53. quòd, si non imerito revocetur in dubium, an non Papa ex plenitudine potestatis possit cõcedere Coadjutorias, neglectis Concordatis & capitulis sive in electivis, sive in collativis, opiniónq; affirmativa tunc demum procedat, si saltem expressè ex justa & magna causa iis derogaverit, eo magis id possit interveniente consensu majoris partis Capituli, quantò facilius contemni possunt particulares nonnulli absque ope

alicu-

alicujua derogationis aut clausulæ gratiosæ privilegiatæ. Quin & in hoc casu dicetur concors electio Coadjutoris, etsi unus alterve discrepent non nominando, vel nominando alium; quia quod à majore parte Capituli fit, à toto Capitulo concordi & consentiente factum censetur. Azor. *Instit. mor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 3.* juxta *c. 1. de iis, quæ fiunt à majore parte Capituli.* & quod major pars Curiæ egerit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. *l. quod major. ff. ad Municipalem.* Atque ita cum sola pluralitate votorum Capitularium à Sede Apostolica admissi in Coadjutores Maximilianus Henricus Coloniæ; Ferdinandus Episcopus Paderbornensis Monasterii; Josephus Clemens Hildesii. Sic notandum nihilominus, quod habet Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 13. n. 29.* hisce expressis: *Si tamen agatur de deputando Coadjutorem Episcopo dementi, requiritur, quod interveniat consensus duarum partium ex tribus Capituli, cum in aliis sufficiat, quòd interveniat major pars Capituli.* Item, quod habet ibidem ex Geminiano *in c. unic. de Cler. ægrot. in 6.* nempe quòd sufficiant, quòd in conclusione seu deliberatione Capituli duæ partes ex tribus ejusdem Capituli interveniant, & tunc, quòd major pars istorum Capitularium facit, debet sortiri effectum tanquam factum à majore parte Capituli.

*Quæstio* 358. *An denominatio illa Coadjutoris perpetui necessariò, seu de forma substantiali requirat prævium indultum Papæ, quâ illi dicta nominatio permittatur; an verò sufficiat, Capitulares ad dictam nominationem procedere ante omne indultum Papæ, & dein à se factam Papæ offerre, exspectareque ejus beneplacitum?*

1. REspondeo: Tametsi meliùs & securiùs ad nominationem Coadjutoris (præsertim dum ea per modum electionis instituenda) vigore indulti desuper jam priùs à Papa ex causis necessitatis vel utilitatis coram illo deductis probatisque concessi procedatur; eò quòd dum hac ratione Capitulares progrediantur ex authoritate pontificia, & vel sic eorum libertate transeunte in quandam juris necessitatem, qualem ad eligendum habent tempore sedis vacantis, negotium procedat ordinatiùs. Remouch. *cit. c. 10. n. 25.* nullatenus tamen indultum hujusmodi Pontificis de jure prærequiritur, seu defectus prævii talis indulti dictam electionem seu potiùs denominationem Coadjutoris non vitiat, aut nullam reddit, tanquam destitutam aliquo ad sui formam substantialem pertinente. Remouch. *loc. cit. n. 26.* Non enim ad id asserendum cogit, quòd frequenter sic factum, nempe petitum priùs & obtentum à Capitularibus, vel etiam ultroneè à Papa concessum tale indultum; cùm non tam quid actum, quàm quid fieri debeat, spectandum sit juxta *L. liset. de off. Præf.* Gratian. *discept. for. c. 127.* Menoch. *cons. 75. num. 94. l. 1.* Neque etiam, quòd quidam ita interpretentur Tridentinum, quasi illud, dum dicit: *Coadjutor non aliàs detur, quàm hæc causa priùs à Romano Pontifice sit cognita*: per tò *priùs* præscribat ordinem & formam, quâ necessariò præmittenda causæ cognitio per Papam, & tum demum dandus per denominationem Capituli Coadjutor. Præterquam enim, quòd interpretatio legis, aut constitutionis conciliaris per personam privatam facta non sit obligatoria, aut excludat aliam meliorem, donec Princeps vel illi, ad quos ea interpretandi potestas spectat, apertè declarent aliud juxta *L. 1. de LL.* & *ibi* DD. dicta interpretatio minùs conveniens videtur primò ex eo capite, quòd tò *detur* accipi debeat in proprio significatu (in quo apud Jurisconsultos significat, & operatur translationem juris) adeóque pro datione seu deputatione canonica absoluta ultimata, quâ verè canonicè & actu instituitur Coadjutor, confertúrque illi jus in re respectu ipsius Coadjutoriæ, & jus ad rem respectu beneficii, seu prælaturæ operaturum plenum effectum, seu jus in Prælatura post cessum vel decessum coadjuti; non verò de datione aliqua ad summum inchoativa jus nullum tribuente Coadjuto, ne quidem ad Coadjutoriam, multóque minùs ad prælaturam, qualis est ista electio, seu denominatio facta per Capitulares, etiam vi talis prævii indulti, utpote non nisi quid præparatorium & dispositivum ad jus ad rem demum acquirendum per approbationem Papæ secuturam. Ad hæc, cùm, antequam Coadjutor detur, hoc est, dum non esse sui deducatur ad existentiam, & in rerum naturam, cognoscendum sit de pluribus, nempe de necessitate vel utilitate ecclesiæ, de ipso hoc consensu Capitularium & Coadjuti, de persona ipsa designati à Capitulo in Coadjutorem, & tunc demum post hæc omnia facta Concilium permittat dari Coadjutorem, seu dicat: *detur*, patet hanc vocalem aliter accipi non posse, quàm de datione illa ultimata facta per Papam. Confirmantur hæc ex eo, quòd ista electio non sit nisi nudus & simplex consensus propter clausulam adhiberi solitam & debitam, seu etiam tacitè subintellectam: *sub beneplacito sanctissimi*: isque requisitus seu adhibitus, ne videatur Capituli jus competens ei ex Concordatis Germaniæ aut speciali privilegio Ecclesiæ per Papam violatum. Ac proinde dubitari nequit, quin electio illa tanquam votum commendativum subsistat, & nihil referat, sive ipsa præveniat sive subsequatur illud indultum. Uti hoc ipsum patet in consensu Patronorum laicorum adhiberi debito in permutationibus, qui sive præstetur ante, sive post permutationem perinde est, & idem. Item confirmatur ex eo, quòd, ut habet Remouch. *n. 36.* Concil. Tridentinum id præcipuè intendat, ut informetur Papa, & recognoscat causas Coadjutoriæ; anticipata verò illa electio seu consensus Capitularium præveniens indultum Apostolicum non impediat illud Concilii intentum, aut ei præjudicet; & sic talis actus anticipatus non vitiat; quia solennitas etiam substantialis de jure requisita, dum præposterè adjicitur, non vitiat, quoties causa finalis non cessat, ut post alios docet Gail. *l. 1. observat. 101. n. 10.*

2. Sed neque desunt exempla etiam recentia, in quibus sic practicatum, ut nimirum antecedenter ante omne Breve Apostolicum sub beneplacito Apostolico denominatus à Capitularibus in Coadjutorem, dein præsentatus Papæ, causisque ab eo cognitis daretur, seu constitueretur ab eodem Coadjutor, ut videre est in Josepho Clemente Electore Colonienſi electo in Coadjutorem Hildesii.

*Quæstio* 359. *An Papa teneatur admittere seu deputare Coadjutorem perpetuum, quem Coadjutus & major saniorque pars Capituli postulavit?*

1. Respond. primò: Non teneri ad hoc Papam, etiam dum verè adest Ecclesiæ necessitas, vel evidens utilitas, ex Justitia propriè tali. Si enim tali ratione non tenetur ad admittendam postulationem propriè talem, ut tenent cum communi Laym. *in c. bonæ. de postulat. n. 6.* Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. num. 5.* Passerin. *de Elect. c. 24. num. 47.* multò minùs sic tenetur admittere postulationem Coadjutoris, quæ, ut dictum supra, in pluribus deficit à ratione propriæ, seu postulationis canonicæ. Neque quemadmodum illa fundatur in ipso jure eligendi (dum eo ipso, quod Electores jus habeant eligendi, jus quoque habeant procedendi per viam postulationis) adeóque magis adhuc quàm illa innititur gratiæ; & de qua ait Cardin. de Luca *de Regul. d. 53. num. 14. Coadjutoris concessio petita à Prælato, qui Coadjutore eget, pendet à mera gratia Papæ, qui ut suum arbitrium in hac gratiæ concessione bene interponat, petitionem examinandam remittit Consultationi S. Congregationis Consistorialis gerentis partes Assessoris seu Consultoris Papæ &c.* Ratio quoque responsionis est, quia per talem Coadjutoris denominationem oblatam Papæ jus nullum neque Capitularibus, neque designato Coadjutori, neque etiam Ecclesiæ acquiritur; adeóque sine horum injuria rejici potest. Ad hæc non minùs gratiam dispensationis continet, quàm illa propriè dicta postulatio, dum Papa Prælato coadjuvando permittit sibi designare Successorem, quod alias est contra jura; jam verò dispensare, etiam dum adest urgens ratio, non est debitum proprium Justitiæ; neque cogitur Superior ad dispensandum in sua lege, seu ad relaxandum jus ex multitudine petentium, vel etiam honestate petitionis. Laym. *loc. cit.* & Ego pluribus citatis *in Foro benef. p. 2. q. 229.*

2. Respond. secundò: Videtur tamen Papa teneri ad hoc, ubi urgens est necessitas & ingens Ecclesiæ utilitas, ex æquitate aliqua, quin & ex debito aliquo Justitiæ legalis, quatenus vi officii sui tenetur utilitati boni communis consulere, vel etiam quandoque ex debito Charitatis, non secus ac aliàs quandoque ex his virtutibus tenetur dispensare in votis, irregularitatibus, impedimentis matrimonii, si urgens adest causa, maximè publicæ utilitatis aut necessitatis, quemadmodum dici solet de admissione veræ postulationis. Laym. *loc. cit. num. 48.* Vide dicta à nobis *loc. cit. n. 2.*

3. Non tamen video, qualiter Papa etiam in illis circumstantiis non admittendo denominatum à Capitulo & coadjuvando in Coadjutorem contraveniat Concordatis Germaniæ. Non enim in iis promisit Papa, se designatum à Capitulis in Coadjutorem seu Successorem Prælati adhuc viventis admissurum; quin ne quidem canonicè postulatum sede vacante se obstrinxit admissurum; sed solùm legitimè electum, si nullum patiatur defectum, se confirmaturum.

*Quæst.* 360. *An coadjuvandus suis Capitularibus privatim, vel etiam publicè in Capitulo certam personam pro suo Coadjutore proponere & recommendare valeat?*

1. Respond. ad primum affirmativè, nimirum id eum posse privatim. Si enim Capitulares antecedenter ad electionem instituere possint tractatus privatos de persona certa eligenda; quin & ipse Capituli præses aut quivis alius de Capitulo cæteris Capitularibus proponere, & recommendare potest personam certam tanquam magis idoneam absque eo, quòd per hoc vitietur subsequens electio; quin & tales tractatus prævii informatorii & consultatorii, in quibus unus alterum informat de virtutibus aut vitiis hujus vel illius personæ eligendæ vel non eligendæ, de majore utilitate Ecclesiæ sperandæ ab hac quàm illa persona laudabiliter instituuntur, & ad bonam electionem sunt necessarii, secus, ne accidit in tractatibus ambitiosis, factionalibus, conditionalibus, aut etiam simoniacis; multò minùs nocebit secuturæ illi denominationi Coadjutoris talis propositio & recommendatio certæ personæ tanquam magis idoneæ facta à coadjuvando ipso, modò stet intra limites recommendationis, nullum metum aut vim inferens, preces armatas vel importunas continendo, ut quandoque contingit. Neque enim hac ratione tollitur aut minuitur libertas Capitularium, præsertim si vota ferantur per scrutinium occultum. Neque etiam minùs per hoc prospicitur utilitati & bono Ecclesiæ, dum coadjuvandus ipse præ cæteris optimè præsumitur nosse statum, & necessitatem Ecclesiæ suæ, modò tamen in hoc non plùs quàm æquum, tribuat carni & sanguini, magis spectando familiæ suæ, suorúmque exaltationem, quàm sponsæ suæ Ecclesiæ decorem & utilitatem. Quin & sic proceditur suaviùs & connaturaliùs, magisque consulitur tranquillitati, dum non obtruditur coadjuvando persona ei suspecta, ingrata & invisa; & vel sic faciliùs Coadjutori præbetur ansa captandæ mortis Coadjuti. Quamvis de cetero non sit contra Coadjutoriæ naturam & essentiam, personam à coadjuvando commendatam præterire, & eligere aliam; cùm suffragia Capitularibus remaneant libera. Et licèt necesse sit, coadjuvandum præbere consensum in denominationem Coadjutoris, sive ut sibi detur Coadjutor, non tamen necesse est, ut ipse consentiat in personam denominatam.

2. Respond. ad secundum quoque affirmativè, nimirum posse per se loquendo idipsum coadjuvandum publicè in Capitulo, si enim id fieri potest privatim, nihil obstat, quò minùs id fieri quoque possit palàm, quamvis per accidens id quandoque fieri non expediat, dum fortè hìc & nunc exinde animorum aversio, diffidia, aliáve mala meritò timentur secutura.

*Quæst.* 361. *An post capitularem resolutionem de habenda electione Coadjutoris, sive de aliquo in genere in Coadjutorem postulando, à jure statutum tempus, intra quod facienda est denominatio certi, & determinati Coadjutoris?*

Respond. negativè. Cùm enim neque sit electio, neque postulatio propriè talis, quibus à jure

à jure certum tempus statutum, nempe menses tres, *c. ne pro defectu. de elect.* idque ne Ecclesia diutiùs Sponso vel Prælato viduata remaneat, aliáque ex inde mala patiatur, non est isti nominationi, quæ non fit sede vacante sed plenâ, non est statutum neque hoc, neque aliud tempus post factam illam resolutionem, vel etiam post obtentum indultum Pontificium. Nihilominus aliunde iste actus diu differendus non est ob allegandas aut allegatas in literis ad Papam causas urgentis necessitatis, vel evidentis utilitatis Ecclesiæ. Uti ob paritatem rationis diu quoque differenda non est præsentatio factæ jam istius denominationis, quâ ea præsentanda Papæ, ut ab eodem acceptetur.

*Quæstio 362. An ut procedi queat ad denominationem alicuius in Coadiutorem, qui habet impedimentum aliquod canonicum, ob quod eligi non potest, sed jolùm postulari ad dignitatem, respectu cuius concedenda Coadiutoria, egeat indulto Apostolico, habilitante illum ad hoc?*

1. REspondeo negativè; cùm enim, ut dictum sæpe, talis denominatio Coadjutoris non sit electio, sed vicini jùs accedat ad naturam postulationis, non requiritur indultum eligibilitatis, sed sufficit factam de eo denominationem in Coadjutorem per literas offerre Papæ, manifestando tamen simul illius impedimentum Canonicum, quod patitur nominatus in Coadjutorem, ut fieri solet in postulatione propriè tali; tum enim Papa maturè discussis omnibus, eundem deputando Coadjutorem, omnia impedimenta canonica tollere, & quò ad ea dispensare censetur. Ex quibus jam

2. Infertur primò, quòd sicut patiens impedimentum Canonicum obstans ejus electioni in Prælatum, etsi nullo indulto eligibilitatis instructus non eget ad sui legitimam postulationem in Prælatum duabus tertiis votorum; ita nec talis quis potiùs iis egeat ad hoc, ut legitimè denominatus in Coadjutorem censeatur, quàm qui nullum patitur impedimentum.

3. Infertur secundò tale indultum Apostolicum dispensativum super electione passivæ, v. g. ut quis habens jam Episcopatum eligi possit ad alium Episcopatum, otiosè & frustra produci in ordine ad hoc, ut denominari possit in Coadjutorem, quidquid sit de eo, num sapiat præstationem consensûs ante postulationem, adeóque ambitionem reddentem indignum, qui denominetur in Coadjutorem. Quemadmodum de facto, ut videre est apud Card. de Luca. *de can. & capit. d. 27. n. 22.* in negotio Coadjutoriæ Monasterienſis sub Alexandro VII. in S. Congregatione consistoriali hoc ipsum allegatum fuit contra Ferdinandum Episcopum Paderbornensem ab Agente seu Advocato Maximiliani Henrici Electoris Colonienſis ibidem comparente. Qualiter tamen immaturus ille, & positivus consensus electioni de se faciendæ, ut exinde resultet ambitus repellens ab electione passiva, non infertur à tali indulto misso ad capitulum, vel producto in illo, dum actus ille productionis aliud non continet quàm denunciationem remotionis aliàs certi & notorii impedimenti, idque pro sola notitia, ut capitulares id scientes possint regulare se & vota sua, vide apud Cardin. de Luca. *loc. cit. num. 24.*

*Quæstio 363. Num requiratur quoque consensus coadiuvandi?*

1. REspondeo primò in Coadjutoria cùm futura successione requiritur ille consensus; & quidem ante omnia, & magis quàm consensus Capitularium, ita ut alioqui gratia Coadjutoriæ sit ipso jure nulla. Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n. 58.* Lotter. *de re benefic. l. 2. q. 25. n. 21.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. §. unico. n. 58.* Gonz. *ad regul. 8. gl. 5. §. 9. n. 52.* Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 1 §. 13. n. 30.* ubi: necesse est, ut interveniat consensus coadjuti ad hoc, ut illi dari possit Coadjutor, qui nunquam datur invito cum futura successione, ut Rota *decis. 313. n. 27. part. 7. recent.* Et in effectu, cùm tempore Urbani VIII. quidam voluissent attentare Coadjutoriam cum futura successione pinguioris beneficii in Comitatu Venayssino, nunquam voluit Papa talem Coadjutoriam futurámque successionem invito beneficii possessore concedere. Cardin. de Luca. *de regular. d. 53. n. 16.* ubi: attento stylo magis necessarius est consensus ipsius Coadjuti; unde propterea (intellige ex defectu hujus consensûs) gratia Coadjutoriæ corruit. Remouch. *c. 10. n. 11.* ubi: inter cetera primum locum obtinet, quòd gratia futuræ successionis peti nec obtineri possit, nisi prævio consensu Prælati (intellige Coadjuvandi) aliàs gratia sit ipso jure nulla. Et sic in Coadjutoriis hujusmodi locum habet *regula 44. de præstan. consensu.* Gonz. *loc. cit. n. 10.* Lotter. *loc. cit. n. 23.* Idque non propterea, quia præstatio hæc consensûs sit resignatio, aut speciem resignationis habeat. Lotter. *loc. cit. n. 24.* sed ut tollatur amaritudo illa, quæ est in obtrusione illa Coadjutoris facta invito potiùs, q[uæ] à n quæ est in exclusione voti captandæ mortis, ut volunt Lotter. & Remouch. *ll. cit.* quia, ut dictum supra, votum illud in Coadjutore per hoc non excluditur, quòd Coadjutus consenserit in deputationem Coadjutoris.

2. Respondeo secundò. Potest tamen Papa, ubi justa accedit causa, quin & solet etiam laudabiliter quandoque Prælato, quamvis non consentienti, quin & invito dare ejusmodi Coadjutorem. Card. de Luc. *loc. cit.* Fagn. *in c. ex parte de cler. ægrot. n. 4.* tractat Card. de Luca expresè de Coadjutore perpetuo. De Coadjutore non perpetuo, num invito dari queat, Fagn. *in c. consult. de cler. ægrot. n. 22.* remittit ad Jo. And. *in idem c. n. 10.* Si enim Papa tanquam supremus & absolutus Dominus in beneficialibus tollere potest Prælaturas, ac etiam ex justa causa cogere Episcopum, ut dimittat Episcopatum (pro quo Card. de Luc. *de regul. d. 53. n. 17.* citat Barbos. *de potest. Episc. allegat. 113. n. 9.* & seipsum *de regular. d. 148.* contra Fagn. *in c. consultat. de cler. ægrot. n. 24. & seq.* cui quamvis aliàs docto ac probo Canonistæ ait hac in parte non deferendum, nisi fortè ea, quæ deducit, intelligenda veniant in foro interno) multò magis dare potest Coadjutorem, etiam sine ejus consensu, ac propterea ille negligi potest, multòque magis ille subditorum. Card. de Luc. *loc. cit.* per quæ postrema verba, si intelligat capitulares, id non subsistit respectu concordatorum Germaniæ, quibus illæsis, potiùs ille consensus coadjuti quàm Capitularium negligi potest juxta dicta à nobis supra.

3. Resp. tertiò. Sic in casu dilapidationis coadjuvando invito dari consuevit Coadjutor cum ablatione administrationis, à qua de jure veniat perpetuò suspendendus. Lotter. *loc. cit. n. 25.* Sic quoque Tondut. *loc. cit. n. 31.* inquit: si tamen adessent

causæ, propter quas coadjutus beneficio privandus esset, veluti propter magnam ignorantiam, vel ob timorem dilapidationis, & imperitiam gubernandi; tunc posset summus Pontifex Coadjutorem invito dare, quæ tamen causæ concludenter probandæ essent; quia Pontifex nunquam intendit juri tertii derogare, & illis non probatis gratia esset nulla.

*Quæstio* 364. *Num Coadjutor obtinens gratiam* perinde valere *ob aliquem defectum suæ provisionis teneatur requirere novum consensum Coadiuti.*

REspondeo Non requiri in ista gratia revalidatoria novum consensum; quia præsumitur durare, cum semel fuerit præstitus, nisi contrarium probetur; tum quia, si per primum actum non satisfit menti disponentis, intelligitur de secundo. tum etiam, quia gratia revalidatoria non sit res totaliter nova, sed quoddam adjunctum primæ. Tondut. *loc. cit. c.* 4. § 4. *n.* 9. & 10.

*Quæstio* 365. *Num Coadjutus, postquam semel consensit, possit recedere à suo consensu?*

REspondet absolutè affirmativè Card. de Luca. *de regular. d.* 53. *n.* 16. hisce expressis: qui consensus Coadjuti præstitus, re integra, revocari potest. Neque his contradicit Tondut. dum *p.* 1. *c.* 1. §. 13. *n.* 17. inquit: cùm semel sub prætextu infirmitatis Coadjutus petierit à summo Pontifice sibi de Coadjutore provideri, non potest dein infringere dictam provisionem Coadjutoris, allegando, se non esse amplius suppositum infirmitatibus. dum eadem ferè repetit *p.* 2. *c.* 194. *n.* 15. ubi: cum Prælatus, aut alius quilibet à Papa petit, sibi dari Coadjutorem propter infirmitatem, non potest dein pœnitendo allegare, se non amplius esse infirmum, quando Coadjutor datus est perpetuus, & cum futura successione. Nam paret illum loqui, re non amplius integra, sed Coadjutoriâ jam completè constituta.

*Quæstio* 366. *An & qualiter non subsistat consensus Coadjuti per vim & metum extortus?*

REspondeo consensum illum per metum injustum, & veram coactionem esse nullum. Adeoque ex iade gratiam Coadjutoriæ esse nullam. Cardinalis de Luca *de benef. d.* 78. *à n.* 6. ubi de consensu Coadjuti incarcerati. Posita enim probatione talis metus & coactionis, resultat nullitas actus, ut patet ex toto *titul. de eo, quod metûs causâ* & specialiter in terminis resignationis cum Paris. *de resign. l.* 13. *q.* 1. *n.* 120. Sæpius tenuit Rota apud Card. de Luc. *loc. cit.* Procedit que id ipsum, etiamsi metus directè ipsi coadjuto seu possessori beneficii incussus non fuerit, sed ejus fratri vel alteri conjuncto, injustè v. g. in carcerato, aut aliter concusso ad hunc effectum extorquendi consensûs Card. de Luc. *cit. n.* 6. qui etiam *n.* 7. subjungit in specie de incarceratione, quòd, ut actus gestus in carcere dicatur gestus per vim vel metum, duo copulativè requiri. Primò ut incarceratio sit injusta. Secundò quòd ordinata sit ad actum illum faciendum, sive quòd actus ille tendat ad commodum carcerantis, vel ejus, qui procuravit injustam incarcerationem seu ejus conjunctorum. Pro quo citat Farinac. *q.* 35. *n.* 32. & plures Rotæ decis. & in terminis beneficialibus decis. Rotæ *in Vercellens. Præpositura coram Bichio* 132. & 141. *p.* 10. *recent.*

*Quæstio* 367. *An & qualiter consensus Coadjuti præstari possit per procuratorem?*

REspondeo præstari posse hunc consensum per procuratorem ad hoc à Coadjuto specialiter constituto dubitari non potest, dum passim in terminis beneficialibus sic præstari possit & soleat consensus. v. g. à Patronis permutationi & resignationi. Unde dubium totum remanet in eo, num, & qualiter id fieri posset, mandante seu coadjuto jam mortuo, aut post mandatum ab ipso revocatum. Ad quorum primum dicitur, præstari adhuc valide hunc consensum per procuratorem post mortem mandantis coadjuti, quoties illo adhuc vivente & re integrâ supplicatio signata fuisset; cùm tunc consensus retrotrahatur ad diem datæ ob præsumptum seu implicitum consensum resultantem ab ipsa porrectione supplicationis ac diligentiâ, ut illa jam signata daretur. Cardin. de Luc. *de benef. d.* 42. *n.* 9. & in terminis resignationis Lotter. *l.* 2. *q.* 23. *n.* 24. ubi sic videmus signatâ & datatâ supplicatione beneficii posse adhuc præstari consensum per procuratorem cedentis seu resignantis defuncti post ipsam datam. Paris. *de resign. l.* 9. *q.* 24. *n.* 14. citatis quamplurimis juxta sententiam communem. Ad secundum quoque dicitur posse quoque præstari cum effectu hunc consensum per procuratorem post revocationem mandati, quamdiu ista revocatio procuratori vel dataria officialibus non innotuerat juxta clarum textum *clem. unic. de renunc.* Vide, quæ hac in parte dicta sunt ac dici solent de præstando consensu resignationi per procuratorem, & huc applica.

*Quæstio* 368. *An & qualiter Coadiutoriæ expediri soleat cum antedata de stylo datariæ?*

REspondeo solet dataria in concessione hujusmodi Coadjutoriarum apponere antidatam seu datam anteriorem. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 6. quemadmodum etiam in provisionibus beneficiorum ad præveniendum Ordinarium adjici solet ista antidata. de quo, qualiter id contingat vide Lotter. *l.* 2. *q.* 23. *à n.* 14. Estque hoc ipsum honestum & sustineri potest in eo solùm casu, quo procuratores tam Coadjutoris quàm Coadjuti in curia præsentes vivunt in bona fide, & in justa credulitate, quòd res adhuc sit integra, opinando, quòd uterque nempe Coadjutor & Coadjutus adhuc vivat. secus enim foret & appositio illa antidatæ non justificabitur, aut sustinenda est, dum fieret post habitam notitiam rei non amplius integræ cognitam à procuratoribus mortem Coadjuti celantibus idipsum datariam, quia idipsum esset decipere officiales Datariæ, qui non nisi ex præsuppositio illo bonæ fidei dictum stylum ad praxin deducere solent. Card. de Luc. cit. n. 6. sed neque Dataria, etsi ejus aliàs maxima sit in hujusmodi beneficialibus authoritas, ita ut lacerare queat hujusmodi supplicas, etiam manu Papæ signatas re adhuc integrâ, hoc est, ante earum registrationem: non tamen conceditur ei aut licet tollere jus quæsitum alteri (cùm & ipse Papa per *regul. cancel. de jure tertii quæsito non tollendo*, profiteatur se id non velle) adeóque in præsente, dum sciret mortem Coadjuti, ejusque beneficium collatum alteri, apponere in concessione Coadjutoriæ antedatam, & sic per fictionem illam tollere jus jam quæsitum tali proviso Card. de Luc. *loc. cit. n.* 2. *& seq.* Porrò stylus ille apponendi antedatam in statu bonæ fidei inolevit

pro

pro quadam cautela ex rationabili motivo reddendi tutum Coadjutorem existentem ultra montes, stante magnâ distantiâ & notabili impensa, quam pro hujusmodi Coadjutoriis facere oportet.

*Quæstio 369. Concessio gratiæ Coadjutorialis quandonam censeatur perfecta?*

RESP. Non post signatam, sed priùs post registratam supplicationem dicta concessio perfecta, & tribuit jus considerabile. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 3. citans binas Rotæ decis. in quibus tamen teste Card. de Luc. firmatur, quòd si registratio in libris sequatur ex intervallo, & de illa non agatur in ordine ad effectum facultatis datarii illam lacerandi, sed ad alium effectum intermediæ provisionis inter signatam seu datam & registratam, id non præjudicet; quoniam negligentia registratoris non debet tollere jus quæsitum proviso.

*Quæstio 370. Qualiter igitur sustineatur gratia Coadjutorialis, dum tempore datæ mortuus Coadjutus?*

1. RESpond. primò cùm Coadjutoria cum futura successione contineat duas gratias distinctas & planè diversas; unam Coadjutoriæ ipsius seu officii Coadjutoris, quæ respicit favorem Coadjuti; alteram futuræ successionis, quæ respicit favorem Coadjutoris. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 53. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.* 40. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q* 25. *n.* 46. juxta dicta à nobis supra, certum est secundùm omnes, gratiam illam primam Coadjutoriæ, utpote quæ (dum essentialiter respicit Coadjutum viventem seu personam coadjuvandam, & in officio sublevandam existentem in rerum natura) exspirat per mortem dictæ personæ Coadjutæ, non substitisse, nec unquam potuisse sortiri effectum seu effectuari (qualiter ea effectuatur per acceptationem & adeptionem possessionis officii Coadjutoris factam per ipsum Coadjutorem. Tondut. *loc. cit.*) sed ab initio fuisse nullam, si tempore datæ illius jam cesserat, vel decesserat Coadjuvandus. AA. citati cum Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 130. Proinde id solum dubitatur in præsente, an deficiente in hoc casu mortis coadjuvandi prima illa gratiâ Coadjutoriæ, altera illa gratia futuræ successionis firma subsistat & effectum suum consequatur. Ad quod

2. Resp. Secundò in hoc è diametro oppositum sentire AA. nam primò affirmativam tenet Gonz. *loc. cit. n.* 55. & *seq.* & eum secutus Tondut. *loc. cit.* ubi is expresè: duæ illæ gratiæ, quamvis in eadem supplicatione contentæ, adeò diversæ sunt, ut licèt priot defuerit, & Coadjutoria effectum secuta non fuerit propter aliquod impedimentum, tamen maneat in suo statu & efficacia posterior gratia, nempe successionis futuræ, ut dicit Puteus decis. 98. *l.* 2. ubi decidit, quòd licèt gratia Coadjutoriæ non fuisset valida, tum ex eo, quòd coadjutus non egebat Coadjutore, tum etiam, quia coadjutus vitâ functus erat, ipsa tamen futuræ successionis gratia debebit suum sortiri effectum, & Coadjutor obtinere beneficium mortui coadjuti vigore hujus gratiæ futuræ successionis, tanquam diversæ à gratiæ Coadjutoriæ, & nullo modo ab ea dependentis, sed per se subsistentis. Fundant se hi AA. ut vides ex postremis hisce verbis, quòd gratia illa successionis prorsus non dependeat à prima illa gratia Coadjutoriæ, ac præcipuè in clausulis, quæ hodiedum in hujusmodi Coadjutoriarum gratiis apponi solent in literis; utpote quibus exprimitur, quòd futuræ successioni sit locus: *etiamsi beneficium actualiter vacet tempore datæ.* Tondut & Gonz. *ll. cit.* nec non adjicitur clausula illa, ut habet Gonz. *n.* 56 *ex nunc pro ut ex tunc, & è contra: & si ipse tempore vacationis hujusmodi Coadjutoris officium exercere non inceperit, aut per illum steterit, quò minùs illud exercuerit, & præfatas literas dicto N. Coadjuto, aut venerabili Fratri nostro Episcopo & dilecto Filio Capitulo, ac illi vel illis, ad quem seu quos forsan pertinet, non intimaverint, authoritate nostra conferas & assignes &c.* uti ex harum Coadjutoriarum similibus clausulis instructas formulas ponat Mandos. *ad regul.* 11. *q.* 6. *n.* 3. quin & recentiores earum formulæ uberioribus adhuc clausulis abundent. Confirmat & exemplificat hæc eadem pluribus Gonz. nimirum in dispensationis gratia ad validandum Matrimonium, & ad prolem legitimandam concessa, quæ gratia utpote continens duo æque principaliter; nimirum mandatum de dispensando, ut tales, qui nulliter contraxerant, manete posse in matrimonio contracto, & potestatem legitimandi prolem, licèt quò ad matrimonium habere non possit effectum propter intervenientem mortem unius illorum, qui nulliter contraxerant, valeat tamen & executioni danda, quò ad legitimationem prolis, etiam in præjudicium venientium ab intestato, pro ut tenuit Rota *in Tarraconens. illegitimatis* 22. *Octob.* 1546. & *in Syracus. illegitimitatis* 19. *Octob.* 1579. Gonz. *n.* 57. Item in gratia subrogationis gratiosæ continente pariter duo diversa, subrogationem ad litem, & subrogationem quò ad possessionem defuncti, unde lite existente nullâ, cesset, seu nulla sit ad illam subrogatio; valebit tamen subrogatio ad possessionem, Gonz. *n.* 58. citans pro hoc Bellamer. *decis.* 115. Lancell. *de attentat. p.* 2. *c.* 4. *in præfat. n.* 410. *& seq.* ac Rotam *in Legionens. Prioratus.* 27. *Junii* 1584. Et horum dat rationem Gonz. *n.* 59. nempe quòd inconveniens non sit, eandem gratiam pro una parte esse validam, & pro altera invalidam; & sic, licèt cesset quò ad partem invalidam, sustineatur tamen quò ad alteram validam. pro quo citat *c. si eo tempore. de rescrip. in* 6. & Felin. *in c. sedes. n.* 1. *de rescript.* Item quòd defectus intentionis in una parte gratiæ non vitiet gratiam in altera parte distinctâ, in qua cesset defectus intentionis, pro quo citat idem *c. si eo tempore.* & Felin. *ubi ante. n.* 2. Abb. *in cit. c. sedes. n.* 5.

3. Secundò sententiam negativam tenent Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 51. Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 34. cum Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 130. Lotter. *loc. cit. n.* 47. dicens hanc sententiam esse verissimam, quam postea secuta sit Rota *in Seguntina. Canonicatûs.* 26. *Novemb.* 1616. *coram Manzanedo.* Unde etiam si gratia Coadjutoriæ est subreptitia; quia fortè ætas, aut infirmitas coadjuti; vel alia causa narrata non est vera, corruit etiam futura successio. Garc. *loc. cit. n.* 133. Fundant se hi AA. in omnino contrario; nempe, quòd licèt gratia Coadjutoriæ sit dividua & separabilis, tamen ex mente Papæ, & ipsius Coadjutoris sit individua. Barbos. *jur. eccles. l.* 3. *c.* 30. *n.* 92. & gratia illa futuræ successionis sit subordinata, Lotter. *loc. cit.* & omnino dependeat ab illa prima gratia Coadjutoriæ; cum detur illi ratione Coadjutoriæ, seu ut Coadjutori. Garc. *loc. cit. n.* 131. sive detur Coadjutori futura successio in remunerationem obligationis, quam subit pro Coadjuto serviendi. Castrop. *loc. cit.* qui etiam hanc sententiam confirmat ex eo, quòd concedatur ei jus ad beneficium vacaturum; quia conceditur ei jus ad beneficium à coadjuto possessum, si autem Coadjutus mortuus sit tempore datæ,

tæ, adeóque vacet ejus beneficium, quo modo dabitur jus ad vacaturum. Neque obstare dicunt hi AA. clausulam, quâ Papa dicit se concedere Coadjutori successionem, etiamsi beneficium actualiter vacet de tempore datæ; eò quòd per hoc intelligatur etiamsi vacet de jure & de facto. Garc. *loc. cit. n.* 132. Castopal. *loc. cit.* vel etiam, quòd *tò vacet* referatur ad omnes alios modos vacandi, quàm ad hunc modum vacandi per obitum, ne videatur Papa contradicere expressioni sive illi, quod exprimit in literis, nimirum quòd Coadjutus vivat, & supplicet. Lotter. *loc. cit. n.* 48. qui etiam *n.* 49. addit, non deberi attendi, sive non facere contra hanc sententiam, quòd consensus Procuratoris Coadjuti præstari possit post mortem Coadjuti; eò quòd hoc procedat ex termino habili retrotractionis ad diem datæ, quo tempore adhuc vivebat supplicans. Illud tamen etiam secundùm hos AA. certum est, quòd si tempore datæ adhuc vivebat Coadjutus, licèt decederet, antequam prima illa gratia Coadjutoriæ sortiretur effectum, & antequam Coadjutus vel etiam Coadjutor de ea notitiam haberet, adeóque nec cepisset exercere Coadjutoriam, adhuc esset locus successioni; licèt enim tunc Coadjutoria exspiraret per obitum Coadjuti, tamen ab initio tenuit gratia Coadjutoriæ, & consequenter valet successio, & ex hoc jam dicitur gratia successionis sortita effectum. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 131.

*Quæst.* 371. *Num in impetratione Coadjutoriæ debeat fieri mentio beneficiorum præhabitorum à Coadjutore.*

Respond. affirmativè. Remouch. *c.* 12. *n.* 36. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 59. ubi: Coadjutor tenetur facere mentionem de beneficiis, quæ habet, saltem ratione futuræ successionis, aliàs gratia in totum vitiatur. citat pro hoc præter alios Garciam *p.* 4. *c.* 4. *in addit. dub.* 38. eadem habet Barbos. *de jur. eccles. l.* 3. *c.* 10. *n.* 92. & eadem repetit *de can. & dignitat. c.* 29. *n.* 21. Idque verum non tantùm de beneficiis, quæ residentiam expostulant cum servitio Coadjutoriæ incompatibilem, utpote quæ simul cum ea retineri nequeunt; sed etiam de beneficio simplici non habente residentiam incompatibilem cum Coadjutoria, argumento *c. si motu proprio. de præb. in* 6. & *clem.* 2. *de off. ordinar.* qui textus etsi loquantur de collatione beneficii, & non de jure ad ipsum; quámque collationem Papa irritat, si facta fuerit habenti beneficium, in cujus impetratione non fecerit mentionem præhabiti. Attamen, cùm ex jure ad beneficium collatio beneficii inferatur, & sit quasi quædam inchoata collatio exequenda tempore vacationis, etiam in istius juris ad beneficium, qualis est Coadjutoria, collatione facienda mentio cujuslibet beneficii, ac si de facto non jus ad beneficium, sed ipsum beneficium collatum esset. Castrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 48. citans Garc. qui etiam *num. seq.* ait ob omissam talis beneficii etiam simplicis mentionem gratiam Coadjutoriæ nullam esse, non solùm quò ad futuram successionem, sed etiam quò ad ipsam gratiam Coadjutoriæ, seu quò ad servitium; eò quòd Coadjutor non intendat se obligare ad servitium illud, nisi successio illi concedatur; neque etiam Papa alio modo obliget, quàm concedendo Coadjutoriam; adeóque cùm tacens præhabitum non obtineat jus succedendi, non videatur etiam obligatus ad illud servitium. Porrò quemadmodum in concessione Coadjutoriæ facienda mentio præhabitorum beneficiorum, sic etiam vicissim in provisionibus aliorum beneficiorum exprimenda est Coadjutoria. Remouch. *loc. cit.* citans Garc.

*Quæstio* 372. *Quæ verificanda sint in concessione Coadjutoriæ?*

Respond. in genere. Verificanda est narrativa sicut in quolibet beneficio, aliàs censebitur subreptitia. Gonz. *ad regul.* 8. *gl.* 5. *n.* 7. citans Puteum *decis.* 62. *l.* 2. *per totam* Caputaq. *decis.* 128. 129. 130. *& seq. p.* 1. Rotam. *decis.* 652. *p.* 1. *divers.*

*Quæstio* 373. *In qua forma expediri debeat Coadjutoria, an in forma* dignum, *an in forma gratiosa.*

Respond. in forma gratiosa. Remouch. *c.* 11. *n.* 1. ubi se non videre quomodo possit aliter expediri; cum causæ necessitatis & utilitatis, uti & qualitates Coadjutoris juxta formam traditam à Trident. debeant justificari coram Papa; nisi fortè aliquid esset super accidentalibus, seu non ita substantialibus, & quibus cessantibus non eo minùs fuisset concessa gratia, quod placuisset coram Ordinario justificandum committere. quidquid, ut ait idem *n.* 7. contrarium per corruptelam practicari videmus respectu canonicatuum &c. Porrò formulam concessionis coadjutoriæ respectu canonicatuum vide apud eundem Remouch. *c.* 8. *in fine.*

*Quæstio* 374. *An necesse sit facere publicationem concessionis Coadjutoriæ?*

Respondeo Coadjutorem cum futura successione non teneri publicationem facere juxta formam constitutionis Gregorianæ de publicandis resignationibus & jurium cessionibus. Gonz. *ad regul.* 8. *gl.* 5. §. 9. *n.* 72. & ex eo Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 57. Remouch. *c.* 8. *n.* 26. Idque quia Coadjutoriæ tales non sunt resignationes, nec jurium cessiones, in quibus præbetur consensus, ut alteri provideatur de suo beneficio statim simpliciter, perfectè & irrevocabiliter; in tali autem Coadjutoria, qui consentit futuræ successioni, consentit, ut beneficium suum provideatur alteri post mortem suam, & non se vivente. Gonz. *loc. cit. juncto n.* 71.

CAPVT

# CAPUT QUINTUM.

## De qualitatibus requisitis in Coadjutore.

*Quæstio* 375. *Quas in genere habere debeat qualitates Coadjutor?*

REspond. Requiri, ut Coadjutor sit idoneus & habilis ad supplendum defectum Coadjuti, peragendúmque munus beneficio incumbens, & habeat qualitatem in ipso Coadjuto de natura beneficii jure vel statuto requisitam. Remouch. *c.8.n.6.* citans Selv. *de benef. p.2.q.4.* & Rotam *decis.347.n.3.p.3.diverſ.* Paris. *de reſign.l.7. q.20. a.16.* Ventrigl. *tom.2.annot.13.n.46.* Castrop. *tract. 13.d.1.p.9.n.11.* ubi ex Abb. *in c. conſultationibus. de cler. ægrot.* qualitates, quas Coadjutor habere debet sunt, quas beneficium ad sui administrationem expostulat. Gonz. *gl.5.§.9.n.6.* ubi: in Coadjutore requiritur eadem ætas, idoneitas & sufficientia, quæ requiritur in alio quovis titulari. Idque juxta Trident. *seſſ.25.c.7. in fine.* sic Coadjutor debet habere qualitates requisitas ad obtinendam præbendam exemplo resignatarii. Barbos. *jur. eccl.l.3.c.10.n.88.* sic Coadjutor dandus Episcopo debet habere omnes qualitates, quas jus requirit in Episcopo. Card. Tusch. *lit.c.concl.402.n.9.* Barbos. *loc.cit.* Paris. *loc.cit.n.14.& 15.* sic Coadjutor debet esse constitutus in ea ætate quam beneficium requirit. Barbos. *loc.cit.* citans Campanil. *in diverſ. jur. can. rubric. rub.67.c.6.n.10.* Squillante *de privileg. cler. c.4.n 79.* & c. quòd tamen rectè monet Remouch. *c.8.n.7.* intelligendum, in quantùm Coadjutor deputatur in spiritualibus. Pro his tamen, & sequentibus observandum, quòd nihilominus summi Pontifices soleant quandoque in gratiam magnorum Principum etiam minoribus Coadjutorias cum futura successione concedere, etsi nec qualitates Episcopales aut abbatiales habeant; neque manifesta utilitas vel necessitas talis ecclesiæ particularis concurrant. Engels *ad tit. de cler. ægrot. n.7.*

*Quæstio* 376. *An igitur dictæ qualitates requirantur in Coadjutore actu tempore concessionis Coadjutoriæ?*

1. REspond. primò de Coadjutoriis temporalibus, quæ Vicariæ sunt, dantúrque ad supplendum ministerium, & officium, quod proprietarius exercere non potest, necessariò Coadjutor habere debet actu omnes qualitates necessarias ad ministerium & officium de facto exercendum; cùm illæ Coadjutoriæ non tam sint beneficii quàm officii. Castrop. *loc.cit.* de Coadjutoriis verò perpetuis cum futura successione

2. Respondet Remouch. *cit.c.8.n.6.* absolutè & in genere requiri, ut actor habeat, vel saltem potentiâ intra annum habiturus sit ætatem & qualitatem in Coadjuto de natura beneficii jure vel statuto requisitam. Pari modo loquitur *c.10. n.16.* ubi: qualitatum harum cognitio non venit ad literam ita strictè capienda, ut mens Concilii easdem præcisè requirat uti in Prælato, quin sufficiat illas inesse habitualiter, saltem intra annum complendas. Verùm descendendo ad particularia meliùs de hoc statuetur. Unde sit

*Quæstio.* 377. *Quæ ætas tempore concessionis Coadjutoriæ requiratur in Coadjutore?*

REspond. Dum passim AA. dicunt in Coadjutore requiri ætatem, quæ requiritur ad obtinendum beneficium, respectu cujus datur Coadjutor, Ventrigl. Barbos. Gonz. *ll. cit.* satis indicant, quòd sicut eadem ætas requiritur actu tunc, quando quis obtinet tale beneficium Barbos. *loc.cit.n.89.* citans Narbon. *de ætat. ad omn. act. human. requiſ. anno 30.q. 6.n.4.* sic quoque requiri eam actu in Coadjutore tunc, quando conceditur Coadjutoria. sic dum datur Coadjutor Episcopo, debet is habere annos 30. completos Castrop. *loc.cit.* habere enim 30. annos, non significat compleviſſe annum 29. & attigiſſe 30. & expresè Gonz. *loc.cit.n.6.* ubi: si detur Episcopo Coadjutor, debet compleviſſe annum 30, pro quo citat Selv. *de benef. p.2.q.4.n.9.* Abb. Jo. And. &c. quamvis contrarium sentiat Remouch. *cit.c.7.n.5.& 6.* dum ait: Coadjutores dantur personæ præferentes ætatem, qualitatem, doctrinam, ac idoneitatem, habitâ ratione dignitatis, vel beneficii, vel saltem habitu, infra annum à data concessionis possint ætatem & alia requisita compleviſſe. Coadjutores scilicet Episcoporum attigerint ætatem 30. annorum completorum infra annum. pro quo postremo citat Vallens. *ad decretal. tit. de ætat. præficiend. n.2.* quòd tamen dictum de Coadjutore Episcopi intelligendum, dum is ei datus Coadjutor in spiritualibus. Si enim datus tantùm in temporalibus, sufficit ætas. 25. annorum ad exemplum Tutoris & Curatoris. Remouch. *cit.c.8.n.7.* citans Selv. *de Benef. p.2.q.4.n.4.* sic in Coadjutore perpetuo parochi requiruntur 25. anni Gonz. Castrop. *ll.cit.* Remouch. *c.7.n.7.* intellige, non tantùm attacti, sed completi, sicut requiritur in parocho. Idem est de Coadjutoribus Abbatum, Præpositorum, Decanorum & aliorum jurisdictionem, aut curam animarum habentium. Remouch. *loc.cit.* sic Coadjutor Canonici ecclesiæ Cathedralis debet habere annos 21. Castropal. *loc.cit.* citans Azor. *Inſt. mor. p.2.l.3.c.2.q.6.*

*Quæst.* 378. *Quem ordinem habere debeat Coadjutor.*

1. REsp. primò. Idem Ordo requiritur in Coadjutore, qui requiritur ad beneficium, respectu cujus datur Coadjutoria. Wamesius *jur. Pontif. conſ.16.n.2.* Ventrigl. *loc.cit.n.46.*

2. Resp. secundò Coadjutoriæ temporales dari non debent nisi habentibus actu Ordinem, quem requirit beneficium administrandum juxta dicta *quæſt. ante hanc ult.* & uti id certum est in beneficiis parochialibus. fieri enim satis nequiret obligationibus talis beneficii, si constitutus ad supplendum Coadjuti defectum nequiret administrare sacramenta. Castropal. *loc.cit.p.10.n.42.*

3. Resp.

3. Respond. Tertiò in Coadjutoriis perpetuis sufficit à Coadjutore tempore concessionis haberi habitu Ordinem, quem beneficium expostulat, sive sufficit, ut intra annum ad illum Ordinem promoveri valeat. Castropal. *loc. cit. p. 9. n. 11.* Ventrigl. *loc. cit.* Barbos. *juris eccles. l. 3. c. 10. n. 90.* citantes Garciam *de benef. p. 4. c. 5. in addit. n. 130.* (vel ut Castropal. 142.) Paris. *de resign. l. 4 q. 9 n. 19.* Gonz. *loc. cit. n. 90.* ubi: sufficit, quòd Coadjutor tempore gratiæ sit in legitima ætate, ut promoveri valeat ad Ordinem requisitum pro tali beneficio, ad quod conceditur Coadjutoria, quamvis tunc ordinatus non sit. Rationem etiam solent dare hanc, quòd non sit ampliùs expostulandum in Coadjutore quàm in ipso proprietario; sufficiat autem hunc seu intitulatum & obtinentem beneficium posse intra annum ab obtento beneficio suscipere dictum Ordinem. Castropal. *loc. cit.* Procedúntque hæc ipsa in ecclesia, ubi Canonicus vigore particularis statuti tenetur esse actu sacerdos tempore promotionis; adhuc enim sufficiet Coadjutorem talis Canonici habere clericatum & legitimam ætatem ad Ordinem requisitam, ita ut intra annum possit promoveri Barbos. *cit. c. 10, n. 78.* Ventrigl. *loc. cit. n. 47.* citantes Garc. *ubi ante.* Caputaq. *decis. 127. n. 1. & 2.* quin & ne quidem tenetur Coadjutor se facere promoveri ad dictum ordinem, dum Coadjutus non vult, ut Coadjutor inserviat; cùm tunc non inserviat, ad modum, quo habens curam animarum non actu sed habitu tantùm, non tenetur facere se promoveri intra annum. Ventrigl. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. n. 79.* citantes Garciam *ubi ante.* Et hæc quidem secundùm sententiam communem, ut inquit Castropal *loc. cit.* Verumtamen distinguit ipse *loc. cit. p. 10. n. 42.* ita, ut procedat in Coadjutoriis perpetuis respectu dignitatum vel canonicatuum cathedralium curam animarum non habentium: non verò procedat in Coadjutoriis respectu dignitatum aut beneficiorum habentium curam animarum; de his enim inquit: si Coadjutor sit beneficii curam animarum habentis, existimo, constitui debere actu sacerdotem, neque sufficere, ut intra annum ordinetur; quia hujusmodi Coadjutor datur, ut per se sacramenta ministret, quæ absque sacerdotali ordine ad ministrari nequeunt. Neque ait, obstare adductam rationem, quòd ipse proprietarius, etiam curatus obligatus non sit tempore obtentionis habere ordinem illum; quia is non obligatur intra annum possessionis beneficio deservire per se, sed sufficiat deservire per alium; Coadjutor verò à die susceptæ Coadjutoriæ obligetur deservire per se; quia non debet dari Coadjutor Coadjutoris &c. Canonicatus etiam simplex administrari possit per annum à clerico in minoribus constituto, adeóque & à Coadjutore non initiato Ordinibus sacris. Contrarium tenente Parisio *loc. cit.* ubi expressè: *etiam in beneficiis curatis & dignitatibus curam animarum habentibus Coadjutoria potest concedi non sacerdoti, dummodo sit in ea ætate, in qua possit intra annum ascendere ad sacerdotium.* pro quo citat Rotam *coram Guido bono 10. Maij. 1551. in una Oxomens. archidiaconat.* Caputaq. *decis. 127. l. 1.*

4. Resp. Quartò Coadjutor Canonici, aut dignitatis non curatæ, habentis tamen annexum Ordinem, casu quo obligatus est pro Coadjuto inservire (secus est, si ad hoc obligatus non est) tenetur sicut ipse intitulatus, seu proprietarius intra annum suscipere Ordinem illi præbendæ aut dignitati annexum. Castrop. *cit. p. 10. n. 22.* dicens ab hac sententia secura non recedendum. Rationem dat, quòd ex Coadjutoria accepta obligetur non solùm satisfacere Coadjuto, si non serviat, sed obligetur ad serviendum; eò quòd alias ecclesiæ non esset satis provisum; servitium verò præbendæ habentis annexum Ordinem non possit exerceri sine tali Ordine; ideo siquidem præbenda annexum habeat ordinem, quia servitium illius illum Ordinem exigit. Unde jam ait, leves esse in contrarium rationes; nempe quòd hæc suscipiendi ordines obligatio annexa sit præbendæ, non servitio; eò quòd servitium præbendæ exerceri possit, quin actus ordinis exerceatur. Item quòd Coadjutor ad solam causativam obligationem teneatur, hoc est, ita teneatur, ut si servitium omittat, non satisfaciat Coadjuto; non verò teneatur ad obligationem præcisam.

# CAPUT SEXTUM.

## De Officio & obligatione Coadjutoris.

*Quæstio 379. Quodnam sit officium Coadjutoris.*

Resp. Coadjutoris Episcopo vel alteri Prælato aut Rectori propter senium, aut infirmitatem assignati duo sunt officia & obligationes; videlicet primò, ut Prælati seu Rectoris curam gerat; deinde curam ecclesiæ in iis, quæ pertinent ad officium Prælati, cui datus Coadjutor. Layman. *in c. ex parte. de cler. ægrot. n. 2.* Sic officium Coadjutoris Episcopi est omnia episcopalia exercere, si est consecratus Episcopus, & similiter facere, quæ non potest Episcopus. Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 15. n. 52.*

***

*Quæstio 380. An teneatur Coadjutor deservire & supplere pro Coadjuto?*

1. Resp. primò, si Coadjutor de facto non deserviat, aut juvet Prælatum in supportandis oneribus, non propterea irritabitur aut minùs subsistet gratia Coadjutoriæ; cùm pro illa sustinenda sufficiat justificare causas, ob quas ea concessa, nempe necessitatis, aut utilitatis ecclesiæ, ne scilicet illa propter impedimentum Prælati detrimentum patiatur. Remouch. *c. 13. n. 2.* Unde jam etiam illud inferri videtur, Coadjutorem vi Coadjutoriæ assumptæ præcisè non teneri inservire actu, si de hoc nihil in concessione Coadjutoriæ expressum; vel etiam, si concessa cum clausula, ut possit inservire. id enim non tam obligationem quàm liberam potestatem inserviendi pro Coadjuto importat. Navar. *cons. 1. de cler. ægrot. n. 3. & 4.*

apud

apud Castropal. *tract. 13. d. 1. p. 10. n. 2.* quamvis adhuc æquum sit, Coadjutorem in se suscipere partem sollicitudinis. Remouch. *loc. cit. n. 6.* Verùm distinguendo hæc ipsa melius,

2. Resp. secundò. Quòd si tamen ecclesia aut subditi damnum aut interesse spirituale, vel temporale juxta qualitatem necessitatis narratæ in Bulla paterentur ex culpa vel mora Coadjutoris, differentis subire onera stante impedimento Coadjuti, tenebitur in conscientia supplere Coadjutor, idque vel maximè in Ecclesiis parochialibus. Remouch. *loc. cit. n. 3. & 4.*

3. Resp. Tertiò. Etiam præscindendo à tali damno animarum, dum v. g. est Coadjutor respectu beneficii aut dignitatis non habentis curam animarum, vel, si habet curam animarum, Coadjutus per seipsum absolutè potest subvenire, Coadjuto sic volente, adhuc tenebitur Coadjutor pro eo deservire, & aliàs teneatur illi ad damnum, & interesse. Garc. *p. 4. c. 5. n. 56.* eique inhærens Castropal. *l. c. n. 3.* Idque etiamsi in literis Coadjutoriæ non dicatur, quòd teneatur inservire, uti aliàs sæpe & modernis præcipuè Coadjutoriis (intelligo, respectu canonicatuum & Rectoriarum parochialium) ad majorem cautelam & abundantiam solet exprimi, quòd Coadjutor requisitus teneatur inservire, alioqui teneatur solvere principali, quidquid propterea amiserit seu lucrari deserit. Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 122.* siquidem id est ex vi coadjutoriæ assumptæ seu ex natura officii; assumitur enim coadjutoria, ut coadjutus se excusare possit ab obligatione assistendi seu inserviendi, sed si coadjutor non haberet obligationem inserviendi, coadjutus non esset excusatus; ergo, ut ipse excusatus sit, sibique provideat assumendo coadjutorem, judicandum est, transferre in coadjutorem obligationem, quam ipse habet. Castrop. & Garc. *ll. cit.* Neque obligatio hæc inde elidatur, quòd nihil detur tali coadjutori pro servitio; hoc enim ipse sibi imputet, quia ita coadjutoriam acceptavit; maximè tamen, quia tale servitium compensatur futura successione, quæ ei à Papa conceditur in compensam laborũ. Garc. *n. 57.* Castrop. *loc. c.* Remouch. *c. 13. n. 4.* Porrò hanc obligationem inserviendi non tantùm esse causativam, id est, ut teneatur solvere coadjuto, quidquid is non serviendo perdidit, seu lucratus non est; sed & præcisam, ita ut ad serviendum cogi possit per Judicem censuris aliisque juris remediis; quia ipse se obligavit seu cõsensit tali obligationi, tenent Garc, Castrop. *ll. cit.* contr. Gonz. *l. c.* quẽ sequitur Remouc. *l. c. n. 2.* dicentẽ, sic cõmuniter tenere DD. de quò plura paulò infra, ubi de obligatione residendi coadjutoris.

4. Resp. quartò. Coadjuto infirmo aut legitimè impedito volente tamen, ut coadjutor loco sui inserviat, tenetur is inservire. Castrop. *l. c. n. 6.* citans Garc. & Farin *tom. 2. decis. noviss. decis. 276.* & Rot. in *Taracon.* Coadjutor enim in hunc finem datus est, ut impedito Coadjuto ipse loco illius inserviat, ne ecclesia debito servitio defraudetur, ut constat ex *c. 1. de cler. ægrot. in 6.* & Trid. *sess. 25. c. 6.* Castri. *l. c.* Neque obstat primò, quòd Coadjutor repræsentet personã Coadjuti, adeóq; hoc ob legitimũ impedimentum excusato à servitio, videatur quoq; excusatus Coadjutor. nam repræsentat ejus personã in prębenda, non in infirmitate alióve impedimẽto, & sic competunt ei prærogativæ, quæ cõpetunt Coadjuto ratione prębendæ, non verò quæ cõpetunt Coadjuto ob infirmitatẽ Castrop. *l. c. n. 7.* Neq; obstat secundò, quod in Coadjutorẽ translata sit obligatio, quã habet Coadjutus, is autẽ tempore justi impedimenti nullã habeat obligationẽ. nã pari modo respondetur, translatã esse in Coadjutorẽ obligationẽ, quam habet Coadjutus ratione prębendæ; non tamen translatas in eũ personales excusationes Coadjuti Castr. *loc.* Porrò an Coadjuto ægrotante aut legitimè impedito, non possit ejus loco deservire Coadjutor, sedere in choro &c. nolente Coadjuto, sive non nisi de ejus consensu, dicetur *cap. seq.*

*Quæst. 381. An Coadjutus infirmus vel aliàs legitimè impeditus habendus sit pro præsente & inserviente, etsi Coadjutor non inserviat.*

RESP. Affirm. Garc. *p. 4. c. 5. n. 63.* eò quòd licèt Papa concedere soleat Coadjutores, quia ob ingravescentem ætatẽ seu infirmitates principalis cõmodè deservire & onera perferre nõ potest, prout narratur in Coadjutoriis, non tamen propterea arctet aut obliget principalẽ, ut utatur Coadjutorẽ aut prohibet principalẽ uti jure suo aliàs ei competente, ac propterea nullo id jure prohibeatur. Ad hæc Coadjutus nõ debeat esse deterioris conditionis ex eo, quod Coadjutorẽ habeat. neq; privilegiũ suũ debeat ei esse nocivũ, & retorqueri in ejus dãnum, quod ad ejus favorẽ concessũ juxta *c. quod ob gratiã. de reg. jur. in 6.* & *c. ad apostolica. de regul.* citat Garc. Navar. *cons. 2. de cler. ægrot. in 6.* & idem tenet Gõz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 119. & seq.* Castrop. *cit. p. 10. n. 9.* qui etiã ait perinde esse, sive in hoc casu coadjutus velit coadiutorem inservire, sive non. Unde iam etiam coadiutus potest gaudere mensibus datis pro quiete & recreationis gratiã perinde ac alii canonici, sive coadiutor resideat sive non; quia in illis non tenetur interesse divinis neque per se neque per alium Garc. *n. 64.* ex Navarr. *loc. cit.*

*Quæstio 382. Quandonam Coadiutor non teneatur inservire?*

RESP. Dum Coadiutor datus est ex alia causã quã supplendæ administrationis coadiuti, vel propter illius impedimẽtũ seu multitudinẽ negotiorũ v. g. si causã principalis coadiuti fuisset ut obviaretur incõmodis, & periculis, quæ post obitum Prælati in longa sedis vacatione, aut etiã electione oriri possunt; tunc enim coadiutor ad nullum onus & ne quidem causativã residentiã tenetur. Remouch. *cit. c. 13. n. 8.* Atque ita idem est, dum Episcoporũ & Abbatũ coadiutores quandoque dẽsignantur magnorum Principum filii in minore etiã ætate, quàm ut deservire, & supplere possint pro Coadjutis. Sic etiã in dignitatibus, & Rectoriis, quæ per Vicarios in spiritualibus, vel etiam in pontificalibus, alióq; ministros administrari solent, Coadjutores iis datos non teneri ad residentiã, aut servitium aliquod, observat Remouch. *l. c. n. 7.* uti id videmus etiam in Coadjutoribus Episcoporũ maximè in Germania.

*Quæst. 383. An teneatur Coadjutor Canonici præter onera sui Coadjuti subire quoque onera juniorum Canonicorũ, occasione dubitandi orta ex eo, quod sedeat post omnes Canonicos?*

RESP. Negat. Subrogatur enim tantùm loco sui Coadjuti, neque ipse est Canonicus. Barbos. *jur. eccles. l. 3. c. 10. n. 75.* Castropal. *loc. cit. n. 44.* citans Garciam. Quòd autem sedeat post ceteros canonicos, non ex eo est, quòd sit junior canonicus; sed ex eo, quòd non sit verè canonicus, & fulgeat alienâ dignitate. Barbos. *loc. cit.* Unde etiam, ut idem Barbos. *n. 76.* juxta decis. Rotæ *in Elborens. 15. Apr. 1606.* canonicus junior juxta consuetudinem ecclesiæ debet supplere vices hebdomadarii absentis vel impediti, & non coadjutor, licet sedeat post ultimum canonicum.

*Quæstio* 384. *Num Coadjutor possit, & teneatur inservire, dum Coadjutus non potest lucrari fructus, aut distributiones, eò quòd v.g. sit justè excommunicatus, aut aliter culpabilis.*

1. REsp. primò Coadjutorem excludendum non esse ab assistentia in divinis officiis, aliisque muneribus præbendæ ob excommunicationem Coadjuti. Castrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 16. citans Leo. *in thesi. fori eccl. c.* 19. *n.* 66. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 84. quia Coadjutoriæ munia non præstat ex potestate accepta à Coadjuto; sed accepta à Papa. Castrop. Garc. *ll. cit.*

2. Resp. secundò teneri nihilominus illum inservire, etiamsi Coadjutus ob ejus incapacitatem lucrari nequeat fructus, aut distributiones; quia obligatio illa inserviendi est propria, & non tantum causativa. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 44. inhærendo sententiæ Garciæ & Castrop. de qua Paulò ante.

*Quæstio* 385. *Num Coadjutor præter servitium chori teneatur quoque celebrare missas privatas ex fundatione impositas canonicatui, aut beneficio Coadjuti eo iustè impedito?*

REspondent affirmativè Pignatel. *tom.* 4. *consult.* 185. *n* 4. Ventrigl. *loc. cit.* juxta declarationem S. Congregat. rituum *in Patavin.* 3. *Decemb.* 1616. quam recitat Pignat.

*Quæstio* 386. *Quibus mediis uti possit Coadiutus contra Coadiutorem renuentem deservire?*

REsp. Coadjuto dantur duo remedia. Alterum est, ut Coadjutus agat ad cassationem & annullationem Coadjutoriæ, qua in re procedendum est servatis servandis ad hoc, ut cassatâ Coadjutoriâ licitum sit illi alium Coadiutorem adhibere, qui eius nomine debita cultui divino præster obsequia. Alterum est, ut si malit, agat contra Coadiutorem ad id, quod sua interest servitum non fuisse præstitum, ita Tondut. *qq benef p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.* 26. citans Rotam. *decis.* 276. *p.* 1. *recent.*

*Quæstio* 387. *An & qualiter Coadiutor teneatur residere?*

1. RESpond. primò in genere. Quæ dicta sunt de obligatione inserviendi, ea pariter locum habent de obligatione residendi; cùm deservire nequeat, quin resideat. præter quæ expressè magis

2 Resp. secundò Coadiutores Rectorum parochialium instituti authoritate Apostolica tenentur ad personalem residentiam ut rectores ipsi Sic expressè declaravit S. Congregatio Cardinal. Trid. *super explicatione c.* 1. *sess.* 23. Gallemart *ibidem. n.* 8. Gontz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 17. Remouch. *c.* 73. *n.* 4. Ventrigl *loc. cit. n.* 39. citans Campan. *divers jur. rubric. rub* 7. *c.* 6. *n.* 104. Neque enim est ratio, saltem ex æquitate considerabilis, quòd magis excusetur à personali residentia talis Coadjutor, quàm ipse principalis. Remouch. *loc. cit.* verùm ait Gonz. *loc. cit. n.* 122. loqui concilium ibi & S. Congregationem de Coadjutoribus rectorum capellanis titularibus ac verè beneficiatis.

3. Resp. tertiò teneri quoque ad residentiam Coadjutores alios, puta Canonicorum, dignitatum; Coadjutoria siquidem reperta est, ut cultus divinus non fraudaretur debitis servitiis ad favorem ecclesiæ, quæ habet à Coadjutore illas operas, quas Coadjutus præstare nequit ob inhabilitatem. Ventrigl. *loc. cit.* cum communi contra Navar. *cons.* 2. *de cler. ægrot. n.* 4. Et quòd non solùm teneatur Coadjutor residere, sed & divinis interesse & deservire, declaravit eadem S. Congregatio 7. *April.* 1618. *teste* Aldan. *in compend. canon. resol. l.* 3. *tit.* 18. *n.* 14. apud Ventrigl. *loc. cit.*

4. Resp. quartò. Est hæc residentia præcisa, & non tantùm causativa, quo ad obligationem solvendi fructus Coadjuto ob non residentiam ab eo amissos. Ventrig. *loc. cit.* Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 57. *in fine.* Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans Farinac. *tom.* 1. *decis. noviss. decis.* 276. *n.* 4. contra Gonz. *loc. cit. n.* 122. & Barbos. *de can. & dignit. c.* 29. *n.* 15. Poterit siquidem Coadjutor non residens privari servato juris ordine Coadjutoriâ, eáque alteri concedi. Castrop. Ventrigl. *ll. cit.* juxta decis. Rotæ 276. *n.* 3. *p.* 1. *recent.* apud Ventrigl. Neque obstat Coadjutorem obligatum esse solvere Coadjuto interesse & damnum, si non resideat, quòminùs Coadjutoria privari nequeat; quia in solutione hac spectatur interesse Coadjuti, in illa privatione servitium ecclesiæ. Castrop. *loc. cit.* cum Farinac. *ubi ante.* Procedítque idipsum sive teneatur residere adhuc, & inservire Coadjutor, etsi Coadjutor ob infirmitatem aliúdve legitimum impedimentum non teneretur aliàs residere, aliàs non lucraturus distributiones quotidianas. Ventrigl. *loc. cit. n.* 40. adducens binas pro hoc decisiones Rotæ.

*Quæstio* 388. *An Coadjutor infirmus vel alio iusto impedimento detentus reputandus sit præsens, & lucretur, non secus, ac in eo casu lucraretur principalis?*

REsp. affirmativè Garc. *loc. cit. n.* 80. citans Rotam *in Salamant. Coadjutoriæ.* 20. *Jun.* 1594. Gonz. *loc. cit. n.* 15. citans Gratian. *discept forens. c.* 166. *n.* 12. Ventrigl. *loc cit. n.* 42. qui tamen idipsum sic limitat, nisi Coadjutus sit sanus & habilis ad serviendum; eò quòd tunc teneatur ipse inservire; aliàs non lucratur distributiones, nisi aliter sit dispositum ex forma literarum Apostolicarum, juxta dicenda inferiùs de lucratione distributionum. Ratio responsionis est, quòd obligationem interessendi divinis seu beneficio inserviendi, quam habebat Coadjutus transtulit in Coadjutorem, & consequenter sicut ipse excusabatur ob justum impedimentum, ita & ipsius Coadjutor ob simile impedimentum. Castrop. *loc. cit.* Et hæc procedunt sive tempore supervenientis impedimenti v.g. infirmitatis resederit Coadjutor sive non, sive infirmitas superveniens sufficit independenter à præcedente residentia. Castrop. *loc. cit.* contra Garciam. *loc. cit. n.* 81. & Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 86. putantes quòd, si ante infirmitatem ex voluntate Coadjuti non serviret Coadjutor ob supervenientem infirmitatem, excusari illum non posse à servitio, ne detur locus fraudi in detrimentum servitii ecclesiastici.

*Quæstio* 389. *An Coadiutor studens vel legens in Vniversitate, vel occupatus in servitio Episcopi, vel officium Inquisitoris exercens &c. habeatur pro præsente, & lucretur distributiones Coadiuto, ac si personaliter resideret, supposito quòd Coadiutus ipse ex his & similibus causis excusetur à residentia, & nihilominus fructus suæ præbendæ lucretur in absentia?*

Resp.

Resp. negativè. Barbos. *loc. cit. n.* 73. Castrop. *loc. cit. n.* 40. citante, pro se Garciam; eò quòd privilegia ista, fruendi nimirum fructibus in absentia ob dictas causas conceduntur solùm iis, qui ratione suorum beneficiorum obligati sunt residere; Coadiutores autem non obligentur residere ex beneficio, sed ex officio, & munere coadiutoriæ acceptæ, & quasi ex contractu, nec sibi sed alteri, nempe coadiuto lucrentur fructus, hinc iam non sicut coadiutus ob dictas causas excusabitur à residentia; bene tamen excusabitur ex infirmitate aliove simili impedimento, quia non censetur ex officio, & munere obligari ad residentiam impossibilem. Item excusabitur eadem ratione à residentia mensibus recreationis; quia obligatio coadiutoris debet esse naturæ humanæ viribus attemperata, ac proinde illi concedi debet recreatio & levamen, quod aliis beneficiatis conceditur. Castrop. *loc. cit.* Neque dicas in oppositum Coadiutori concedi privilegia, & exemptiones Coadiuto competentes ratione præbendæ, adeóque & illud privilegium abessendi ob dictas causas, & in absentia lucrandi. Nam bene respondet Castropal. transmittendo antecedens, & negando sequelam; eò quòd hæc privilegia Coadjuto non competant ex præbenda, sed ex favore utilitatis communis, quæ ex concursu plurium ad studendum & legendum in Universitate, & ex servitio Episcopi &c. resultat: & ex eo quod intuitu dictæ utilitatis concedantur habenti præbendam; non tamen ex contractu obligato loco præbendati juste impediti inservire malè infertur, quòd etiam censeatur concessa non præbendato, obligato tamen pro præbendato inservire, etsi fortè aliàs eadè inde resultaret utilitas.

*Quæstio* 390. *Num Coadjutor possit assumere dies recreationis sicut Coadjutus.*

Resp. affirmativè, Barbos. *cit. c.* 10. *n.* 85. Castrop. *cit. p.* 10. *n.* 14. Garc. *l. cit. n.* 79. Gonz. *l. c. n.* 13. citantes decis. Rotæ *in Salmant. Coadjutoria* 25. *Jun.* 1593. Hoc enim privilegium conceditur præbendatis ob servitium continuum totius anni, quod interposita recreatione tanti temporis temperandum duxit concilium; adeóque jam etiam Coadjutor toto anno assistens & præstans servitium eo privilegio frui debet Castrop. *loc. cit.* ita tamen hoc ipsum limitandum juxta eosdem hos AA. ut Coadjutor non possit habere tres menses, & Coadjutus tres menses alios, sed iidem tres inter utrumque sint consumendi, ut nimirum eodem trimestri, quo abest Coadjutor, abesse possit & Coadjutus, vel si abfuit Coadjutor v. g. Januario & medio Februario, coadjutus possit abesse sesqui mense alio. v. g. Majo & medio Junio.

*Quæstio* 391. *An Coadjutor vi Coadiutoriæ teneatur habitum & tonsuram clericalem deferre?*

Resp. affirmativè. Barbos. *l. c. n.* 83 ubi: in multis Coadjutori tribuuntur effectus veri beneficii, ut est ille, quòd teneatur habitū & tonsurā clericalē deferre, & gaudet privilegiis fori Castrop. *loc. c. n.* 22. Garc. *l. c. n.* 99. esto enim beneficium non habeat, habet tamen jus satis considerabile ad illud, & ex alia parte est deputatus ad servitium Ecclesiæ. Sixt. autem V. in sua *Constitut.* 38. *de habitu & tonsura cler.* præcipit non solùm beneficia habentibus, sed habentibus etiam jus ad illa habitum clericalem & tonsuram deferre sub pœna privationis omnium beneficiorum. Garc. & Castrop. *ll. cit.* Unde jam etiam infertur teneri ad hoc Coadjutorem, etsi non inserviat. Garc. *loc. cit.*

*Quæstio* 392. *An Coadjutor non constitutus in sacris Ordinibus, neque beneficiatus vi Coadjutoriæ teneatur ad horas recitandas?*

Resp. Etiamsi talis Coadjutor teneatur choro interesse, ibique divina officia recitare loco sui Coadjuti, dum tamen non tenetur choro inservire, & extra illum vi solius Coadjutoriæ non tenetur ad horas recitandas. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 25. *n.* 30. citans Navar. *de hor. can. c.* 20. *sub n.* 18. Ventrigl. citans Dianam *resolut. mor. p.* 5. *tract.* 13. *miscellan.* 1. *resolut.* 75. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 59. citans Campeg *de coadjut. Episc. n.* 4. Suarez *de religion. tom.* 2. *tract.* 4. *l.* 4. *c* 22. *n.* 19. Azor *inst. mor. p.* 1. *l.* 10. *c.* 4. *q.* 1. Laym. *theol. mor. l.* 4. *tract.* 2. *c.* 5. *n.* 8. Bonacin. *de hor. can. d.* 1. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 15. & plurimi alii: rationem dant hanc hi AA. quòd Coadjutor vivente Coadjuto non habeat penitus beneficium, seu jus in re, sive respectu tituli aut possessionis; sed solum jus quoddam creatum circa qualitatem adjuvandi per aliquod ministerium separatum à beneficio minimè obligatorium. Remouch. *c.* 13. *n.* 9. ubi etiam subjungit *n.* 10. Garciam. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 107. nonnihil discrepare à communi illa sententia modificando illam, nimirum Coadjutorem teneri ad lectionem horarum, si in defectum Prælati onus Ecclesiæ in spiritualibus ei demandatum, vel administrationem ecclesiæ susceperit, ac Prælatus super earum lectione se excusavit. Verùm omnino contrarium eo loco habet Garcias, dum *n.* 108. relatis aliorum sic sentientium sententiis (nimirum Navar. & Eman. Rodriq. *tom.* 1. *c.* 140. dicentis, Coadjutores teneri recitare horas, si sunt dati ad illas recitandas pro beneficiato; secus si sint dati ad alia ministeria) ipse expressè ait *n.* 109. at ego existimo, Coadjutorem etiam perpetuum cum congrua & futura successione non teneri ratione Coadjutoriæ; cum non sit beneficium recitare horas privatim. nec enim datur ad id, sed solùm ad residendum & exercendum alia munia incumbentia principali, qui horas privatim recitabit; & ita praxis habere videtur.

*Quæstio* 393. *An Coadjutor etiam Canonici teneatur emittere professionem fidei durante Coadjutoria.*

Resp. negat. Sive non teneri ad illā emittendam, nisi ubi successioni fueritlocus. Barbos. *loc. c. n.* 80. citans Squillante *de priv. cleric. c.* 4. *n.* 79. Machado Ludovicum à Saravia & alios. Corr. *pr. benef. l.* 1. *c.* 60. *n* 40. contra Acostam *ad Bullam cruciat. q.* 73.

*Quæstio* 394. *An Coadjutor teneatur in ingressu solvere fabricæ, quod est solitum solvi per novos Canonicos?*

Resp. negativè. Barbos. *l. c. n.* 71. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 78. Castrop. *cit. p.* 10. *n.* 13. Coadjutor enim tunc non ingreditur ut Canonicùs, sed ut Coadjutor Canonici. Garc. *loc. cit.* & Coadjutor non sentit temporale commodum, ergo neque sentire debet onus illi annexum. Castrop. *loc. cit.* Ac denique Coadjuto mortuo Coadjutor solvere illud consuetum ab aliis Canonicis tenetur; ergo ad illud solvendum non tenetur, quam diu est Coadjutor, seu quamdiu vivit Coadjutus. Garc. Castrop. *loc. cit.*

*Quæstio* 395. *Coadjutor serviens pro Coadjuto num teneatur exire de Capitulo, quoties in eo tractatur de negotiis Coadjuti?*

1. Respondent negativè Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 95. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 60. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 105. Rationem dant, quòd non

agat nomine Coadjuti, sed proprio seu nomine ecclesiæ, licèt aliàs repræsentet eum, quatenus agit & inservit loco illius. Unde etiam, ut Barbos. & Garc. poterit Coadjutor dare suffragium in electione ad præbendam quam prætendit Coadjutus. Idem vicè versa tenent Barbos. & Garc. de Coadjuto, quòd & hic possit interesse capitulo, & dare votum, ubi agitur de negotio Coadjutoris, nisi fortè ut Barbos. ibidem tractaretur de re spectante ad ipsam Coadjutoriam, quæ particulariter spectet ad ipsum Coadjutum. uti idipsum è contra de Coadjuto limitat Ventrigl. nimirum ut procedat, quando non tangitur consecutivè interesse ipsius Coadjutoris; in eo enim casu debere illum exire ait, ex quo jam tractatur de interesse proprio.

2. Verumtamen Castrop. *loc.cit. n.*23. credit, tam Coadjutum quàm Coadjutorem excludendum, seu debere exire de Capitulo, quoties negotium tractatur alterutrius utilitatem principaliter respiciens; eò quòd ob mutuam unius ab alio dependentiam & respectum suspicio esse possit injusti processûs. Item non solùm quis recusari possit, dum suffragium ferre debet in utilitatem suorum: commodum autem Coadjuti respectu Coadjutoris, & hujus respectu Coadjuti reputandum sit commodum proprium, vel suorum, quia unus ad alium pertinet. Tenet nihilominus Remouch. *c.* 15. *n.*6. quòd licèt Coadjutor in causa ipsius Coadjuti non possit interesse Capitulo tanquam Coadjutor, nihilominus in qualitate Canonici non denegandum ipsi suffragium, uti nec Coadjuto in causa particulari Coadjutoris, modò in re aut causa ipsis communi, v. g. Coadjutoriæ, non sit dandum suffragium.

*Quæstio* 396. *An & cui Coadjutor teneatur reddere rationem suæ administrationis?*

RESP. Teneri Coadjutores Prælatis Coadjutis (si sint sanæ mentis) ac eorundem Capitulis, seu etiam ipsorum Prælatorum successoribus (si hoc antea non fecerint) reddere rationem plenariam administrationis suæ. Engels *ad tit. de cler. ægrot.* Laym. *ad c. unic. tit. eod in* 6 §. *præsenti. n* 4. juxta expressum textum *ejusdem cap. unici.* ubi dum Bonifacius VIII. ait: *aut Prælatorum successoribus*: satis indicat se loqui de Coadjutoribus Prælatorum temporalibus; cùm aliàs in Coadjutoriis perpetuis successor Prælati Coadjuti sit ipse Coadjutor, qui sibi ipsi reddere rationem administrationis suæ nequit; cetera verò, quæ in dicto textu habentur, etiam Coadjutoribus perpetuis applicari possunt. Addit quoque Franc. *in cit. c. unic. n.* 2. apud Laym. *loc. cit.* has rationes iterato à Coadjutore peti posse ut revideantur, dummodo super rationibus factis transactum non fuerit juxtà *l. unic. c. de errore calculi.* Differtque hoc in puncto Coadjutor à tutore & curatore; quòd hi rationes reddere non teneantur nisi officio finito. *l. si tutor. ff. de tutelis.* Laym. *loc. cit.* cujus etiam discriminis *ibidem* ex Ancharano hanc affert rationem, quòd Coadiutoris officium indeterminati sit temporis; cùm nesciatur, quando moriturus sit Prælatus; officium autem Curatoris & Tutoris determinati sit temporis, nimirum iis à jure præfixi, quo exspiret.

# CAPUT SEPTIMUM.

## De potestate Coadjutoris.

*Quæstio* 397. *Quæ in genere sit potestas seu facultas Coadjutoris.*

1. RESP. primò. Potestas & facultas Coadjutoris Episcopi, & Prælatorum dependèt à forma concessionis Coadjutoriæ, seu à tenore literarum, specialibúsque prærogativis in illis per Papam juxta exigentiam ecclesiæ, sive in temporalibus sive spiritualibus, vel etiam iis liberaliter concessis. Gonz. *ad reg.* 8 *gl.* 5. §. 9. *n.*94. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.*23. Remouch. *c.* 15. *n.*2. Pignat. *tom.* 4. *consult.* 185. *n.*22. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.*10. *n.*23. Pavin. *de visitat.* Parii. *l.* 7. *q.*20. *n.*19. Unde ad considerandam facultatem Coadjutoris ante omnia inspiciendus est tenor literarum harum. Gonz. Pavin. Ventrigl. *ll. cit.* Pignat. *loc. cit. n.*1. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.*23. ubi: quod attinet controversias, quæ nonnunquam oriuntur inter Coadjutum & Coadjutorem, certum est, imprimis verba & clausulas in literis Coadjutoriæ adhibitas attendendas esse &c. non enim omnes Coadjutoriarum literæ habent eadem privilegia. Pignat. *tom.* 9. *consult.* 84. *n.*6. sic v.g. aliquæ literæ habent, quòd Coadjutor habeat vocem activam & passivam, aliæ quod vocem tantùm activam habeat in Capitulo. Pignat. *loc. cit.* alii Coadjutores nullam habent vocem in Capitulo, aut ei intervenire nequeunt; quia de iis nihil in literis; Coadjutoriæ autem, ut dictum, sunt odiosæ & strictè intelligendæ. Pignat. *loc. cit. n.*7.

2. Porrò forma illa concessionis seu tenor literarum ut plurimùm restringitur ad facultatem faciendi ea, quæ ad coadjutoris officium de jure vel consuetudine spectant, ita ut in capitulo, choro & processionibus aliísque actibus capitularibus, officiis divinis, funeralibus, functionibus ecclesiasticis absente coadjuto interesse possit & debeat. Pignat. *tom.* 4. *consult.* 185. *n.*1. Dixi, quæ de jure vel consuetudine spectant ad ejus officium. De jure autem generali Coadjutor tantùm supplet in necessariis, & sic aliis canonicis volentibus supplere nulla erit necessitas muneris Coadjutoris. Pignat. *n.* 5. De consuetudine verò, ut Coadjutores, qui sunt minùs digni veris Canonicis, iis æquiparentur in functionibus peragendis à veris Canonicis, ac ut se ingerant ultra formam Coadjutoriæ, constare debet vel in genere vel in particulari; debétque esse præscripta spatio 40. annorum juxta Pignat. *cit. n.* 5. Atque ita facultas data Coadjutoribus in literis Coadjutoriæ tota versatur circa eâ, in quibus Coadjuto deficiente minueretur ecclesiæ servitium, qualia sunt, quæ jam enumerata sunt & similia de necessitate & jure proprio ad ipsum Coadjutum spectantia, v.g. cantare missas ex obligatione, & ad quas dicendas vigore testamenti, & fundationis tenentur Coadjuti juxta dicta supra. Pignat. *loc. cit. n.*4. Non verò facultas dicta versatur circa functiones honorarias, quas ipse Coadjutus

tanquam

tanquam verus canonicus obire posset, si impeditus non esset, & in quibus supplere possunt, & contendunt alii canonici, adeóque tales, in quibus deficiente coadjuto non minueretur servitium ecclesiæ; coadjutoria enim datur pro servitio & necessitate ecclesiæ, non pro honore coadjutoris. Pignat. *loc. cit. n. 3.* ubi illud ipsum exemplificat, nimirum, quòd juxta expressam S. Congregationis Rituum declarationem & præceptum *in una civitatis Castelli. 24. Maij 1636.* non liceat Coadjutoribus Canonicorum, absentibus aut impeditis Coadjutis facere assistentiam Episcopo solenniter celebranti, vel cum cappa divinis interessenti, sed hoc spectet ad Canonicos veros ordine successivo. Item quòd ad missarum solennium, quas cantare posset, non tamen ex obligatione tenetur coadjutus, decantationem non admittantur Coadjutores; cum ob aliorum Canonicorum, contendentium supplere in hac cantatione honorifica, supplementum non minuetur servitium Ecclesiæ. Siquidem eodem tempore, quo ab alio canonico missa cantatur, Coadjutor possit adesse in choro. Pignat. *n. 2.* Sic quoque officium & facultas Coadjutoris non intratur in iis functionibus, ad quas singuli Canonici eliguntur. Pignat. *n. 2.* citans Gavantum *in manual. Episcopor. v. Coadjutor. in add. n. 23.* adeóque non potest exercere officia, ad quæ Coadjutus specialiter electus est; cùm in his, quæ specialis nominatione competunt Coadjuto, non venit Coadjutor, nec eum repræsentat. Barbos. *de can. & dignit. c. 29. num. 40.* citans Garc. *p. 4. c. 5. in addit. ad num. 38.*

3. Ex dictis jam vides, non semper datam Coadjutori facultatem faciendi generaliter omnia, quæ spectant ad coadjutum, sive quæ potest coadjutus, etiamsi specialiter per superiorem non limitetur; nisi fortè idipsum fit eam limitari, quòd aliqua competentia coadjuto non exprimantur in literis coadjutoriæ; adeóque jam universaliter verum non esse, quod ait Engels *ad tit. de cler. agrot. n. 4.* & alii quidam: coadjutorem regulariter habere eandem potestatem, quam habet coadjutus, nisi specialiter per superiorem coadjutoris hæc potestas restringatur. Sed & generale illud: *Coadjutori competunt functiones Coadjuti*; absolutè & simpliciter non competit, nisi Coadjutoribus dignitatum; quia illi, sicut sedent in stallo dignitatis, ita debent facere functiones spectantes ad dignitatem Coadjutam, secus ac accidit in Coadjutoribus Canonicorum, ut pote qui sedere debent & incedere ultimo loco post omnes Canonicos juxta expressam declarationem S. Congregat. Rituum *in Ferrarien si, 2. Jun.* 1640. Pignat. *loc. cit. n. 3.* dicens hanc ipsam esse differentiam inter Coadjutores dignitatum & inter Coadjutores Canonicorum.

4. Neque hucusque dictis obstat, quòd S. Congregatio Rituum teste Pignat. *loc. cit. n. 1.* responderit aliquando, Coadjutores debere facere functiones pro Coadjuto post omnes Canonicos; nam id intelligendum de functionibus, quas debet, & tenetur facere uti Coadjutor, & casu quo alii Canonici recusarent, ut servire altari, hebdomadam facere, Lectiones & Antiphonas canere, suffragium in Capitulo dare, processionibus interesse & alia hujusmodi, in quibus plenius satisfit servitio ecclesiæ ob majorem numerum. Pignat. *cit. num. 8.*

5. Respond. secundò, Quòd si tamen ex formatione Coadjutoriæ de facultate Coadjutoris satis constare nequiret, videndum est, ex qua causa datus Coadjutor, ut deprehendatur, ad quid se extendat ejus potestas & administratio. Barbos. *jur. eccles. l. 3. c. 10. n. 23.* Sic si Episcopo bene administranti spiritualia datus Coadjutor ob temporalia v. g. ob timorem dilapidationis, illius potestas, & officium versabitur circa temporalia, & in his liberam habebit administrationem absque eo, quòd se extendat ad spiritualia, & in his administrare possit. Barbos. *ibidem n. 24.* sic datus ob infirmitatem & senium, extendet se illa facultas ad administranda ea etiam spiritualia, quæ Prælato illi incumbant, quæque is ob dictas causas administrare nequit. Sic si ob dementiam Prælati datus ei Coadjutor, potestatem habet generalem & liberam administrandi omnia tam in temporalibus quàm spiritualibus. Barbos. *loc. cit. n. 25.* Paris. *de resign. l. 7. q. 20. n. 25.*

*Quæstio 398. An Coadjutor possit deservire pro Coadjuto absente vel impedito sine ejus consensu, seu eo nolente?*

Resp. negativè. Idque etiamsi Coadjutus ob infirmitatem, aliúdve justum impedimentum servire nequiret. Garc. *p. 4. c. 5. n. 58. & seq.* Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n. 60.* Engels *ad tit. de cler. agrot. n. 6.* contra Navar. *cons. 2. de cler. agrot. n. 5.* eò quòd in literis Coadjutoriæ dici soleat, quòd coadjutor non possit se in regimine, & administratione, & fructuum perceptione intromittere, nisi volente coadjuto, seu de ejus consensu tantùm: per ea autem verba non prohibeatur ei solùm perceptio fructuum seu administratio temporalium, sed etiam dictum servitium, assistentia in choro & capitulo, aliísque actibus capitularibus; eò quòd id sit regimen & administratio canonicatûs & dignitatis. Garc. *loc. cit.* Sed neque coadjutus tenetur deservire in divinis per coadjutorem in iis casibus, quibus aliàs propter legitimum impedimentum posset in absentia lucrari fructus & distributiones. Engels *loc. cit.* juxta dicta à nobis *cap. præced. in quæst.* num coadjutus infirmus, non serviente pro eo coadjutore, habeatur pro præsente. Quamvis Castrop. *tract. 13. d. 1. p. 10. n 9.* mulctandum judicet talem Coadjutum impeditum nolentem pro se tempore illius impedimenti deservire Coadjutorem. Contrarium est, ubi Coadjutor datus dementi; is enim solus & liberè administrare potest omnia; cùm talis prælatus consensum vel dissensum rationalem præstare nequeat. Fagu. *in c. exparte. de cler. agrot. n. 18.* juxta dicta à nobis *quæst. præced.*

*Quæstio 399. An igitur Coadjutor cum futura successione datus Episcopo, alterive Prælato non dementi, aut aliàs omnino non inhabili, sed propter gravem infirmitatem munia pastoralia per seipsum exercere non valenti, cum libera potestate administrandi &c prout in Bulla Coadjutoriæ dicitur, possit solus administrare, quæ sunt jurisdictionis spiritualis & temporalis, ipso Prælato contradicente.*

1. Resp. Non posse illum solum exequi & expedire ea, quibus talis Prælatus rationabiliter contradicit. Fagn. *loc. cit. n. 9.* Suadet idipsum coadjutoris nomen, quo dicitur talis, quia coadjuvat, adeóque non solus expedit omnia. Fagu. *ibid. n. 20.* Item Coadjutoris definitio, quâ juxtâ Jo. And. Abb. Card. &c. definitur: *qui ad hoc datur ex causa juris vel judicis authoritate, ut coadjuvet ministri*

*vel præsidentis officium.* Fagn. *n.* 21. suadetur & inde, quòd Prælatus talis Coadjutus retineat in habitu potestatem & jurisdictionem; at sic frustra eam retineret, si causâ suadente, illius usum non haberet juxta illud Philosophi. 3. *metaph. c.* 1. frustrà est potentia seu habitus, qui non potest in ullis casibus reduci ad actum. Fagn. *loc. cit.* Denique non permittit id reverentia debita Prælato Coadjutò, ut eodem invito omnia possit expedire Coadjutor, in quem translata non est penitus jurisdictio quò ad habitum; sed cui solùm communicata quò ad exercitium. Fagn. *n.* 23.

2. Neque his obstat primò *c.* 42. *de elect. in* 6. ubi dicitur is, *cui procuratio seu administratio cathedralis Ecclesia plena & libera in spiritualibus & temporalibus à sede Apostolica est commissa, potest omnia, quæ jurisdictionis episcopalis existunt, & quæ potest electus exequi, confirmatus liberè exercere &c.* Nam ut patet, non loquitur de Coadjutore. Fagn. *loc. cit. n.* 24. Nec obstat secundò verba illa generalia in Bulla Coadjutoriæ apponi solita : *cum plena & libera potestate:* quia, ut rectè Fagn. *cit. n.* 24. restringuntur ad ea, quæ de jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium. Nec denique obstat, quòd Coadjutor etiam detur invito; id enim non auget potestatem Coadjutoris. Fagn. *loc. cit.*

3. Atque ex his jam infertur, Coadjutorem talem perpetuum datum tali Episcopo cum facultate plena & omnimoda in spiritualibus, & temporalibus administrandi ea omnia, quæ ad officium Coadjutoris spectant, minimè posse se immiscere in exercitis pontificalium, neque jurisdictionalium, quibus defungi potest vel vult Episcopus, nec solum ea expedire, in quibus ex rationabili causa contradicit Episcopus. Fagn. *cit. n.* 24. *in fine.* Quamvis ea, quæ Episcopo impedito, potest & vult expedire Coadjutor per seipsum, Episcopus non possit delegare alteri. Fagn. *n.* 25. Similiter quæ Coadjutor in casibus sibi à jure vel consuetudine permissis gessit, Episcopus non possit revocare. Fagn. *n.* 26.

*Quæstio* 400. *An Coadjutor exercere possit officia, ad quæ electus Coadjutus.*

1. REsp. negativè Castrop. *cit. p.* 10. *n.* 17. *in fine.* Remouch. *c.* 15. *n.* 17. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 81. citans Garc. *in addit. ad n.* 88. *c.* 5. *p.* 4. In his enim, quæ speciali nominatione competunt Coadjuto, non venit Coadjutor, aut eum repræsentat. Barbos. *loc. cit.* Multò minùs itaque commissio facta dignitati potest transire in ejus Coadjutorem; idque non solùm, ubi expressum fuit nomen proprium Coadjuti Prælati seu constituti in dignitate illa; sed etiam ubi illud non expressum. Barbos. *loc. cit. n.* 73. citans Garciam *ubi ante post n.* 130. *dub.* 28.

2. An vero aliunde Coadjutor nequeat esse Judex Apostolicus seu delegatus Papæ, vel designari Judex synodalis; quia nimirum Coadjutoria non est verè dignitas, & Coadjutor Prælatus vel Canonicus, licèt sit in servitio Ecclesiæ, adeóque non habet qualitates requisitas vi *cap. statutum. de rescrip. in* 6. ad talem delegationem. in eo, inquam, non conveniunt AA. Negant idipsum ob dictam rationem Barbos. & Garc. *ll. cit.* E contra affirmat Acosta de Andrada *ad Bullam cruciat. q.* 75. cui adhæret Castrop. *tract.* 3. *d* 1. *p.* 10. *n.* 39. eò quòd etsi Coadjutores non sint Canonici & dignitates propriè, habeant tamen omnes præeminentias, prærogativas & honores, qui canonicis & dignitatibus conceduntur. Item quia fictione juris sint Canonici & dignitates

*Quæstio* 401. *An Coadjutor residere possit interessendo divinis, & deservire in ecclesia; & lucrari fructus principali seu Coadiuto excommunicato?*

1. REsp. ad primum affirmativè. Barbos. *loc. cit. n.* 87. Castrop. *loc. cit. n.* 16. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 84. citantes Leo, *in thes. fori eccl. c.* 19. *n.* 66. & Rotam *in Coadjutoria Salmant.* contra Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 128. Rationem dant; quòd Coadjutor non serviat nomine Coadjuti, sed proprio & Ecclesiæ; nec præstat ea munia incumbentia præbendæ vel dignitati Coadjuti ex potestate ab eo accepta, sed accepta à Papa, qui illum constituit Coadjutorem. proinde non obstat *regul. jur.* 67. *quod alicui suo non licet nomine, neque alieno licebit.* nec *regul.* 72. *qui facit per alium, est perinde, ac si faceret per seipsum.* adeóque sicut à divinis & acquisitione fructuum excluditur excommunicatus, sic etiam qui eum repræsentat, ejúsque loco hæc facit. Nam id verum est, si non tantùm ejus loco, sed etiam ejus nomine, & in vi potestatis ab eo acceptæ similia exerceat; quia in tantùm plus non potest quàm ipse principalis. Castropal. *loc. cit.* Illud tamen obstare videtur huic sententiæ, quod pro se affert Gonz. *n.* 126. & 127. quòd sicut procedere non potest Episcopus excommunicatus, ita nec ejus Vicarius: & quòd per excommunicationem Episcopi suspensus sit ejus Vicarius, ut tradunt apud Gonz. Maranta *in pr. judiciali p.* 4. *dist.* 5. *n.* 70. Guttier. *qq. canon. l.* 1. *q.* 1. *n.* 83. & 84. Rebuff. *in concord. tit. de excom. non vitand. gl.* 1.

2. Resp. ad secundum: Quamvis Coadjutor Coadjuto excommunicato lucrari nequeat fructus beneficii aut distributiones residendo & assistendo. Gonz. *loc. cit. n.* 125. Barbos. Castrop Garc. *ll. cit.* non quidem ob defectum aliquem, quem ipse habet, sed ob incapacitatem & inhabilitatem, quam habet Coadjutus. Castropal. excommunicatus enim sibi neque fructus neque distributiones lucratur, argumento *c. pastoralis.* §. *verum. de sent. excom.* Gonz. *n.* 123. Verumtamè si Coadjutori aliquid de fructibus vel distributionibus assignatum est pro congrua seu servitio, ut quandoque fit, id sibi lucrabitur, non obstante excommunicatione coadjuti, quæ illi, & non alteri nocere debet. Barbos. Castrop. *ll. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 85.

*Quæstio* 402. *An Coadjutor possit in electionibus, provisionibus aliisque actibus committere vices suas.*

REsp. affirmativè Castrop. *loc. cit. n.* 35. citans Garciam *p.* 4. *c.* 5. *n.* 135. Etsi enim Coadjutor locum teneat Coadjuti, ejúsque personam repræsentet, repræsentat tamen illam nomine Ecclesiæ, & ex potestate ab ea, & non à Coadjuto accepta. Sed neque est procurator coadjuti, sed Ecclesiæ. & esto esset procurator coadjuti; quia tamen esset procurator illius generalis ad beneficii administrationem, & non specialis ad aliquod particulare negotium, potest vices suas committere alteri, juxta textum *c.* 1. §. *fin. de procurat. in* 6. ita ferè Castrop.

*****
***

*Quæstio*

*Quæstio 403. Quid in particulari possit vel non possit Coadjutor Episcopi?*

1. REspondeo primò: posse Coadjutorem per urbem; de licentia tamen Episcopi Coadjuti benedicere populo. Barbos. *loc. cit. num.* 41. juxta Declar. S. Congregat. Rituum. 31. *Ian.* 1561. apud Piasec. *in pr. Episc. p.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Campanil. & alios. Idem tenet Gonz. *loc. cit. n.* 4. *in fine.* ex Navar. *consil.* 3. *n.* 3. & 4. *de Cler. agrot.* inquiens: potest Coadjutor Episcopi in spiritualibus dare benedictionem, & sedere in Cathedra sicut ipse Episcopus.

2. Secundò: Episcopus Coadjutor durante vita sui principalis non potest solenniter, & pontificaliter ingredi civitatem aut diœcesim. Tondut. *qq. benef. p.* 3. *c.* 194. *n.* 1. Barbos. *loc. cit. nu.* 35. juxta ejusdem S. Congregat. rituum declarationem. Ex eo siquidem, quòd non habeat jus in re respectu Episcopatus, sed tantùm ad rem (quod etsi sit considerabile quò ad dispositiones facientes mentionem de jure quæsito non tollendo, ut Gonz. *loc. cit. n.* 79. non est tamen tale jus; quod operetur, ut ipse sit Prælatus Ecclesiæ. Tondut.) non debet recognosci tanquam superior & caput, sed ut Coadjutor: & eo magis, quia contingere potest, ut non succedat in Episcopatu, sed prior moriatur. Barbos. juxta verba dictæ Declarationis.

3. Tertiò: Coadjutor non habet facultatem dandi indulgentias; sed si quas Archiepiscopus concedere potest & vult, ejus nomine sunt publicandæ. Barbos. *num.* 43. juxta eandem Declarationem.

4. Quartò: Coadjutor Archiepiscopi non potest uti cruce in divinis, nec in functionibus pontificalibus; neque dum incedit per urbem; cùm crux sit signum & ornamentum dignitatis & jurisdictionis, quarum utraque caret Coadjutor. Barbos. *n.* 37. apud quem vide plura alia spectantia ad ceremonialia, quæ potest, aut nequit Coadjutor.

5. Quinto: Denique non potest Coadjutor Episcopi sanæ mentis cum futura successione concedere jus patronatus. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *num.* 35. citans Mandos. *in reg.* 11. *q.* 5. *n.* 7. & 8. Achil. *decis.* 1. per totam *de reb. Eccl. non alienand.* De cætero quid possit in materia beneficiali; vide post tractatum speciali *quæst.*

*Quæstio 404. Num Coadjutor & Coadjutus simul possint inservire & interesse divinis, aliisque functionibus & actibus?*

1. REspond. Non posse utrumque simul inservire ut præbendatum seu Canonicum, seu ut repræsentantes duos præbendatos; cum sit una tantùm præbenda; uni autem præbendæ formaliter simul inservire nequeunt duo in eodem officio. tenent Castrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 24. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 107. Ventrigl *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 50. ubi, quòd Coadjutor & Coadjutus non possint simul eodem tempore interesse uti Canonicos in Choro aut Capitulo, possit tamen unus interesse ut Canonicus, & alter ut privatus; pro qua sententia citatur quoque à Barbos. Besold. *de præcedentia, c.* 2. *n.* 25. *in fine.*

Non tamen esse inconveniens, quòd simul interesse possint in habitu canonicali in processionibus, & Missarum solenniis, Coadjutus in loco suæ ancianitatis, & Coadjutor in novissimo loco post cæteros Canonicos, tenent Sebast. Cæsar *de Eccl. Hierarch. d.* 14. §. 9. *n.* 13. & qui eum refert, Barbos. *cit. c.* 10. Sic ait Remouch. *c.* 15. *n.* 6. possunt ambo esse simul in Capitulo, sub diversis tamen respectibus, sufficitque, quòd in omnibus sit aliqua subordinatio. Sic quoque respondisse S. Congregationem Concilii 5. *Iun.* 1655. nimirum Coadjutores Canonicorum posse interesse Choro & divinis officiis, etiam quando Canonici Coadjuti intersunt, cum his tamen conditionibus: consentientibus Coadjutis & in ultimo loco; non verò in Capitulis & aliis actibus, testatur Pignat. *tom.* 4. *consil.* 185. *n.* 40. Ad fundamentum quoque Garciæ, quòd non possint repræsentare duos Canonicos, sed unum solum, respondet Barbos. & Cæsar, id solùm concludere, quòd duplicem vocem non habeant, nec duplices lucrentur distributiones; non verò quò ad interessentiam, quæ utrique diverso respectu convenit; uti id patet in Rectore principali & ejus Vicario, dum simul in ecclesia interesse potest Rector principalis & talis Vicarius ut Vicarius; & sic usu receptum videmus in Episcopo & ejus Vicario generali. De cætero posse utrumque simul deservire uni præbendæ in diversis ejusdem præbendæ officiis, v. g. ut dum unus assistit Choro, alter interim existit in Capitulo vel in negotiis ecclesiæ, aut temporalium regimine occupatur, dubium non est. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam, quòd nil vetet, quò minùs unus assistat divinis ut Canonicus, & alter ut persona privata; cùm in isto casu unus solus assistat canonicaliter, & neque Coadjutus ob Coadjutorem vel contra privari debeat potestate interveniendi.

*Quæstio 405. An Coadjutores Canonicorum habeant vocem activam, & passivam in electionibus Canonicatuum, & in officiis sede vacante?*

REspond. affirmative. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *num.* 87. & 88. Castrop. *loc. cit. num.* 17. citans *Leo. in thes. for. eccles. c.* 19. *n.* 69. & 70. Conceditur namque Coadjutori plena & libera potestas præbendam administrandi perinde, ac si proprietarius præsens esset. Item conceduntur omnes prærogativæ & præeminentiæ, quæ Coadjuto competunt. Conceditur etiam illi habere vocem in Capitulo; sed ex qualibet harum concessione eligere & eligi potest. ergò. Castrop. Proceditque id ipsum de voce passiva, etiamsi in Coadjutoriæ concessione dictum esset, quòd possit habere vocem activam, nihil dicendo de passiva. Verba enim illa ad majorem declarationem debent censeri prolata; non verò taxativè, seu ad potestatis diminutionem. Garc. *loc. cit. num.* 88. & ex eo Castropal.

*Quæstio 406. An Coadjutor possit optare?*

REspond. Posse eum in ecclesia, ubi viget consuetudo optandi, optare, non sibi, sed Coadjuto. Barbos. *de Iur. Eccl. l.* 3. *n.* 71. citans Monet. *de opt. can. q.* 8. *n.* 152. & Declarationem S. Congregat. Rituum *in Colombrien si* 16. *Septemb.* 1606. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 38. & *tom.* 1. *annot.* 6. *n.* 14. ubi, quòd si Coadjutus consentiat vel non dissentiat, Coadjutor per se optare possit in beneficium Coadjuti.

*Quæstio* 407. *Num Coadjutor impedire possit, quò minùs Coadjutus optet præbendam aliam; vel cogere ut optet aliam?*

1. REsp. primò: Coadjutor in vi Coadjutoriæ cum futura successione sibi concessæ impedire potest Coadjutum, quò minùs is, ubi viget illa consuetudo optandi, si in gratia Coadjutoriæ concessa est futura successio, quò ad Canonicatum & præbendam duntaxat illi annexam, & non quò ad præbendam illam seu præstimonium, super quo cadit optio, seu quod optandum; tunc enim Coadjutus non potest optare novam præbendam, utpotè in qua jam non poterit succedere Coadjutor; & primam dimittere nequit, utpote ad quam jus habet, & quæ adjudicata est Coadjutori per Coadjutoriam cum futura successione.

2. Contrarium est, sive Coadjutor impedire nequit, quò minùs Coadjutus optare possit, si in gratia Coadjutoriæ concessa est futura successio non solùm ad præbendam, quam de facto habet Coadjutus, sed etiam ad præbendam de novo optandam, & priori dimissæ subrogandam; quia jam in nullo derogatur juri quæsito Coadjutoris; nec quicquam inconveniens obstat; & gratia Coadjutoriæ, quæ principaliter ad favorem Coadjuti concessa, ut Gonz. *gl.5.§.9.num.82.* ex Puteo *dec.98.l.2.* & Rota *in Salmantina Coadjutoriæ.2.Jan.* 1593. non debet illi esse nociva, juxta regul. *quod ob gravem. de reg.lur.in 6.* Ita sub hac distinctione tradit Gonz. *ad reg.8.gl.34.n.97.* quem sequitur Ventrigl *tom.1.annot.6.n.12.*

3. Verùm ista distinctio non probatur Garciæ, quem sequuntur Lotterius & Barbos. eò quòd nusquam conceditur gratia Coadjutoriæ ita coarctata ad præbendam à Coadjutore habitam, ut is aliam optare nequeat, ut Lotter. *de re benef.l.2. q.25.n.59.* Proinde tradunt hi AA. Lotter. *loc.cit. n.6.* Barbos. *de Can. & Dignit.c.29.n.29.* Garc. *p.4. c.5.n.150.* quòd Canonicus habens Coadjutorem cum futura successione possit absolutè & indistinctè optare præbendam novam, & illa nova seu de novo optata vi subrogationis maneat affecta & reservata Coadjutori, & hunc in ea successurum. Siquidem affectio illa, quæ fuit adjecta priori præbendæ, transit per viam hujusmodi subrogationis in præbendam optatam, ut Lotter. citans pro hoc Cardin. *cons.126.n.3.* & *in c. dilecto. de præb.in 6.n.7.* Simonet. *de reserv.q.45.n.8.* Rotam *in Urgell. Canonicatus. 9. Maji.* 1593. & *in Cordub. Coadjutoriæ. 7. Nov.* 1619. Sic quoque aliàs ut Garcias *loc. cit.* habens præbendam reservatam potest optare aliam, quæ subintrat in locum reservatæ, & dimissa manet libera.

4. Resp. tamen secundò: posse Coadjutorem impedire Coadjutum, quò minùs valeat dimissa pinguiore præbenda optare tenuiorem; quia hoc esset in præjudicium Coadjutoris, qui jus habet ad præbendam illam pinguiorem, quod illæsum illi servari nequit, nisi per subrogationem alterius præbendæ non minùs pinguis. Ventrigl. *loc. cit. n.13.* qui etiam *n.14.* subjungit in casu, quo Coadjutus, vacante præbenda pinguiore, nollet in præjudicium Coadjutoris eam optare, posse Coadjutorem, dum is in concessione Coadjutoriæ habet facultatem optandi (utì quandoque conceditur) per se optare, etiam nolente Coadjuto, ne aliàs illa optandi facultas ei data fruſtratoriè. Si verò illam facultatem optandi non haberet in concessione Coadjutoriæ sibi facta, non posse illum, nolente Coadjuto, optare. Nihilominus si Coadjutus nollet optare in odium & fraudem Coadjutoris; cùm fraus nulli patrocinari debeat, judicare se, quòd Coadjutor posset comparere coram legitimo Superiore, & compellere Coadjutum ad optandum. De cætero posse Coadjutorem, si Coadjutus consentiat, vel non dissentiat, optare per se in beneficium Coadjuti juxta dicta *quæst. præced.*

5. Resp. tertiò: ubi in optione mutatur titulus v.g. ubi portionarius optat Canonicatum, adhuc potest habens Coadjutorem cum futura successione optare aliud beneficium absque eo, quòd in hoc casu præjudicetur Coadjutori. Siquidem in primo dimisso, utpote per optionem secundi vacante, Coadjutor succedit. Garc. *n.120.* nisi fortè, ut addit, fuerit consuetudo particularis seu observantia, quòd non habens beneficium liberum non possit optare.

6. Resp. quartò: Coadjutoria cum futura successione obstat, quò minùs Coadjutus optare possit beneficium cum præhabito retinendum, v.g. Dignitatem tenendam cum præhabito Canonicatu juxta ecclesiæ alicujus consuetudinem, & tunc haberet & retineret Coadjutorem in uno beneficio, nempe Canonicatu, & non in alio, nempe in Dignitate, in qua deberet residere; non obstante, quòd Coadjutor Canonicatûs residerer. Garc. *loc. cit. num.121.*

*Quæstio* 408. *An Coadjutores exercere possint in habitu canonicali functiones aliquas in diversis ecclesiis fieri ibidem solitas ab invitatis ad invitantium libitum?*

REspondet negativè Pignat. *tom.4. consult.* 185. *n.11.* servitium enim Coadjutoris ex forma Coadjutoriæ restrictum est ad supplendum quo Coadjuto, ubi Coadjutus est obligatus in propria ecclesia & in actibus Capitularibus in ea celebrandis, & functionibus in illa, vel occasione illius peragendis, non autem ad functiones, ad quas vel Coadjutus vel Coadjutor invitaretur ad libitum invitantium, stante præsertim quòd Coadjutores extra suam ecclesiam, & sine Capitulo nullam habeant prærogativam. Unde in consensu aliorum sacerdotum non præcedunt juxta Declarationem S. Congregat. Rituum citandas *cap. seq.* Pignat. *loc. cit.* qui etiam addit *n.13. in fine,* esse admodum indecens, habitum canonicalem permissum Coadjutori ad effectum coadjuvandi in cathedrali adhibere ad libitum in quocumque loco contra Declarationes S. Congr. Rituum, quæ ipsismet Canonicis veris prohibet deferre habitū canonicalem, dum interveniunt utì singuli, etiam intra cathedralem in functionibus cum aliis presbyteris; ut patet in *una Comensi. 22. Nov.* 1643. & *in una Capuana. 20. Maji* 1651. quas recitat. Ad hæc, ut habet Pignat. *n.19.* non probatur, quòd Canonicis ratione habitûs prærogativæ debeantur, quando sponte, & ex ambitione vel lucro se inferioribus immiscent. De cætero non satis probat Pignat. quod in confirmationem locum habet *n.13.* Quòd ne vi quidem consuetudinis 40. annorum id fieri possit, ut Coadjutus in habitu canonicali eodem tempore adsit in choro, & Coadjutor in habitu quoque canonicali in ecclesia (intellige aliâ) eò quòd hæc consuetudo non solum sit contra jus, sed etiam irrationabilis ex eo, quòd vel sic adsint, seu adesse videantur eodem tem-

tempore duo Canonici ejusdem Canonicatûs. Nam si inconveniens multóque minùs irrationabile non sit, & ex eo non infertur aut censetur duos Canonicos esse ejusdem Canonicatûs, quòd Coadjutus & Coadjutor simul in habitu canonicali intersint processionibus & Missarum solenniis, conveniens quoque non erit ad judicandum, duos esse ejusdem Canonicatûs Canonicos, adeó que irrationabile, dum simul comparent in habitu canonicali in diversis ecclesiis & functionibus. Videtur proinde sustinenda potiùs talis consuetudo, ubi de cætero præscripta legitimè, ut Coadjutor Canonici in aliena ecclesia invitatus compareat, & functiones quasdam exerceat.

*Quæstio* 409. *An Coadjutor possit facere alienationes bonorum ecclesiasticorum?*

REspond. Coadjutorem prorsus abstinere debere ab omni alienatione bonorum, sive ad principalem ipsum, sive ad ecclesiam spectantium. Engels *ad tit. de Cler. ægrot.* Laym. *ad t. unic. h.t. in f.* juxta expressum *cit. cap.* textum. Excipiuntur tamen ea bona mobilia, quæ servando servari non possunt. Laym. *loc. cit. n.* 1. juxta *gl. hic. v. abstinentes*, & argumento *l. lex quæ. cod. de administ. Tutor.* ubi idem dicitur de Tutore.

*Quæstio* 410. *Quid Coadjutor Episcopi possit in materia beneficiali?*

1. REspond. primò in genere: facultatem illam conferendi beneficia, recipiendi resignationes, aliáque similia agendi in materia beneficiali dependere ex tenore literarum Coadjutoriæ, & potestate in iis specialiter Coadjutori concessa. Paris. *de resign. l.7.q.20. n.* 19. citans quamplures cum communi juxta dicta superiùs in genere.

2. Resp. secundò: quòd si ea potestas non exprimatur in literis, neque quicquam ei contrarium, attendendæ & distinguendæ sunt causæ dationis Coadjutoriæ, & videndum ad quid datus Coadjutor. Paris. *loc. cit. n.* 20. & ex eo Remouch. *c.*15. *n.* 9. Fagn. *in c. ex parte. de Cler. agrot. n.* 24. ex Jo. And. Sic itaque primò, si datus Episcopo Coadjutor ob dementiam, vel mentis impedimentum & debilitatem (intellige tantam, ut ipse ea præstare non possit) poterit Coadjutor conferre beneficia, resignationes recipere, permutantibus authoritatem præstare, confirmare electos, instituere præsentatos, beneficia erigere, unire, dismembrare, aliáque omnia facere in hac materia, quæ potest ipse Episcopus sanæ mentis; habet enim tunc omnimodam jurisdictionem & administrationem episcopalem Coadjutor. Paris. *loc. cit. num.* 25. *& seq.* citatis quamplurimis. Remouch. *loc. cit.* Laym. *in c. unic. de Cler. ægrot. in* 6. *n.* 2. Fagn. *loc. cit.* Garc. *p.* 5. *c.*4. *n.*270. Azor. *Inst. mor. p.*2. *l.*6. *c.*25. *q.* 15. Qui AA. etsi loquantur in specie de resignatione beneficiorum, vel de collatione, par tamen in omnibus aliis est ratio. Nec obstat, quòd etiam in dicto casu dementiæ Episcopi prohibeatur Coadjutor alienatio; collatio autem beneficii, præsertim libera, censeatur donatio aliqua. Nam alienationis nomine Administratori prohibita intelligitur alienatio voluntatia, non necessaria. Argumento *l. alienatione. ff. familiæ hircisundæ*; beneficii autem collatio est alienatio seu donatio quædam necessaria nomine Ecclesiæ facienda. Laym. *loc. cit.*

2. Sic secundò: si datus Coadjutor ob temporalia, sive quia Episcopus malè administrat temporalia, sicut nihil habet tunc Coadjutor administrationis circa cetera spiritualia, ita etiam nihil in materia beneficiali. Fagn. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 21. *&* 22.

3. Sic tertiò, si datus illi est quò ad temporalia, & spiritualia, non quidem ob malam negligentémque eorum administrationem, sed ob senium, infirmitatem, aliámve causam extrinsecam, non potest sibi jus aut facultatem collationis aliáque in materia beneficiali præstandi arrogare, sed debet illam prærogativam tanquam specialiter juris authoritate competentem & reservatam relinquere principali. Garc. *loc. cit. n.* 265. citans Pavin. *de potest. Capitul. sed. vac. p.*2. *q.*1. *n.* 8. Selvam *p.*2. *q.*4. Coras. *p.*2. *c.*4. *à n.*9. *&c.* Remouch. *loc. cit.* Card. de Luca *de Paroch. d.*35. *n.*9. ubi, quòd Coadjutor excepto casu dementiæ Episcopi non habet potestatem in beneficialibus. Laym. *loc. cit. n.*3. contra Gonz. *gl.* 5. §. 9. *num.* 4. Campegium *de Coadjut. Episc. n.* 10. Navar. *cons.* 3. *de Cler. ægrot.* apud Garciam. Ab una enim parte per dationem Coadjutoris Episcopus seu principalis non amittit illam facultatem. Ab altera parte Papa dat Coadjutori solùm potestatem exercendi spiritualia & temporalia, quæ jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium; inter ea autem non sunt, quæ principalis Rector potest & vult agere per seipsum. Garc. *loc. cit. n.*274. Sed neque in hoc casu Episcopus tenetur beneficia cum consilio aut auxilio Coadjutoris conferre; quia nec ad hoc datur Episcopo Coadjutor. Garc. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. n* 3. ubi: quòd quamvis quæ agenda sunt ab Episcopo Coadjuto, expedire eum oporteat cum consilio Coadjutoris, de substantia tamen actûs non esse arbitror, ut Coadjutor adhibeatur, nempe in consilium. Cujus tamen contrarium foret, sive Episcopus non posset conferre sine consilio & consensu Coadjutoris, si is ei datus ob dilapidationem, seu malam beneficiorum administrationem. Garc. *loc. cit. n.*273. citans Oldradum *in c. Venerabilis. de off. Deleg. in* 6.

4. Nihilominus & in hoc casu, ubi Episcopus Coadjutus talis est, ut in beneficialibus consensum, & authoritatem ipsemet præstare possit, Coadjutor cum consensu Episcopi conferre posset. Paris. *loc. cit. n.*23. quin & subsistunt collationes ab eo factæ cum tacita Episcopi permissione; quippe qui vocatus in partem sollicitudinis, adeóque ut talis cum illa subordinatione Coadjuto associatus omnimodam administrationem, jus & jurisdictionem habens in suppplementum vel negligentis, omittentis, vel permittentis Coadjuti supplendo jure providet de beneficiis, quæ alias non vacare interest Ecclesiæ. Remouch. *loc. cit. n.* 10. qui etiam *n.* 11. concludit, sic Coadjutorem vi potestatis suæ coadjutorialis habere facultatem, jurisdictionem seu jus conferendi beneficia & officia, saltem moraliter sive habituaLiter, nempe Coadjuto permittente, aut non conferente, vel providere non valente.

***

CAPUT

# CAPUT OCTAVUM.

## De Iurisdictione, Prærogativis, Præeminentiis, Iuribus, Emolumentis & Alimentis Coadjutoris.

*Quæstio* 411. *Qualem jurisdictionem habeat Coadjutor?*

REspondet in genere Remouch. *c. 15. n. 3.* juxta *c. de Rectoribus. de Cler. ægrot.* & ibi DD. habere illum jurisdictionem eandem, quam habet Coadjutus. Non nisi tamen cum modificatione; nimirum, ut nihil sibi actualiter arroget, nisi nomine & jure Coadjuti seu Prælati principalis. Remouch. *loc. cit. n.* 4. ita ut jurisdictio quò ad habitum perleveret in Coadjuto, & non nisi quò ad exercitium sit in Coadjutore. Sic enim Coadjutor Rectoris parochialis dicitur habere curam animarum, nimirum quò ad exercitium tantùm, non autem quò ad habitum ipsius curæ, qui remanet penes Coadjutum. Fagn. *in cit. c. de Rectoribus.* Sic dum *in cit. c. dicitur*, quòd Coadjutor dandus leproso Rectori Ecclesiæ habeat curam animarum, verbum illud *habeat* non intelligitur respectu tituli & habitûs curæ, qui remanet penes infirmum, sed respectu exercitii tantùm. Fagn. *loc. cit. n.* 34. citans Jo. And. *in cit. c. de Rectoribus. v. curam habeat.* Butrio *ibidem n.* 3. Card. *n.* 1. Anchar. *n.* 3. Imol. *n.* 1. *&* 3. Abb. *n. ult.* Rotam *decis.* 410. *num.* 5. *q.* 4. *recent.* qui omnes contra Glossam communiter reprobatam dicunt, Coadjutorem tantum habere exercitium & administrationem, jus autem residere penes Coadjutum. Atque ita, ut subdit Fagn. *num.* 36. habemus *in cit. cap.* textum apertum secundum communem intellectum, quòd quando quis dicitur habere vel obtinere officium ab alio obtentum, hoc non intelligitur respectu tituli, sed respectu exercitii tantùm; & ita jus & titulus radicatus in persona unius non evellitur, licèt alteri dicti juris exercitium & administratio concedatur; uti de hoc in terminis Coadjutoris est textus in *c. grandi. de suppl. negl. Prælat. in* 6. ut *ibi* notat Anchar. *n.* 5. Huc quoque spectat, quod habet Fagn. *in c. ex parte. de Cler. ægrot. n.* 28. quòd Coadjutor Episcopi separatum tribunal statuere, aut habere non potest; sed in consueto tribunali Episcopi jus reddere debeat.

*Quæstio* 412. *Quas præeminentias & prærogativas habeat Coadjutor cum futura successione?*

RESpond. in genere: Gaudet iisdem præeminentiis, prærogativis & honoribus, quibus Coadjutus ratione Dignitatis vel Canonicatûs, respectu cujus est Coadjutor. Castrop. *t. 13. d. 1. p. 10. n. 25.* Remouch. *c. 15. n. 3.* Procèdere idipsum tam intra quàm extra Ecclesiam, in qua est Dignitas vel Canonicatus, respectu cujus est Coadjutor, tenent Remouch. *loc. cit.* Gonz. *gl. 5. §. 9. n. 97.* ubi: semper in modernis Coadjutoriis dici solet, quòd Coadjutor habere debeat omnes & singulas prærogativas, præeminentias, & honores in Choro, Altari, Capitulo & processionibus, nec non in actis capitularibus tam intra quàm extra Ecclesiam, quas & quos prædictus N. ratione talis Dignitatis vel Canonicatûs & præbendæ habet, & si præsens esset, haberet. Eadem verbotenus habet Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. n. 25. & 34.* ubi: Coadjutori non solùm in Ecclesia Canonicatûs debentur omnes præeminentiæ, & prærogativæ, sed etiam extra Ecclesiam & absente Coadjuto, est tractandus tanquam verus & proprius Canonicus quò ad præeminentias veris Canonicis debitas juxta decis. S. Congregat. Rituum *in Pistorien. 15. Martii 1608.* Eadem ferè habet Barbos. *Iur. Eccles. l. 3. c. 10. n. 91.* Verumtamen expressè sentit Pignat. *tom. 4. consult. 185. num. 11. & seq.* nempe quòd Coadjutores extra suam Ecclesiam & sine Capitulo nullam habeant prærogativam, & agatur cum eis, ac si non essent Coadjutores. Unde in concursu cum aliis sacerdotibus non præcedant nisi ratione antiquitatis in Ordine; pro quo citat binas Declarationes S. Congregat. Rituum. Primam *in Anconitana. 18. Martii 1623.* hujus tenoris: *S. Congregatio censuit Coadjutores Dignitatum extra ecclesiam nullum habere privilegium; sed præcedentiam inter omnes servandam esse, ac si non essent Canonici.* Alteram *in Laudensi 7. Martii 1637.* hujus tenoris: *S. Congreg. ad instantiam Dignitatum & Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Laudensis respondit: Coadjutori Dignitatis extra ecclesiam & actus capitulares nullam deberi præeminentiam seu prærogativam supra antiquiores in Ordine sacerdotali, &c.* Quin & *n. 16.* tradit, quòd nedum Coadjutori, sed neque veris Canonicis uti singulis interessentibus ulla competat præcedentia extra propriam ecclesiam supra Parochos, neque ulla prærogativa; imò nec locus respectu aliorum presbyterorum juxta expressam Declarationem S. Congregat. Rituum *in Sutrina. 2. Novemb. 1603.* & alteram *in Cassanensi 19. Martii 1650.* quarum tenorem *ibidem* recitat. Ex quibus jam patere ait *n.* 12. S. Congregationem recessisse ab antiqua sententia, quòd Coadjutores extra ecclesiam habeant prærogativas uti veri Canonici. Porrò dum dictum gaudere illos, saltem intra propriam ecclesiam iisdem prærogativis & præeminentiis, quibus Coadjuti, idipsum etiam accipiendum cum modificatione illa, nimirum reservatâ semper aliquâ supereminente prærogativa Coadjuto tanquam Prælato principali. Remouch. *loc. cit. n.* 4. fulget siquidem Coadjutor radiis Coadjuti, non propriis. Gonz. *loc. cit. n.* 106. adeóque nil obstet, quòd repræsentet personam sui principalis; minùs enim fulgere censetur, qui propriis quàm qui alienis fulget radiis. Engels *ad tit. de Cler. ægrot. n.* 5.

*Quæstio*

*Quæstio* 413. *Quale stallum seu sedes debeatur Coadjutori?*

1. REspond. primò: Coadjutor datus Dignitati debet sedere in Choro in propia sede, in qua sedet Coadjutus eo absente, & idem prorsus stallum habere; uti etiam ad talem Coadjutorem spectant omnes functiones, quæ competunt ejus principali ratione dictæ Dignitatis. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 65. Barbos. *de Can. & Dignitat. c.* 29. *n.*27. & *Iuris Eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 68. Ventrigl. *tom.*2. *annot.*13. *n.*29. referentes pro hoc Declarat. S. Congregat. *in Brunduf.* 29. *Maji* 1621. Pignat. *tom.*4. *consult.* 185. *n.*21. ubi etiam, qualiter hoc ipsum intelligi debeat videndum ait apud Gavant. *in Man. v. Coadjutor. n.* 24. Leo *Thes. fori eccl. p.* 2. *c.* 4. *num.* 56. Diana *tract.* 4. *miscell. resol.* 18. addit quoque Pignat. *n.* 22. attendi hac in re debere quoque formam Coadjutoriæ, & si in ea habeatur, quòd Coadjuto absente Coadjutor possit residere cum omnibus & singulis privilegiis, præeminentiis competentibus Coadjuto, habere stallum in Choro, vocem in Capitulo &c. eo modo, quo Coadjutus, per verba illa: *Omnibus præeminentiis & eo modo* clarè significari identitatem in omnibus, adeóque Coadjutori assignandum eandem sedem quam occuparet Coadjutus; si adesset; uti idipsum adhuc clariùs illucesceret ex formæ Coadjutoriæ verbis, nimirum dum diceretur, quòd in casu, quo resideret Coadjutus, Coadjutor illi locum cedere debeat; cùm cedere illum nequiret, nisi eundem ipse occupasset in absentia Coadjuti. Atque ita jam talis Coadjutor præcederet omnes Canonicos, si eos ratione Dignitatis præcederet Coadjutus. Barbos. *cit. c.* 10. *n* 68. Pignat. *loc. cit. n.* 21. Dum tamen duæ essent Dignitates in Ecclesia æquales, & senior in obtinentibus illas dicitur primus, primúmque occupat stallum, Coadjutor, qui fortè datus illi seniori, in absentia illius non occupat sedem illius; sed eam & præcedentiam cedere debet secundo ex istis Dignitatibus. Coadjutoriâ verò cessante, & facto loco futuræ successioni, secundus ille efficitur primus, & in istius secundi locum subintrat Coadjutor, & sic efficitur secundus. Barbos. *loc. cit. n.* 69. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. num.* 30. Pignat. *loc. cit. n.* 20. juxta Declarationem S. Congregat. Rituum. 17. *Iulii* 1632. quam referunt. Sic enim suadet anterioritas possessionis, quæ in hac materia præeminentiarum præcipuè attenditur. Pignat. *loc. cit. n.* 28. Atque ita jam licèt eadem sedes, quam habet principalis, tribuatur Coadjutori Dignitatis, si sit confessus seu concurrentia cum inferioris conditionis, quàm est Coadjutus, vel certè cum aliis Coadjutoribus, Vicariis, Procuratoribus; id tamen non procedere, dum concurrit cum aliis Prælatis suo principali in Dignitate æqualibus in persona comparentibus, etsi forsan Coadjutus eos præcederet propter Senioratum, vel aliud privilegium aut consuetudinem, Coadjutor tamen illis cedere deberet præcedentiam. Engels *ad tit. de Cler. ægrot. n.* 5.

2. Resp. secundò: Si Coadjutor est datus Canonico, sedere non debet in sede propria & stallo sui Coadjuti; sed ultimo loco post omnes Canonicos. Gonz. *gl.* 5 §. 9. *num.* 101. *& seq.* Pignat. *loc. cit. n.*21. Ventrigl. *loc. cit. n.* 31. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 71. Castrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 11. Barbos. *cit. c.* 10. *n.*65. citans Monet. *de opt. Can. &c.* functiones quoque pertinentes ad Coadjutos, ut cantare lectiones, præintonare antiphonas &c. facere similiter debent in novissimo loco. Barbos. *loc. cit.*

3. Ampliantur hæc ipsa (nisi aliud habeat forma Coadjutoriæ ut Barbos.) ut debeat præcedentiam & locum cedere Canonicis etiam post ejus Coadjutoriam provisis. Lotter. *de re benefic. l.* 2. *q.* 25. *n.* 36. *& seq.* ubi: Coadjutor in Cathedrali vel Collegiata non potest sibi arrogare præcedentiam in Canonicos postmodum receptos, non obstante decreto, quod sibi competant omnes prærogativæ Coadjuti. Castrop. *loc. cit. n* 12. Barbos. *loc. cit. n.* 67. Ventrigl. *n.*32. juxta decis. Rotæ *in Caritana.* 18. *Aug.* 1629. & quamplures alios, quos citant. Idque nulla consuetudine in contrarium obstante. Barbos. Ventrigl. *ll. cit.* citantes pro hoc easdem Rotæ *decis.* Item nullo obstante statuto. Barbos. *cit. n.*37. ubi testatur, S. Congregationem Rituum *in Casalens.* 10. *Decemb.* 1619. statutum Ecclesiæ Casalensis; disponens, quod Coadjutores gradatim ascendant & præcedant posteriores Canonicos, tanquam juri Canonico adversans annulasse.

4. Et hæc de Coadjutoribus Canonicorum in Ecclesiis, ubi Canonicatus divisi non sunt in Presbyterales, Diaconales & Subdiaconales. Nam in Ecclesiis, ubi ista est divisio, Coadjutor Canonici presbyteri installandus ultimo loco post Canonicos omnes presbyteros, ante tamen Canonicos Diaconos, & sic de aliis. Pignat. *tom.* 4. *consult.* 185. *n.* 20. juxta Declarat. S. Congregat. Rituum *in Javensi* 14. *Aug.* 1665. & *in Æsina* 4. *Martii* 1644. hujus tenoris: *Quæsitum fuit in S. Rituum Congregat. an Coadjutori presbytero in Ecclesia, in qua præbendæ sunt distinctæ, debeatur præcedentia supra Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadjuto divinis interest. & S. Congregatio respondit, in casu proposito præcedentiam Coadjutori deberi.* Sed neque in hoc casu obstare capitulare statutum, ait Pignat. *loc. cit. n.* 24. etiam à Papa confirmatum, per quod Ordines Canonicatuum asseruntur confusi quò ad sedis acquisitionem, adeò, quòd vigore ancianitatis tantùm debeat fieri ascensus, nulla habita ratione, an Canonici optantes sint Presbyteri, Diaconi vel Subdiaconi. Tum quia tale statutum coarctatum est in eventu vacationis Canonicatuum, quæ in hoc casu locum non habet; cùm stante Coadjutoriâ cum futura successione & clausula: *ex nunc prout ex tunc*: nunquam detur vacatio Canonicatûs. Tum quia versamur hic in Canonicatu reservato & affecto per appositionem manûs Papæ per concessionem Coadjutoriæ, adeóque refragari nequeat dispositio statutaria continens optionem stalli, cùm non detur optio in beneficiis quomodolibet reservatis, seu affectis, & in Curia impetratis (pro quo citat Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 452. Marc. Anton. *variar. resolut. ult. cas.* 9.) & in specie, quòd contra Coadjutorem cum futura successione non sit optioni locus; de quo tamen vide dicta *cap. præced.* Ac denique, quia in literis Coadjutoriæ solet adesse expressa derogatio statutorum hujus tenoris: *Non obstantibus dictæ ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis statutis, consuetudinibus contrariis, quibuscunque &c.* adeóque tanquam à Papa derogatum non debet attendi; pro quo citat *decis.* Rotæ 136. *n.* 8. *&* 9. *decis.* 161. *n.* 20. *decis.* 210. *n.* 1. *coram Card. Othoboni.*

5. Responsionis hujus secundæ, uti & extensionis ratio est, quòd per ejusmodi decreta adjici solita

solita in Coadjutoriis, quibus decernitur Coadjutori competere omnes prærogativas Coadjuti ratione Dignitatis, nihil aliud addicitur Coadjutori quàm simplex honor; in concursu verò habentis simplicem honorariam cum habente reipsa Dignitatem, semper præcedet reipsa habens etiamsi posterior. Lotter. *loc. cit. n.* 3. Restringi quoque dicta Decreta ait Gonz. *loc. cit. n.* 115. per verba illa subsequentia vel adjecta: *Ratione Canonicatûs*, quippe ex quibus appareat in gratia fieri distinctionem inter illas præeminentias, quæ competunt ratione Canonicatûs, & illas, quæ competunt seu acquiruntur ratione antiquitatis; qualiter sedere in altiore sede non competit ratione Canonicatus, sed ratione antiquitatis à tempore receptionis; Coadjutori autem ratione antiquitatis competere nequeat ea sedes altior. Et sic jam respectu honoris nunquâ substitutus, subrogatus, vices gerens, Delegatus & similes habent eandē prærogativâ quam principales. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 105. citans Navar. (qui *cons.* 2. *de major. & obed.* consuluit procuratorem Abbatis in synodo non debere habere locum inter alios Abbates, quem Abbas ejus Principalis habuisset, si præsens fuisset) Castrop. *loc. cit. n.* 11. & 12. Barbos. *loc. cit. n.* 67. citans Mastril. *de Magist. l.* 5 *c.* 15. *n.* 61. Cabedo &c. et in reverentialibus non possunt locum-tenentes & substituti adæquari principalibus. Barbos. *ibid.* citans Ferro. *de præced. q.* 1. *n.* 28. & *q.* 15. *n.* 7. Federic. de Senis. *cons.* 302. Unde licet Coadjutor repræsentet personam Coadjuti, & subrogatum sapiat naturam ejus, cui subrogatur, id tamen solùm intelligitur respectu aliorum inferiorum, quibus præferri debet; non verò respectu aliorum Canonicorum parium ipsi Coadjuto; cùm qui propriæ authoritatis lumine coruscant, præferri illis debeant, qui aliena luce fulgent, ut sunt Coadjutores, Delegati, &c. Gonz. *loc. cit. n.* 104. Confirmationem ejusdem responsionis Vide *quæst. seq.*

*Quæstio* 414. *Quis locus competat Coadjutori Canonici post obitum Coadjuti?*

1. REsp Dum Coadjutor cum futura successione cessante per cessum vel decessum Coadjuti Coadjutoriâ, evadit jam verus Canonicus, tanquam modernior & junior Canonicus debet sedere ultimo loco post existentes Canonicos juxta *Regul. qui prior. de Regul. Juris in* 6. Garc. *loc. cit. n.* 74. Castrop. *loc. cit. n.* 12. *in fine.* Gonz. *loc. cit. n.* 110. citans Felin. *in Rubr. de major. & obed. n.* 2. Nav. *cons.* 10. *n.* 1. & 9. *eod. tit.* Caputaq. contra Pignat. *loc. cit. n.* 25.

2. Quibus non obstat, quòd si quis sit in possessione Canonicatûs vel alterius beneficii, licèt verus Canonicus vel beneficiatus non sit, si deinde obtineat à Papa gratiam seu provisionem ejusdem Canonicatûs, quem possidebat, non egeat nova possessione vel installatione; sed retineat illam, quam habebat cum eadem Ancianitatis & præcedentiæ prærogativa. Nam id, ut vides, procedit in eo, qui erat in possessione Canonicatûs tanquam Canonicus, licèt sine legitimo titulo; Coadjutor autem durante Coadjutoriâ non est in possessione Canonicatûs, sed Coadjutoriæ; adeóque hæc possessio, quam tunc habebat, continuari non potest; cùm sit juris diversi, quod exspiravit, & sic adveniente successione, & Coadjutore jam facto vero Canonico, opùs est nova possessione Canonicatûs seu installatione canonica. Proinde cum juxta possessionem & receptionem in Canonicum competat sedes juxta dictam *regulam qui prior.* & *c. cum qui. de præbend. in* 6. *c. statuimus, de major. & obed.* & AA. paulò ante citatos patet, non competere ei stallum supra Canonicos jam existentes in possessione, licèt durante Coadjutoria fuerint ingressi. Ita ferè Garc. *loc. cit. num.* 76. & 77.

3. Ex eo namque jam duplex sequeretur absurdum, si tempore Coadjutoriæ sedisset altiore loco & supra aliquos horum Canonicorum nempe Coadjuto juniorum. Primùm, quòd quando erat Canonicus factus & locumtenens Coadjuti, plus honoratus fuisset, quàm quando jam factus Canonicus verus, & reipsa obtinuit Coadjuti Canonicatum. Alterum, quòd non sine verecundia maxima, postquam sedit loco altiore, compelleretur descendere, & locum ultimum occupare. Gonz. *n.* 111. & 112. Ac denique confirmatur ex universali observantia (quæ est optima indultorum interpres. Guttier. *cons.* 2. *n.* 10. Gonz. *loc. cit. n.* 114. & *gl.* 9. §. 1. *n.* 39. & *seq.* Argumento *l. si de interpretatione. ff. de LL. l. Julianus. ff. ad Macedonianum*) de qua testatur idem Gonz. *cit. n.* 114.

4. Notandum quoque hìc, quod *quæst. præced. ad Respons.* in parenthesi insinuatum, nempe hæc ita esse, sive Coadjutores Canonicorum sedere debere & exercere functiones ultimo loco post cæteros Canonicos, nisi aliud habeat forma Coadjutoriæ. Nam dum apparet gratiam Coadjutoriæ concessam esse cum ampliſſimis clausulis; nempe, quòd plenum jus ex nunc verè & non fictè censeatur acquisitum, & quòd Coadjutor possit gaudere indulto de annali & triennali possessione, censet Pignat. *loc. cit. n.* 26. manifestè ex hoc convinci gratiam non consistere in simplice Coadjutoria, sed continere à principio collationem cum vera possessione, & Papam voluisse, Coadjutorem sibi possidere, & non Coadjuto; eò quòd clausula illa: *ex nunc plenum jus verè & non fictè*; denotent ab initio Coadjutoriæ Coadjutore reputandum esse pro vero possessore Canonicatûs; cùm dictio *ex nunc* referatur ad tempus actûs gesti, ut Marescor. *var. resolut. l.* 2. *c.* 10. *n.* 2. aliique citati à Barbos. *dictione* 117. & temporis inchoationem designet, etsi effectum non nisi futurum denotet, & præcipuè verba illa: *verè & non fictè*: denotent possessionem Canonicatûs reipsa esse penes Coadjutorem, non autem per speciem, prout est in simplicibus Coadjutoriis; cùm dictio *verè* omnem fictionem excludat, ut Barbos. *de dictionib. dict.* 419. præsertim in casibus, ubi additur non fictè. Atque ex his concludit: cùm à principio receptionis & possessionis Canonicatûs incipiat ancianitas juxta *l.* 1. *c. de consul. c.* 1. *de major. & obed. gl. in c fin. de consuetud. in* 6. *&c.* vigore cujus datur assensus seu præcedentia, in casu vacationis, seu post obitum Coadjuti competere Coadjutori tale stallum & præcedentiam ante Canonicos post receptionem Coadjutoriæ ingressos; pro quo etiam *num.* 25. citat decis. Rotæ *in Tirason. Coadjutoriæ.* 9. *Decemb.* 1599. & 27. *Octob.* 1600. Ex quibus id etiam consequi videtur, uti id ipsum admittit Pignat. *loc. cit. n.* 29. quòd si veram possessionem ipsius Canonicatûs habeat, cui concessa cum dictis clausulis ampliſſimis Coadjutoria, debere quoque eundem vivente Coadjuto præcedere Canonicos ex post, seu post receptā Coadjutoriam

riam ingressos, & locum, quem adeptus est initio suæ Coadjutoriæ post Canonicos tunc existentes semper retenturum. Cur enim istum effectum haberet Coadjutoria tam amplè clausulata post mortem Coadjuti, & non in vita illius, si in vita quoque illius est verus Canonicus, & verus possessor illius Canonicatûs. Verùm non capio, quomodo in vita Coadjuti, etiam vi istarum clausularum existere possint duo veri possessores ejusdem Canonicatûs, quin & duo plenum jus in eo habentes; sed & præterquam quòd clausulæ, quò sunt præguantiores, eò quandoque magis in privilegium sonant (de quo vide dicta à me *in Foro benef. p.1. q.28.n.2. & q. 116.n.16.* sè melius explicat Pignat. *loc. cit. n. 36.* ut videre est *quæst. seq.*

5. Notandum item hic, quod habet Lotter. *l. 2. q. 25. num. 39.* nempe cautè accipiendum, quod habet Rota *decis. in Hispal. præeminentiar. 8. Febr. 1611.* Coadjutorem non sibi, sed Coadjuto possidere, ut nimirum referatur ad materialia subjecta, puta locum, stallum & similia; eò quòd verius sit, utrumque sejunctim possidere, nec possessionem versari circa idem diversis respectibus, sed circa diversa, ut videlicet Coadjutus possideat beneficium; Coadjutor verò possideat officium illud, & jus denovo creatum.

*Quæstio 415. Quis ex duobus Coadjutoribus duorum Canonicorum viventium, & post mortem illorum præcedere debeat?*

1. REsp. primò: vivente Coadjuto utroque præcedere debere Coadjutorem senioris Coadjuti, juxta dicta *quæst. ante hanc penult.* Idq; non curato, quòd Coadjutor junioris Coadjuti priùs consecutus fuisset Coadjutoriam; quia unusquisque suum repræsentat Coadjutum quòad anterioritatẽ stalli respectu inferiorũ aut parium. Quod tamen dicendum non videtur juxta doctrinam illam traditam à Pignatelli, si Coadjutor illius junioris Canonici assecutus fuisset (etsi posteriùs) Coadjutoriam cum ampliſſimis clausulis; haberet se enim tunc sicut Canonicus verus respectu Coadjutoris alterius tanquam Canonici ficti.

2. Resp. secundò: præmortuo Coadjuto illo juniore; adeóque ejus Coadjutore jam facto vero Canonico, is utique præcedere debet Coadjutorem superstitis Coadjuti; tametsi is illum priùs præcesserat, non secus ac Coadjutor cedere debet alteri Canonico de novo recepto post ejus Coadjutoriam. Pignat. *loc. cit. num. 34.* Dum verò dein moritur quoque Coadjutus ille senior, & sic ejus Coadjutor evadit quoque verus Canonicus, hic juxta propositа à Pignat. *loc. cit. num. 29. & seq.* denuo præcedere debebit Coadjutorem junioris Coadjuti, non obstante, quòd is priùs successerit suo principali. Quemadmodum probat id Pignat. simili duorum parem dignitatem Consulatûs habentium, quorum senior præfertur; & dum contingit, juniorem adipisci dignitatem majorem, vi cujus jam præcedat seniorem, cedere tamen denuo debeat seniori, dum is ad similem dignitatem evehitur. Procedere idipsum adhuc videtur etiam juxta doctrinam illam Pignatelli, si junioris Coadjutor consecutus fuisset Coadjutoriam cum dictis illis ampliſſimis clausulis, & Coadjutor senioris absque illis eam obtinuisset. Etsi enim vel detur juniorem illum priùs evasisse verum Canonicum, semper tamen manet, quòd senior ille Coadjutus, sicut dicti junioris Coadjutum præcessit possessione veri Canonicatûs, adeóque multò magis ejus Coadjutorem de Coadjutoria provisum cum amplitudine illa clausularum.

3. Verumtamen, his non obstantibus, contrarium tenet Pignat. *num. 35.* illi ex istis Coadjutoribus etiam post mortem principalium deberi præcedentiam, ad cujus favorem priùs factus fuit locus successioni, seu qui prior successit suo Coadjuto in Canonicatu; eò quòd is jam ex eo fuerit effectus Canonicus antiquior (ac proinde non obstante, quòd alter priùs obtinuerit Coadjutoriam, aut etiam fuerit Coadjutor Coadjuti senioris) adeóque acquisierit jus quò ad præcedentiam & locum. Diluit etiam Pignat. *à num. 36.* in contrarium opposita; ac primò quidem non obstare inquit, quòd Coadjutoria alteri Coadjutori concessa fuisset cum clausula illa: *ex nunc prout ex tunc.* utpote quæ cùm apposita fuerit in dispositione conditionali, nempe sub conditione vacantis aliquando Canonicatûs per cessum vel decessum Coadjuti, non operetur nisi post purificatam conditionem, non autem à die datæ, ad quam restricta esse debet in præjudicium juris alteri medio tempore quæsiti; ut in terminis Coadjutoriæ cum dicta clausula firmavit Barbos. *clauſ. 61. num. 4. & 5.* Neque quòd concessa cum clausula: *verè & non fictè acquiratur jus*: quòd intelligatur de jure ad rem respectu Canonicatûs, & non de jure in re, quod acquiritur ex collatione de præsente; non autem ex conditionali; quæ pendet à futuro eventu, nempe à morte Coadjuti. Barbos. *jur. eccles. l. 3. c. 10. num. 40.* & nos sæpe supra. Atque ita non obstantibus similibus amplioribus clausulis apponi solitis non poterit arrogare Coadjutor sibi præcedentiam veris Canonicis postea receptis debitam juxta dicta à nobis supra ex Lotter. *l. 2. q. 25. num. 36. & seq.* Ex eo etiam, quòd dicatur in Coadjutoria alterius, posse eum frui regulis de annali & triennali, malè infertur, fuisse possessionem Canonicatûs acquisitam à die receptionis Coadjutoriæ; siquidem, ut expresè Pignat. *num. 39.* nullo modo fuit acquisita vera possessio; cùm duo in solidum eodem tempore possidere nequeant; sed tantùm fuit acquisita possessio administrationis, quæ non suffragatur ad effectum præcedentiæ, & Rota *decis. 466. num. 4. & seq. & decis. 410. n.5. & 9. p. 1. recent.* maximè cùm Papa in literis Coadjutoriæ tantùm dicat, quòd possit gaudere regulis de annali & triennali; non verò, quòd possit gaudere ancianitate.

*Quæstio 416. Qualiter igitur Coadjutor gaudere valeat regulis de annali & triennali.*

REsp. Posse eum illis frui, ubi ea clausula inserta non est literis Coadjutoriæ. Pignat. *loc. cit. num. 32.* Garc. *p. 4. c. 5. num. 90.* Dum verò inserta est, censetur à principio Coadjutoriæ in Coadjutorem translata possessio beneficii, perinde ac si esset titularis. Pignat. *ibid.* Ubi iterum nota, illos terminos: *censetur, perinde ac si esset*: qui etsi in improprietatem sonent, denotant tamen in ordine ad hunc effectum fruendi dictis regulis, habere se talem Coadjutorem, ac si verè esset titularis, & possessionem Coadjutoriæ, ac si esset possessio ipsius Canonicatûs. Ut itaque Coadjutor talis frui possit dictarũ Regularum beneficio, requiritur, ut post adeptam Coadjutoriam eandem possederit per annum respectu regulæ de annali, & per

triennium respectu regulæ de triennali, etsi interea factus non sit locus successioni, & nullatenus aliàs, illo anno aut triennio non transacto, juvetur annali aut triennali possessione prædecessoris seu ipsius Coadjuti. Garc. *loc. cit.* Gonz. *ad regul. 8. gl. 5. §. 9. num. 118.* citantes Rotam *in Ulaeent. Decanatûs. 21. Ian. 1597.*

*Quæstio* 417. *An in ecclesiis, in quibus habens dignitatem non præsidet in choro, nec habet sedem & vocem in Capitulo, nisi sit simul Canonicus (in quo casu tam in choro præsidet quàm in Capitulo, habet sedem, & vocem secundum antiquitatem dignitatis suæ) talis dignitatis Coadjutor, qui est simul Canonicus proprietarius, præsideat & habeat sedem, iuxta antiquitatem dignitatis dictæ, si deserviat ut talis.*

1. REspondet affirmativè Garcias. *p. 4. c. 5. n. 112.* eò quòd ex una parte Coadjutor dignitatis ut talis serviens habeat dignitatis illius præeminentias, & cùm ex altera parte ipse sit Canonicus, habere jam debeat præeminentias competentes habentibus dignitatem unà cum Canonicatu: adeóque nec obstet, quòd ipse Coadjutus, utpote carens Canonicatu istam præeminentiam non habeat; quia is ab ea habenda impeditur solùm ex defectu Canonicatûs.

2. Verumtamen Castropal. *tract. 13. d. 1. p. 10. num. 25.* contrarium censet probabilius; nempe talem Coadjutorem, etsi ratione Canonicatûs habeat sedem in choro, & vocem in Capitulo, non habere sedem præeminentem, neque posse præsidere, sicut hanc haberet & præsidere posset ejus Coadjutus, si esset simul Canonicus. Rationem dat, quòd licèt Coadjutor serviat nomine Ecclesiæ, & vi potestatis non à Coadjuto, sed à Papa acceptæ; quia tamen servit loco Coadjuti, & vices illius gerit, & Coadjutus præsidere nequeat, aut habere sedem præeminentem, id quoque nequibit Coadjutor, etsi Canonicus. Ad hæc Coadjutori competunt privilegia, exemptiones, præeminentiæ & prærogativæ, quæ competunt Coadjuto ratione Dignitatis, & non alia; sed Coadjuto ratione dignitatis non competunt habere sedem in choro &c. ergo. Ad instantiam verò illam in contrarium, quòd nimirum Coadjutor in sacris constitutus Coadjuti non constituti in sacris possit habere vocem in Capitulo, & talis Coadjutus eam non habeat, respondet, hanc dando disparitatem; quòd habere sedem præeminentem & vocem in Capitulo in præsente casu non competat dignitati utcunque, sed dignitati habenti annexum Canonicatum: ergo ratione hujus dignitatis non competit illa præeminentia; Coadjutus verò ille ratione Canonicatûs sui poterat habere suffragium, removeatur tamen à ferendo suffragio; quia ordinatus non est: Coadjutor verò illius, cùm sit ordinatus, nulla est causa eum removendi. Verùm non satis assequor dictam disparitatem; pari enim modo dici potest; habere vocem in Capitulo non competit Canonico utcunque, sed habenti simul Ordinem sacrum; & sicuti Canonicatus ille Dignitati annexus est conditio, sine qua non competit sedes præeminentialis in choro dignitati; sic etiam Ordo sacer est conditio, sine qua non potest Canonicus habere vocem in Capitulo.

*Quæstio* 418. *An habens dignitatem, ratione cujus dare potest vocem in Capitulo, factus Coadjutor Canonici; & è contra Canonicus factus Coadjutor talis dignitatis habeat vocem duplicem in Capitulo.*

1. REspondet primò Castrop. *loc. cit. num. 36.* quòd si habens dignitatem & Canonicatum simul habeat duplicem vocem (ut tradit Garc. *p. 11. c. 5. num. 211.* citatis Cardin. *in c. cum olim. de re judicata. num. 4.* Abb. *in idem c. n. 2.* Felin. *num. 1. & 2.* Covar. *l. 3. var. c. 13. num. 6.* Hojed. *de incompat. c. 12. num. 15. & 16.* Azor. *instit. mor. p. 2. l. 3. c. 11. q. 19.* & tradit ipse Castrop. *loc. cit. n. 37.* de jure competere tali habere duplicem vocem, posito, quòd dignitati competat habere vocem in Capitulo) dubium non esse, Coadjutori talis dignitatis duplicem competere vocem. Quod verum est, si sit Coadjutor in utroque, sive tam respectu Canonicatûs quàm dignitatis.

2. Dum verò consuetudo haberet contrarium, nimirum habentem dignitatem & simul Canonicatum in proprietate non habere nisi unam vocem in Capitulo, ei, qui haberet dignitatem in proprietate, & Canonicatum in Coadjutoria, & è contra, competere duplicem vocem in Capitulo, negat Garcias apud Castropal. vitiosè illum citantem; eò quòd Coadjutor non debeat esse melioris conditionis, & plus posse quàm Coadjutus. E contra affirmat Castropal. *cit. num. 37.* præscindendo à consuetudine in contrarium; eò quòd, quòd proprietarius dignitatis, & Canonicatûs non habeat nisi unam vocem, id non sit ex jure (ex quo aliàs duplicem debebat habere vocem, ut dictum *num. præced.*) sed ex consuetudine; adeóque illa, nisi sit præscripta ad Coadjutorem extendi non debeat; cùm sit juri contraria. Ad hæc sicut Coadjutor dignitatis, & Canonicatûs existentium in diversis personis habet duplicem vocem; quia aliàs non repræsentat diversas Coadjutorias, etiam qui habet dignitatem in proprietate, & Canonicatum in Coadjutoria, & quòd, si Coadjutus ille vellet, posset per se dare vocem in Capitulo, non obstante, quòd Coadjutor illius daret suam ratione dignitatis, quam habet in proprietate. Item Coadjutus posset vices suas in ferendo suffragio delegare alteri, quin per hoc impediatur Coadjutor ratione Dignitatis suæ dare vocem; jam verò illius vices commissas sibi habet Coadjutor à Papa in concessione Coadjutoriæ; ergo nil obstat, quin ut vices gerens Coadjuti det vocé, & alterâ det nomine proprio ratione dignitatis suæ.

*Quæstio* 419. *Quis honor & quæ servitia debeantur Coadjutori, maximè Episcopi.*

1. REsp. primò: si Coadjutoria sit data dignitati episcopali, saltè ex decentia absente Coadjuto debetur servitium Coadjutori utì ipsi Prælato, nec citra violationē urbani respectûs ipsi venienti aut exeunti denegari potest comitatus. Remouch. *c. 15. n. 5.* citans Barbos. *ad Trid. sess 25. c. 7. n. 43. & seq.* ita quoque Barbos. *Iur. eccles. l. 3. c. 10. num. 42.* refert, respondisse S. Congreg. Rituum in hæc verba: maximè decere, ut Canonici prodeant obviam Coadjutori Episcopo ad ecclesiam pontificaliter accedenti ad ostium ecclesiæ, eúmque discedentem ad idem ostium deducere; imò valde commendandum, si nonnulli Canonici officii & urbanitatis gratiâ ad ipsius Coadjutoris ædes accederent. Item *num. 39.* hæc habet Barbos. censuisse eandem Congregationem,

Cano-

Canonicos esse compellendos, ut Coadjutori Episcopo, seu qui est Episcopus, solenniter celebranti & pontificalia exercenti semper assistant; alioquin indecorum videri, si Episcopus sine Canonicorum assistentia celebraret &c. & *n.* 40. decere, ut Coadjutor Episcopus confessionem faciat cum sacerdore solenniter celebrante, & ut idem quoque in fine Missæ benedicat.

2. Resp. secundò: Coadjutori Canonici tenentur inservire & ministrare Canonici in omnibus functionibus canonicalibus, prout tenentur inservire Canonico Coadjuto. Barbos. *de Canon. & Dign. c.* 29. *n.* 54. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 33. juxta Declarat. S. Congreg. Rituum *in Casalens.* 10. *Jan.* 1609.

*Quæstio* 420. *Virum Capitulum possit Coadjutori limitare suam potestatem, authoritatem, præeminentias, concessas in literis Apostolicis.*

Resp. negativè: uti nec potest illum non admittere ad servitium Ecclesiæ. Ventrigl. *loc. cit.* citans Garciam.

*Quæstio* 421. *An, & qualiter Coadjutor lucretur fructus beneficii aut Dignitatis?*

1. Resp. primò: Coadjutor non potest consequi fructus ex beneficio Coadjuti. Barbos. *Jur. Eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 56. citans Navar. *cons.* 2. *n.* 3. *de Cler. ægrot.* Saraviam *de jurisd. adjunct. q.* 29. *n.* 26. Rotam *decis.* 285. *l.* 3. *p.* 3. *divers.* Sed reditus beneficii, quos lucratur Coadjutor, cedere debent Coadjuto. Remouch. *c.* 16. *n.* 1. & *c.* 14. *n.* 2. citans Barbos. *ad Trident.*

2. Resp. secundò: Coadjutor Dignitatis habentis sibi annexam (intelligendum videtur stabiliter) præbendam, lucratur quoque (intellige Coadjuto) fructus præbendæ. Et in hoc casu verum est, quod lucrifaciat omnia Coadjutor in absentia Coadjuti, quæ is lucrifacit residendo. Si verò præbenda hìc & nunc habita simul à constituto in Dignitate non est sic annexa, Coadjutor datus Dignitati non lucratur nisi fructus competentes Coadjuto ratione Dignitatis. Remouch. *c.* 16. *n.* 2.

3. Resp. tertiò: Coadjutor Canonicus Dignitatis per residentiam in qualitate Coadjutoris, sive dum volente Coadjuto, vel necessitate Ecclesiæ ita exigente administrat & residet, & illi honor ut Coadjutori defertur, lucratur fructus Dignitatis Coadjuto; non tamen potest lucrari simul sibi fructus præbendæ suæ juxta Remouch. *loc. cit. num.* 3. contrarium expresè tenente Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *num.* 26. ubi: certum est Canonicum Coadjutorem Dignitatis sedentem in sede Dignitatis lucrari fructus non solùm Dignitatis, sed etiam Canonicatûs (intellige, hos sibi, illos Coadjuto) quia sedens in altiore loco dici potest inferiori assistere; secus verò (nempe non lucratur fructus Dignitatis, sed solùm Canonicatûs sui) si in loco Canonicatûs sederet; quia tunc dici non potest ut Dignitas inservire. De cætero quomodo teneatur Coadjutus de proventibus beneficii providere de congrua Coadjutori, dicetur paulò pòst, ubi de alimentis Coadjutoris.

* * *

*Quæstio* 422. *An, & qualiter Coadjutor lucretur distributiones?*

1. Respond. Coadjutor lucratur distributiones quotidianas absente Coadjuto, sed non nisi in utilitatem Coadjuti. Fagn. *in c. nulla. de conces. præb. n.* 65. citans Navarr. *cons.* 2. *n.* 3. *de Cler. ægrot.* Remouch. *c.* 14. Barbos. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 10. *num* 57. citans Trullench. *in Decalog. l.* 1. *c.* 8. *dub.* 6. *n.* 3. Congregat. Rit. *in Columbrien.* 16. *Sept.* 1606. Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.* 54. ubi, quòd omnia & singula, fructus, & reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones quotidianas, & alia emolumenta quæcunque, etiam anniversaria, manualia & alia quomodolibet nuncupata in quibusvis rebus consistentia, quæ per ipsum principalem, si personaliter divinis officiis tam diurnis, quàm nocturnis interest, lucrifieri, & percipi possint in omnibus, & per omnia pro eo lucrari & percipere liberè valeat Coadjutor.

2. In casibus autem, in quibus Coadjutus, si præsens esset, & inserviret, non lucraretur distributiones; v.g. excommunicato Coadjuto, Coadjutus quoque nec sibi nec Coadjuto eas lucrabitur. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. & 43. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 86. Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 16. Pignat. *tom.* 4. *Consult.* 185. *n.* 40. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 125. citans *gl. in c.* 1. *de off. Vicar. v. ipsius.* Uti hoc ipsum ex tenore Coadjutoriæ probatur, dum dicitur, quòd possit Coadjutor interesse ac servire, ac lucrari perinde ac posset ipsemet proprietarius, si præsens fuisset; proprietarius autem excommunicatus quamvis præsens esset, lucrari non posset (excommunicatus enim nec fructus beneficii, nec distributiones durante excommunicatione lucratur, juxta *c. pastoralis. de sent. excomm.* & *ibi* DD. Gonz. *loc. cit. n.* 123.) ergo neq; Coadjutor, qui non laborat pro se, sed pro ipso Coadjuto. Gonz. *n.* 128.

3. Quòd si tamen Coadjutori esset ex fructibus aut distributionibus assignata congrua, usque ad illam lucrari posset, etiamsi Coadjutus excommunicatus; quia tunc non lucraretur Coadjuto inhabili, sed sibi ipsi, cui defectus Coadjuti non debet nocere. Barbos. *de Can. & Dignit. c.* 29. *n.* 46. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n.* 43. Garc. *loc. cit. n.* 85. Castrop. *loc. cit.* Qualiter verò nihilominus teneatur inservire Coadjutor, etiamsi Coadjuto ob ejus incapacitatem nihil lucretur, dictum est *cap. præced.* ubi etiam, qualiter Coadjutor infirmus, vel alio justo impedimento detentus habeatur pro præsente, & lucretur distributiones; non tamen ratione studiorum aut doctionis absens.

*Quæstio* 423. *Coadjutori an, à quo, & unde subministranda alimenta?*

1. Resp. ad primum: Debetur Coadjutori, dum deservit, congrua sustentatio; qui enim altari deservit, de altari debet vivere. Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *num.* 47. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 33. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.* 24. Tusch. *lit. C. concl.* 402. *num.* 10. Barbos *juris eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 26. Fagn. *in c. nulla. de conces. præb. n.* 64. Loquitur autè expresè de Coadjutore temporali. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 18. ubi: utcunq; sit Coadjutor, sive datus à Papa cum futura successione, sive ab Episcopo ad tempus, debet illi præstari competens salarium, & portio ex fructibus beneficii Coadjuti pro ejus sufficiente victu.

2. Limitatur hoc ipsum primò: nisi Coadjutor ipse cesserit huic stipendio (ut communiter Coadjutores illi cedere solent contenti futura suc-

successione) facta enim hac cessione, gratis servire tenetur; quia sua voluntate hanc obligationem suscepit. Si tamen ob paupertatem redderetur impotens decenter deservire Ecclesiæ, ministrandæ illi adhuc sunt expensæ in congruam sustentationem, non obstante illa voluntaria cessione; quia non censendus cessisse huic stipendio tam necessario; esset enim cessio irrationabilis, & in grave detrimentum Ecclesiæ. Castrop. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. n.* 58.

3. Limitatur secundò: nisi aliud habeatur in literis Coadjutoriæ. Tondut. Barbos. *ll. cit.* Sic enim sæpe in literis Coadjutoriæ, dum Coadjutor se aliunde valet sustentare, disponitur, quòd nihil prorsùs percipere debeat nec de fructibus, nec de distributionibus. Gonz. *loc. cit. n.* 95. Barbos. *loc. cit.* ubi etiam, quòd hodie in Coadjutoria consuetum sit apponi clausulam, quia partes ita conveniunt; quòd Coadjutor non possit petere congruam, nec quicquam exigere quovis titulo ratione Coadjutoriæ. Idem habet Fagn. *in c. nulla. de concess. præb. n.* 65. Item Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. num.* 21. ubi: in Coadjutoriis cum futura successione, quæ obtinentur à Papa, stari solet circa congruam hanc portionem conventioni factæ inter partes, ita ut si conventum sit, nihil deberi Coadjutori, Coadjutor nil possit exigere &c. Idque procedere ait ex Garc. etiamsi non narretur, Coadjutorem habere beneficium, seu unde se valeat sustentare. Nihilominus non obstante tali clausulâ, & conventione, Coadjutorem ob ingruentem paupertatem non valentem decenter deservire, excusandum à servitio, aut certè ei dandum, quo decenter deservire valeat, ait *loc. cit. in fine* Barbos. & Ventrigl. *loc. cit.*

4. Respond. ad secundum: Ministrandâ illi alimenta à Coadjuto ex reditibus beneficii. Tusch. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. q. 9. n.* 3. Gonz. *n* 33. Barbos. Tondut. *loc. cit.* juxta *c. unic. de Cler. ægrot. in* 6. & Trident. *sess.* 21. *c.* 6. Fagn. *in c. nulla. de Cler. ægrot. n.* 64. Quòd si verò nulla intercessit conventio inter partes, nec inter eos reperitur facta mentio alia de portione danda Coadjutori, tunc si Coadjutor habet aliunde, unde se alat, ei aliquid non debetur; quia in dubio censetur dispositum, prout est juris, quo casu disponitur, Coadjutorem consequi non posse ex fructibus beneficii. Ventrigl. *loc. cit. n.* 22. Porrò præstandæ hæ expensæ, seu portio de reditibus beneficii pro qualitate ministerii impensi. Castropal. *cit. n.* 3. Fagn. *in c. de Rectoribus. de Cler. ægrot. n.* 8. ubi: Coadjutor vivere debet de Ecclesiæ proventibus, & inde recipere congruam portionem juxta expressum textum *c. unic. tit. eod. in* 6. Sic Jo. And. *in cit. c. n.* 12. apud Fagn. *loc. cit.* Coadjutorem debere alimenta congrua & moderata habere de bonis Dignitatis Ecclesiæ vel officii, cujus Prælato vel Ministro datus est. Sic Coadjutorem Episcopi alendum ex reditibus episcopatûs ait Laym. *ad c. nisi cum pridem. §. alia. n.* 6. Interdum mandatur dari Coadjutori centum ducatos, & aliquando plus vel minus, prout partes inter se conveniunt ante porrectam supplicam, habitâ semper ratione, ne Coadjutor egeat. Gonz. *loc. cit. n.* 96. & ex eo Barbos. *cit. n.* 58. Et si nulla, ut consuevit, assignetur Coadjutori portio fructuum pro labore, tunc videtur talis gratia ei cedere in recompensam. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 25. *n.* 15.

5. Quòd si tamen reditus beneficii adeò sunt tenues, ut non sufficiant in sustentationem Coadjuti, & Coadjutoris, priùs ex illis detrahenda congrua sustentatio pro Coadjuto, & dein aliâ viâ providendum Coadjutori. Barbos. *Iur. Eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 20. Castropal. *cit. num.* 3. citans Riccium *in pr. for. eccl. resolut.* 494. *n.* 1. Ventrigl. *loc. cit. n.* 20. (qui tamen illud sic limitat: nisi Coadjutor datus est ob defectum Coadjuti, puta ob dilapidationem bonorum & similia) Fagn. *in c. de Rectoribus. de Cler. ægrot. n.* 12. dicens, hanc sententiam sibi magis placere, & majore æquitate, & solidioribus niti fundamentis; quia ægrotus intelligitur deservire Ecclesiæ. Vide eundem de hoc *ibidem* pluribus. contra Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 9. teste Barbos. censentem, in eo casu alimenta potiùs danda Coadjutori, quàm Coadjuto. Ad providendum tamen in eo casu Coadjutori posse populum cogi per Episcopum; siquidem Coadjutore egeat, qui sibi spiritualia ministret, ait Castropal. *cit. n.* 3. citans Azor. *ubi ante.* Ricc. *resolut* 494. *n.* 11. Barbos. *3. p. de potest. Episc. allegat.* 63. *in fine.* Sic Vice-Rectorem servientem ecclesiæ & administrantem Sacramenta parochianis pro Rectore infirmo consequi emolumenta ipsius Rectoris, & licitum ei esse retinere oblationes & eleemosynas sibi factas, ex Cavagnol. *tom.* 2. *decis.* 82. *per tot.* tradit Barbos. *Iur. Eccl. l.* 3. *c.* 10. *num.* 27.

6. Respond. ad tertium: portio in Coadjutore dando per Episcopum est assignanda per ipsum Episcopum. Ventrigl. *loc. cit. n.* 18. citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 9. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 63. *n.* 10. In assignanda autem hac portione, non potest certa quantitas generaliter definiri; proinde illam meritò AA. relinquunt arbitrio ipsius Episcopi, qui illam magis & minùs valeat assignare, habita consideratione laboris & aliorum pro opportunitate beneficii. Ventrigl. *loc. cit. n.* 19. Porrò pensio hæc assignata Coadjutori non debetur illi nisi à die, quo possessionem adeptus est beneficii Coadjutoris, cujus duntaxat consideratione datur pensio Coadjutori. Tondut. *qq. benef. p.* 3. *c.* 194. *n.* 14. citans Abb. *in c. de Rectoribus. de Cler. ægrot. n.* 5. Barbos. *de Iure Eccl. l.* 3. *c.* 10. *n.* 26. de quo tamen ille *ibidem* nihil.

7. Denique (quod etiam spectat ad alimenta) si domus episcopalis commodè capere potest Episcopum, & Coadjutorem, conveniens in ea habitatio Coadjutori est impertienda. Fagn. *in c. ex parte. de Cler. ægrot. n.* 27.

CAPVT

# CAPUT NONUM.

## De Possessione à Coadjutore accipienda, ejusdémque in beneficio, & Prælatura successione.

*Quæstio* 424. *An, & quando Coadjutor teneatur capere possessionem Coadjutoriæ, & in ea capienda impediri possit?*

1. RESpond. primò: Tenetur capere possessionem primæ gratiæ contentæ in Coadjutoria seu officii sui coadjutorialis in vita Coadjuti. Remouch. *c.* 12. *n.* 6. *junctò n.*10.

2. Resp. secundò: Non potest Capitulum recusare possessionem Coadjutoriæ, nec impedire quò minùs Coadjutor exerceat officium suum, ad quod deputatus. Remouch. *cit. n.* 6. citans Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 5. *n.*144. Sed neque ab ipso Coadjuto impediri potest. Tondut. *qq. benef. p.* 2, *c.* 1. §.13. *à n.* 15. ubi: immissio Coadjutori neganda non est vivente Coadjuto, non quidem ad beneficium, sed ad ipsum officium Coadjutoris, quòd licèt vivente Coadjuto jus formatum quò ad ipsum beneficium, cujus vigore capi possit possessio beneficii non tribuat, parit tamen quendam statum, ad cujus status possessionem adipiscendam Coadjutor capax efficitur, ita, ut neque Coadjutus ipse se possit opponere, nec dicatur legitimus contradictor ad impediendam adeptionem quasi possessionis illius statûs, ut Rota *decis.* 133. *per tot. p.* 6. *recent.* Quia cùm semel sub prætextu infirmitatis Coadjutus petierit à Papa sibi de Coadjutore provideri, non potest dein infringere dictam provisionem Coadjutoris, allegando, se non esse ampliùs suppositum infirmitatibus *Clement.* 1. *de renunc.* Rota *cit. decis. n.* 7.

*Quæstio* 425. *Quandonam igitur Coadjutor capere possit aut debeat possessionem respectu secundæ gratiæ contentæ in Coadjutoria, nempe successionis, sive beneficii, in ordine ad quod datus Coadjutor?*

1. RESpond. Communis sententia habet, non posse hanc possessionem beneficii capi nisi post mortem principalis, seu Coadjuti. Tondut. *p.* 3. *c.*194. *n.*4. ubi: Coadjutor habet quidem jus in officio Coadjutoris; sed non in beneficio, ut DD. *in c. de Rectorib. de Cler. agrot.* & nominatim Abb. *n. ult.* Anchar. *num.* 3. Unde Coadjutor vivente principali non capit possessionem beneficii, sed ipse Coadjutus, quamdiu vivit, dicitur verus possessor, & sic Coadjutor Episcopi capere nequit possessionem Episcopatûs Coadjuti, &c. Maximè, quia multa possunt contingere, propter quæ vivente Coadjuto cessaret Coadjutoria. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 76. ubi: Coadjutor durante Coadjutoriâ non est in possessione Canonicatûs, sed Coadjutoriæ. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 39. ubi: Coadjutor licèt à principio vivente Coadjuto possessionem apprehendat, non tamen tunc dicitur apprehendere possessionem beneficii, sed Coadjutoriæ. Barbos. *Iur. Eccl. l.* 3. *c.*10. *n.*61. ubi: Coadjutor non capit verè possessionem, nisi post cessationem Coadjutoriæ (intellige per cessum vel decessum Coadjuti) pro quo citat Ludovic. à Saravia. *tract. de Iurisd. adjunctor. q.* 29. *n.*51. Unde jam etiam sequitur, quòd capta possessio vivente Coadjuto non sufficiat; sed debeat eo mortuo capi nova possessio. Lotter. *l.* 2. *q.* 25. *n.*32. Ventrigl. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. num.* 62. testans, sic definitum à S. Congregat. Rituum. *in Patavina*, 30. *Ian.*1616. Garc. *loc. cit.* possessio enim illa prior esse non poterat beneficii; cùm tunc careret titulo beneficii, & sibi possidere non poterat. Lotter. Ventrigl. *ll. cit.* & sic ea continuari non potest. Garc. *loc. cit.* Tondut. *p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.*13. cùm esset juris diversi, quod exspiravit eveniente successione, nimirum decedente Coadjuto, & Coadjutore jam facto vero Canonico. Garc. *loc. cit.* Sequitur ulteriùs, prout censuit eadem S. Congregat. *in Terulens.* 21. *Maji* 1609. apud Barbos. *loc. cit. n.*63. Coadjutorem debere habere locum captæ possessionis post mortem Coadjuti, & non captæ possessionis vivente Coadjuto. Item prout censuit eadem Congregat. apud Barbos. *n.* 64. possessionem ab obitu Coadjuti numerandam esse, quamvis prior possessio caderet ad annos viginti. Qualiter verò, quòd sibi possidere non possit Coadjutor vivente Coadjuto, intelligendum sit, vide apud Lotter. *loc. cit. n.*39.

2. Nihilominus Remouchamps *c.* 12. *n.* 10. ait, id ipsum, quòd nimirum realis apprehensio beneficii differatur ad tempus vacationis, prout ipsa Bulla Coadjutoriæ continere solet, sibi semper visum esse incongruum; cujus proinde fundamenta & rationes in contrarium hìc prosequi lubet. Tradit itaq; *n.* 11. possessionem juris Prælaturæ, aut beneficii non ita esse incompatibilem cum admissione Coadjutoriæ, administrationéq; officii ex persona Coadjuti subeunda, quin ultra illam petere possit Coadjutor, & obtinere realem possessionem beneficii per receptionem, & admissionem ad juramentum solutis juribus ad hoc, ut cedente vel decedente Coadjuto non egeat nova receptione, sicut non eget novo titulo. Rationes, prout habet *n.* 12. *& seq.* usûs contrarii tam in Curia quàm in partibus, quæ consistunt in eo, quòd vivente Coadjuto non habeat verum titulum, sed solùm jus ad rem, canonizandum priùs post cessum, vel decessum Coadjuti, penes quem verus titulus integralis ac naturalis possessio maneat: de jure autem capi non possit possessio sine titulo, nec duo esse possint in possessione naturali & actuali ejusdem rei, nec una sedes capiat duos. *l.* 2. §. *ex continuo. ff. de acquirend. possess.* Rationes inquam has non videri sibi obstare, quò minùs Coadjutor possit assequi, & admitti ad realem possessionem ait *num.* 14.

3. Primò eò quòd sicut Papa per gratiam successionis contentam in concessione Coadjutoriæ confert titulum fictum conditionalem, & præventivum: *ex nunc prout extunc*: illáque collatio operatur, ut si non titulus verus ex eo tempore de præsente in effectu, saltem talis acquiratur, ut contingente vacatione per cessum vel decessum Coadjuti continuetur ille titulus ipso jure absque alia gratia seu facto hominis; ita pari ratione

non videatur implicare, quò minùs Coadjutor possit procurare, & adipisci possessionem solutis juribus & præstito juramento: ex nunc prout ex tunc: illáque dicatur quoque possessio ficta, seu conditionalis sicut titulus, ita tamen, ut ea non sit fructuosa seu talis, quâ possit possidere, administrare ad exclusionem Coadjuti viventis, licèt aliàs dici possit naturalis possessio sive naturâ habitualis, efficiátque, quòd sicut post cessum vel decessum Coadjuti non est opùs novâ provisione, ita nec novâ possessione, nullúmque futurum sit temporis intervallum, quo vacua intelligatur possessio; utpote quòd possessio actualis priùs capta, saltem civiliter, in vita Coadjuti per Coadjutorem retenta, ac impedimento gaudentiæ fructuum sublato, aut cessante, habitus ille ipsò jure redigatur in actum, fiátque vera, naturalis, formalis, fructuosa, & plena possessio; ita ferè *à n.* 15. *usque ad* 19.

4. Secundò, ut habet *à n.* 20. *ad* 22. quòd nequeat obtendi defectus veri tituli, quódque is solùm sit conditionalis, dependens ab eventu; eò quòd licèt possessor in beneficialibus sine titulo dicatur occupator injustus & intrusus; defectus tamen tituli non impediat acquisitionem possessionis; pro quo citat Abb. *in c. in literis: de rest. spoliat. sub n.* 20. & Lott. *l.* 3. *q.* 24. *n.* 5. Ad hæc sicut Coadjutor habet titulum ex nunc prout ex tunc, ita habet possessionem ex nunc prout ex tunc.

5. Tertiò ut habet *n.* 23. quòd non videatur considerabilis textus ille *l.* 2. *de acquir. possess.* eò quòd licèt physicè loquendo duo non possint eandem rem in eodem gradu & adæquatè possidere; non videatur tamen incompatibile moraliter, ut duo eandem rem diverso respectu, ac subordinatè possideant ad exemplum ferè Episcopi & Vicarii. Et sic in hoc casu Coadjutor poterit recipi in Prælatum seu ad juramentum (ne dicatur idem corpus habere duo capita) sub conditione vel modo: *ex nunc prout ex tunc*: suspenso effectu formali & gavisorio fructuum in tempus congruum, cessûs nempe vel decessûs Coadjuti, idque sine præjudicio Coadjuti, qui possessionem suam continuabit cum perceptione fructuum etiam sine præjudicio Coadjutoris. Atque ita ait *n.* 26. per hanc practicam præventæ possessionis, non vacaturam possessionem per obitum Coadjuti, obviandúmq; variis difficultatibus, quæ alias possent occurrere post obitum Coadjuti super justificatione gratiæ cum retardatione possessionis juxta tradita per Lotter. *l.* 2. *q.* 25. *n.* 3. qui tamen *ibi* de hoc nihil.

6. Ac denique *n.* 27. concludit dicendo, nullam igitur superesse rationem, cur Coadjutores non procurent possessionem secundæ gratiæ; imò potiùs patiantur inseri clausulam capiendæ demum possessionis post cessum, vel decessum Coadjuti, quàm avaritiam, seu necessitatem solvendi jura cum incerta spe fructuum, vel potiùs imperitiam scriptorum Curiæ Romanæ, aut practicorum agentium. Dum de cætero non sit timenda aliqua oppositio ex parte Capitulorum, ex quo Capitula non faciunt difficultatem recipiendi plures ad possessionem cum clausula: *Salvo jure cujuslibet*: utpote per quod nihil iis depereat, & post cessum, vel decessum Coadjuti non minùs deducerentur tempora carentiarum; cum gratia Coadjutorialis, etiam possessione secuta, in effectu seu respectu fructuum non operetur, nisi postquam Coadjutor post cessum vel decessum Coadjuti actu vel habitu incipit facere fructus ex sua persona, licèt fabrica vel ecclesia aut Capitulum percipiat.

*Quæstio* 426. *An, & qualiter post mortem Coadjuti Coadjutor mittendus in possessionem cum integro statu?*

1. Resp. Mittendum illum in possessionem beneficii cum integro statu ejus, id est, cum præbenda aliisq; juribus Canonicatui unitis. Secus est in membris separatis à Canonicatu. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 34. ita ut, si consuetudo est in ecclesia optandi præbendam, eam non amittat Coadjutor, ut ea à seniore optari nequeat; & hoc ratione appositionis manus Papæ. Ventrig. *ibid.* citans pro hoc varias Rotæ *decis.* Succedit enim Coadjutor in dictis omnibus beneficio annexis, non in aliis ei non annexis. Tondut. *qq. benef. p.* 1. *c.* 90. *n.* 25. ubi: si agatur de præbenda vel præstimonio Canonicatui annexo, non autem de domo, vel prædio separato à Canonicatu, tunc Coadjutor succedens in Canonicatu, succedit etiam in illis; cum sint ex iis, quæ cum Canonicatu transferuntur, illíque adhærent. Et licèt connexio istarum præbendarum non sit perpetua (de qua annexione videndus Abb. *in c. majoribus: de præbend. n.* 4. & *in c. dilecto: tit. eod. n.* 6.) est tamen spiritualis, & dicitur de dependentiis Canonicatûs, & sub Canonicatûs concessione continetur. Tondut. *n.* 27. citans Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 118. & Lott. *l.* 2. *q.* 25. *& 55. & seq.* E contra regula generalis est, præscindendo à clausulis fortè specialiter in litteris Coadjutoriæ coërentis, Coadjutoriâ cessante, per cessum vel decessum Coadjuti, Canonicos tempore cessationis hujus existentes posse exercere optionem in præjudicium Coadjutoris supervenientis, quando agitur de membris distinctis & separatis à Canonicatu, de cujus Coadjutoria agitur; quia cùm supponamus ea esse omnino distincta & separata à Canonicatu, non comprehenduntur in provisione Canonicatûs facta in favorem Coadjutoris. Clausula enim illa: *cum juribus & pertinentiis annexis & connexis dicti Canonicatûs &c.* non comprehendit hæc membra, quæ nullam habent cum Canonicatu annexionem. Tond. *loc. cit. n.* 21. & 22. Porrò probanda annexio per eum, qui in ea se fundat. Tondut. *loc. cit. n.* 28. Ut verò dignoscí queant, quænam sint præbendæ & prædia annexa, & quæ separata, duo distinguenda annexionum genera. Primum earum rerum, quæ à certo Canonicatu sunt inseparabiles, ita ut nemo possideat Canonicatum, quin simul obtineat prædium aut præbendam illi annexam, veluti Prioratus (idem est de beneficio alio alteri beneficio accessoriè unito, utpote quod per unionem illam factum est prædium illius beneficii, cui unitum) certo beneficio, aut Dignitati perpetuò unitus & annexus, & in quem non cadit optio. Alterum earum rerum, quæ sunt quidem annexæ in genere alicui ex Canonicatibus, sed non uni potiùs quàm alteri, & modò ad unum, modò ad alterum pertinent; & hæc annexio quia non est perpetua, sed revocabilis, bene se compatitur cum jure optandi. Tondut. *n.* 29.

2. Atque ex his concluditur, quòd cum Coadjutus in veriore sententia Garciæ (quam nos supra, ubi num Coadjutor impedire possit Coadjutum ab optione alterius præbendæ, sectati sumus) post Coadjutoriam optare possit in tali casu, sicut Coadjutor subrogatur in Canonicatum, ita & in prædium aut præbendam illi vi optionis, etiá de novo factæ, annexam non obstante, quòd annexio sit revocabilis, & variabilis reddi possit per optionem. Tondut. *cit. n.* 29.

*Quæst.*

*Quæstio* 427. *An possessio coadjutoris præjudicet jubilationi coadiuti?*

RESp. Possessionem Coadjutoris neque præjudicare jubilationi Coadjuti, neque ex dicta possessione perfici illam jubilationem. Lotter. *l.2. q.25.n.* 40. citans Rotam *in Tirason. Coadjutoria. 8. Novemb.1598.* deducens idipsum ex dictis à se *n. præced.* nempe quòd Coadjutor & Coadjutus uterque se junctim possideat, & possessio utriusve versetur circa diversa, ita nempe, ut Coadjutus possideat beneficium; Coadjutor verò officium, & jus illud de novo creatum.

# CAPUT DECIMUM.

## De exspiratione Coadjutoriæ.

*Quæstio* 428. *An & qualiter coadiutoria exspiret per mortem coadiuti?*

1. RESp. primò per obitum Coadjuti cessat coadiutoria temporalis Laym. *in c. unic. de cler. ægrot. in* 6. §. *præsenti. n.* 5. (ibi enim loquitur de coadiutore Episcopi non perpetuo; cùm dicat adveniente administratore legitimo, qualis est capitulum sede vacante, cessare officium administratoris dativi, qualis est iste non perpetuus coadiutor) Fagn. *in c. ex parte. de cler. ægrot. à n.* 9. cum communi, juxta quod expressum *in c. grandi de suppl. neglig. prælator. in* 6. & *ibi* AA. Et sic exspirat Coadjutoria talis cum omnibus ejus effectibus mortuo Coadjuto, sicut jus usu fructuarii perit corpore perempto. Fagn. *loc. cit. n.* 10. & 11. ubi etiam, quòd AA. illud intelligant de morte civili, ut quia renunciat vel deponitur is, cui datus Coadjutor; cùm talis quò ad ecclesiam habeatur pro mortuo. idque ad exemplum tutelæ, quæ similiter finitur per mortem pupilli tam naturalem quàm civilem; unde jam mortuo Coadjuto jurisdictionem exercebit Capitulum, vel is, ad quem spectat sede vacante. Fagn. *loc. cit. n.* 13.

2. Resp. Secundò. Cum Coadjutoria cum futura successione duas complectatur gratias; primam, quæ verè Coadjutoria est; secundam, quæ est provisoria futuræ successionis: prior verè cesset per obitum Coadjuti, utpotè cessante ejus causâ finali Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 53. Remouch. *c.* 17. *n.* 5. Fagn. *loc. cit. n.* 15. ubi: Coadjutoria hujus secundæ speciei (nimirum cum futura successione) quatenus respicit favorem Coadjuti, exspirat eo mortuo ad exemplum Coadjutoriæ temporalis. citat pro hoc Puteum, *decis.* 226. *n.* 3. *l.* 3. & valent pro hoc rationes, quæ pro extinctione Coadjutoriæ temporalis, eademque extensio ad mortem civilem. Altera verò non tam exspiret, quàm redditur tunc efficax, sive de habitu reducitur ad actum; quia eveniente obitu Coadjuti, jam ipso jure vi clausulæ illius, *ex nunc prout ex tunc*: acquiritur Coadjutori verus titulus Prælaturæ vel beneficii. Remouch. *loc. cit.* Fagn. *loc. cit. n.* 16. ubi: Coadjutoria hæc, in quantum respicit favorem Coadjutoris, per obitum Coadjutoris non exspirat, ut declarat Puteus *decis.* 98. *l.* 2. per hujusmodi enim gratiam præventivam acquiritur Coadjutori in beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti efficitur jus plenum &c. ubi nota illud: *eveniente vacatione*; præcedit namque in eo casu (saltem naturâ) vera vacatio per cessum vel decessum Coadjuti, juxta quod dicitur in literis Coadjutoriæ: cùm primum tale beneficium per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem præfati Coadjuti, vel alio quovis modo vacare contigerit. Gonz. *loc. cit. n.* 66. *junctis n.* 68. non enim continuatur jus primævum & titulus Coadjuti in Coadjutorem, nec datur fictio non vacationis. Gonz. *n.* 67. Remouch. *loc. cit.* sed sequitur intrinsece aliquam vacationis speciem physicam, etsi censeatur moraliter non vacasse beneficium, ex quo statim in ipso momento obitûs Coadjuti gratia accipiat vigorem. Remouch. qui tamen in hoc videtur sibi contradicere, dum subdit: proinde apparet, quanta nasceretur utilitas in gratiam Coadjutoris, si caperetur possessio juris pendente vitâ Coadiuti, utpote quòd eo casu nullum supereresset instans vacuæ possessionis non magis quam tituli.

3. Resp. Tertiò. Quòd si ante concessionem Coadjutoriæ (intellige perfectam per acceptationem Coadjutoris) decessisset vel etiam cessisset Coadiutus non tam exspirabit Coadiutoria, jurisdictio & administratio, ut docet Engels *ad tit. de cler. ægrot. n.* 9. devolutâ illâ jure ordinario ad capitulum, utpote cui non dabatur coadiutor, & cui per dationem illam coadiutoris non adimebatur iurisdictio capitularis sede vacante; quàm ea ab initio nulla fuit etiam quò ad secundam gratiam, seu gratiam futuræ successionis. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 131. Lotter. *l.* 2. *q.* 25. *n.* 47. Remouch. *loc. cit. n.* 9. quorum sententiam tanquam probabiliorem secuti sumus supra contra Gonz.

*Quæstio* 429. *An & qualiter cesset coadiutoria per obitum coadiutoris?*

RESpond. Cessare illam per illius obitum. Remouch. *c.* 17. *n.* 1. cum communi. ubi etiam, quòd tunc coadiutus de novo possit per modum cessionis vel canonicæ resignationis disponere de suo beneficio vel prælatura. An verò dein, superveniente obitu coadiuti in mense ordinarii, possit illud providere ordinarius, pendet ex illa quæstione; num per manus Papalis appositionem in favorem Coadjutoris manserit illud deinceps affectum, & subductum provisioni ordinarii: in quo puncto affirmativam tenent Remouch. *loc. cit.* & Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 13. *n.* 55. & de quo nos satis supra.

******
***

*Quæstio* 430. *An & qualiter Coadiutoria cesset per renunciationem, seu cessionem Coadiutoris?*

1. REsp. Cessare Coadiutoriam cessione Coadiutoris Remouch. *loc. cit. n.* 2. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 131. Ventrigl. *tom.* 2. *loc. cit. n.* 56. modò accedat consensus superioris, nimirum Papæ vel Ordinarii pro qualitate beneficii. Remouch. Ventrigl. Gonz. *ll. cit.* quia Coadjutor cum futura successione per acceptationem Coadjutoriæ videtur contraxisse initialiter matrimonium cum Ecclesia. Remouch. Ita etiam ut in hoc non attendatur Coadjuti consensus, vel dissensus. Remouch. *loc. cit.* cùm Coadjutoria concessa in favorem Coadjuti in consequentiam tantùm; principaliter verò in favorem Ecclesiæ. Remouch. Gonz. *ll. cit.* nunquam autem attenditur, quod in consequentiam venit; sed quod principaliter agitur. Gonz. *gl.* 45. §. 1. *n.* 35. citatis plurimis textibus juris civilis & AA. Distinguunt tamen hoc ipsum alii, ita ut renunciare nequeat, & cedere invito Coadjuto propria authoritate, vel etiam cum consensu Ordinarii: possit tamen idipsum cum consensu Papæ. Item possit idipsum de licentia Ordinarii, dum consentit Ordinarius. Ventrigl. *loc. cit.* Garc. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 125.

2. Futuræ verò successioni; cùm sit merè in ejus favorem cedere, & renunciare potest Coadjutor absque consensu superioris & Coadjuti. Garc. *loc. cit.* siquidem sic renunciare quis potest literis ad beneficia, seu juri ad beneficium. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 147. citatis quamplurimis.

3. Cessat quoque Coadjutoria per renunciationem Coadjutoris in favorem, seu potiùs transfertur in alium, modò accedat consensus Papæ & Coadjuti respectu personæ resignatarii, ceteræque qualitates per Trid. in Coadjutore requisitæ. Remouch. *loc. cit. n.* 4.

*Quæstio* 431. *Num exspiret Coadjutoria per mortem concedentis.*

1. REsp. Quamvis re integra regulariter gratiæ super beneficiis vacaturis exspirent morte concedentis Papæ juxta expressum textum *c. si cui. de præb. in* 6. & per *regul.* 10. *Cancell.* revocari soleant gratiæ quæcumque exspectativæ, & reprobari desuper obtentæ & expeditæ literæ. Quamvis etiam similes gratiæ exspectativæ respectu dignitatum collativarum concessæ non sine prævio consensu (ut fieri solet) collatorum ordinariorum, aut patronorum re adhuc integra exspirent per mortem illorum, qui in eas suum præbuere consensum, utpote per quas non videtur tolli jus successoris, quominùs is re adhuc integra sive ante effectum gratiæ, aut simplicis commissionis de providendo, uti possit illo suo jure, & disponere de beneficio in suo mense vacante, ut habet & probat Remouch. *c.* 17. *n.* 9. Idque eò magis, quòd dispositio defuncti ordinarii aut patroni non habeat formam, & vim canonicæ provisionis, sed nudi consensûs. Secus accidit in electivis, dum non nisi de consensu electorum seu capituli concedi ad illa solet gratiæ exspectativæ, quæ præbito semel hoc consensu, non exspirant morte præbentium illum; eò quòd Capitulum non moriatur, nec habere dicatur successores, etsi omnia ejus membra seu singuli Capitularium decesserint subintrantibus aliis: sed semper idem sit Capitulum, non obstante, quòd recipiat incrementum & diminutionem seu subrogationem singulorum. Remouch. *loc. cit. n.* 8. Licet inquam hæc ita se habeant, adhuc Coadjutoriæ respectu majorum dignitatum concessæ servatis servandis ex præscripto Tridentini non exspirant ex dictis causis. Idque propter dicti Concilii authoritatem eas permittentis, ob quam sufficit consensisse semel ordinarium seu Capitulum juxta naturam dignitatis aut beneficii, & Papam antecessorem ex causa rationabili conformata dispositioni conciliari ex nunc prout ex tunc contuliſſe. Remouch. *n.* 11. vi enim dictæ clausulæ desiit res esse integra. Remouch. *ibidem*, & gratia jam est perfecta. Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 305. ubi: gratiæ ad beneficium vacaturum incertum non exspirat morte Papæ ante vacationem, etiam re integrâ, quando non committit provisionem, sed ipse confert ex nunc pro ut ex tunc; quia tunc gratia est facta, pro quo recitat *decis.* Rotæ *in una Callaguritana exspectativæ.* 1. *Jul.* 1592. Idque multò magis procedit in gratia ad certum beneficium vacaturum facta certæ personæ, ut idem tradit *loc. cit. n.* 300. adeóque multò maximè, dum Papa non mandat, sed ipse confert ex nunc pro ut ex tunc, uti fit in concessione Coadjutoriæ.

2. Neque obstat responsioni *cit. c. si cui. & regul.* 10. *cancellar.* uti nec Tridentinum *sess.* 24. *c.* 19. & *sess.* 25. *c.* 7. quia loquuntur de meris exspectativis & mandatis de providendo, uti & de beneficiis simplicibus non habilibus ad Coadjutorias. Remouch. *n.* 12. respectu quorum datæ gratiæ exspectativæ vel simplices istiusmodi commissiones de providendo videntur exspirare per mortem Papæ concedentis aut Ordinarii consentientis, propter deficientem concilii authoritatem & fomentum, & quia insuper nullo jure suffulciuntur, ideóque Ordinarium & Papam successorem, dum vacabunt, posse providere de talibus beneficiis. Remouch. *n.* 13. qui etiam *n.* 14. subjungit, idipsum, quod dictum de talibus beneficiis, potiore ratione obtinere respectu officiorum sæcularium, ex quo illa simpliciter & absolutè dependent à collatoribus, sic ut Princeps super iis nequeat concedere Coadjutorias, vel, ut vocant, superviventias in præjudicium successorum, quibus non possunt legem imponere ut æqualibus juxta *c. inmotuit. de elect.* quod citat, maximè quando ejusmodi concessiones sunt gratuitæ. Num verò integer magistratus aliquis secularis annalis, seu ad annum tantùm durans possit concedere validas & irrevocabiles istiusmodi Coadjutorias, seu superviventias, meritò dubitat Remouch. *loc. cit. n.* 17. pro cujus confirmatione tali magistratui annali applicari saltem non posse affirmat, quæ dicta paulò supra hac *eadem quæst.* de Capitulo, utpote quod non renovatur uno actu, quin & moraliter nunquam renovatur, dum singulis deficientibus subrogantur singuli, nec ideo minùs manet idem corpus; in tali verò annali magistratu seu collegio totum corpus uno actu dissolvatur.

*****
***

*Quæstio* 432. *An & qualiter exspiret Coadjutoria per assecutionem beneficii incompatibilis?*

RESP. Si post obtentam Coadjutoriam Coadjutor assequatur beneficium cum ea incompatibile, exspirat Coadjutoria; neque ex vi illius potest in præbenda succedere. Wames. *de jure pontif. cons.* 16. *n.* 9. Remouch. *cit. c.* 17. *n.* 3. remissivè Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 13. *n.* 33. Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 30. citans Garciam *p.* 4. *c.* 5. *n.* 123 & 124. uti idipsum ejusque ratio manifestè colligitur *ex clem. gratiæ. de rescript.* ibi: *censeris renunciare gratiæ, ut de beneficio vel dignitate provideatis, si ante adeptionem ejusdem aliud beneficium pacificè obtineas, quod simul de jure cum dignitate vel beneficio virtute dictæ gratiæ tibi debito retinere non possis, licèt illud resignaveris, aut sis resignare paratus &c.* quam constitutionem non intelligendam tantùm de gratiis mirè exspectativis, sed comprehendere etiam Coadjutorias veras cum futura successione, fusè ostendit Wames. *loc. cit.* per plures *numeros seq.* Neque elides rationem datam in dicta constitutione, nempe quòd talis per adeptionem talis beneficii non censeatur adhuc renunciasse futuræ successioni, dicendo: ad hoc, ut beneficium vacet per assecutionem alterius incompatibilis, necessaria est assecutio realis cum perceptione fructuum; adeóque, cùm Coadjutor non fuerit adhuc assecutus possessionem primi beneficii, seu respectu cujus est Coadjutor ante evenientem obitum Coadjuti, non videtur per adeptionem secundi beneficii incompatibilis renunciasse futuræ successioni. Nam ex alio adhuc capite, ut Tondut. *loc cit. à n.* 34. indicat, videtur renunciasse illi successioni; quia nimirum admittendo tale beneficium cum Coadjutoris officio incompatibile, reddidit se inhabilem ad fungendum munere Coadjutoris; superveniente autem tali inhabilitate, cessat Coadjutoria, de quo sit

*Quæstio* 433. *An & qualiter exspiret Coadjutoria ex supperveniente incapacitate Coadjutoris.*

RESP. Coadjutoria æquè cessat per supervenientem inhabilitatem Coadjutoris, ac per obitum Coadjuti ob paritatem rationis in utroque casu, nempe, quòd sicut Coadjutore reddito inhabili, nullus est, qui adjuvet, sic mortuo Coadjuto nullus sit, qui adjuvetur: sic itáque, si Coadjutor efficiatur omnino inhabilis & impotens inhabilitate, vel impotentia perpetua, cessat Coadjutoria. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 2. §. 1. *n.* 35. & 36. testans sic decisum à Rota *decis.* 602. *n.* 3. & *seq. p.* 5. *recent.* ubi dictum fuerit. quòd si Coadjutor factus fuerit cæcus, aut irregularis, seu aliàs incapax ad possidenda beneficia, corruit futura successio, nisi Coadjutoria esset effectuata quòad futuram successionem, utpote quia mortuus esset Coadjutus; tunc enim cæcitas post mortem Coadjuti superveniens non privaret Coadjutorem (qui jam principalis factus est) beneficio, in quo Coadjutor deputatus fuerat. At si impedimentum superveniret gratiâ futuræ successionis nondum confirmatâ, haberetur pro non facta tanquam redacta ad illum casum, à quo incipere non poterat, ut dicitur *in Valentina Coadjutoriæ* 12. *Jan.* 1637. quæ est ipsa illa *decisio* 602. teste Tonduto.

***

# CAPUT UNDECIMUM.

## De Coadjuti obligatione & potestate.

*Quæstio* 434. *Num Coadiutus inidoneus teneatur permittere administrationem Coadjutori?*

RESP. affirmativè. Remouch. *c.* 14. *n.* 1. idque, ut idem *ibidem* sive coadjutus consenserit in dationem Coadjutoris, sive non consenserit; æquum enim est, ut ille, qui ob corporis impotentiam aut negotiorum multitudinem non potest munus illi incumbens explere, permittat illud per Coadjutorem suppleri. Verùm non solùm æquum esse videtur Remouch. *loc. cit.* sed & ad hoc absolutè teneri Coadjutum, evincit causa, ob quam datus Coadjutor, nempe necessitatis, aut utilitatis ecclesiæ, ne scilicet illa propter impedimentum Prælati detrimentum patiatur. Unde etiam Castropal. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *n.* 9. mulctandum judicat talem Coadjutum impeditum, nolentem pro se tempore illius impedimenti deservire Coadiutorem. Sed neque contrarium inferri videtur ex eo, quòd diximus supra ex Engels *ad tit. de cler. ægrot. n.* 6. non teneri Coadjutum deservire per suum Coadjutorem in iis casibus, quibus aliàs ob legitimum impedimentum posset in absentia lucrari fructus & distributiones. Licèt enim hinc formari posset hæc sequela: si non tenetur in eo casu inservire per Coadiutorem, potest etiam eum impedire ne deserviat, absque eo, quòd amittat fructus aut distributiones: non tamen sequitur, posse illum impedire Coadiutorem absque eo, quòd per hoc peccet, dum aliunde ad illum non impediendum tenetur, nempe ne cultus divinus, & Ecclesia damnum patiatur.

*Quæstio*

*Quæstio* 435. *Coadjutus qualiter teneatur ad residentiam ?*

1. REsp. Coadjutoris concessio non liberat Coadjutum à residendo. Barbos. *de jur. eccles. l.3. c.10. n.29.* testans sic in Episcopo Coadjuto declarasse Congregationem præpositam negot. Episcopor. & regular. *in Neistaten. 7. sept. 1619.* Et sic in specie Coadjutus quicunque inhabilis, & illiteratus à residentia abesse non potest, ne aliàs stultus, & insufficiens melioris sit conditionis, quàm sapiens & literatus. Barbos. *loc. cit. n.30.* citans Quarant. *in sum. Bullar. v. residentia.* Piacet. *in pr. Episc. p.2. c.3. n.27.* Ugelin. *de off. Ep. c.15. §.3. ad fin. & c.54. n.3.* Gonz. *gl.5. §.9. n.30.* ubi etiam, quòd S. Congregat. Trid. dixerit hæc expressa: *propter deputationem Coadjutoris, parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse à residentia.* Idem habet Garc. *p.4. c.5. num. 8.*

2. Habens tamen Coadjutorem habetur pro residente, & præsente ratione infirmitatis aliorúmque impedimentorum legitimorum, ac si non haberet Coadjutorem, etiamsi Coadjutor illius non resideat. Garc. *p.4. c.5. n.63.* non enim debet esse deterioris conditionis ex eo, quòd habeat Coadjutorem. Neque privilegium suum debet esse ei nocivum & retorqueri in ejus damnum, quod ad ejus favorem est ei concessum. Garc. *ibid.* Gonz. *loc. cit. à n.116.* verùm de hoc satis dictum supra, speciali desuper proposita quæstione.

*Quæstio* 436. *Qualiter Coadjutus lucretur fructus & præsentias ?*

1. REsp. primò. Coadjutus in omnibus illis casibus, in quibus ipse præsens per seipsum nihil lucraretur, etiam nihil lucratur inserviendo per suum Coajutorem. Gonz. *gl.5. §.9. n.125. & seq.* vide dicta supra, ubi num Coadjutor Coadjuto excommunicato lucrari queat fructus aut distributiones.

2. Secundò. Coadjutus sicut, dum non haberet Coadjutorem; lucraretur sibi omnia emolumenta sui beneficii, etsi infirmus aut aliter legitimè impeditus non interfit divinis. *c.unic. de cler. ægrot. in 6.* Gonz. *loc. cit. n.119.* citans Covar. *l.3. variar. c.13. per tot.* Gurtier. *qq. can. q.1. ex n.137.* Navar. *cons.11. de cler. ægrot. &c.* ita lucrabitur eadem stantibus illis legitimis causis, quamvis Coadjutor ejus non resideat & interfit. Gonz. *n.170.* juxta dicta quoque à nobis supra.

3. Resp. Tertiò. De cetero fructus beneficii pertinent semper ad Prælatum Coadjutum. imò distributiones quotidianæ, quas Coadjutor lucratur absente Coadjuto, cedere debent in utilitatem Coadjuti, detractâ tamen inde congruâ, si quæ assignata Coadjutori pro modo administrationis susceptæ. Barbos. *ad Trident. n.10.* Remouch. *cit. c.14. n.2.* juxta dicta à nobis in superioribus.

* * * * * * * *
* * * * *
* * *
*

*Quæstio* 437. *An & qualiter Coadjutus possit frui beneficio jubilationis, ubi ea in usu est in aliqua ecclesia, & vi illius lucrari fructus & distributiones in absentia, etsi Coadjutor eius non inserviat ?*

1. REsp. Primò. Ex servitio Coadjutoris obtinere aut perficere nequit Coadiutus jubilationem; quia hoc privilegium conceditur in remunerationem exhibiti personalis laboris per ipsum jubilantem, adeóque computandi non sunt anni, quibus Coadjutus non inservivit per se, sed per suum Coadjutorem. Garc. *p.4. c.5. n.8.* Castrop. *tract 13. d.1. p.10. n.10.* juxta decis. Rotæ *in Tirasonen. Coadjutoriæ 8. Novemb. 1599.* quam recitat Garc. *loc. cit. n.138.*

2. Resp. Secundò Coadjutus exemptus à residentia vi jubilationis jam quæsitæ proprio servitio potest hoc beneficio frui lucrando in absentia fructus, & distributiones aliáque emolumenta, etiamsi habeat Coadjutorem, & is non resideat. Coadjutoria enim non adimit Coadjuto jura & privilegia aliunde ei competentia, nec receptio Coadjutoris post acquisitam exemptionem beneficio jubilationis debet præjudicare Coadjuto AA. iidem *ll. cit.* juxta eandem Rotæ decisionem.

*Quæstio* 438. *Num Coadjutus possit optare aliam præbendam?*

REsp. de hoc satis dictum supra, ubi num Coadjutor impedire possit Coadjutum in optando aliam præbendam. Vide Gonz. *gl.34. n.96.*

*Quæstio* 439. *Quomodo & quando Coadjutus liberetur à præstanda congrua Coadjutori ?*

1. REsp. primò. non tenetur Coadjutus ad hoc si ipse per se, seu ministros suos Ordinarios absque opera Coadjutoris possit satisfacere officio suo. Remouch. *c.14. n.8.* citans Navar. *cons.2. n.3. de cler. ægrot.* nisi fortè deficiant eum media, quibus se valeat decenter sustentare cum præjudicio & diminutione splendoris Ecclesiæ. De cetero namque nulli debentur Coadjutori fructus, si non resideat, aut quicquam ad opus Ecclesiæ aut Coadjuti præstet, ne alias Coadjuto indultum illud Pontificis sit damnosum sine ullo illius, aut Ecclesiæ commodo. Remouch. *n.4.* sed neque tenetur talis Coadjutus per se sivé ordinarios ministros potens, ac volens satisfacere officio uti operâ Coadjutoris sibi dati. Fagn. *in c. ex parte. n. 24. in fine.* ubi ex decisione S. Congregat. inferendum, quòd Coadjutor datus Episcopo ob senium & ægritudinem, de ejus consensu cum plena, libera, & omnimoda facultate in temporalibus, & spiritualibus administrandi ea omnia, quæ ad officium Coadjutoris pertinent minimè se possit immiscere in exercitio pontificalium, neque jurisdictionalium, quibus defungi potest, & vult ipse Episcopus &c. Unde etiam, ut bene advertit Remouch. *n.5.* formula Coadjuturiarum exonerans Prælatum à contributione portionis, & ponens in ejus arbitrio admissionem Coadjutoris in partem administrationis, vel non aliter intelligi nequit sine distinctione causæ finalis Coadjutoriæ, adeóque totius substantiæ illius, quàm si impedimentum Coadjuti (cuius intuitu Papa dando Coadjutorem

torem voluit providere Ecclesiæ) non fuerit tam prægnans, quin possit Prælatus per se suósve ministros ordinarios obligationi suæ satisfacere. Plura huc spectantia vide supra, ubi de alimentis præstandis Coadjutori.

*Quæstio* 440. *Num habens Coadjutorem in dignitate & Canonicatu possit ipse in uno, & Coadjutor in altero deservire.*

REspondet affirmativè Castrop. *loc. cit. num.* 38. addítque hinc utrumque Coadjutum, & Coadjutorem habiturum vocem in Capitulo, & distributionem; quia hoc cedit in utilitatem Ecclesiæ.

*Quæstio* 441. *An Coadjutus alteri delegare possit ea, quæ Coadjutor vult, & potest per seipsum exercere.*

REspondet negativè Fagn. *in c. ex part. de Cler. ægrot. num.* 25. ubi: ea, quæ Episcopo impedito Coadjutor illius expedire potest; & vult per seipsum, non potest Episcopus alteri delegare. Videtur tamen id fallere, dum Episcopus habet suum Vicarium generalem, posse nimirum tunc ea illi delegare præterito Coadjutore.

*Quæstio* 442. *Num Coadjutus revocare possit, quæ Coadjutor gessit in casibus sibi à jure vel consuetudine permissis.*

REspondet negativè Fagn. *in c. ex parte. de Cler. ægrot. num.* 26.

*Quæstio* 443. *Num confessio Coadiuti noceat Coadjutori, & contrà.*

REspond. negativè; quia tam Coadjutus quàm Coadjutor agit nomine proprio, & potestate à Papa accepta, non potest alteri præjudicare sua confessione. Garc. *p.* 4. *c.* 5. *num.* 126. Castrop. *tract.* 13. *d.* 1. *p.* 10. *num.* 32. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 129. citans Mandos. *in pr. signatur. gratiæ tit. Coadjutor ad finem vers. confessionem.* Rotam *in Hispal. portionis de anno* 1551. teste Achil. de Grass. *decis.* 162. *aliàs* 3. *sub tit. de confessis.*

*Quæstio* 444. *Num sententia lata contra Coadjutum noceat Coadjutori, & contra. Item lata contra unum Coadjutorem noceat aliis Coadjutoribus.*

1. REsp. ad primum: sententiam datam contra Coadjutum non nocet Coadjutori, si is citatus non sit, saltem per proclama seu in genere, vel contra; quia est res inter alios acta. Garc. *loc. cit. num.* 128. citans Rotam *in Toletana juris decimandi* 19. *Febr.* 1594. Castrop. *loc. cit. num.* 33.

2. Resp. ad secundum: multò minùs nocere potest sententia lata contra unum Coadjutorem, eo cedente vel decedente, ipsius successori ob rationem datam; quia nimirum est res inter alios acta, & quæ ad ipsum non pertinet. Castrop. *loc. cit. num.* 129. & sic si sententia lata super invaliditate Coadjutoriæ primi Coadjutoris, non potest præjudicare secundo Coadjutori; cùm secunda Coadjutoria sit diversa à prima. Garc. *loc. cit. num.* 92.

3. Limitatur tamen hæc responsio hâc ratione: nisi sententia lata sit super juribus & præeminentiis Coadjutoriæ; tunc enim sententia lata contra unum Coadjutorem sequentibus, imò aliis similibus præjudicare posset, juxta *l. ingenuum. ff. de statu hominum.* Castrop. Garc. *ll. cit.* citans Tiraq. *tract. res inter alios acta, limitat.* 27. Covar. *pract. c.* 13. *num.* 5. & Rotam *in Calagur. benefic. de Navarra.* 20. *Iun.* 1588. quia in causa status personæ prodest & nocet sententia inter alios lata. Gonz. *ad reg.* 8. *glos.* 9. §. 1. *n.* 85. citans præter *l. ingenuum.* Tiraq. & Covar. jam citatos Felin. *in c. cum omnes, de constit. n.* 7. Abb. *ibid. n.* 4. Guttier. *cons.* 1. *n.* 3. Peregrin. *tract. de fideicomm. a.* 35. *num.* 44.

* * *

ERRA-

# ERRATA

## PRIMI ET SECUNDI TRACTATUS

Sic corrige:

QUæstione 5. n. 3. linea 9. *presbytero* lege *presbyter*. ibidem n. 4. lin. 10. & lege *de*. Quæst. 9. n. 2. lin. 16. *Cononistæ* lege *Canonistæ*. Quæst. 14. n. 2. lin. 21. *naturales* lege *titulares*. Quæst. 23. n. 2. lin. 18. omissum est *non*. Quæst. 31. n. 1. lin. 3. *minus* lege *nixus*. Quæst. 34. n. 1. lin. 1. *in* lege *ex*. Quæst. 53. lin. 7. *regulari* lege *regularis*. Quæst. 61. n. 1. lin. 34. *idem* lege *item*. Quæst. 63. n. 4. lin. 11. *præcedat* lege *procedat*. Quæst. 70. in titulo. *modi* lege *modo*. Quæst. 73. n. 2. lin. 4. à fine. *spiritualiter* lege *specialiter*. Quæst. 106. in titulo redundat *Vicarius*. Quæst. 112. n. 3. lin. 4. à fine omissa sunt *delegari possunt*. Quæst. 130. n. 3. lin. 4. omissum est *absolvendi*. Quæst. 133. n. 1. lin. penult. *opus esse non constat*, lege *opus non esse constat*. Quæst. 142. n. 1. lin. 5. *transfundat* lege *transfundatur*. ibid. lin. 17. *Vicario* lege *Vicarium*. Quæst. 160. n. 2. lin. 9. à fine *incluſus* lege *excluſus*. ibidem lin. 4. à fine. *subdelagari* lege *subdelegari*. Quæst. 168. n. 2. lin. penult. *fuisset* lege *fecisset*. Quæst. 186. n. 3. lin. 1. omissum est *ut*. Quæst. 199. n. 4. lin. 3. *Vicarius* lege *Vicariatûs*. Quæst. 203. n. 1. lin. 8. *ipsius* lege *ipsam*. Quæst. 204. in titulo *Canonacus* lege *Canonicus*. Quæst. 222. n. 2. lin. 15. à fine *plena* lege *plura*. Quæst. 232. lin. ult. redundat *Corrad. loc. cit.* Quæst. 250. n. 3. lin. penult. *alios* lege *aliis*. ibidem n. 5. lin. 7. redundat *in*. Quæst. 252. n. 3. lin. 8. redundat *Garc. n.* 110. Quæst. 253. in titulo omissum *potestas*. Quæst. 257. n. 1. lin. 12. *innovans* lege *ignorans*. Quæst. 259. n. 1. lin. 10. *otiosis* lege *odiosis*. Quæst. 262. n. 2. lin. 13. *provisam* lege *provisum*. Quæst. 265. lin. 5. à fine *aliam* lege *alium*. Quæst. 272. lin. 2. *præsumptionem* lege *præsentationem*. ibidem lin. 4. à fine omissum est *facta*. Quæst. 280. n. 2. lin. 8. omissa sunt: *distinctus, sunt*. Quæst. 285. lin. 4. *tantum* lege *tentum*. Quæst. 292. n. 2. lin. 3. *hunc* lege *hanc*. Quæst. 307. n. 2. lin. 3. *conceditu, rex* lege *conceditur ex*. ibidem n. 4. lin. 2. *idoneæ* lege *inidoneæ*. Quæst. 318. n. 2. lin. 1. *resignatio* lege *Coadjutoria*. Quæst. 326. n. 1. lin. 13. *speciatis* lege *speciatim*. Quæst. 342. n. 6. lin. 7. *est* lege *ut*. Quæst. 356. n. 2. lin. 7. *1.* lege *5*. Quæst. 357. n. 2. lin. 25. *alicuja* lege *alicujus*. ibid. lin. 6. à fine *sufficiant* lege *sufficiat*. Quæst. 360. n. 1. lin. 15. *ne* lege *ac*. Quæst. 361. lin. 7. redundant *non est*. Quæst. 412. lin. 26. omissum est *contrarium*. Quæst. 413. n. 1. lin. 26. à fine *in* lege *ex*. ibidem lin. 10. à fine *confessus* lege *consessus*. Quæst. 414. n. 4. lin. 33. *assensus* lege *ascensus*. Quæst. 432. lin. 15. *mirè* lege *merè*.

*Errata tertii & quarti Tractatûs sequentur infrà post finem Tractatûs quarti.*

TRA-

# TRACTATUS III.

## DE CAPITULO SEDE VACANTE.

### CAPVT PRIMVM.

## DE ADMINISTRATIONE, ET IVRISDICTIONE CAPITVLI SEDE VACANTE.

*Quæstio 445. Vbinam in iure, & à quibus hæc materia de Capitulo sede vacante specialiter tractetur?*

1. REspon. Ad primum. Sunt hac de re textus *in c. olim. & c. his quæ. de major. & obedient. c. Episcopus. c. Ecclesia. de supplenda negligentia Prælatorum in 6. c. illa. & c. fin. ne sede vac. Clem. statutum. de elect.* & ibi AA. item Trid. *sess. 7. c. 10. sess. 23. c. 10.* & *sess. 24. c. 17.*

2. Resp. ad secundum. Materiam hanc tractarunt Fermosinus Episcopus Asturicensis speciali tractatu. Item Joan. Francis. Pavinus speciali tract. *de potest. capitul. sed. vac.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 15.* Azor. *instit. moral. l. 3. c. 37. 38. 39.* Fagn. *ad c. his quæ. de major. & obed.* Barbos. *juris eccles. l. 1. c. 32.* & *de canonic. & dignit. c. 42. n. 28 & seq.* Lotter. *de re benef. l. 2. q. 2. à n. 26. & q. 31. à n. 81.* Marta *de jurisdict. p. 2. c. 23. n. 17. & seq.* & *c. 40. n. 32.* Garc. *de benef. p. 5. c. 7.* Paris. *de resignat. l. 7. q. 23.* Quaranta *in sum. Bullar. v. capitulum sed. vac.* Leo *in thesau. for. eccles. p. 1. c. 20.* Tulch. *lit. C. conclus. 56.* Riccius *in pr. resol. 506. & seq. & collectan. 610. p. 3.* Diana *tom. 8. tract. 4. per tot.* Quintadven. *Ecclesiastic. l. 1. c. 5.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 27.* & plurimi alii apud Ventrigl. *loc. cit. n. 1.*

*Quæstio 446. Vox* Capitulum *unde deducta, & quid importet?*

1. RESp. ad primum vox *Capitulum* diminutivum est deductum à *capite*, quasi parvum caput. collegia enim Canonicorum sunt, & dicuntur parva capita Ecclesiæ post principale caput, quod est ecclesia. Lotter. *de re benef. l. 1. q. 15. n. 11.* ex Tholosan. *de benef. c. 10. n. 15.* Et sic Capitulum sede vacante dicitur quasi parvum caput; eò quòd minorem habeat potestatem. Azor. *Instit. moral. l. 3. c. 37. q. 1.* citans *gl. in c. conquestus. de suppl. negl. Prælator. in 6.*

2. Resp. ad secundam. Importat collegium canonicorum, & sumitur pro ipsis canonicis congregatis. Azor. *loc. cit.* Et sic dicitur capitulum sede vac. ubi Episcopus altérve supremus similis collegii antistes mortuus est naturaliter, aut civiliter, puta, ecclesiam dimisit, aut eâ privatus est. sumitur quoque vox *Capitulum* pro ipso loco, ubi Canonici, seu Capitulares congregantur. ut in *c. in causis. de elect.* Azor. *loc. cit.* Alias illius significationes huc non pertinentes omitto. v. g. dum, ut Abb. *in c. capitulum. de rescrip.* apud Azor *loc. cit* ponitur, ut distinguat rem unam ab alia, quemadmodum dicuntur capitula decretalium, & in quo sensu accipitur *in c. quòd in dubiis. & in c. inter alia. de sentent. excom.*

*Quæstio 447. An Capitulum cathedrale sede vacante de jure administret?*

1. RESp. ad Capitulum Cathedrale sede vacante, sive per mortem, sive per renunciationem, translationem, aut depositionem Episcopi pertinet jus administrationis, & jurisdictio. Laym. *in c. his quæ. de major. & obed.* juxta *c. cùm olim. eod. tit.* Item *in c. Ecclesiæ. de suppl. negl. prælator n. 1.* Fagn. *in tit. c. his quæ. n. 49.* Ventrigl. *tom. 2 annot. 15. §. 1. n. 2.* Barbos. *juris eccles. l. 1. c. 32. n. 61.* Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 44.* gerit enim Capitulum tale vices Episcopi. Sbroz. *de Vicar. Episc. l. 1 q. 15. n. 2.* Pignat. *tom. 5. consult. 24 n. 2.* citans Decium *in c. eam te. de rescrip. n. 35.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de devolut. n. 58. & seq.* Et succedit in jurisdictione Episcopali, eáque ad illud devolvitur. Pirh. *loc. cit.* Unde dicitur successor Episcopi, quia jurisdictionem Episcopalem tanquam ejus successor habet. Pignat. *cit. n. 2. & 3.* Sbroz, *loc. cit. n. 4.* citantes gl. *in c. unic. de major. & obed. in 6.* & Federic. *de senis. consil 30. n. 2. & 30.* Et hinc jam dicitur idem & unum esse cum Episcopo. Pignat. *cit. n. 2.* Sbroz *n. 5.* ex Federic de Senis *loc. cit. n. 3.* cum antecessor & successor pro una persona reputentur. Sbroz. *loc. cit.* citans *c. dilecti. de foro competente.* & Innoc. *in cit. c. eam te. n. 6. & 7.* Porrò jus illud administrationis ei aufferri nequit per Metropolitanum absque causa necessitatis; quâ tamen necessitate id postulante, jura dant Archiepiscopo hanc potestatem. Laym. *in cit. c. his quæ. n. 1.* Papa verò ob plenitudinem potestatis suæ administratorem deputare potest, sed non solet, si capitulum nihil deliquerit.

2. Extenditur responsio, sive administratio, & jurisdictio Episcopalis transit quoque ad Capitulum, dum Ecclesia quasi vacat, nimirum

dum Episcopus ab hostibus aut paganis captus est. Card. de Luca, *de benef. d.16, n.4 juncto n.11* citans Rebuff. *in c, cum nulla de concess. præb.* Ventrig. *loc.cit.* citans Meroll. *theol.mor.p.3.d.7.c.7.* Mareschot. *var. resol.l.2, c.15, n.38.* qui testatur, sic fuisse decisum *in Burgens.* 10. *Martii*, 1597. *coram Orano* juxta textum *c si Episcopus. de suppl. neglig. Prælator. in 6*, ubi disponitur, ut Episcopo in captivitatem redacto ecclesia censeatur vacare (ubi tamen *vacare* impropriè accipitur, ut Card. de Luca *cit.n.11.*) & jurisdictio ad Capitulum devolvatur.

3. Item extenditur responsio, quando Episcopus degit in remotis, & Vicarius illius relictus in diœcesi moritur absque alia Episcopi provisione. Ventrigl. *loc.cit.* citans Quarant. *in sum. Bullar. v. Capitulum sede vac. n.12.* Genuens. *in pr c 86.n.11.* Dianam *p.6 tract.4. resol.3.* Meroll. *loc.cit.n.6.* dicitur autem Episcopus esse in remotis, quando ejus præsentia brevi haberi nequit. Ventriglia. *loc.cit.*

*Quæstio* 448. *An exinde quoque, quod vices gerat & suppleat defuncti Episcopi, Capitulum sede vac. sit & vocari possit Vicarius Episcopi?*

REsp. videri quæstionem hanc habere multum de nomine. Capitulum sede vacante inter Vicarios Episcopi connumerandum asserit Sbroz. *loc. cit. n.1.* dicendum quoque propriè Vicarium Episcopi, affirmant gl. *in c.cit. c. unic. de major. & obedientia.* Innoc. *in c. eam te.* Decius *loc.cit. n.7.* apud Sbroz. *cit. n.1.* eò quòd vicarius (intelligo propriè talis) dicatur à vice quam gerit juxta *l. vicarius ff. de legat.* Sylv. *in sum. v. vicarius.* Bellin. *tract. de re militari. p.1. tit.17. de off. vic. n.1. & seq.* Unde etiam tali capitulo tanquam vicario Episcopi literas transmitti à Papa, testatur Innoc. *loc.cit.n.5.* apud Sbroz. *loc.cit.n.4.* & quos citat Federic. de Senis *cit. cons. 30.n.3.* Abb. *in c. cum olim.n.1.* Roman. *cons.506.n.13.* quin etiam testetur, esse opinionem communem. rationes tamen, quas adducit pro se Sbroz. non magnopere stringere videatur, nempe quòd longè plura possit Capitulum sede vacante quàm Vicarius Episcopi (intellige generalis) vivente Episcopo, quòd possit constituere vicarium, qualem constituere nequit Vicarius generalis Episcopi. quòd non fungatur in omnibus vice Episcopi, puta in collationibus beneficiorum. ad quod tamen postremum ipse Sbroz. advertendum ait, etiam Vicarium generalem Episcopi non posse omnia, quæ Episcopus, ad priora verò facilè dici possit, dari Vicarios plures propriè tales, etsi unus eorum plus possit, quàm alter.

*Quæstio* 449. *An quoque succedat, & jus administrandi habeat Capitulum Ecclesiæ exemptæ, habentis jurisdictionem quasi Episcopalem?*

REsp. Capitulum talis Ecclesiæ omnimodè exemptæ, ea vacante, non secus, ac Capitulum cathedrale administrationem & jurisdictionem habet (potest proinde, ut probabiliter Pirh. *loc.cit. n.16.* corrigere, ferre censuras, aliáque facere; quæ tale capitulum cathedrale, de quibus inferiùs) quia tales ecclesiæ æquiparantur cathedralibus. Laym. *in c. his quæ de major. & obedient. n.2.* Pirh *loc.cit.n.58.* sic quoque in praxi servari testantes.

*Quæstio* 450. *An etiam Capitulum ecclesiæ collegiatæ, quæ est titulus Cardinalis, eâ vacante, seu mortuo Cardinali administret, & succedat in jurisdictione?*

REsp. affirmativè Laym. *loc.cit.* Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. n.2. & 32.* Pirh. *loc.cit. n.14. & 16.* juxta expressum textum *cit. c. his quæ.* ubi statuit Pontifex, ut mortuo Cardinali titulari talis ecclesiæ presbyteri Capellani clerici Capellarum seu Parochiarum aliàs eidem Cardinali ratione talis tituli subjectarum Capitulo seu collegio istius ecclesiæ collegiatæ titularis in omnibus obediant. Pirh. *cit.n.14.* Fagn. *loc.cit. n.1.* Atque ita spectato jure communi mortuo Cardinali tota administratio & jurisdictio Cardinalis devolvitur ad Capitulum, seu collegium dictæ Ecclesiæ collegiatæ, sicut mortuo Episcopo tota ejus administratio transit ad Capitulum Ecclesiæ cathedralis, nisi Papa quædam exceperit Fagn. Pirh. *ll. cit.* quemadmodum Papa *in cit. c. his quæ.* excepit, sibique reservavit pro bono pacis, ut inquit, correctionem, excommunicationem, suspensionem, interdictum, in ordine ad quæ dicti presbyteri, clerici &c. subjecti erant aliàs Cardinali, & subjecti permanent subditi Episcopi vacante sede Episcopali Capitulo cathedrali, ut dicetur infra. Proinde hodiedum mortuo Cardinali Capitulum ejusdem Ecclesiæ titularis non poterit causas criminales cognoscere, ferre censuras &c. idque vi juris communis; eò quòd ea potestas, etsi cessante exceptione illa papali competeret tali capitulo de jure communi (ut tenent Pirh. *cit.n.16.* & Abb. antiq *in c. his quæ in fine* & Bellam. *notab. 5.* Abbas Panormit. *n.2.* Host. apud Fagn. *cit. n.34.* contrarium & fortè meliùs, ut ait Fagn. tenentibus cum Innoc. *in cit. c. his quæ n.2.* eò quòd nec capitulum, nec Cardinalis ille titularis hanc habeat jure proprio, sicut eam habet Episcopus, sed speciliter à Papa) per reservationem tamen Papæ insertam corpori juris, adeóque facientem jus commune (non secus ac privilegium insertum Juri communi facit jus commune gl. 4. *in c. constitutionem, de regul. jur. in 6.* Jo. And *in c ex parte il. primo. n.3.* Hostiens. &c. apud Fagn. *loc.cit. n.35.*) ablata est. Porrò ratio, cur Papa dicat, se bono pacis reservare sibi illa, est, quòd quia consuetudo in Urbe allegabatur, vi cujus capitulum dicebatur habere potestatem illam corrigendi, & censuras ferendi, pontifex ad vitandas lites, & scandalum noluit illam consuetudinem approbare, sed ex suo officio pro bono pacis id suæ providentiæ reservavit. Fagn. *cit.n.34.* Pirh. *cit. n.16.*

*Quæstio* 451. *An quoque Capitulum alterius sæcularis collegiatæ, quæ non est titulus Cardinalis, aut aliàs exempta vacantis seu privatæ suo capite succedat, & administret?*

1. REsp. Supposito, talem Prælatum inferiorem v.g. Præpositum aut Decanum talis Collegiatæ habere jurisdictionem dignitati suæ annexam in illa ecclesia, & capellis eidem subjectis, earúmque clericos, idque, ut bene Pirh. *loc.cit.n.59.* privativè seu excluso Episcopo, ita ut is in prima instantia se immiscere nequeat, modò inferior ille Prælatus rite impleat officium suum, eam non habeat frustra, quæritur, ut rectè ait Fagn. *in c, his quæ. n.36.* an ea sit transmissibilis in Capitulum sede vacante) non convenire adhuc AA. inter se in puncto hujus quæstionis. Negativam, nimirum, administrationem, & jurisdictionem non transire mortuo Prælato ad tale Capitulum, tenent Laym. *ad cit. c. his quæ. n.4.* Pirh. *loc.cit. n.59.* secuti in hoc Felin. *in*

*idem*

*tè c. in 4. & 5. argumento.* Pro qua opinione citantur quoque à Fagn. *loc. cit. n.* 39. Bellam. *in cit. c. n. 6.* ( quamvis illum eam tenere vacillando asserat ) Item *n.* 42. Innoc. *in c. cum accessissent, de constitut. n. 3.* Abb. *in c. cùm dilectus, n. 9. de consuetud.* Butrio. Imol. Dominic. Rationes illorum sunt primò dato etiam inferiores istiusmodi Prælatos habere jurisdictionem illam ordinariam à jure (cujus tamen contrarium fusè & rectè probat Fagn. *à n.* 36. eò quòd solus Episcopus de jure fundat intentionem super jurisdictione ordinaria in tota diœcesi juxta *c. omnes Basilicæ. 16. q. 7. c. conquerente. de off. ordinar.* adeóque inferior, vel Plebanus contendens jurisdictionem ad se pertinere nisi docuerit, eam de iure speciali ad se pertinere, semper succumbet. *c. cùm dilectus. de capellis monachor. c. cùm olim. de præscript. in 6.*) devolutio jurisdictionis ab Episcopo, vel Prælato induci non debet, nisi tantùm in casibus à jure expressis. *c. quamquam. de elect. in 6.* Jam verò jurisdictionem sede vacante transire ad Capitulum, expresè tantùm habetur de Ecclesiis Cathedralibus, vel quasi Episcopalibus, quæ exemptæ à jurisdictione Episcopi episcopalibus æquiparantur. *c. cùm olim. & c. his quæ* Fagn. *n.* 40. Pirh. *n.* 59. Barbos. *de jure eccles. l. 1. c.* 32. *n.* 136. Et id quidem propter diversam rationem, quæ est in Ecclesiis illis inferioribus non exemptis, & ecclesiis Cathedralibus, vel collegiatis exemptis; quia nimirum in his, si Capitulum non succederet defuncto Episcopo vel Prælato, non esset, qui posset huic defectui providere; in aliis verò inferioribus & matricibus illis ecclesiis adest Episcopus, qui adiri & defectum illum supplere potest. Fagn. Pirh. *loc. cit.* quin & est differentia inter has Ecclesias inferiores, & collegiatas, quæ sunt titulus Cardinalis alicujus, nimirum quòd Cardinalis in suo titulo habet jurisdictionem ordinariam de jure communi. Fagn. *n.* 46. Laym. *loc. cit. n.* 1. Pirh. *loc. cit. n.* 15. secundò, dato jam jure quodam speciali, puta præscriptione, consuetudine, privilegio, competere illis Prælatis inferioribus (ut fieri potest Fagn. *n.* 39. citans *c. cùm ab Ecclesiarum. de off. ordinar. c. cùm olim. c. auditis. de præscript. c. accidentibus, de excess. prælator.* adhuc non poterit in ea succedere tale Capitulum. Imprimis nondum acquisita præscriptione; cùm præscriptio sit stricti juris, adeóque ultra præscribentem non extenditur ad alios, adeóque nec ad Capitulum, nisi fortè Capitulum in hoc ipso quoque, nempe ut vacante Prælaturâ jurisdictionem exercere possit, præscripsit. Pirh. Laym. *ll. cit.* Neque dum acquisita privilegio; quia ea, quæ non communi, sed speciali jure competunt Prælato, non transeunt in Capitulum sede vacante. Laym. Pirh. *ll. cit.* & quos citat Fagn. *n.* 43. gl. *in c. scriptum v. temporis. de elect.* & *ibidem* Abb. *n.* 5. Innoc. *in c. verum. de foro competente.* & *ibid.* Felin. *in princ.* Idem est de jurisdictione delata, nec non de feudali. Atque ita hanc sententiam in puncto juris veriorem esse, & de jure sustineri posse, ait Felin. quamvis fateatur, materiam esse dubitabilem. Quinimo dicat, sententiam contrariam, nempe in ecclesiis inferioribus non exemptis sede seu Prælaturâ vacante Capitulum succedere in jurisdictione communiter teneri, & receptam esse consuetudinem licèt negativa in puncto juris sit verior. Pirh. *cit. n.* 59. Fagn. *n.* 48. *ubi:* verumtamen, ut subdit Felin. etiam, ubi jurisdictio spectat de jure speciali ad solum Prælatum, communiter tenetur, ut Capitulum succedat in ea, & ista opinio secundùm illum sequenda est, tum propter authoritatem Abbatis, & eorum, quos allegat; tum propter consuetudinem, quæ est optima dubiorum interpres. *c. cùm dilectus. de consuetudine.* & de ipsa attestantur DD. *in Clem. ne in agro. de statu monach.* Hanc etiam opinionem communiter teneri affirmat Pavin. *de off. & potest. capit. sed. vac. prælud. 6. n.* 16. eámque secuta est Rota *in Binginf. jurisdict. 22. Jun.* 1611. quæ est inter impressas *decisio* 346. *p. 1. recent.* ita Fagn.

2. Affirmativam è contra simpliciter tenet Abbas *in c. his quæ. n.* 2. ubi post multa concludit, quòd ubi potestas aliquâ ratione Prælaturæ competit, Prælato illo mortuo, ea transeat in Capitulum, exceptis his, quæ non possunt explicari sede vacante, ut alienatio bonorum: quâquam rationes, quas pro se adducit Abbas, refellit satis bene Fagn. *à n.* 45.

3. De cetero, quando non tam quæritur de jurisdictione, quàm administratione bonorum, concedendum est, inquit Fagn. *cit. n.* 48. conventum succedere Prælato inferiori per *c. ea quæ. de statu monachor.* secundùm Felin. *in c. his quæ. n.* 2. Item ubi jurisdictio, & potestas est simultanea seu communis inter Capitulum, & Prælatum, de quo casu loquitur *c. ea noscitur. de his, quæ fiunt à Prælat.* quod pro se citat Abb. dubium non est, quin mortuo Prælato, seu sede vacante jurisdictio maneat penes solum Capitulum. Fag. *cit. n.* 48. Pirh. *n.* 59. Laym. *loc. cit. n.* 3. cum Felin. juxta textum *c. final. de regular. in 6.* & argumento *c. unic. ne sede vac. lib. eod.*

*Quæstio* 452. *An Capitulum Ecclesiæ regularis non exemptæ, sede, seu Prælaturâ vacante succedat in administratione & jurisdictione?*

1. REsp. Non succedit tale Capitulum seu conventus, sed administratio & jurisdictio devolvitur ad Episcopum, si monasterium non sit exemptum, sed ei subjectum. Pirh. *ad tit. de major. & obed. n.* 60. Laym. *ad c. his quæ. tit. c. d. n.* 5. citans Felin. *in idem c. argum.* 4. Imol. *ibid.* Jo. And. *in c. 2. n.* 2. item apud Fagn. *loc. cit. n.* 45. Speculat. *ad tit. de statu monach. n.* 26. ubi postquam dixisset, tenere quosdam, vacante Monasterio totam potestatem residere penes Capitulum, ideóque posse Capitulum, sive conventum recipere monachos, subdit; contrarium tamen servari videmus, & bene, contra Dominic. *in idem c.* 2. *n.* 2. tenentem, quod secundùm jura conventus succedat Abbati in jurisdictione, proindeEpiscopus dare potest administratorem in spiritualibus, & temporalibus. Felin. Jo. And. Laym. Pirrh. *ll. cit.* habet enim jurisdictionem in omnia monasteria suæ diœcesis non exempta. tametsi autem eam exercere nequeat in his, quæ ad disciplinam religiosam spectant, dum ordinis Prælatus officium suum rite obit, eo tamen deficiente, seu in defectum illius exercitium jurisdictionis ad eum devolvitur. Laym. citans seipsum *in c. quanto & c. penult. de off. ordinarii.* ita ut administratorem etiam in iis, quæ ad regularem disciplinam spectant, statuere possit. Pirh. *cit. n* 60. Unde jam etiam conventus Prælato mortuo, si ad eum solum spectabat creare seu recipere Monachos eos recipere nequibit; secus si spectabat ad Abbatem, & simul ad conventum, pro ut expresè definitû *c. fin. de regular. in 6.* multò verò minùs administratio illa; & jurisdictio devolvetur ad Priorem claustralem, vel seniorem Laym. Pirh. *ll. cit.* votum enim obedientiæ (ratione cujus potissimùm religiosi subduntur Abbati, seu Prælato ordinis) non præstatur tali Priori, aut etiam conventui, sed ipsi Prælato; ergo Prælato mortuo potestas, & jurisdictio illius, per quam in virtute obedientiæ, vel etiam sub pœna excommunicationis præcipere poterat, non transit ad talem Priorem aut seniorem. Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. 2. Quòd

2. Quòd si tamen mortuo Prælato administrator nullus constituatur ab Episcopo, potest Prior, aut senior juxta cujusque Ordinis aut monasterii consuetudines alios gubernare iisque præcipere, tametsi jurisdictionem propriè dictam non exerceat; cùm neque sit Prælatus, nec vice Prælatus, nisi vel consuetudo sit, vel regula, aut statutum Ordinis præcipiat, ut vacante Prælaturâ Prior, vel aliùs interea, dum novus Prælatus eligitur, vel constituatur, vices Prælati gerat. Laym. Pirh. *ll. cit.* cui proinde vice Prælato obediendum non secus ac ipsi vice Prælato, quem constituit prælatus loco, seu in sua absentia. Quidquid sit de eo, num Priores claustrales similésque Officiales, seu Vicarii in præsentia ipsius Prælati habeant potestatem illam præcipiendi in virtute S. Obedientiæ, quod ex cujusque religionis statutis & consuetudine diguoscendum ait Laym. cùm de jure ordinario talem potestatem habere non videantur juxta Suarez. etsi negandum non sit, habere illos juxta potestatem sibi commissam vim aliquam gubernandi, & præcipiendi, ita ut obediri illis etiam in conscientia debeat, uti Ludimagistro in schola, patrifamilias in domo.

*Quæstio* 453. *Sede Papali vacante penes quem resideat jurisdictio?*

Resp. remissivè, videndum nimirum Fagn. *p. 2. primi decretal. pag. 512. a. n. 2.*

*Quæstio* 454. *An Episcopo, vel Prælato alio exempto excommunicato vel suspenso devolvatur quoque jurisdictio ad Capitulum non secus, ac sede vacante, ita ut locus sit electioni Vicarii capitularis?*

Resp. negativè, sed recurrendum ad Papam, ut is provideat. Fagn. *in c. quia diversitatem. de concess. præb. n. 25.* postquam *num. aliquot antecedentib.* contrarium proposuisset, & *n. 16.* dicens, se super hac quæstione à S. Congregat. præposita negot. Episcopor. & regular. specialiter consultum, citat pro hac sua sententia Host. *in. c. 1. de off. Vicar in 6. n. 1.* dicentem Episcopo excommunicato nec ejus Officialem, nec alium posse jus reddere nisi Papam. Item *gl. ibid. v. ipsius* & Jo. Monach. *ibidem, n. 5.* dicentes eadem. Probat suam sententiam Fagn. *n 26.* primò ex *c. Romana. de suppl. negl. Prælator. in 6.* ubi dicitur, jurisdictionem suffraganei non devolvi ad Metropolitanum, additâ ratione; cùm id non inveniatur concessum à jure, adeóque conditor dicti Canonis videatur retinuisse sibi hanc facultatem juxta regulam *c. nuper. de sent. excommun.* Et ianè, si ad Capitulum devoluta esset in hoc casu jurisdictio, Papa id ipsum non redderet pro ratione, nempe quòd jurisdictio concessa esset alteri scilicet capitulo, cui jus suum auferre non possit Metropolitanus, & non nudè pro ratione daret, quòd hæc devolutio non inveniatur in jure concessa Metropolitano. Probat illam secundò *n. 27.* ex *c. si Episcopus. de suppl. negl. in 6.* ubi jurisdictio Episcopi naturaliter viventis tribuitur Capitulo in speciali casu, quando Episcopus est captus à Paganis vel schismaticis; eò quòd tunc sedes censeatur quasi vacare per mortem, adeóque extra hunc casum regulariter jurisdictio Episcopi naturaliter viventis non transeat ad Capitulum; cum mors civilis vel spiritualis Prælati non æquiparetur morti naturali, nisi ubi id in jure cautum invenitur, ut pro regula tenendum, ait gl. Joan. *in c. placuit. il secundò v mortuus 16. q. 1.* Probat Tertiò. *n. 31. & 32.* ex eo, quòd sedes uti vacat interpretativè per Prælati inhabilitatem *c. inter corporalia. de translat. Episcopor.* (ubi: *sicut juxta communem modum loquendi dicitur ecclesia viduata, quæ licet Episcopum habeat inutilem, tamen habere perhibetur*) ita etiam vacet interpretativè per excommunicationem & suspensionem, ut post Hostiens. expressè Pavin. *de off. & potest. cap. sed. vac prælud. ult. n. 13.* jam verò sede interpretativè vacante per inhabilitatem, jurisdictio non devolvatur ad Capitulum, sed Papa provideat dando Coadjutorem *c. ex parte. de cler. agrot. & c. unic. tit. eod. in 6.* ergo nec sede interpretativè vacante per excommunicationem, vel suspensionem ea devolvatur ad Capitulum. Huic sententiæ suffragari diuturnam observantiam (quæ juxta *l. si de interpretatione. ff. de ll. & c. dilectus. de consuetud.* est optima interpres, quâ nimirum Episcopis ob delictum, vel inhabilitatem suspensis ab administratione Capitulum non administrat, sed sedes Apostolica consuevit constituere Vicarios Apostolicos) ait Fagn. *n. 32.* & addit, hæc potissimùm sibi vendicare locum in prælato inferiore. Neque proinde his contrarii sunt (ut Fagn. *n. 33.*) Host. & Pavin. dicendo, sedem vacare interpretativè, Prælato existente hæretico, excommunicato vel suspenso; cùm non loquantur ad effectum devolutionis ad Capitulum, sed ad effectum, ut sit locus *titulo ne sede vacante aliquid innovetur.* Neque etiam S. Congregat. Concil. *de 14 Jan. 1588.* declarans, Episcopo existente hæretico, pertinere ad Capitulum facultatem concedendi dimissorias. quia Episcopo existente notoriè hæretico, jurisdictio idcirco spectat ad Capitulum; quia sedes non interpretativè sed verè vacat juxta *c. commissi. de hæret. in 6.* Fagn. *n. 34.* citans ipsum *in c. ad abolendam. tit. eod. à n. 29.*

*Quæstio* 455. *Num jurisdictio sede vacante una cum Episcopo, vel Prælato moriente expiret, & veluti de novo incipiat vivere in Capitulo?*

Resp. Cum Carol. Anton. de Luca *ad Ventrigl. annot. 15. §. 2. n. 1.* deficiente capite mortuo nimirum Episcopo, universam jurisdictionem tam in habitu, quàm in exercitio remanere penes Capitulum, tanquam reliquum corpus politicum, seu intellectuale, quod in hoc differt à corpore naturali, ut etiam sine capite vivat, omnésque faciat operationes.

*Quæstio* 456. *Num Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione tam temporali quàm spirituali?*

Resp. Affirmativè. Lotter. *de re benef. l. 2. q. 2 n. 37.* ubi: *secundùm regulas juris communis transeunt in Capitulum omnia jura episcopalia tam temporalia quam spiritualia, juxta c. ult. & penult. de suppl. negl. prælat in 6.* quod proculdubio complectitur usum clavium. Guttier. *qq. can. l. 1. c. 11. n. 10.* Pirh. *ad tit. de major. & obed n 44. & 45.* Pignat. *tom. 5. consult. 24. n. 3.* ubi: sede vacante Capitulum succedit tam in temporalibus quàm spiritualibus, nec inferior est, sed par Episcopo. Hinc ab excommu-

nicatione

bicatione absolvit *c. unic. de major. & obed. in 6.* statuta condit. *c. cùm omnes. de consuetud.* Absolvet à juramento. *c. ult. & penult. de suppl. negl. Prælatorum.* de quorum singulis particulatim infra. Unde jam etiam, si succedat in jurisdictione etiam temporali, poterit jam exercere non tantùm in clericos seu personas ecclesiasticas, sed etiam sæculares, in quas Episcopus decedens præter Episcopalem habet jurisdictionem temporalem, tam in causis civilibus quàm criminalibus per alios (puta ministros suos) exercendâ. Pirh. *l. c.* citâs Quarant. *in sum. Bullar. v. capit. sed. vac. §. ulterius.* Diana *p. 8. tr. 4. resol. 16.* citans Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n 9.* Idque absque periculo irregularitatis, ut addit Diana *loc. c. in fine.*

*Quæstio* 457. *Vtrum jurisdictio Ordinaria Episcopi tota transeat in Capitulũ sede vacante?*

Resp. Omnem administrationem, & jurisdictionem Episcopalem Ordinariam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus transire ad Capitulum sede vacante, & ab eo exerceri posse, exceptis iis, quæ ipsum jus commune excipit, vel Pontifex specialiter interdicit. Pirh. *cit. n. 44.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 4.* citans Dianam *tom. 2. tract. 4. resol. 1.* Meroll. *th. mor. p. 3. c. 7. dub. 1. n. 2.* Garcias *p. 5. c. 7. n. 4.* Lotter. *loc. cit. n 28. & 29.* ubi: *ea omnia generaliter & universaliter, quæ jurisdictionis ordinariæ sunt, lex ipsa nuncupatim transfert in Capitulum.* Unde jam tenenda dicta hæc regula affirmativa, nimirum, quòd tota illa jurisdictio Ordinaria transeat ad Capitulum, exceptis iis, quæ jus commune excipit. Garc. Pirh. *ll. cit.* Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 3. q. 6.* citans Rebuff. *in pr. p. 1. de devolut. n. 58.* Federic. de Senis. *cons. 30.* ac dicens hanc opinionem valde convenire cum ipso jure. Ventrigl. *loc. cit.* Meroll. *loc. cit.* pluribus amplians, ac limitans dictam regulam affirmativam. Fagn. *in c. hũ, quæ de major. & obed. n. 49. & in c. cùm olim. tit. eod. n. 2.* citans Pavin. *de off. & potest. sed. vac. q. 1. partis 1. principal. à n. 3.* Jo. Andr. *in cit. c. cùm olim. n. 5.* Butr. *n. 15.* *Abb. n. 3.* contra Host. *in sum. tit. ne sed. vac. §. 3.* Archid. *in c. 1. de major. & obed. in 6.* apud Fagn. Lambert. *de jurep. p. 1. l. 1. q. 2. à. 9. & p. 1. l. 2. q. 2.* apud Ventrigl. constituentes in hac materia regulam contrariam negativam, nempe jurisdictionem mortuo Episcopo non devolvi ad Capitulum, nisi in quantum invenitur permissum, vel ex indulgentia speciali, vel ex consuetudine præscripta. Proinde jam etiam jurisdictio hæc, quam habet Capitulum sede vacante, est ordinaria tam in spiritualibus, quàm temporalibus, quia jure communi eam habet, & ad universitatem causarum. Azor. *loc. cit. q. 7.* citans gl. *in c. 2. ne prælati vices.* Jo. And. *in c. ult. de suppl. negl. prælat. in 6.* Pavin. *p. 1. q. 2.* Veruntamen ad elucidandam magis dictam regulam affirmativam sit

*Quæstio* 458. *Num ergo Capitulum succedat in jurisdictione Episcopi ordinaria tam contentiosa, seu necessaria, quàm in ea, quæ est voluntaria, & gratiæ?*

1. Resp. In hoc non satis convenire AA. succedere capitulum in tota jurisdictione ordinaria tam contentiosa, seu necessaria, quàm voluntaria, & hanc esse generalem juris regulam, quæ tolùm sit limitanda in casibus à jure expressis, ait apud Garciam Suar. *tom. 5. de censuris. d. 30. s. 5. n. 6.* Item apud eundem ait Selva *de benef. p. 2. q. 11. n. 4.* jus dicere, quòd Capitulum succedat in jurisdictione, nec distinguere jurisdictionem contentiosam, seu necessariam, & voluntariam. Item apud eundem Garciam Navar. *cons. 44. de tempor. ord. n. 1.* & *seq.* & *cons. 7. de filiis presbyt.* resolvit, Capitulum succedere etiam in his, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ. Item apud eundem tradit Pavin. *loc. cit. p. 1. q. 5.* posse dispensare Capitulum, sicut Episcopus, licet sit jurisdictionis voluntariæ, in qua etiam succedat. Pro eadem sententia hac generaliter id affirmante citantur quoque ab eodem Garcia Guerrero *in speculo, c. 4.* Guttier. *qq. can. l. 1. c. 11. n. 10.* Rebuff. *in pr tit. de devolut. à n. 38.* Bottæ *de synod. p. 1. n. 42. & 44.* Corat. *de benef. p. 2. c. 7. n. 2.* Qui tradvenu. *eccles. l. 1. c. 5. n. 6.* & plurimi alii. Quibus adhærere videtur Pirh. *n. 45.* ubi, quòd Capitulum exerceat omnem jurisdictionem Episcopalem tam voluntariam quàm contentiosam, licèt nonnulli contrarium teneant, quò ad jurisdictionem voluntariam; sed minùs probabiliter; cùm secundùm canones tota jurisdictio ordinaria Episcopi sede vacante ad capitulum devolvatur &c.

2. Alii restrictiùs loquuntur, ut velint, quòd in iis, quæ sunt gratiæ, Capitulum succedat in tantum, in quantum à jure reperitur ei concessum. citatur pro hac opinione à Ventrigl. *loc. cit. n. 6.* addit ad Quarant. *in sum. Bullar. v. sede vac. in princip.* sic quoque ait Paris. *de resign. l. 7. q. 23. n. 25.* Capitulum sede vacante potest plurima de pertinentibus ad Episcopum, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ. pro quo citat Jo. And. *in c. unic. de major. & obed. in 6.* Atque ita in hoc saltem valeat, & tenenda sit regula illa negativa; nempe quòd jurisdictio voluntaria non nisi in iis, quæ ei à jure communi concessa reperiuntur, ad illud transeant.

3. Alii absolutè negant, succedere Capitulum in jurisdictione voluntaria. Fagn. *in c. illa. ne sede vac. n. 13.* ubi expressè: *Capitulum sede vacante non succedit in jurisdictione voluntaria, sed in necessaria tantùm; quia est necessarius & non voluntarius administrator, ut tenet gl. in Clem. 1. v. Capituli. de hæret* (quam Felin. *in c. cùm olim. de major. & obed. n. 6.* dicit communiter approbatam) Rota *decis. 5. incipiente, si Episcopus n. 3. in novis.* Nec succedit in his, quæ sapiunt gratiam gl. *in c. 1. v. præsentatos. de Institut. in 6.* Et inde est, ut ait Fagn. *n. 14.* quòd Capitulum non succedat in dandis indulgentiis. E contra verò, ut Fagn. *n. 15.* succedat in admittendis præsentationibus, & institutionibus faciendis; quia hæc sunt jurisdictionis necessariæ, & non voluntariæ &c. Hanc sententiam sectari videtur Lotter. *l. 1. q. 9. n. 47.* aliquantulum tamen adhuc limitando, dum ait: in Capitulum non transeunt, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, concernentia totam diœcesin. pro quo citat Gemin. Plura de his infra ubi, quæ possit Capitulum sede vacante in materia beneficiali.

*Quæstio* 459. *An Capitulum succedat in iis, quæ Episcopo competunt jure speciali?*

1. Resp. In iis, quæ Episcopo competunt jure aliquo speciali, seu accidentali (etsi essent ex iis, quæ sunt jurisdictionis, ut expressè Azevedo *cons. 11, n. 3.* apud Barbos.) non succedit Capitulum sede vacante. Lotter. *l. 1. q. 9. n. 47.* Barbos. *juris eccl. l. 1. c. 32. n. 108.* Sbroz *de vicar. l. 1. q. 16. n. 1. & l. 2. q. 188. n. 5. & 6.* ubi ex Felin. *in c. cùm omnes. de const. n. 10.* quòd licèt Capitulum sede vacante statuere possit tanquam successor Episcopi, quæ competunt Episcopo ratione jurisdictionis, statuere tamen non potest super his, quæ competunt Episcopo de jure speciali; quia in iis non dicitur successor Episcopi. Ventrigl. *l. c. n. 5.* (ubi Capitulũ succedere in iis, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, declaratur cõmuniter procedere in iis, quæ jure cõmuni ad Episcopũ spectant tanquã Ordinariũ) & *n. 7.* Garc.

*de benef. p. 5. c. 7 n. 38.* citans Abb. *in c. cùm olim. n. 2.* Felin. *in c. cùm omnes. de constit. n. 10.* Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n. 68. n. 69.* Coras. Cuch. &c.

2. Limitat nihilominus responsionem Ventrigl. *cit. n. 7.* ex *addit. ad Quarant. in sum. Bullar. v. sede vac.* citato etiam pro hoc Meroll. *loc cit. n. 18.* nimirum, quòd si id, quod Episcopo competit jure speciali & accidentali, tribuat Episcopo novam jurisdictionem, non succedat in eo Capitulum, succedat verò, si id Episcopo novam jurisdictionem non tribuat, sed est annexio seu additamentum ad generalem Episcopi jurisdictionem.

3. Limitat eandem responsionem Paulò aliter Garc. *loc. cit. n. 39.* nimirum ut non succedat Capitulum in ijs, quæ competunt jure speciali, si sint ex iis, quæ non competunt tanquam Ordinario, seu ut Episcopo, pro quo citat Roman. *cons. 506. n. 1. v. g.* in casu feudi (de quo loquuntur Abb. & Felin) in quo non competit jurisdictio Episcopo, ut Episcopo, sed ut Domino Feudi: succedat verò in ils, quæ etsi jure speciali competant, competunt tamen tanquam Ordinario, & ut Episcopo, & ex jurisdictione Ordinaria, ut in jurisdictione, quam habet ex consuetudine (de quo quæst. seq.) vel etiam, quam habet ex decreto Tridentini. *sess. 24. c. 6.* de quo quoque paulò post. Porrò in specie de Prælato inferiore ait Pagn. *in c. his quæ. n. 39.* non devolvi ab illo ea ad Capitulum, quæ jure speciali, puta privilegii, statuti, consuetudinis, præscriptionis ad istiusmodi prælatum pertinebant.

*Quæstio* 460. *Num itaque succedat Capitulum in iurisdictione, quam Episcopus habet ex consuetudine, vel etiam ex privilegio?*

1. RESP. ad primum affirmativè, modo jurisdictio illa consuetudine acquisita competat Episcopo ut Episcopo. Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 45.* ubi: regula generalis, quod Capitulum in exercendâ jurisdictione Ordinaria Episcopi sede vacante succedat, extenditur, sive ea ex jure communi competat Episcopo, sive per consuetudinem acquisita sit; cùm etiam competat Episcopo ut Episcopo. Garc. *loc. cit. n. 40.* citans Pavin. *p. 1. q. 9. n. 7.* Cuchum *institutionib. major. l. 2. tit. 9. n. 85.* Anton. Genuens. *in pr. curiæ Archiep. Neapol. c. 85. n. 31.* de cetero contrarium est, ubi potestas illa acquisita consuetudine non competit Episcopo ut Episcopo, qualis v. g. est potestas ex consuetudine competens Episcopo interveniendi alicui electioni, & de hac jurisdictione seu potestate censendi sunt locuti, qui contrarium tenent ut Sbroz *de Vicar. l. 2 q. 30. à n. 3.* quòd jurisdictio, quæ de Consuetudine competit Episcopo, non transeat in Capitulum, censet verius, & id tanquam verius defendi à Felin. *in c. cùm olim. n. 5.* & maximè si consuetudo illa sit contra jus inducta. Ex quo Sbrozio illud quoque hìc notandum, quod habet *loc. cit. n. 8.* ex Felin. *loc. cit.* quòd quando additum non nascitur eâdem viâ, quâ principale, tunc non judicetur idem, quod de principali; prout etiam, quando est diversa ratio inter accessorium, & principale, ut Jason. *in l. fin. ll. de condit. indeb.* Decius *in l. si pascenda. cod. de pac.* quemadmodum non nascitur eâdem viâ facultas, seu jurisdictio, quæ competit Episcopo de consuetudine, vel alio jure speciali, adeóque non sit tanta communio inter Episcopum, & Capitulum in his, quæ sunt de consuetudine, vel jure speciali, sicut in iis, quæ competunt de jure communi, ut Abb. *in c. cùm olim.*

2. Resp. ad secundum quoque affirmativè, modo sint, quæ ex privilegio in perpetuum concessa, seu commissa sint Episcopis, ita ut in ordinariam eorum jurisdictionem transierint. quæ enim Episcopis jure speciali non merè delegato, sed ordinario competunt (qualiter ordinaria censetur potestas non collata intuitu personæ, sed dignitatis, seu officii in perpetuum Pirh. *loc. cit.* Ventrig. *loc. cit. n. 10.*) succedit capitulum Pirh. ibidem citans Sanch. de matrim. *l. 8. d. 2.* contra Suarez *de censur. d. 41. s. 2. c. 3.* secus esse, sive non transire ad Capitulum privilegia & immunitates concessas Episcopo ratione Ordinis, & dignitatis Episcopalis (quas refert gl. *in c. ult. v. indulgemus. de privileg.*) ait Ventrigl. *loc. cit. n. 13.* ex Pavin. & addit, ad Quarant. Porro talem potestatem specialiter indultam Episcopis transeuntem ad Capitulum sede vacante esse potestatem absolvendi, & dispensandi in casibus papalibus occultis, nec deductum ad forum contentiosum concessam Episcopis à Trid. *sess. 24. c. 6.* censent Pirh. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 21.* ubi, quòd facultas *loc. cit.* à Concilio concessa Episcopo competat etiam Capitulo sede vacante; eò quòd licèt illa facultas competat Episcopo jure speciali dicti decreti, competat tamen ei jure communi, & ex jurisdictione Ordinaria ei tributa per dictum decretum, ac ita in terminis docere ait Garcias Aragonium 2. 2. *q. 88. a. 12. concl. 5.* Henriq. *in sum. l. 6. c. 16. §. 1.* Rodriq. *qq. regular. tom. 1. q. 61. a. 9.* Sanch. *loc. cit.* Suarez *de pœnit. d. 30. s. 2. n. 4.* etsi contrarium doceat *de censur. loc. cit.* verum de hoc securiùs statues expensa responsione *ad quæst. seq.* Vide quoque dicta supra, ubi, num potestas competens Prælato ecclesiæ Collegiatæ transeat ad Capitulum, Prælaturâ illâ vacante.

*Quæstio* 461. *An Capitulum succedat Episcopo in iurisdictione delegata?*

1. RESP. In hac materia satis confusè loqui AA. plures. Primò in jurisdictione, quæ in perpetuum committitur, & delegatur à sede Apostolica muneri Episcopali, ita ut ex officio deinceps competat Episcopis, sive ut deinceps successores omnes Episcopi admittantur ad dictam delegationem, succedere capitulum sede vacante, nisi aliud aliunde legitimè colligatur ex mente delegantis, tradunt Barbos. *jur. eccl. l. 3. c. 32. n. 107.* Ventrigl. *loc. cit. n. 10.* citantes Molin. *de just. n. 6. tr. 5. d. 11. n. 8. & 9.* rationem addit Barbos. quia suppositâ perpetuitate hujus delegationis, per quam id, de quo actum fuerit, annectitur in perpetuum Episcopali muneri, non quidem principaliter in bonum Episcopi, nec tanquam ejus privilegium, sed in bonum eorum, in quos ea jurisdictio taliter delegata exercetur vel aliorum, & Ecclesiæ, sequitur, eandem jurisdictionem censendam esse ut accessoriam, imò ut partem totius jurisdictionis Episcopalis in communi, ac proinde ut talem transituram in Capitulum, in quod sede vacante transit per viam regulæ tota episcopalis jurisdictio. E contra non transire in Capitulum, quæ concessa sunt à Papa Episcopo sub nomine dignitatis, & consequenter etiam ejus successori delegatione speciali, seu tanquam delegata ad aliquam particularem tantùm causam vel negotium. & quo ad hoc postremum, nempe dum ad speciale negotium demandata,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mandata, seu concessa Episcopo jurisdictio, eam eo mortuo (etiam literis jam præsentatis, ut expresse Barbos. *juris eccl. l. 1. c. 32. n. 104.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 43.* & Pignat. paulò post citandus) non transire ad Capitulum, sed reservari Episcopo successori, consentit Pignat. *tom. 5. consult. 24 n. 2.* & est communis omnium. Et sic manifestum est, quòd ubi electa est industria personæ Episcopi, potestas ei delegata non transeat ad Capitulum. Lotter. *l. 2. q. 2. n. 3.* Utriq; verò parti hujus distinctionis adhærere videtur Azor. *Inst mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 4.* ubi: in his, quæ conveniunt Episcopo jure delegato minimè succedit Capitulum; quia non succedit nisi in jurisdictione, quæ Episcopo competit jure ordinario, ut est communis opinio. Nihilominus tamen potest Capitulum authoritatem aliquam habere in jurisdictione Episcopo generaliter authoritate Apostolica delegata, ubi necessarium videtur, negotium à Capitulo expediri, ita ut moram non patiatur. Pro quo postremo nimirum quòd Capitulum sede vacante succedat in jurisdictione generaliter delegata Episcopo à jure vel authoritate Apostolica; si necessarium videbitur id expediri per Capitulum; citat Garc. *p. 5. c. 7. n. 46.* Pavin. *p. 1. q. 7. n. 9. & q. 10. n. 4.* Genuens. *loc. cit. n. 30.* Cuch. *loc. cit. n. 8.*

2. Secundò tradit Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. n. 54.* non transire in Capitulum jurisdictionem competentem Episcopo non jure suo ordinario; sed delegato, etsi competat ei ex generali delegatione Sedis Apostolicæ; citat pro hoc Jo. And. *in c. ad abolendam. de Hæretic. super ult. gl.* Federic. de Senis *cons. 30.* aitque; quòd, licèt huic opinioni contradicant multi, eam tamen defendi & tanquam veriorem ostendi à Card. *in Clem. 1. q. 8. de Hæret.* Abb. *in c. cùm olim. de major. & obed. n. 2.* & communem tenendamque dici à Franco *in c. unic. de major. & obed in 6. num. 6.* Unde jam infert Fagn. *loc. cit. n. 55.* potestatem à Tridentino tributam Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis non transire in Capitulum sede vacante. Secus tamen esse, seu transire ad Capitulum potestatem, & jurisdictionem, ait *n. 56.* si Episcopis competat utroque jure, scilicet Ordinario & delegato; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi etiam authoritate Apostolica. Quippe valde diversa sunt, concedi illis simpliciter potestatem procedendi authoritate Apostolica, & concedi illis facultatem etiam procedendi authoritate Apostolica; particula enim illa *etiam* est implicativa jurisdictionis ordinariæ, ut Fagn. citans seipsum *in c. ad audientiam il primo. n. 46. de eccles. ædif.* Huic Fagnani doctrinæ inhæret Pirh. *loc. cit. n. 48.* ubi, quòd non succedat Capitulum in jurisdictione delegata, etsi delegatio facta à jure communi, vel Concilio generali; ut per viam juris absolutè etiam, & in perpetuum commissum quid Episcopis expediendum authoritate Apostolica, v. g. visitent moniales exemptas, aliúdve quid circa Religiosos exemptos exerceant tanquam Sedis Apostolicæ delegati; eò quòd tunc illa potestas non sit ordinaria, sed delegata; quia eo ipso, quòd Episcopi procedere debeant authoritate Apostolica (intellige solâ) non agant ex proprio seu ordinario officio suo Episcopali. Secùs si ab utroque jure & Ordinario & Delegato illis competat, &c.

3. Tertiò non multum dissimile quid à doctrina Faguani tradit Garcias *loc. cit. n. 44.* Capitulum in jurisdictione delegata non succedere Episcopo, etiamsi delegatio fiat à Canone; eò quòd licèt tunc competat à jure communi, tamen sit ex potestate specialiter inducta, & non competente Episcopo; pro quo citat Abbat. Felin. Jo. Andr. Sanch. *ubi supra num. 10.* Unde *num. 45.* infert Garcias, Capitulum sede vacante non posse visitare monasteria monialium exempta, quæ visitat Episcopus authoritate Apostolica juxta *Clem. 2. de statu Monach.* de quo nos infra. Infert quoque *num. 47.* Capitulum non succedere in casibus, in quibus à Concil. Trident. datur Episcopo facultas procedendi ut Sedis Apostolicæ delegato. Secùs tamen esse ait *num. 48.* sive succedere Capitulum, dum datur à jure, vel Concilio Episcopo jurisdictio in aliquibus casibus, quàm aliàs non habebat prorogando, & extendendo ad illos jurisdictionem illius, & potestatem ordinariam, ita ut Episcopus jam procedat etiam in illis casibus jure proprio, & tanquam Ordinarius. Quod longè diversum quid esse ait ab illo, quòd detur à jure Episcopo jurisdictio delegata, ut procedat authoritate Apostolicâ tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus. Idem est (ut Garc. *num. 49.*) dum solùm tollitur à jure vel Sede Apostolica obstaculum exemptionis; eò quòd tunc redeatur ad jus commune, & ordinaria potestas Episcopi relinquatur sibi quasi libera à vinculo, quo per exemptionem illam erat veluti suspensa. Illud denique notat Garc. *num. 50.* quòd, quando verba: *authoritate Apostolica:* conjunguntur cum verbis: *concedimus facultatem:* non faciunt jurisdictionem delegatam, sed bene, quando conjunguntur potestati faciendi; pro quo citat Pavin. *ubi ante. q. 10. num. 3.*

*Quæstio 462. An Capitulum succedat in iis, quæ concessa Episcopo ratione dignitatis, & præeminentiæ episcopalis, & quæ aliis, quàm Episcopi non sunt, etsi alias jurisdictionem quasi episcopalem habeant, non conceduntur?*

REspond. negativè. Ventrigl. *loc. cit. num. 13.* Layman. *ad c. scriptum. de elect. n. 3.* ubi generaliter ait: Capitulum vacante sede non succedit in iis, quæ Prælato speciali jure competunt ratione Dignitatis, ut docent AA. *in c. verum. de foro competente.* Abb. *in cit. c. scriptum. n. 13.* Butrio *n. 25.* Et specialiter de Episcopo; quòd quæ ei ratione dignitatis suæ speciali jure data, vel commissa sunt, non transeant ad Capitulum; habet Laym. *ad c. quoniam. de off. Iud. Delegat. n. 1.* Eadem habet Pirh. *loc. cit. n. 49.*

*Quæstio 463. Num succedat Capitulum Episcopo quò ad facultatem interveniendi alicui actui de consuetudine, vel etiam præbendi de necessitate consilii?*

1. REspond. ad primum: satis dictum supra, ubi, num transeant in Capitulum, quæ de consuetudine competunt Episcopo.

2. Respond. ad secundum: Dum consilium Episcopi requirebatur in aliquo actu (intellige sive ex consuetudine, sive alio jure singulari) non succedit Capitulum sede vacante in eo dando. Sbroz. *de Vicar. l. 2. q. 161. num. 6.* citans *c. unic. ne sede vac. in 6.* Abb. *in c. cùm olim. de major. & obedient. colum. penult.*

*Quæstio 464. Num Capitulum succedat in jurisdictione, quam Episcopus simul cum alio exercebat?*

REsp. negativè. Si jurisdictio illa non exercebatur per solum Episcopum, sed simul cum alio, & in solidum; transibit enim illa tunc ad collegam superstitem, juxta *c. fin. d. 65.* Ventrigl. *loc. cit. num. 62.* monens postremum hoc intelligendum de illa jurisdictione, in qua locum habet jus accrescendi; pro quo citat Quarant. *in sum. Bullar. v. Capitulum sed. vac. vers. prædicta restringe.* qui etiam ulterius addat, modo in hoc nullum irrogetur præjudicium sedi vacanti. Unde jam etiam infertur, jurisdictionem, & potestatem, quam simultaneam cum Episcopo habebat, & exercebat Capitulum, sede vacante transire ad solum Capitulum. Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. num. 48.* ubi: quòd quando potestas communis est, seu simultanea inter Prælatum, & Capitulum (loquitur autem de Prælatis Episcopo inferioribus, seu Ecclesiæ inferioris) absque dubio dicendum sit, jurisdictionem devolvi ad Capitulum Prælato mortuo juxta *c. fin. de Regular. in 6.*

*Quæstio 465. Num Capitulum succedat non tantùm in jurisdictione, sed & in emolumentis ex ea provenientibus?*

1. REspond. Non succedit in iis, sed ea reservantur Episcopo Successori. Ventrigl. *loc. cit. n. 3.* juxta *Clem. ult. de elect.* quod tamen ipsum intelligendum de emolumentis illis, quæ proveniunt verè ex jurisdictione, & sigillo directè, non de iis, quæ proveniunt ex causa personæ jurisdictionem exercentis; pro quo citat Quarant. *in sum. Bullar.* Unde emolumenta aliàs debita Vicario Episcopi ratione sui officii, sede vacante cedunt Vicario Capitulari; illa verò, quæ aliàs deberentur Episcopo ipsi, & non Vicario ratione jurisdictionis, cedunt Cameræ Apostolicæ sub titulo fructûs pendentis, siquidem alicubi Camera hæc ad hoc jus habet, aliàs, ut dictum, reservantur Successori. Ventrigl. *loc. cit.* citans Meroll. *Th. mer. tom. 3. d. 7. c. 7. num. 21.* juxta *cit. Clem. ult.* Cuicumque tamen debeantur illa emolumenta, potest ab illis Capitulum sede vacante deducere expensas rationabiles, & necessarias pro ministris Curiæ, & similibus, pro salario Vicarii Capitularis. Ventrigl. *num. 24.* citans Vulp. *in pr. c. 44. n. 13.* Meroll. *ubi ante. &c.*

2. Porrò mulctas pecuniarias neque Capitulo, neque Cameræ, nec Successori deberi, sed debere applicari piis usibus juxta dispositionem Tridentini *sess. 25. c. 3.* posséque authoritate istius decreti statim exequi Vicarium Capitularem, illúmque nihil inde sibi sub prætextu salarii (cùm illud ex fructibus Ecclesiæ vacantis consequi possit) sumere posse habet Ventriglia *n. 26.* quamvis *n. 27.* addat, citatis pro hoc Marc. Anton. Genuens. *in pr. c. 6. n. 5.* Riccio *in pr. tom. 1. resol. 311. n. 7.* posse eas sibi applicare Capitulum, vel ejus Vicarium, si pauper est, sicuti permittitur Episcopo pauperi eas retinere pro suis necessitatibus, modò necessitas sit evidens, & non dubia.

*Quæstio 466. Num ea, quæ sunt Ordinis episcopalis sede vacante devolvantur ad Capitulum?*

REsp. Indubitatum est, ea non devolvi ad Capitulum exercenda per ipsum Capitulum, aut ejus Vicarium, dum hic Episcopus non est, ut patet. Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. n. 64.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 12.* Verumtamen devolvitur ad Capitulum potestas ea exercendi per alium, seu committendi illorum exercitium alteri, qui charactere Episcopali insignitus est. Fagn. *loc. cit.* citans gl. ult. *ad cit. c. his quæ.* Ventrigl. citans Pavin. *p. 1. q. 3. num. 4. addit. ad Quarant. sum. Bullar. v. Cap. sed. vac.* Meroll. *ubi supra. n. 56.* Barbos. *Iur. Eccl. l. 3. c. 32. n. 89.* ubi: *Capitulum succedit in concedenda licentia extero Episcopo exercendi pontificalia in ecclesia vacante secundùm Henriq. in sum. l. 10. c. 22.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 93.* Atque ita potestas illa non devolvitur ad proximum Superiorem, v. g. Archiepiscopum, aut Patriarcham, qui ea per seipsum expediat, vel Visitatorem, per quem expediantur, constituat; sed poterit Capitulum, vel ejus Vicarius invitare vicinum, aut alium Episcopum, qui in Ecclesia vacante, & diœcesi Capitulo subjecta ea, quæ Ordinis sunt Episcopalis exerceat. AA. iidem, quibus plures ex antiquis addit Fagn. cautelæ studio protestando, quòd per hoc nihil juris illi Episcopo acquiratur ut Fagn. Probatur hoc ipsum clarè ex textu *c. cùm nullus. de temp. ordinat. in 6.* ubi expressum est, Capitulum sedè vacante posse dare licentiam alteri Episcopo ordinandi. Item per hoc facit gloss. ult. *in c. dilectus. de off. Ordinar.* asserens, collationem Ordinum, & Sacramentorum esse de lege jurisdictionis. Quod dictum, etsi mirabile sibi videri dicat Innoc. *ibi*; id tamen probari ex *c. interdicimus. 16. q. 1.* secundùm Jo. And. ait Fagn. *n. 65.* qui etiam *ibidem* ait; habere proinde in hoc Capitulum jus pinguius quam Archiepiscopus electus, & confirmatus, non recipiens pallium; utpote qui dare non possit licentiam, ut subditi sui ab alio Episcopo ordinentur juxta *c. suffraganeis. de elect.* Sed neque responsio restringenda, ut vult Imol. *in cit. c. his quæ n. 3.* quòd Capitulum possit ea expedire per alium, quæ sunt Ordinis episcopalis, si superior immediatus Capituli id negligat, aliàs non; quia hæc distinctio jure non probatur, videturque esse contra dictam Decretalem. *cum nullus.* quæ hoc jus Capitulo tribuit principaliter; non autem jure devoluto, ob negligentiam Superioris. Fagn. *cit. n. 65.* Verùm de his plura infra.

*Quæstio 467. An Capitulum per seipsum exercere possit jurisdictionem illam episcopalem ad se sede vacante devolutam?*

REsp. Tametsi id poterat Capitulum de jure communi, nec tenebatur constituere ad hoc Vicarium; modò tamen post Tridentinum id amplius non potest, sed debet constituere Vicarium, qui nomine illius jurisdictionem illius exerceat. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 77.* Fagn. *ad c. his quæ. n. 66. & 67.* Ventrigl. *loc. cit. §. 2. n. 1.* Laym. *ad c. Romana. de off. Vicar. n. 16.* juxta Decretum Trident. *sess. 24. c. 16.* Verùm de hoc expresè *cap. seq.* ubi etiam; an Capitulum constituto Vicario, se possit miscere jurisdictioni; item, num per octo illos dies datos ei ad constituendum Vicarium, administret.

*Quæstio 468. Jurisdictio Capituli sede vacante quando exspiret?*

REsp. Exspirat per novi Episcopi confirmationem, & Episcopatûs possessionem. Laym. *loc. cit.* Vide dicenda infra, ubi quandonam exspiret jurisdictio Vicarii Capitularis; & ineipsum Fo[illegible] *kenes. p. 2. q. 648. n. 3.*

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM.

## De Potestate Capituli, sive quæ in specie possit vel non possit sede vacante.

*Quæstio* 469. *An potestas Capituli major sit potestate Vicarii generalis Episcopi?*

RESP. affirmativè. Laym. *in c. cùm generali, de off. Vicar. in 6.* Sbroz. *l. 2. q. 161. num. 7.* citans Feder. de Senis *cons. 30. num. 3.* Abb. *in c. quoniam. de off. Deleg. n. 15.* Pavin. *p. 1. q. 2. n. 2.* Absque tamen specialibus factis commissionibus Vicario ab Episcopo, ut expressè Laym.

*Quæstio* 470. *Num Capitulum facere possit constitutiones, & edicta concernentia totam diœcesim, statutáque ab eo maneant sede denuo plena?*

1. RESpond. primò in genere: Capitulum potest sede vacante facere statuta. Sbroz. *de Vicar. l. 2. q. 188. num. 3. & 4.* & à fortiore AA. pro sequentibus punctis citandi. Magistratus enim possunt condere statuta super his, quæ pertinent ad propriam jurisdictionem. Sbroz. *loc. cit. num. 4.* citans Felin. *in c. cùm omnes.* Bald. *in l. nulli. C. de sent. &c.*

2. Secundò: potest facere statuta super rebus pertinentibus ad ipsum Capitulum, v. g. qualiter debeat congregari, vel distributiones dividi. Barbos. *Iur. Eccl. l. 1. c. 32. num. 7.* citans Vulp. *in pr. Iudic. c. 44. num. 16.* Si enim id possit super his sede plena, etiam absque consensu Episcopi. Pignat. *tom. 10. cons. 138. n. 16. & 17.* citans Suar. *de LL. l. 4. c. 6. n. 11.* Castrop. *tract. 7. d. 1. p. 23. num. 26.* juxta *c. cùm omnes. de constit.* & Abb. *ibi num. 4.* Sbroz. *loc. cit. n. 6.* citans Innoc. & Abb. *in c. cùm consuetudinis.* Quia seorsim ab Episcopo est quoddam corpus, & idcirco potest habere proprium motivum, quo se dirigit secundùm propriam exigentiam. Pignat. *loc. cit.* si, inquam, id potest, multò magis id poterit sede vacante.

3. Tertiò: potest etiam tanquam Successor Episcopi statuere in illis, quæ competunt Episcopo ratione jurisdictionis, etsi statuere nequeat super his, quæ Episcopo competunt jure speciali. Azor. *instit. mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 11.* ubi, quòd condere possit statuta, quæ posset Episcopus vivens. Sbroz. *loc. cit. num. 5.* citans Feder. de Senis. *cons. 16. &c.* & in specie statuta facere potest concernentia augmentum cultûs divini. Barbos. *loc. cit.* citans Card. Tusch. *tom. 1. l. c. concl. 53. num. 1.* Pignat. *tom. 6. cons. 49. n. 2.* ubi: dubium non est, quin penes Capitulum resideat potestas ferendi leges super gubernio Ecclesiæ, & circa omnia concernentia cultum divinum promovendum, quibus beneficiati tanquam ministri Ecclesiæ parere debent; pro quo citat Rotam *decis. 321. & 351. p. 6.* & *decis. 76. p. 7. Recent.* Calder. *cons. 2. de constit. &c.* loquitur autem de Capitulo sede plena; multò igitur magis id locum habet sede vacante.

4. Quartò potest facere statuta obligantia totam diœcesim. Barbos. *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 47.* etiamsi sint contraria statutis diœcesanis. Pirh. *loc. cit.* & per quæ abrogentur statuta antecedentia Episcoporum; quia & hoc est jurisdictionis. Azor. *loc. cit.* Quæque sint perpetua, & durent post electionem, & constitutionem novi Episcopi, seu tempore succedentium Episcoporum. Fagn. *in c. à nobis il primo. de sent. excom. n. 51. & 52.* ubi: *Capitulum sede vacante si procedit per modum statuti, & tunc etiamsi statutum imponat pœnam pro futuro delicto, non expirat sede plena; secùs si procedat per modum sententiæ.* Quod secundum fusè stabilit per plures *num. & n. 56.* ubi: conclude, quòd statutum, cùm sit lex quædam, durat perpetuò, nisi revocetur. Unde dicit Federic. quòd si Capitulum sede vacante fecit statutum, durat etiam creato Episcopo, nisi expressè revocetur per Episcopum. Idem de perpetuitate talis statuti tradunt Pirh. *loc. cit.* Barbos. *cit. n. 73.* citans Pavin. *p. 1. q. 6.* Calder. *cons. 2. de constit.* Zerol. *in pr. episcop. p. 1. v. Capitulum. §. 15. &c.* Modò tamen sint honesta & justa, Ecclesiæ aut juribus episcopalibus justè acquisitis non præjudicantia. Azor. *loc. cit.* Pirh. Barbos. *ll. cit.* qui posterior citat pro hoc Monet. *de distrib. p. 2. q. 13. n. 24.* Molin. *de Iust. tr. 5. d. 11. n. 7.* Sic condere statutum nequit, quo subsidium charitativum debitum Episcopo minuatur. Azor. *loc. cit.* Barbos *cit. num. 73.* citans seipsum. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 87. n. 14.*

5. Poterit tamen Episcopus Successor statuta à Capitulo sede vacante facta pro libitu revocare, sicut & alia statuta cujusvis prædecessoris sui; cùm pari scilicet episcopali polleat jurisdictione. Barbos. citans Ferental. *ad Burat. decis. 758. à n. 11.* Pirh. *loc. cit.* nisi fortè, ut addit Pirh. in illa juravit.

6. Verumtamen sicut non potest Capitulum sede plenâ statuere, quæ tangunt totum statum Ecclesiæ, vel etiam in rebus arduis, sine consensu Episcopi. Sbroz. *loc. cit. n. 6.* Barbos. *loc. cit. n. 75.* citans Innoc. *in c. cùm omnes. de constit. n. 1.* Abb. *n. 4.* Butr. *n. 4.* Felin. *n. 9.* Beroium *n. 36. & 46.* Bened. Capra. *tom. 1. com. opin. l. 1. tit. 2. de Episcop. & Cler. n. 24. &c.* ita nec sede vacante id posse, videtur tenere Lotter. *de re benef. l. 2. q. 31. num. 82.* ubi, quòd non transeat in Capitulum potestas cogendi synodum ad effectum decernendi, & statuendi generaliter, & universaliter super statu Ecclesiæ; secùs sit de potestate statuendi respectu singularis casûs, cui aliter provideri nequit.

*Quæstio*

*Quæstio 471. Num Capitulum sede vacante possit statutorum suorum transgressores punire?*

Resp. affirmativè: Capitulum siquidem etiam sede plenâ potest pœnas imponere transgressoribus statutorum suorum. Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 43.* Laym. *in c. cùm omnes. de constit. n. 1.* Tametsi enim Capitulum Cathedrale absolutè loquendo non habeat jurisdictionem in ecclesia vivente Episcopo; adeóque nec sine Episcopi authoritate condere possit leges, & statuta, quibus ecclesiæ status, antiquæ consuetudines, aut jura mutentur. Laym. *loc. cit.* citans Abb. *in c. quoniam. prope finem. de vita & honest. Cleric.* Suar. *de LL. l. 8. c. 6. n. 11.* juxta *c. cùm consuetudinis. de consuet.* habet tamen partem aliquam, seu usum potiùs jurisdictionis, sive à Superiore, sive per consuetudinem acquisitum secundùm modum administrationis suæ, dum Capitulum separatim ab Episcopo consideratum constituit Collegium seu Universitatem aliquam, cui præest Decanus, aut Præpositus juxta diversas Ecclesiarum consuetudines. Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. adeóque jam potest intra terminos potestatis suæ statuta facere, & consequenter iis (etiam sine Episcopo, seu licèt Episcopus statutum non approbaverit. Laym. *loc. cit.*) pœnam seu mulctam adjicere, v. g. pecuniariam, & per subtractionem fructuum ex corpore transgressores compellere ad pœnam statuto decretam solvendam. Laym. *loc. cit. n. 2.* Pirh. *cit. n. 43.* quia id, (ut colligitur ex *l. 1. ff. si quis jus dicenti non obtemper.*) connexum est, & necessarium ad executionem legis, aut statuti, & regula recepta est, quòd quicunque statuta condere possunt, ii etiam pœnam intra terminos potestatis suæ adjicere possunt; adeóque jam utrumque, & statuta condere, & transgressores punire poterit Capitulum cathedrale. Laym. *cit. n.* (qui *in fine hujus num.* hæc ipsa extendit quoque ad Capitula ecclesiarum Collegiatarum Episcopis subjectarum) Quidquid sit de eo, num condere possit tale statutum pœnale, quod obliget vi jurisdictionis; an solùm per modum alicujus conventionis, seu pacti, ut volunt Butrio & alii apud Fagn. *in cit. c. cum omnes. num. 39. & seq.* quem vide, uti & Pirh. *loc. cit.* Atque ex jam dictis manifestè & à fortiore infertur responsio nostra, posse nimirum idipsum multò magis Capitulum sede vacante; cùm tunc polleat jurisdictione propriè tali, & episcopali, adeóque sicut is legum & statutorum suorum transgressores pœnis coercere potest, ita & illud.

*Quæstio 472. Num Capitulum sede vacante de aliis quoque delictis, & criminibus inquirere, cognoscere, eáque punire possit?*

1. Resp. primò: potest etiam extra visitationem de delictis contra certas personas inquirere. Barbos. *Jur. Eccl. l. 1. c. 32. n. 102.* Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. num. 5.* citans Rotam *in Burgens. Jurisd. decis. 166. num. 2. p. 3. Recent.* Vital. *in in Clem. 1. n. 177. de hæret.* Feder. de Sen. *cons. 16. num. 1. in fine.*

2. Sic quoque potest cognoscere causas judiciales, etiam criminales. Pirh. *loc. cit. num. 30.* Nec obstat, quòd Tridentinum *sess. 24. c. 20.* causas matrimoniales, & criminales Episcoporum tantùm examinationi, & jurisdictioni relinquat; nam per illa verba solùm excluduntur alii Prælati inferiores; non autem Capitulum, quod sede vacante non est inferius, sed par Episcopo. Pirh. *ibidem* citans Quarant. *in sum. Bullar. v. Capitulum sed. vac. q. 5.* Et sic in specie cognoscere potest de crimine hæresis, & procedere contra hæreticum. Pirh. *cit. n. 50.* citans *Clem. 1. de hæret.* & Quarant. *ubi ante.* Ventriglia *tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 29.* ubi: quòad non exemptos Capitulum sede vacante succedit Episcopo in jurisdictione in causa hæresum, prout disponitur *in c. ad abolendam. de hæret.* ut abunde probat Farinac. *de hæresi. q. 186. n. 177. & seq.* qui etiam *num. 180.* dicit, quòd Capitulum exercet hanc jurisdictionem per specialem delegationem. Barbos. *Jur. Eccl. l. 1. c. 32. num. 6.* ubi, quòd succedat in cognoscendo de crimine hæresis, prout poterat cognoscere Episcopus, in comprehendendis scilicet, judicandis & puniendis hæreticis, citans Host. *ad cit. c. ad abolend. num. 2. & 4.* Abb. *num. 1.* Sylv. *v. hæres.* Sanctarell. *tract. de hæres. c. 40. num. 4.* Farinac. ubi paulò post. Item Diana *p. 8. tract. 4. resol. 37.* ubi citato Carenâ *tract. de S. off. p. 1. l. 6 §. 3. n. 10.* cùm in causis hæresis proceditur ex parte Episcopi jure ordinario, non est dubium, quin Vicarius Capituli sede vacante debeat assistere Inquisitoribus in dictis causis.

3. De cætero Capitulum sede vacante non habet jurisdictionem procedendi contra exemptos in causa hæresis; quia hæc facultas competit Episcopo non jure ordinario, sed delegato, & proinde non succedit Capitulum. Ventrigl. *loc. cit.* citans Jo. And. *in cit. c. ad abolendam. n. 15.* Anchar. *num. 10.* Decian *tract. criminal. l. 5. c. 2. n. 14.* Farinac. *ubi ante. num. 182.* (qui etiam dicat ab hac sententia non esse recedendum) Corter. *de hæret. n. 60.* Zabarell. *in Clem. 1. de hæret. num. 60. in q. 8.* Dian. *tom. 4. tr. 8. de off. & potest. Inquis. resol. 33.* qui tamen *p. 8. tr. 4. resol. 37.* refert, contrarium fuisse practicatum. Sed neque *Clem. 1. de hæret.* ubi absolutè conceditur tam Capitulo sede vacante, quàm Episcopo procedere contra hæreticos absque eo, quòd fiat mentio de authoritate Apostolica, seu ut procedant authoritate Apostolica, concedit Capitulo sede vacante hanc potestatem procedendi in causa hæresis contra exemptos; cùm in *dicta Clem.* nulla fiat exemptorum mentio.

4. Resp. secundò: potest quoque punire crimina & excessus. Fagnan. *loc. cit.* ubi ex Federic. *cons. 16. num. 1.* quòd in puniendis criminibus, & excessibus Capitulum id possit sede vacante, quod potest Episcopus. Idem habet Barbos. *loc. cit. n. 65.* Et sic in specie potest ob delicta suspendere ab officio, deponere, seu privare beneficiis, abáque facere, quæ correctionem spectant; cùm ea omnia spectent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. Pirh. *loc. cit. num. 46.* Barbos. *loc cit. num. 80.* citans Molin. *tract. 5. de Just. d. 11. num. 6.* Pavin. *p. 2. q. 6.*

5. Sic quoque videtur posse procedere contra Clericum ad verbalem degradationem (qualis dicitur, quando contra Clericum pronunciatur sententia, per quam privatur is Ordinibus Clericalibus, quæ & propriè loquendo degradatio dicitur) Sbroz. *l. 2. q. 167. num. 2. & 3.* cùm dicat Tridentin. *sess. 13. c. 4.* quòd Episcopus per se, seu suum Vicarium generalem in spiritualibus contra Clericum in sacris etiam presbyteratûs Ordinibus ad illius condemnationem possit devenire; adeóque vide-

videtur idipsum competere quoque Capitulo sede vacante. Nequaquam tamen ad actualem illam & solennem Clerici degradationem (qualis dicitur, quando Clericus non solùm per sententiam privatur, sed etiam personaliter & actualiter degradatur, exuitur, & spoliatur Ordinibus ecclesiasticis. Sbroz. *loc. cit. n.* 4. cujus modum ponit Trident. *loc. cit.* & cujus quoque degradationis formam vide apud Foller. *in pr. crim. canonic. p.* 3. *lud. Tit. etsi confessi & convicti. num.* 15. *&* 16. hanc enim per ipsum Episcopum fieri vult Tridentinum *loc. cit.* & sic videtur, ea esse Ordinis episcopalis; quod ipsum aliqui tradunt de degradatione seu depositione verbali apud Sbroz. *loc. cit. num.* 6.

6. Item contra sæculares sibi subjectos ad pœnam capitis, ubi Episcopus præter episcopalem habebat & hanc supremam jurisdictionem suo episcopatui annexam; idque conformiter dictis supra ex Pirh. *loc. cit. n.* 45. *in fine*; nempe, quòd si Episcopus decedens habebat quoque temporalem jurisdictionem respectu sæcularium tam in civilibus quàm criminalibus, succedat in hac quoque jurisdictione Capitulum.

*Quæstio* 473. *An Capitulum sede vacante possit tam suos quàm defuncti Episcopi Officiales syndicare.*

REsp. Potest per se, vel suum Vicarium syndicare Officiales tam suos quàm defuncti episcopi. Syndicare enim (quod aliud nihil significat, quàm examinare, in mores alicujus, vel acta inquirere, norare, censurâ carpere. Carolus du Fresne *in glossario ad media & infim. latinit. scriptor.*) est actus jurisdictionis. Barbos. *Iur. eccles. l.* 1. *c.* 32. *n.* 102. citans Paris. Puteo *tr. de syndicatu. rubric. de off. syndic. num.* 9. Et in illo proceditur tam ex officio quàm ad instantiam partis. In jurisdictionalibus autem succedit Capitulum. Barbos. *loc. cit.* exercendis etiam contra eos, contra quos jurisdictionem suam ordinariam exercere poterat Episcopus. Et de Fiscali defuncti, quòd eum syndicare possit Capitulum sede vacante, tradit Fagn. *in c. his quæ. num.* 52. Sic posse Capitulum non exspectato Episcopo successore rationem exigere à suo Vicario capitulari, & aliis Officialibus suis, eósque pro modo culpæ punire, tradit Garc. juxta S. Congregat. Declarat. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 23. & ex eo Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 2. *n.* 52. Porrò qualiter Capitulum ejúsque Vicarius possit syndicari ab Episcopo successore, & compelli ad rationes dandas, & puniri, dicetur ad finem hujus *tract.*

*Quæstio* 474. *An, & qualiter Capitulum sede vacante possit cognoscere de causis suspicionum, quæ contra suum Vicarium proponuntur?*

REsp. Non posse Capitulum eligere arbitros ad cognoscendum de dictis causis, sed debere de iis cognoscere per seipsum, tradit Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. n.* 76. idem ex Declaratione S. Congregation. tradit Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 7. *n.* 23. Contrarium tamen tradit Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 2. *n.* 36. ubi: quando Vicarius Capituli allegatur suspectus, recurrendum est ad ipsum Capitulum, quod vel potest eligere arbitros ad cognoscendum de causis suspicionum, quæ proponuntur eo modo, quo Episcopus vivens cognoscit de causis suspicionum sui Vicarii, prout declaravit S. Congreg. vel per seipsum absque electione arbitrorum; ut similiter potest Episcopus per seipsum cognoscere de suspicione sui Vicarii, ut videre est apud Sbroz. *de Vicar. Episc. l.* 3. *q.* 16. quem vide, & quæ de eo dicuntur in hoc puncto de Episcopo, & illius Vicario, applica ad Capitulum sede vacante, & ejus Vicarium. Quòd si autem causæ suspicionum, ob quas recusatur Vicarius, militare seu subsistere inveniantur, potest Capitulum quin & tenetur causam, circa quam allegatur suspectus Vicarius, committere, seu delegare alteri. Ventrigl. *loc. cit.* citans Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *c.* 7. *dub.* 33. *num.* 322.

*Quæstio* 475. *Num Capitulum sede vacante possit ferre censuras; & nominatim an possit excommunicare, suspendere, interdicere?*

1. REspond. ad primum: potest infligere censuras, quatenus id poterat Episcopus defunctus. Barbos. *loc. cit. num.* 65. citans Naver. *in man. c.* 27. *num.* 5. Molin. *ubi ante.* Gl. & DD. *in c. ad abolendam. de hæret.*

2. Resp. secundò in specie: potest excommunicare, quatenus id poterat Episcopus. Barbos. *cit. num.* 65. Pirh. *num.* 46. ubi; quòd Capitulum succedat Episcopo in potestate excommunicandi, citans Franch. *in c. unic. de major. & obed. in* 6. *num.* 1. Quarant. &c. Fagn. *in c. his quæ. num.* 49. Quamvis is addat, non posse tamen Capitulum anathematizare, id est excommunicare cum solennitate; de qua in *c. debent.* 11. *q.* 3. pro quo citat Jo. de Anan. *in c. his quæ. n.* 2.

3. Tertiò potest suspendere ab officio & beneficio. Barbos. *loc. cit. num.* 80. Pirh. *num.* 46. Sbroz. *l.* 2. *q.* 182. *num.* 7. quamvis is *n.* 5. *&* 6. dicat, suspensionem perpetuam, & diuturnam secundùm Innoc. & Abb. *in c. ad hæc. de off. Archiep.* esse de arduis, ita ut etiam Episcopus eam ferre non possit sine Capitulo.

4. Potest etiam interdicere. Barbos. *cit. n.* 80. citato Pavin. *p.* 2. *q.* 6. Rebuff. *in pr. benef. tit. de devolut. n.* 63. Sbroz. *ubi ante.*

*Quæstio* 476. *Utrum absolvere quoque possit ab excommunicatione aliisque censuris?*

1. REsp. Potest Capitulum (vel is, ad quem tunc spectat jurisdictio) absolvere ab excommunicatione, à qua poterat absolvere Episcopus, nisi ei fuerit specialiter à Sede Apostolica interdicta hæc potestas. Fagn. *cit. n.* 49. Ventrigl. *loc. cit. num.* 16. Pirh. *num.* 46. (qui etiam addit, idem esse, sive ecclesia verè vacet, sive quasi vacet, ut quia Episcopus à Paganis ductus in captivitatem.) Barbos. *loc. cit. n.* 62. citans Rebuff. *ubi ante. n.* 6. Sylv. *in sum. v. Capitulum.* §. 2. Suar. *tom.* 5. *d.* 7. *s.* 2. *&c.* cum communi juxta *c. unic. de major. & obed. in* 6. Absolvere enim ab excommunicatione est actus jurisdictionis, non Ordinis episcopalis, Capitulúmque sede vacante vices Episcopi gerit: Episcopus verò absolvere potest à qualibet excommunicatione juris, cujus absolutio non est reservata Papæ, *c. nuper. de sentent. excomm.* & ejusdem potestatis est ligare, & solvere; & qui potest unum, regulariter potest & alte-

& alterum. Pirh. *loc. cit.* argumento *c. cùm inferior. de major. & obed.* & *ibi* Gl. Poterit itaque absolvere Capitulum ab excommunicatione tam lata à jure (v.g. ob percussionem Clerici, ut Barbos. saltem levem, ut Pirh) quàm ab homine, v.g. à defuncto Episcopo, vel ejus Vicario, aut delegato, vel Archidiacono, &c. Pirh. *loc. cit.* Barbos. *n.* 65. Ventrigl. *loc. cit.* citans Dianam *p.* 8. *resol.* 17. Meroll. &c. Porrò posse Capitulum non solùm per Vicarium suum absolvere excommunicatum tam à jure quàm ab homine; sed hunc quoque posse instituere confessarium, qui illos absolvat, tradit Azor. *Instit. mor. l.* 3. *c.* 37. *q.* 16.

2. Potest quoque absolvere ab aliis censuris, à quibus absolvere poterat Episcopus. Barbos. *cit. n.* 65. citans Molin. *de Iust. tract.* 5. *d.* 11. *n.* 6. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 5. juxta *c. Abolendam. de hæret.* & *ibi* AA. Posse quoq; Capitulum absolvere, sicut poterat Episcopus, etiã extra mortis articulum omnes impeditos recurrere ad Sedem Apostolicam à censuris quibuscunque, Sedi Apostolicæ reservatis, etiam contractis ob hæresim, contentisque in Bulla cœnæ, & hoc etiam de jure novo, non obstante decreto Clem. VIII. ea nimirum ratione, quam communiter afferunt AA. ne reservatio, quæ pro bono caritatis est inventa, contra caritatem vergat in periculum animarum, tradit Ventrigl. *loc. cit. n.* 18. ex Leonard Duardo (quem mirificè commendat) *ad Bull. Cœnæ. l.* 3. § 2. *concl.* 3. *n.* 45. *& seq.* & Tambur. *de jure Abbatiss. d.* 16. *q.* 8. *n.* 8. Sic etiam in specie potest absolvere ab omnibus suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis ad forum contentiosum quoscunq; sibi subditos; hæc enim potestas concessa est Episcopis per Trident. *sess.* 24. *c.* 6. & ea transit ad Capitulum sede vacante juxta dicenda *quæst. seq.*

## *Quæstio* 477. *An quoque absolvere possit à casibus papalibus, & episcopalibus?*

1. RESp. ad primum: Potest à quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientiæ absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idipsum enim conceditur Episcopis à Tridentino *loc. cit.* transitq; pari modo in Capitulum sede vacante. Pirh. *n.* 45. Ventrigl. *loc. cit. n.* 15. Laym. *in c. quoniam. de off. & potest. Iud delegat. num* 1. citans Felin. *in c. eam te. num.* 17. *de rescript.* Rodriq. *qq. regul. tom.* 1. *q.* 61. *num.* 9. Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 61. *num.* 10. Barbos. *loc. cit. num.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 41. contra Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *d.* 41. *s.* 2. *num.* 13. & Bonacin. *de censur. d.* 7. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 6. citatósque ab eo Alterium. Filiuc. &c. Si enim ea, quæ speciali jure delegata sunt Episcopis, transeant in ordinariam eorum jurisdictionem, qualiter in eam transit hæc potestas absolvendi, transeunt quoque ad Capitulum sede vacante. Laym. *loc. cit.* juxta dicta à nobis supra. Et sic in specie quoque posse absolvere Capitulum ab hæresi in foro conscientiæ, uti hæc potestas quoque collata Episcopis à Trident. *loc. cit.* tanquam probabilius tenet Garc. *p.* 7. *c.* 11. *n.* 22. Ventrigl. *loc. cit.* citatique ab eo Barbos. *de Canon. & Dignitat. c.* 42. *n.* 82. (qui etiam testetur *num.* 62. pro hac opinione stetisse S. Congregat. Concil. 3. Decembr. 1633.) Dian. *Resolut. mor. p.* 7. *tr.* 2. *resolut.* 3. & *p.* 8. *tr. resol.* 7. Meroll. *tom.* 2. *c.* 6. & *tom.* 3. *c.* 7. *num.* 51. contra Ledesm. *in sum.* 2. *p. tit.* 1. *c.* 61. *concl.* 20. *difficult.* 2. apud Garciam *loc. cit.* Neque obstant verba Concilii *loc. cit.* Idem (nempe absolvere) *in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm* (nempe Episcopis) *& non eorum Vicariis sit permissum.* Neque enim Capitulum sede vacante est propriè Vicarius Episcopi; sed eandem Episcopi potestatem habet juxta dicta à nobis supra; & Vicarius Capituli eandem Capituli jurisdictionem habet; quia Capitulum suam jurisdictionem per Vicarium exercet. Et sic diluitur potissima ratio Ledesmæ; nempe quòd concedatur Episcopis absolvere ab hæresi per seipsos; Capitulum autem non possit per seipsum absolvere; quia suam jurisdictionem debet exercere per suum Vicarium, & is Vicarius loco Episcopi per seipsum debet absolvere, & ad eum sine speciali commissione transit illa facultas. Garc. *cit. n.* 22. *in fine.*

2. Resp. ad secundum: Potest quoque absolvere ab omnibus casibus Episcopo reservatis. Ventrigl. *loc. c. num.* 16. citans Pavin. *p.* 1. *q.* 5. Molin. *ubi ante.* Azor. *instit. mor. l.* 3. *c.* 37. *q.* 16. Sequitur à fortiore ex responsione præcedente. Neque solùm potest id Vicarius Capituli per se; sed potest quoque eandem potestatem concedere alteri. Dian. *p.* 8. *tract.* 4. *resolut.* 47. ex Molin. *loc. paulò post citando.* Ventrig. *num.* 16. citans pro hoc quoque Molinam. Sic ait Azor. *loc. cit.* potest Capitulum instituere Confessarium, qui absolvat à casibus Episcopo reservatis, citans pro hoc Abb. *in c. cùm olim. & c. his quæ. de major. & obed.* Pavin. *p.* 1. *q.* 7. *n.* 4. Barbos. *Iur. eccles. l.* 1. *c.* 32. *n.* 64. quia potest concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis. Barbos. *Ibidem* citans Molin. *de Iust. tract.* 5. *d.* 11. *n.* 5. Pavin *ubi ante. q.* 5. Subjungit idem Azor, posse Capitulum reservare casus, quos posset Episcopus; cùm is sit actus jurisdictionis, citat pro hoc Pavin. *loc. cit.*

## *Quæstio* 478. *Num Capitulum sede vacante possit dispensare in irregularitatibus?*

1. RESp. posse dispensare in irregularitatibus, in quibus potest Episcopus; quin & dispensare in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario; hoc enim ipsum concessum est pari modo Episcopis à Trident. *loc. cit.* Ventrigl. *cit. n.* 15. Pirh. *n.* 25. Barbos. *loc. cit. n.* 82.

2. Porrò circa potestatem illam absolvendi, & dispensandi concessam Episcopis per dictum Tridentini decretum notanda sunt sequentia: Primò facultate illa uti non posse Episcopos regionum illarum, in quibus receptum non est Tridentinum, uti censent S. Congr. Concil. Garc. *cit. c.* 11. *n.* 23. & consequenter jam neque id poterunt Capitula regionum illarum sede vacante.

3. Secundò: quòd in illo Decreto Concilii non comprehendantur inferiores Prælati habentes jurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem, etiam nullius diœcesis, adeóq; nec in diœcesi nec de diœcesi. Idem est de Prælatis exemptis, qui etsi non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi (quam differentiam interesse nullius diœcesis, & esse exemptum à jurisdictione diœcesani, ponit Rota *Decis.* 207. *p.* 2. *divers.* apud Garciam *loc. cit. n.* 16.) facultas enim illa, cùm sit jure speciali & exorbitante à jure communi concessa Episcopis, intelligi debet de Episcopis propriè & verè talibus,

& non

& non de aliis; maximè, quia jura & Concilium magis confidunt de Episcopis, quàm de aliis inferioribus. Garc. *à num.* 17. proinde tam subditi illorum Prælatorum, qui sunt nullius diœcesis, cùm nullum habeant Episcopum, recurrere debent ad Sedem Apostolicam pro obtinenda illa absolutione ab hæresi (idem est de dispensatione ab irregularitatibus, & casibus reservatis Papæ) quàm subditi illorum exemptorum; quippe qui non sunt subditi, nec possunt se subjicere Episcopis, nisi in casibus à jure expressis, qualis non est iste, de quo hic, nempe dispensatio illa & absolutio. Garc. *num.* 20. citans Marc. Anton. Genuens. *in pr. Curiæ Neapolit. c.* 66. *n.* 19. Ugol. *de cens. Rubr.* 1. *c.* 2. §. 17. *n.* 5. contra Suar. & plures alios putantes, posse subditos illorum exemptorum se subjicere, si velint, Episcopo quò ad hunc actum favorabilem obtinendi ab eo dispensationem, & absolutionem. Unde jam iterum sequitur, non posse Capitula istiusmodi inferiora, Prælato defuncto (etsi aliàs ad ea transiret potestas, quam habuit defunctus, juxta dicta superius) in dictis casibus absolvere, aut dispensare.

4. Tertiò cum homicida voluntario, etiam occulto (sub quo venit quoque mandans & consulens. Garc. *loc. cit. n.* 24. ex Tolet. *l.* 1. *c.* 88. *vers.* 6.) nullo modo posse dispensare Episcopum (& consequenter nec Capitulum sede vacante) ne quidem ad minores aut beneficium simplex. Garc. *cit. n.* 24. citans Tolet. *ubi ante.* Ugol. *de cens. tab.* 1. *c.* 33. *de irregul* § 2. *num.* 1. & 2. & *c.* 62. §. 2. *n.* 4. Guttier. *qq. Canon. l.* 1. *c.* 13. *n.* 19. Sayr. *l.* 7. *c* 7. *n.* 14. & 19. *&c.* contra Henriq. *l.* 13. *c.* 57. §. 1. & *l.* 14. *c.* 19. §. 1. Zerol. *in pr. p.* 2. *v. dispens.* § 3. *&c.* Etsi ante Concilium possent cum eo dispensare ad beneficium simplex, & juxta probabiliorem ad Ordines minores. Garc. *loc. cit. n.* 26. citans Host. Jo. And. Butrio &c. *in c.* 2. *de Cler. pugnant. in duello.* Item contra Baisium *in direct. elect. p.* 2. *c.* 30. *n.* 6. Covar. *in Clem. si furiosus. p.* 2. § 3. *num.* 5. Navar. *cons.* 45. *n.* 1. *de homicid.* Tolet. *ubi ante. vers.* 4. & 5. *&c.*

5. Quinimo nec dispensare poterit cum homicida casuali non occulto, etiam ad Ordines minores jam susceptos, aut beneficium simplex. Garc. *num.* 27. citans Tolet. *ubi ante ad finem. c.* 88. Ugol. *cit. c* 33 §. 3. *n.* 3. & 4. *&c.* contra Henriq. Navar. Sayr. *loc. cit. num.* 20. Molin. *de Iust. tract.* 3. *d.* 77. *n.* 11. Avilam, Rodriq. &c. dicentes, quantùm ad homicidium casuale nihil immutasse Concilium. Quemadmodum Episcopus (& consequenter Capitulum sede vacante) dispensare potest in mutilatione, etiam voluntaria, si est occulta; utpote in qua nihil innovavit Concilium; quippe quod solùm excipit homicidium voluntarium, sub quo non venit mutilatio. Garc. *num.* 29. citans Suar. *tom.* 5. *d.* 44. *s.* 2. *n.* 4. Henriq. *loc. cit.* Tolet. *cit. c.* 88. *vers.* 6. Molin. Avil. &c. Idem est quò ad homicidium voluntarium justum. Garc. *num.* 34.

### *Quæstio* 479. *In quibus præterea dispensare possit Capitulum sede vacante?*

1. Resp. primò in genere: Potest dispensare in casibus, in quibus potest Episcopus potestate ordinariâ. Azor. *l.* 3. *c.* 37. *q.* 10. citans Pavin. *p.* 1. *q* 5. Feder. de Sen. *cons* 29. Pirh. citans Abb. *in c. cùm olim. de major. & obed. num.* 8. Molin. *de Iust. tr.* 5. *d.* 11. *n.* 5. Quarant. *in sum. Bullar. v. Capitul. sede vacante. q.* 2. Barbos. *Iur. eccles. l.* 1. *c.* 32. *num.* 81. Est enim dispensare actus jurisdictionis, Azor. *loc. cit.* & dispensatio non est actus merè voluntarius; cùm sæpe expediens, imò necessarium sit cum subditis dispensare. Pirh. Barbos. *ll. cit.* Adeóque non esset sufficienter provisum diœcesibus, si jurisdictio Episcopi sine jurisdictione dispensandi devolveretur ad Capitulum sede vacante. Barbos. citans Molin. *tr.* 5. *d.* 11. *num.* 5. Quinimò dispensare poterit in casibus non solùm, qui per se, sed etiam qui per accidens (nempe propter impedimentum adeundi Papam) sunt episcopales, seu ordinariæ jurisdictionis Episcopi. Pirh. *loc. cit.* citans Quarant. *ubi ante. q.* 3. Abb. *in c. his quæ. in fine.* sive in casu necessitatis, quando non facilè adiri potest Papa, aut Nuncius Apostolicus, dum is ad eam dispensationem concedendam potestatem habet. Dian. *loc. cit. resol.* 9. cum Merol. *loc. cit. num.* 12. eò quòd jurisdictio, seu potestas, quam habet Episcopus dispensandi in legibus pontificiis in casu necessitatis sit ordinaria; quippe qualis est, quæ annectitur perpetuò dignitati, utì est hæc (unde & eam delegare potest Episcopus generaliter, ut Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. *n.* 14. apud. Dian. *loc. cit.*) Capitulum verò succedit in potestate ordinaria Episcopi. Dian. *cit resol.* 9.

2. Resp. in specie. Sic itaque dispensare poterit in votis & juramentis, in quibus id potest Episcopus. Item in statutis diœcesanis; hæc enim spectant ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. Pirh. *loc. cit.* & de juramentis. Pignat. *tom.* 5. *consult.* 24. *n.* 3. citans *c. penult. & ult. de suppl. negl. Prælator.* Garc. *observ.* 30. *num.* 12. Dian. *loc. cit. resol.* 23. Item cum illegitimis ad Ordines minores suscipiendos. Barbos. *loc. cit.* juxta *c. 1. de filiis presb. in* 6. & ad beneficium simplex. Barbos. citans Navar. *cons.* 28. *tit. de temp. ord.* Zerol. *in pr. p.* 2. *v. Capitul.* §. 3. Quarant. *v. eodem.* Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *n.* 16. Dian. *p.* 8 *tr.* 4. *resolut.* 6. qui tamen putat cum Merol. *tom.* 3. *d.* 7. *c.* 7. *dub.* 1. *n.* 34. sine speciali mandato hanc dispensationem non posse concedere Vicarium Capituli. Item in petitione debiti. Barbos. Ventrigl. *ll. cit.* Dian. *loc. cit. resol.* 47. citans Molin. *de Iust. tom.* 6. *tract.* 5. *d.* 11. *num.* 5. Ratio his omnibus communis est, ut Molin. nempe quòd tota universim jurisdictio Episcopi etiam voluntaria (cujus actus est dispensare) quæ non reperitur illi denegata, transeat ad Capitulum, ut Abb. *in c. cùm olim. de major. & obed. num.* 2.

### *Quæstio* 480. *Num igitur dispensare quoque possit in interstitiis Ordinum?*

1. Resp. primò: Capitulum sede vacante potest dispensare in his interstitiis. Suar. *tom.* 4. *d.* 28. *s.* 5. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *num.* 14. Reginald. *Fori pœnit. l.* 1. *n.* 180. Valenzuela *cons.* 107. *num.* 17. *vol.* 2. apud Dian. *p* 8. *tr.* 4. *resol.* 5. Item AA. paulò post citandi; eò quòd hæc facultas in ipsius Episcopi officio, & potestate sit imbibita, non tam ex commissione speciali, quàm ex Concilii dispositione. Capitulum verò succedat non tantùm in ordinaria jurisdictione jure communi generali ad Episcopum spectante; sed & in pertinente ad eandem jure communi speciali. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *à num.* 38. & plures alii apud Dian. *loc. cit.*

2. Resp. secundò: in iis casibus dispensare potest in interstitiis, in quibus concedere potest dimissorias. Fagn. *in his quæ. de major. & obed. n.* 61. Sic dispensare potest in interstitiis (quæ sunt inter Ordines minores, & majores; item inter majores, inter quos juxta dispositionem Canonum & Trid. *sess.*23. *c.*11.13.14.) cum arctatis (intellige ratione beneficii accepti, aut accipiendi) intra annum vacantiæ; cum aliis verò non nisi post elapsum primum annum sedis vacantis cum ordinandis in vim suarum dimissoriarum eo modo, quo poterat Episcopus cum sibi subditis; ex causis nimirum in Concilio Tridentino expressis, puta necessitatis, aut utilitatis ecclesiæ. Laym. *in c. literas. de tempor. Ordin.* Ventrigl. *loc. cit. n.*40. Barbos. *loc. cit. n.*128. citans Quarant. *v. Capit. sed. vac. vers. quæro decimo.* Piasec. *in pr. p.*1. *c.*1. *n.*50. Martam. *de jurisd. p.*2. *c.*9. *n.*13. & plures alios. Et specialiter quòd non nisi post annum vacantiæ dispensare possit, tenent Solorzan. *de Iure Indiar. tom.* 2. *l.*3. *c.*13. & 14. Zipæus *Iur. pontif. l.*3. *tit.*9. *n.*2. apud Dian. *loc. cit.* eò quòd, ut idem, cùm Capitulum intra illum annum non possit dare licentiam recipiendi Ordines, nec ad talem effectum literas dimissorias juxta *c. cùm nullus. de tempor. ord. in* 6. & Trident. *sess.*7. *c.*10. & *sess.*23. *c.*10. prohibita quoque ei videantur, quæ ad ipsos Ordines præparantur, qualis est interstitiorum remissio. Posse quoque dispensare in dictis interstitiis cum religiosis, etiam exemptis, tradit Laym. *loc. cit. n* 3. eò quòd possint cum Prælatorum suorum licentia se subjicere Episcopo in suscipiendis gratiis dispensationum, & absolutionum; pro quo citat seipsum. *Theol. moral. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 7.

3. Porrò spectare hanc facultatem dispensandi in interstitiis ad Capitulum, & non ad illius Vicarium sine speciali mandato Capituli, tradunt Fagn. *loc. cit.* Ventrigl. *loc. cit.* citans Aldan. *in compend. Canon. resol. tit.*3. *n.*6. Vulpe. *in pr. c.*44. *n.*27. (qui etiam refert, sic decisum à S. Congr. 17. *Maji* 1600.) Barbos. *sum. Apost. decis. v. Capit. sed. vac. n.*14. Merol. *tom.*3. *d.*7. *c.*7. *dub.*1 *n.*48. contra Riccium *decis.* 185. *num.* 5. apud Ventrigl. & contra Machadum apud Dian. *loc. cit.* & alios; eò quòd, ut Meroll. in generali mandato non veniat potestas dispensandi.

4. De cætero ordinatos sine Episcopi aut Capituli sede vacante expressa aut tacita dispensatione, interstitiis non observatis, censuram nullam incurrere, tradit Laym. *loc. cit. n.*4. citatis Suar. *de cens. d.*31. *s.*1. *n.* 43. Zerol. *in pr. p.*2. *v. Ordo.* §.8. eò quòd licèt Sixtus V. decreverit suspensionem, ea tamen denuò sublata sit per Gregorium XIV. Plura de his infra, ubi, an, & quando concedere possit dimissorias.

## *Quæstio* 481. *An Capitulum sede vacante possit aggratiare, seu pœnam post latam sententiam remittere?*

1. Resp. Non convenire in hoc AA. negativam, nimirum Capitulum sede vacante non posse facere gratiam, & remittere pœnas, ad quas Episcopus defunctus, vel ipsum etiam Capitulum condemnarat, tenent Mantic. *tom.* 2. *de tacitis convent. l.* 25. *tit.*8. *n.*11. Jo. Bapt. Costa *de remed. subsid. remed.*115. *n.*8. & *de Iudic. c.* 45. apud Dian. *p.*8. *tract.* 4. *resol.*19. eò quòd facere gratiam sit de reservatis Principi. *num.* 41. *ibidem* apud Dianam. Quin & hoc ipsum denegetur Episcopo à Bernar. Diaz. *in pr. Can. c.*137. Foller. *in pr. Can. v. etsi committi. n.*125. & aliis pluribus.

2. Affirmativam è contra tenent Barbos. *Iur. eccles. l.*1. *c.*32. *n.*102. Ventrigl. *tom.*2. *annot.*15. §.2. *n.* 42. citantes Vulpe. *in pr. Iudicial. c.*44. *num.*26. Item Dian. *loc. cit.* citans insuper Jo. Mariam Novarin. *qq. forens. q.* 102. *p.*1. Ricc. *in pr. Fori eccl. tom.*1. *resol.*30. (vel ut eum citat Vega, *decis.* 305.) qui etiam referat sic decisum in Curia Archiep. Neapol. Felicianum à Vega *in c.* 4. *de Iudic. n.*63. Rationem dat Dian. quia scilicet facere gratiam pertinet ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, & in hac succedit Capitulum, sive jurisdictio sit contentiosa, sive voluntaria, & nullibi reperitur exceptus casus, de quo hic. Respondit quoque ad rationem oppositæ sententiæ: Episcopos posse facere gratiam; quia sunt veri Principes ecclesiastici, & non Vicarii Papæ, ut rectè Bellarm. *l.* 1. *de Rom. Pontif. c.*3. *in fine* (quin &, ut Vega ex Riccio, habent in hoc potestatem Episcopi talem, qualem habet supremus Princeps, adeóque hanc gratiandi potestatem non esse reservatam summo Pontifici; & consequenter idem posse Capitulum, utpote quod est successor Episcopi. Quod si verum, Episcopum referre personam supremi cujusdam Principis, & Capitulum ei in hac ratione supremi Principis succedere (de quo posteriore meritò dubitari potest) consequens videtur, quòd ubi jurisdictionem etiam temporalem in subditos habuit Episcopus, in ea succedat Capitulum, ut dictum supra, posse aggratiare Capitulum, ubi per defuncti Episcopi, vel suos Officiales lata in aliquem etiam pœna capitis.

## *Quæstio* 482. *Num Capitulum sede vacante possit concedere indulgentias?*

1. Respond. Negat id Fagn. *in c. illa. ne sede vac. n.*14. citans Jo. Andr. *in c. accedentibus n.*2. *de excess. Prælat.* Felin. *in c. cùm olim. de major. & obed. n.* 7. *&c.* ac dicens ex Card. *in Clem.* 2. §. *ad hæc. q.* 3. *n.* 14. *de pœnit. & remiss.* hanc opinionem teneri communiter, etsi nonnulli sentiant oppositum. Rationem dat idem Fagn. *loc. cit. num.* 13. *in fine.* Quòd Capitulum non succedat in jurisdictione voluntaria, sed tantùm in necessaria, quia est necessarius, & non voluntarius Administrator, ut tenet Gl. *in Clem.* 1. *de hæret. v. Capituli.* quam communiter approbatam dicit Felin. *in c. cùm olim. num.* 6. Item quòd non succedat in iis, quæ gratiam sapiunt; pro quo citat Gl. *in c.*1. *v. præsentatos. de Instit. in* 6. Pro qua sententia negativa citantur quoque ab Azor. *l.*3. *c.*37. *q.*9. præter plures Canonistas ex Theologis Sot. *in* 4. *dist.* 21. *q.*1. *a.* 4. Corduba *de Indulg. a.* 2. *q.*12. *propos.*9. Ledesm. *in* 4. *dist.* 28. *a.* 3. Hanc quoque negativam sequitur Ventrigl. *loc. cit. n.* 28. dicens eam veriorem, magis communem, & quæ servatur in praxi, citans pro ea Fusc. *de visitat. lib.*1. *c.* 2. *num.* 20. Pavin. *in p.* 1. *q.* 4. *num.* 5. Bonacin. *tom.* 1. *tit. de Indulg. d.* 6. *q.*1. *punct.* 3. *num.* 23. *&c.*

2. Contrarium tenent Barbos. *Iur. eccl. l.*1. *c.*32. *n.*91. citans Abb. *in c. cùm olim.* Sylv. *v. Capitul in fine. n.*5. Pavin. *p.*1. *princ. q.* 4. Henriq. *in sum. l.*7. *c.*31. §.1. Vulpe *in pr. c.*44. *n.*22. Zerol. *in pr. epist. p.*1. *v. indulgentia.* §.2. Lavor. *de Iubil. & indulg. p.*2. *à n.*52. Hanc affirmativam sequitur & probabiliorem

liorem censent Merol. *tom.3.d.7.c.7. dub.16.n.155.* Molin. *de Iust. tom.6 tract.5. d.11. n.6.* & alii apud Dian. *p.8. tr.4. resol.35.* Item Azor. *loc.cit.* Eò quòd indulgentias concedere sit actus jurisdictionis, ut D. Thom. *in 4. dist.20.q.3.a.3.* & sic etiam Legatus Apostolicus, etsi non sit sacerdos, possit eas concedere; cúmque jus dicat simpliciter, Capitulum succedere in jurisdictione Episcopi, non sit, quòd nos restringamus ad jurisdictionem necessariam, non voluntariam. Addit verò Azor, in hoc convenire omnes, tutius esse, ut Capitulum committat alicui Episcopo, ut eas concedat nomine Capituli. Quamvis Diana *loc. cit.* dicat, se non probare, quod ait Pavin. nempe debere Capitulum sic ut Episcopum dictum nondumconsecratum eas concedere per alium Episcopum consecratum, quem ad id vocet; eò quòd concedere indulgentias non sit Ordinis, sed solius jurisdictionis.

*Quæstio* 483. *An Capitulum sede vacante approbare, & exponere possit confessarios?*

1. Resp. id posse Capitulum per Vicarium à se electum; cùm hic actus approbandi non sit actus formaliter Ordinis, aut Dignitatis Episcopalis; sed jurisdictionis ordinariæ. Barbos. *loc. cit. n.*110. citans Suar. *tom. 4. de ponit. d.28. s.5. num.5.* Henriq. *in sum. l.3. de pœnit. c.6.in princ.* Fagund. *in præcept. Eccl. præcept.2. l.7. c.2. n.54.* Dian. *p.8. tr.4 resol.46.*

2. Extendendum hoc ipsum erit ad Capitula inferiora, quorum Prælatus defunctus exemptus jurisdictionem quasi Episcopalem habebat in populum fidelium; cùm & tales Prælati potestate ordinaria confessarios approbare possint; quippe qui sub nomine Episcopi veniunt in Tridentino in ordine ad hoc punctum, ut Dian. *loc. cit.* & Ludov. à Cruz. *in Bull. cruciatæ. d.1. c.2. dub. 24. n.2.* Secus tamen est, ubi hujusmodi Prælati jurisdictionem non habent in populum sæcularem fidelium, quales sunt Provinciales, & Generales Religionum.

*Quæstio* 484. *An Capitulum sede vacante revocare possit ad examen semel approbatos ab Episcopo defuncto, eisque adimere licentiam & approbationem audiendi confessiones, idque etiam quò ad regulares?*

1. Resp. primò, posse Capitulum sede vacante sæculares semel, etiam prævio examine, & simpliciter approbatos ad excipiendas confessiones revocare ad examen, & inventos inidoneos reprobare, non secus ac id potest Episcopus, dum viveret ex causa, & successor Episcopus. Manifestè sequitur ex eo, quòd tradit Fagundez *in præcep. Eccl. p.2. l.7. c.2. n.28.* apud Dian, *loc. cit. resol.48.* nempe mortuis Episcopis solere Capitulum sede vacante generali mandato revocare omnes licentias, & approbationes ab Episcopo præcedente datas, compellens, ut omnes Confessarii compareant iterum examinandi; & sic absolutè tenet Ventrigl. *tom.2. annot.15.§.2. num.44.* (qui tamen perperam addit, hanc facultatem revocandi denuo ad examen negari ipsi Episcopo, qui semel examinavit & absolutè approbavit, maximè Regulares, nisi subintelligat, sine causa. Etsi contrarium apud eundem Dianam *loc. cit.* tenet Boisius *de Iubil. l.3. cas.2. n.47.* nempe solum successorem in Dignitate, & jurisdictione, non autem in jurisdictione tantùm, ut est Capitulum sede vacante, posse semel absolutè approbatos iterum ad examen vocare, & approbare, vel reprobare, prout noverit esse vel non esse idoneos.

2. Resp. secundò: Capitulum sede vacante posse quoque, quantùm est de jure, revocare datam approbationem Regularibus, & in specie etiam Mendicantibus, tradit quoque *loc. cit.* Fagundez. Non posse tamen id Capitulum ob speciale illis super hoc ipso (nimirum, quò minùs possit à Capitulo sede vacante approbatio à defuncto Episcopo iis concessa, uti & facultas prædicandi, & aliqua vota in alia pia opera commutandi adimi) datum privilegium, cujus meminit Sylv. *v. confessor. n.4. q.3.* Rodriq. *tom.1. Bullar. fol.36.* Boisius *loc. cit.* apud Dian. Adeóque jam ubi istiusmodi generali mandato revocarentur per Capitulum ad novum examen omnes approbati à præcedente Episcopo, non tamen comprehenderentur Regulares; & quamvis de iis quoque specialiter, & expressè loqueretur, istiusmodi edictum, seu mandatum, adhuc nullius esset momenti; cùm sit directè contra eorum privilegium, & Capitulum sede vacante nihil possit innovare quò ad Regulares. Fagund.

3. His tamen non obstantibus Regulares semel absolutè approbatos revocari posse ad novum examen à defuncti successore in dignitate, & jurisdictione, tradit *loc. cit.* Boisius; eò quòd concessum eis privilegium sit solùm quò ad Capitulum, non verò etiam ad successorem in Dignitate, & jurisdictione, qualis est successor Episcopus. Cujus etiam rationem addit hanc, quòd Episcopo successori plus quàm Capitulo voluerint summi Pontifices pro quiete suæ conscientiæ remanere liberam potestatem subjiciendi novo examini Regulares Sacerdotes absolutè approbatos; quia Capituli jurisdictio, & gubernatio ob vacationem sedis regulariter parum durat, & pro illo tempore noluerunt Pontifices Regulares absolutè approbatos exhiberi novo examini: Successoris verò Episcopi jurisdictio, & regimen regulariter diu duret.

*Quæstio* 485. *An Capitulum sede vacante cognoscere possit de causis in prima instantia?*

Resp. affirmativè; quia Tridentinum *sess. 24. c.20.* causas omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognosci vult; ergo hæc potestas, utpote concessa, & annexa perpetuò dignitati episcopali est ordinariæ jurisdictionis; adeóque transit in Capitulum. Barbos. *loc. cit. n.*85. citans Riccium *in pr. aurea. resol.*130. Dian. *p.8. tract.4. resol.21.* citans Morell. *tom.3. d.7. c.7. dub.1. n.42.* ubi is sic ait: Deducitur, posse Capitulum sede vacante cognoscere causas in prima instantia, ita, ut non possit alius judex Romanæ Curiæ cognoscere de iis in prima instantia, nec monitoria decernere ad extrahendas partes à suis domiciliis: & ratio est; quia hoc privilegiũ habent Episcopi jure ordinario &c.

*Quæstio* 486. *An Capitulum causas arduas, & in specie matrimoniales cognoscere, & expedire possit?*

1. Resp. ad primum: potest cognoscere de causis arduis, Barbos. *loc. cit. n.*72. Pirh. *ad tit. de*

*major. & obed. n. 50.* Laym. *in c. cùm olim. tit. eod. n. 13.* Generaliter enim loquendo non prohibetur Capitulum causas graves, & arduas cognoscere; cùm talis generalis, & absoluta prohibitio Capitulo facta non reperiatur. Laym. & Pirh. *ll. cit.* Et in specie posse Capitulum de causis criminalibus, & adhuc magis in specie de causa hæresis (quæ inter causas graves & arduas reputantur) cognoscere, dictum est supra.

2. Resp. ad secundum: Sic quoque de causis matrimonialibus (quæ & ipsa inter causas arduas & graves reputantur. *c. 1. de consang.* Sbroz. *de potest. Vicar. l. 2. q. 23. num. 10. & 18.*) cognoscere potest. Laym. Pirh. *ll cit.* Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 22.* Barbos. *loc. cit. n. 102.* citans Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. q. 5.* Covar. *de sponsal. p. 2. c. 8. §. 12. n. 1.* Porrò hæc intelligenda de causis matrimonialibus ex ordinaria jurisdictione; non verò, si causa quædam matrimonialis specialiter delegata fuisset Episcopo aut ejus Vicario, monet Barbos. *loc. cit.* ex Riccio. Dum itaque Tridentinum *sess. 24. c. 20.* ait: *causæ matrimoniales & criminales Episcopi tantùm examini relinquantur*: excluduntur solùm Prælati inferiores, non verò Capitulum. Barbos. Dian. *ll. cit.* juxta dicta à nobis supra.

3. Resp. tertiò: Causas tamen arduas intelligendo per eas illa, quæ valde ardua sunt, & secundùm consuetudinem Ecclesiarum solis Prælatis, seu capitibus Ecclesiarum competere censentur, expedire (quod aliud est, quàm cognoscere) nequit, nisi necessitate cogente. Pirh. Laym. *ll. cit.* Talia sunt visitare, synodum cogere &c. de quibus in specie infra.

*Quæstio 487. Num Capitulum sede vacante possit assistere matrimonio, alterive dare licentiam assistendi.*

Resp. affirmativè. Barbos. *loc. cit. n. 86.* citans Sanch. *de matrim. l. 3. d. 28. n. 5.* Cõninck. *de Sacramentis & cens. tom 2. d. 27. n. 17.* & seipsum *de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 132.* Dian. *loc. cit. resol. 49.* ubi ait, sub nomine Ordinarii, qui & assistere, & assistendi licentiam dare potest in *c. 1. sess. 24.* Concil. Trid. comprehenditur Capitulum sede vacante, & ejus Vicarius generalis; cùm in omni jurisdictione ordinaria succedat Episcopo; & ita docet Guttier. *de matrim. c. 66. n. 5. & 13.* Pontius *de matrim. l. 5. c. 10. n. 4.* Bossius *c. 4. §. 21. n. 59.*

*Quæstio 488. An Capitulum sede vacante cognoscere possit causas feudales, & infeudare?*

1. Resp. negativè. Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. q. 125. n. 4.* citans Pavin. *q. 7. n. 8.* ubi expressè Capitulum sede vacante non succedit in jure cognoscendi causas feudales. Azor. *l. 3. c. 39. q. 2.* ubi: Capitulum minimè cognoscere valet de causis feudalibus, de quibus cognoscere non posset, si viveret Episcopus. Hinc etiam est, quòd nequeat facere novas investituras, aut veteres renovare, aut fidelitatis juramentum à feudatariis recipere, ut Host. Abb. Innoc. *in c. nihil. de elect.* Idem tradit Pirh. *loc. cit. n. 52.* ubi: Capitulum Cathedrale sede vacante non succedit in jurisdictione feudali; ideóq; controversiâ ortâ de feudo spectante ad solum Episcopum, eóque si aperiatur devolvendo ad mensam episcopalem, non potest de eo cognoscere Capitulum. *c. verùm. de foro compet.* juxta gl. *v. mota quæstio*; quia in iis, quæ Episcopo jure speciali & extraordinario competunt, non succedit Capitulum.

2. Secùs est, si feudum ad Episcopum, & simul ad Capitulum spectaret; tunc enim Capitulum sede vacante de eo cognoscere, & infeudare potest, nempe si ex consuetudine feudum iterum conferri soleat. Pirh. *loc. cit.* citans Jo. And. *in cit. c. verùm. num. 9.* Abb. *num. 8.* Laym. *de jurisd. ordin. concl. 89.* Quòd si verò feudum ad solum Capitulum spectaret, super hoc cognoscere & investire posset, etiam sede plenâ, & sine Episcopi consensu. Pirh. *ibid.* citans Rosenthal. *tract. de feudis. c. 4. concl. 26. num. 2.*

*Quæst. 489. An Capitulum sede vacante exequi possit ultimas voluntates, eásque mutare, cogere item executores testamentorum ad exequendum, reddendáque rationes de facta piarum voluntatum executione?*

1. Resp. ad primum: potest exequi ultimas defunctorum voluntates, quatenus jure ordinario competebat Episcopo. Dian. *loc. cit. resol. 24.* Pirh. *n. 47.* Azor. *l. 3. c. 39. q. 6.* Barbos. *loc. cit. n. 76.* citans Molin. *ubi supra.* Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 7.* Quarant. *v. Capit. sed. vac.* Zerol. *in pr. p. 2. v. Capit. §. 6.* Covar. *in c. Ioannes. de testam. n. 2.* Navar. &c. Sic itaque poterit pauperes eligere, in quos hæreditas in hunc usum relicta distribuatur, ubi nulli curatores, vel executores ultimæ voluntatis sunt dati; vel si dari, eam non curent exequi. Dian. Azor. *loc. cit.* citantes Calder. *cons. 20. de testam.* Pavin, *ubi ante.* Item poterit diem executionis prorogare. Dian. Azor. *ll. cit.* citantes Dominic. *in addit. ad Consilia.* Calder. *cons. 3. de off.* In executione tamen testamentorum speciali jure competente Episcopo non succedit Capitulum sede vacante. Barbos. *loc. cit.* citans Pavin. *p. 2. q. 7.* Azevedo. *cons. 11. num. 9.* Rationem dabimus *Resp. seq.*

2. Resp. ad secundum: Potest commutare ultimas voluntates in casibus, in quibus de jure communi id potest Episcopus. Dian. *loc. cit. resol. 34.* citans Molin. *ubi ante. n. 5.* Monetam *de commutatione ultimar. volunt. c. 5. n. 477. cum seq.* Barbos. *loc. cit. n. 101.* citans insuper Cuch. *Instit. major. l. 3. tit. 9. n. 82.* dubitari enim nequit, quin commutatio ultimæ voluntatis sit actus jurisdictionis episcopalis. Dian. *loc. cit.* Secùs iterum est, sive non succedit Capitulum in commissionibus commutationis ultimarum voluntatum, quæ fiunt Episcopo in casibus, in quibus jure ordinario non posset Episcopus commutare. Dian. *loc. cit.* citans Molin. & Monet. *ubi ante.* Tum quia, quæ jure speciali delegato competebant Episcopo, non transeunt in Capitulum. Et sic speciales commissiones factas Episcopo non transire in Capitulum sede vacante, sed in successorem, si factæ sunt sub nomine Dignitatis, est textus *in c. quoniam Abbas. de off. delegati.* Si verò factæ sunt sub nomine personæ, expirant cum persona; eò quòd jam deficiat subjectum, cui inhæret commissio, ut DD. *in cit. c. quoniam Abb.* & Sanch. *de matrim. l. 8. d. 27. n. 2.* Ita ferè Dian. *loc. cit.*

3. Resp. ad tertium: Succedit Capitulum in potestate compellendi executores testamentorum ad ea exequenda intra annum, & ipsis negligentibus ad executionem illorum, juxta *c. tua.* & *c. Ioannes. de testam.* Spectat enim hoc ipsum ad jurisdictionem Episcopi ordinariam. Dian. *loc. cit. resol.*

resol.24. citans Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *c.*7. *dub.* 1. *n.* 36. Pirh. *n.* 47. Fagn. *in cit. c. Ioannes. n.*8. qui etiam *n.*7. notat, officium compellendi executores testamentarios non tantùm spectare ad Episcopum, sed etiam ad inferiorem Prælatum, habentem jurisdictionem quasi episcopalem; cùm talis in iis, quæ jurisdictionis sunt, veniat nomine Diœcesani, in gl. *in Clem.* 1. *de foro compet. v. Diœcesanis.* quam *ibi* sequitur Imol. *n.*38. Vitalin. *n.*5. Abb. *n.*15. Unde jam etiam infert, competere dictam potestatem eorum Capitulis prælaturâ vacante.

4. Respond. ad quartum: Succedit similiter in compellendis, etiam religiosis piarum voluntatum Executoribus ad reddendas rationes executionis. Barbos. *loc. cit. n.*77. citans Quarant. *v. Capit. sed. vac.* Dian. *loc. cit. resol.* 24. Azor. *l.*3. *c.*39. *q.*6. Pirh. *loc. cit.*

*Quæstio* 490. *An Capitulum sede vacante exigere possit rationes ab Administratoribus piorum locorum?*

Resp. affirmativè. Barbos. *loc. cit. n.* 78. citans Quarant. *v. Capit. sed. vac. vers.* 7. Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. Capit.* §. 9.

*Quæstio* 491. *An adire possit hæreditatem ecclesiæ legatam?*

Resp. affirmativè. Azor. *loc. cit. q.* 6. Quam tamen si Episcopus successor damnosam ecclesiæ repererit; beneficio restitutionis in integrum repudiare potest. Azor. *ibid.* ubi etiam ait, pari modo posse Capitulum transigere, & compromissum facere; & citat pro his Pavin. *p.* 2. *q.* 7. *n.* 18.

*Quæstio* 492. *An Capitulum sede vacante authorizare possit alienationem bonorum ecclesiæ inferioris?*

Respond. affirmativè. Quia Capitulum hoc casu non alienat propriè, sed interponit authoritatem Ecclesiæ ex legitima causâ alienanti, quod jurisdictionis est, & sæpe necessarium. Azor. *loc. cit.* 37. *q.*14 citans Molin. *de Iust. tract.* 5. *d.*11. *num.*15. Pavin. *p.* 2. *q.*8. Feder. de Sen. *de permut. benef. tit. de devolut. n.* 104. Pirh. *loc. cit. n* 51. citans Abb. *in c. cùm olim. q.*3. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *n.* 27. citans Meroll. *Theol. mor. tom.* 3. *d.* 7. *n.* 162. *& seq.* Prosper de S. August. *addit. ad Quar. in sum. Bullar. v. Capit. sed. vac.* Intelligenda tamen hæc sunt de casu, in quo Episcopus poterat dictam alienationem authorizare, ut expressè Ventrigl. & Azor.

*Quæstio* 493. *An Capitulum sede vacante alienare possit bona ecclesiæ propria vacantis?*

1. Respond. Capitulum non succedit in jure alienandi bona ipsius ecclesiæ vacantis. Ventrigl. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit.* ubi: Capitulum Cathedrale sede vacante non potest donare jura episcopatûs, seu bona ecclesiæ vacantis, sive immobilia, sive mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt. Fagn. *in c. his quæ, de major. & obed. num.*58. & *in c. novit, ne sede vac. num* 23. Azor. *loc. cit. q.*13. Dian. *loc. cit. resol.*38. citans Baunium *Theol. moral. tom.* 1. *tract.* 11. *q.*27. ac remittens ad Mol. *tract.* 5. *d.*11. *n.*15. & Meroll. *tom* 3. *d.* 7. *c.*7. *dub.*17. *per tot.* Imò caret omni potestate mutandi statum Ecclesiæ, & exequendi, quidquid futuro Episcopo præjudicium generare potest. Ventrigl. *loc. cit.* juxta *c.* 1. *& ult. ne sede vac.* Quod si tamen alienatio esset in utilitatem ecclesiæ, posse tunc eam facere Capitulum, ait Azor. pro quo citat Pavin. *p.* 1. *q.*6. *n.*11. *&* 12. Butr. & Abb. *in c.*1. *ne sede vac.* Sed dandum tunc defensorem ecclesiæ, & præmisso tractatu, & cum cognitione causæ tunc faciendam alienationem; pro quo citat Redoan. *tr. de reb. eccl. non alien. tit. quæst sede vac.* Verumtamen etiamsi magna urgeret necessitas, adhuc non posse fieri alienationem, tenent Gl. *in c. novit. ne sed. vac. v. sede vac.* Vincent. *in c. ad abolendam. de hæret.* Archid. *in c. precaria.* 12. *q.*2. *n.*2. Præpos. *ibid. n.*1. Bellam. *circa medium.* apud Fagn. *loc. ult. cit. n.*24. hanc reddentes rationem: quòd cum ecclesia comparetur pupillo, & fruatur jure minoris. *c.*1. & *c. auditis. de in integ. rest.* Sicut pupillus nihil alienare potest sine authoritate Tutoris. *l.* 1. *&* 2. *c. de author. præstand.* ita nec ecclesia, dum caret pastore, alienare potest sine consensu Episcopi (intellige, dum est ecclesia inferior) sicut nec dubium est, ecclesiam cathedralem viduatam Episcopo de consensu Papæ urgente necessitate posse alienare. Quòd etiam facit, quod habet Fagn. *loc. cit. n.*28. quòd, dum ecclesia Panormitana fuit Archiepiscopo suo viduata, minimè licuit Capitulo, aut Clero consentire impositioni gabellarum in præjudicium Archiepiscopatûs, non obstante, quod nova impositio gabellarum facta fuerit ad relevandas communes Cleri, & populi necessitates, ex quo laicorum facultates non supperunt; quòniam præter hæc duo requiritur etiam consensus Archiepiscopi cum Clero juxta *c. non minùs. &* c. *adversùs. de immunit. Eccl.* Quare cum sede vacante deficiat consensus Archiepiscopi, nihil prodest communis necessitas, & laicorum inopia; Facit quoque huc *cit. c. novit. ne sede vac.* in cujus casu Monachi petentes dissolvi unionem, quâ monasterium erat Bathonienſi Episcopo unitum, pro causa adducentes; quia per hoc poterat subveniri ruinæ ecclesiæ, eos nihilominus Papa, quia ecclesia Bathonienſis vacabat, & non erat, qui jus episcopale defenderet, noluit exaudire; sed preces eorum distulit, usquè dum dicta sedes iterum esset plena.

2. Quod si tamen ingrueret casus maximæ necessitatis, exigentis tantam celeritatem, ut nequè alienatio differri posset ad futurum successorem, neque pro alienandi licentia recurri posset ad Sedem Apostolicam, permissa tunc foret Capitulo præmisso tractatu, & cognitâ causâ alienatio; eò quòd necessitas, præsertim maxima, necessum à jure frequenter permittit, facitque licitum, juxtà *c. quantò. de consuetud. & reg.* 4. *de regul. juris,* quod aliàs licitum non erat. Wiestner. *de alien. rer. eccl. p.* 1. *a.*4. *n.*15. *& a.*5. *n.*10. cum Abb. *in c. fin. de eccl. ædif. n.*8. & Molin. *loc. paulo post citando.*

3. De cætero tametsi, ut dictum, dubium non sit, posse Capitulum vacantis Episcopatûs bona alienare accedente authoritate Sedis Apostolicæ dato ab ea ad hoc defensore jurium, & bonorum episcopalium. Datus tamen Administrator Episcopatui vacanti, quamvis etiam plenam haberet tam in temporalibus, quàm spiritualibus administrationem, adhuc ejus bona immobilia alienare nequiret, aut ad hoc capitulo dare licentiam (nisi fortè ad hoc speciali instructus potestate) Molin. *tr.* 5. *de Iust. d.*11. *n.*15. & ex eo Wiestner. *cit. a.*5. *n.*9. qui & hinc rectè iterùm infert; si id non possit talis Administrator, multò minùs id posse Capitulum, utpote cujus minor quàm illius est potestas.

4. Porrò alienationes factas à Capitulo sine consensu Papæ Episcopus Successor confirmatus rescindere, aut, si ad Ecclesiæ suæ utilitatem pertinent, confirmare poterit Molin. *loc. cit.* Dian. *cit. resol. 38.* juxta *can. 15.* Synodi Ancyranæ, qui refertur *c. si qua. de rebus. 12. q. 2.*

5. Atque ex his infertur, quòd si Capitulum bona ad mensam episcopalem spectantia in alios transferre nequeat absque Sedis Apostolicæ authoritate, multò minùs possit ea ad suam, seu Capitularem mensam transferre: idque non solùm, quòd vacans Prælatura seu dignitas episcopalis careat legitimo defensore; sed etiã, quòd Capitulum hac ratione in proprio facto, sive in commodum, & utilitatem propriam præstaret authoritatem contra *l. pupillus. ff. de author. Tutor.* Wiestner. *loc. cit. n. 10.* juxta *Clem. 2. de reb. eccles. non alien.* junctâ gl. *v. mensa.*

6. Et hæc de bonis Episcopatûs immobilibus, aut mobilibus, quæ servando servari possunt. Nam si sint mobilia, quæ servando servari nequeunt, sed quæ tempore sunt interitura, ea à Capitulo vel œconomo ab eo constituto alienari possunt etiam sine Superioris authoritate. Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. num. 31.* Molin. *loc. cit.* & cum illis Wiestner, non secus ac à tutoribus distrahi possunt ejusmodi res pupillorum juxta *l. lex, quæ tutores. c. de administ. tutor.* Idque meritò, ne si tempore sedis vacantis ejusmodi res non permitterentur distrahi, alienationis prohibitio ob favorem ecclesiæ inducta in ejus dispendium detorqueretur contra *Regul. quod ob gratiam. de Reg. jur. in 6.*

7. Illud hic subjungendum, regulariter Capitulo sede vacante occupante, vel dilapidante bona ad ecclesiam vel successorem spectantia, suspendi Canonicos ab officio, & beneficio, usque dum restituant per *c. quia. de elect.* Ventrigl. *loc. cit. num. 27.* citans Bonacin. *tom. 1. de susp. d. 3. p. 5. §. 2. num. 2.*

*Quæstio 494. Num Capitulum sede vacante litem super ecclesiæ bonis & juribus inchoare, aut à Prælato defuncto inchoatam sive agendo, sive respondendo prosequi possit?*

1. REspond. negativè. Molin. *loc. cit.* & ex eo Wiestner. *cit. a. 5. num. 12.* Item Laym. *in c. auditis. de in integ. restit. n. 3.* ubi: Capitulum pro juribus episcopalibus sede vacante in judicio contendere non potest; citat seipsum *Theol. mor. l. 3. tr. 4. c. 11.* Fagn. *in c. novit. ne sed. vac. n. 22.* ubi: etsi Capitulũ sede vacante succedat in jurisdictionalibus, non tamen succedit in potestate deducendi jura Episcopi in judicium, etiam defendendo, ut notabiliter Abb. *in c. his quæ. de major. & obed. n. 4.* Et hæc juxta *c. fin. ne sed. vac.* ubi à Papa tanquam nullæ reprobantur depositiones testium vacante, & legitimo defensore carente ecclesiâ receptâ. Siquidem, ut dictum, Ecclesiâ vacans fungitur vice, & gaudet jure minoris; judicium verò, & sententia lata contra minorem tutore, & curatore carentem & indefensum est nulla, juxta *l. acta.* & *l. contra. ff. de re judicata.* Unde, ut contra ecclesiam vacantem lata sententia teneat, ea administratorem, seu defensorem ad agendum à Papa datum habere debet. Molin. Wiestner *loc. cit.* qui citat pro se Gigas *de pension. q. 65. n. 5.* Abb. & Barbos.

2. Quod hic dicitur de Capitulo Cathedrali, idem est de Capitulo seu ecclesia inferiore quidem, exempta tamen, & Papæ immediatè subjecta. De cætero, si est ecclesia inferior Episcopo subjecta, ejus vacantis Capitulum, seu conventus interveniente authoritate episcopali tanquam immediati sui Superioris, ecclesiæ, vel monasterii sui jura agendo, & respondendo tueri potest in judicio, præsertim, si id exigat aliqua necessitas, vel vacantia sit diu duratura. Si autem sit ecclesia non collegiata, aut conventualis, ejus res, & jura tueri potest Episcopus. Wiestner. *num. 13.* citans Laym. *de reb. Ecclesiæ alien. c. 3. n. 49.*

3. Excipitur hic iterum casus magnæ, & notoriæ necessitatis; cùm enim hac urgente valeat à Capitulo alienari res immobilis Ecclesiæ, multò magis pro ea agi potest in judicio. Wiestner. *n. 15.* citans Gl. *in c. edoceri. v. debeant. de rescriptis.* Sic ait Molin. *loc. cit. num. 16.* quando tamen periculum esset, ne testes competentes postea examinari possent, aut propter senectutem, ne interim morerentur, vel quia vita alicujus illorum periclitaretur, aut si discedere vellent in partes longinquas, ita ut non facilè copia illorum haberi posset, tunc validè possent examinari sede vacante.

4. Et hæc quidem de bonis, & juribus prælaturæ propriis, aut etiam eidem, & Capitulo communibus, ut expressè Molin. *cit. n. 16.* controversis exigentibus cognitionem definitionémque judicialem, super quibus, ut dictum, Capitulum actionem, aut defensionem suscipere nequit. Si enim sint bona ipsius Capituli diversa, & divisa à bonis episcopalibus, seu Prælaturæ, super iis convenire, & conveniri in judicio sede vacante; imò plenâ potest Capitulum per procuratorem vel syndicum suum. Wiestner. *n. 14. & 15.* Pirh. *ad tit. de reb. eccl. non alien. n. 8.* Molin. *loc. cit.* ubi etiam, quòd licèt, si sedes non vacaret, ad id requiratur consensus in gravibus, arduisque rebus; intelligitur tamen, si adsit, præstaréve eum consensu possit.

*Quæst. 495. An Capitulum sede vacante judicare queat de causis pertinentibus ad Episcopum?*

REsp. Non potest judicare, ubi vertitur quæstio super proprietate alicujus certi juris, seu jurisdictionis; an ad Episcopum pertineat vel non: v. g. dum contenditur, num quis subjectus, an exemptus; num beneficium sit jurispatronatûs, an liberæ collationis Episcopi. Idque etiamsi istæ quæstiones jam cæptæ adhuc vivente Episcopo. Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 10.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 65.* citans Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 9.* Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. n. 27.*

*Quæstio 496. An Capitulum sede vac. possit præbere consensum renunciationi immunitatis à sæcularibus exactionibus?*

REsp. negativè. Fagn. *in c. novit. de sede vac. n. 23.* ubi addens rationem sic inquit: cùm ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano; sed etiam divino à sæcularibus exactionibus sint immunes, juxta *c. quanquam. de censibus. in 6.* non potest Vicarius capitularis assensum præbere; quia Capitulum sede vacante non succedit in potestate alienandi jura, & bona ecclesiæ. &c. Huc quoque facit, quod dictum *quæst. ante hanc penult.* nimirum quòd Capitulo non liceat consentire impositione gabellarum, dum vacat Episcopatus, in ejus præjudicium.

*Quæstio*

*Quæstio* 497. *Num Capitulum sede vacante possit accipere mutuo pecunias, eóque nomine ecclesiam, seu ejus bona obligare?*

Resp. negativè. Pirh. *ad tit. de major. & obed. n.*51. Poterit id tamen pro necessitatibus instantibus ecclesiæ vacantis, etiam sine Superioris licentia, modò necessitas dilationem non patiatur, & sic obligatur ecclesia, & Successor Episcopi, utpote quorum negotium utiliter gestum fuit. Azor. *loc. cit. c.* 37. *q.* 13. Pirh. *loc. cit.* citans Glossam receptam *in c. cupientes. de elect. in* 6. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *n.*27. citans additionator. *ad Quarant. sum. Bullar. v. Capit. sed. vac.*

*Quæstio* 498. *An Capitulum sede vacante postulare possit subsidium caritativum?*

Resp. Capitulum sede vacante pro necessitate ecclesiæ vacantis sublevanda potest postulare subsidium charitativum. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *q.* 5. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 2. *n.*48. Barbos *jur. eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.*83. citantes Bellenz. *de subsid. charit. q.*7. Item Laym. *in c. cùm olim. de major. & obed. n.* 13. Pirh. *ad tit. eund. n.*50. Idem potest de mandato capituli ejusdem Vicarius. Ventrig. *loc. cit.* Postulare tamen illud non debet, nec potest capitulum extra casum urgentis necessitatis. Laym. Pirh. *ll. cit.* Neque tamen etiam statuto, vel aliâ dispositione suâ facere potest, ut subsidium charitativum dari solitum minuatur in futurum; cùm non possit condere statuta in præjudicium Episcopi; vel ecclesiæ vacantis; cùm ea careat legitimo defensore. Ventrigl. *loc. cit.* Barbos. *n.*84. citans Bellenz. *loc. cit. q.*45. Procedit-que idipsum, etsi tale statutum fuisset juramento firmatum, adeò, ut, si unus ex canonicis, qui jurarunt servare tale statutum, electus fuerit in Episcopum, adhuc possit juramento tali non obstante exigere subsidium non diminutum. Ventrigl. *loc. cit.* citans Bellenz. *q.*45. si enim Episcopus subsidiū tale remittere, & clericos, & ecclesias liberare à tali onere nequit, ut Azor. *loc. cit. q.*7. quem vide; multò minùs id poterit capitulum sede vacante.

*Quæstio* 499. *Num capitulum sede vacante possit accipere bona Prælati defuncti, aut sede vacante obvenientia?*

1. Resp. Negativè. Prohibetur siquidem *c. quia sæpe. de elect.* occupare, aut dilapidare sede vacante bona ad ecclesiam, vel successorem spectantia sub pœna suspensionis ab officio & beneficio. Ventrigl. *loc. cit.* citans Bonac. *tom.* 1. *de suspens. d.* 3. *p.* 5. §. 2. *n.* 2. Laym. *in cit c. quia sæpe. in* 6. *à n.* 1. ubi is: capitula, conventus, collegia, & personæ eorum singulares, si aliquid ex bonis à Prælato antecedente relictis, aut sede vacante obvenientibus occupent, inter se dividant, subripiant, aut absumant, suspensi manent ab officio, & quibuscunque beneficiis, donec plene restituant, quod acceperunt. idque non obstante quacunque consuetudine, statuto aut privilegio juxta expressum textum *c. quia sæpe.* 40. *de elect. in* 6. qui sic habet: *quia sæpe contingit, quòd cathedralibus & regularibus ac collegiatis ecclesiis vacantibus capitula, conventus, collegia, & singulares earundem personæ bona à Prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari, occupant, inter se dividunt, subripiunt, dilapidant, dissipant & consumunt in earum grave dispendium & jacturam. Nos ipsorum ausus reprimere, ac ecclesiarum indemnitatibus præcavere volentes: decernimus, ut hi, qui præmissa de cætero præsumpserint, eo ipso sint, & tamdiu maneant ab officio & beneficiis quibuscumque suspensi, donec plenè restituerint, quidquid de bonis perceperint supradictis, non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus vel statutis, juramento, confirmatione sedis apostolicæ, aut alia quacunque firmitate vallatis: quæ omnia quo ad hoc authoritate apostolica revocamus, cassamus & irritamus, ac nullius deinceps volumus esse firmitatis.*

2. Sed neque proventus ii, qui sede vacante ratione jurisdictionis, & sigilli obveniunt, ad capitulum pertinere debent non obstante regulâ Juris 55. *in* 6. qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra: & quòd fructus debeantur jurisdictioni tanquam accessorii; adeóque qui jurisdictionem exercet, etiam fructus inde provenientes habere debeat. Contrarium námque expressè responsum fuit *clem. penult. de elect.* Laym. *loc. cit. n.* 2. ubi etiam addit rationem; quia Capitulum ratione obligationis, & connexionis, quam habet ad ecclesiam, & cum capite ecclesiæ, ejus bona tueri debet, non perdere, quemadmodum simili ratione mater, & agnati proximi ratione conjunctionis cum pupillo, ejus bona ex pietatis lege administrant, non percepto inde emolumento. Proinde jam etiam Laym. *ad citatam regulam Juris* respondet, eam locum non habere, si onus ex propria institutione, aut naturâ rei annexum est alicui officio sine commodo, uti patet in tutela præsertim legitima; item in mandato, quod gratuitum esse debet *l.* 1. *ff. mandati.* ita tamen, ut ejusmodi officia non debeant esse damnosa, sed expensæ omnes repeti possint. Respondet quoque ad alterum, nimirum, quòd si quis nomine suo jurisdictionem exerceat, proventus inde provenientes accipere potest; sin autem nomine alieno, ipsi reservari debent; capitulum autem sede vacante jurisdictionem exerceat non nisi nomine ecclesiæ tanquam ejus tutor, administrator, & conservator; adeóque non sibi bona attribuere, sed ecclesiæ relinquere, & successori reservare debeat. vide de hoc plura infra, ubi de Vicario Capituli.

3. Excipitur nihilominus in *citata Clem penult.* nisi quædam singulares personæ sint, quibus ratione dignitatis suæ (quia v. g. sunt Præpositi, aut Decani ecclesiæ) jurisdictio sede vacante ex consuetudine, statuto, privilegio ita competit, ut interim fructus ex eadem jurisdictione provenientes ipsimet retineant, talis consuetudo reprobata censeri non debet. Laym. *loc. cit. n.* 2. remittens *ad c. ult. de off. ordinar in* 6.

*Quæstio* 500. *An inchoari possit, aut inchoata contra ecclesiam præscriptio currat sede vacante?*

Resp. Non currit, sed suspensa manet, & quasi dormit eo tempore præscriptio, ita ut tempus vacationis aufferri seu non computari debeat; eò quòd tunc ecclesia careat defensore. Azor. *Institut mor p* 2. *l.* 3. *c.* 39. *q.* 8. citans gl. *in c.* 1. *de præscript.* Abb. & Felin. *in c. transmissa. tit. eod* Parm. *p.* 1. *q.* 9. Laym. *in c. auditis. de in integ. restit. n.* 3. juxta *c. quarta. de præscrip.* Molin. *de just. tr.* 5. *d.* 11. *n.* 16. Unde jam etiam Capitulum comparare sibi præscriptione nequit jus aliquod in præjudicium ecclesiæ, aut Prælati, quod sibi tempore sedis vacantis ex ed competat, quòd in possessione sit utendi eo jure sede vacante. Azor. *loc. cit.* Molin. *cit. n.* 16. *in fine.*

*Quæstio* 501. *Num Capitulum sede vacante visitare possit diœcesim?*

1. RESP. Potest visitare non solùm particulam rem ecclesiam, aut etiam visitationem instituere contra certas personas subortâ præcedente diffamatione. Pignat. *tom.* 10. *consult.* 123. *n.* 4. Dian. *loc. paulo post citand.* citans Mareschot & Vitalin. (qualiter & ipsum Fiscalem, & Vicarium generalem defuncti Episcopi posse syndicari a Capitulo, astruit Solorzan. contra Quarant. *in sum. Bullar. v. cap. sed vac. q.* 10. *n.* 14. apud Dian. dicentem in hoc servandam consuetudinem provinciæ) verùm etiam totam diœcesim. idque non solùm, ubi specialis id exigit necessitas, aut sedes diu vacatura est, ut vult Laym. *in c. cùm olim. de major. & obed. n.* 50. sed etiam simpliciter & indistinctè loquendo, quemadmodum id potest Episcopus. Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. n.* 50. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 7. *n.* 27. Pignat. *loc. cit. à n.* 1. dicens, solum Fulcum, *de visitat. l.* 1. *c.* 2. *n.* 20. denegare capitulo hanc potestatem visitandi diœcesim. Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 2. *à n.* 42. ubi quemadmodum indubitatum est, jus illud visitandi esse actum jurisdictionalem ipsius Episcopi, ut in *c. conquerente. de off. ordinar. & in c.* 1. 6. *ult. de censibus in* 6. Pavin. *de visitat. p.* 1. *q.* 1. *n.* 8. Rota *decis* 196. *n.* 2. *p.* 1. *diversi. &c.* ita minimè est hæsitandum, illud in capitulum transire, citat pro hoc Abb. *in c. cùm olim. de major & obed.* Bald. *ibid. n.* 2. Franch. *in c.* 1. *tit. eod. in* 6. *n.* 5. Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 65. Idem tradit Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 37. *q.* 14. ubi: probabilius est, quod tradiderunt Panorm. & Felin. *in c. cùm olim. &* Pavin. *p.* 2. *q.* 7. posse Capitulum generatim totam diœcesin visitare. Quam vis idipsum sic limitet: præsertim cùm diuturna est vacatio; cùm enim modica est vacatio, videlicet cum necdum anni curriculum effluxit, ex quo Episcopus, qui decessit, visitationem fecerat, aut quando probabiliter creditur successor brevi futurus, tunc non est, quòd Capitulum visitet. Item Molin. *de Just. tom.* 6. *tr.* 5. *d.* 11. *n.* 7. ubi ex eodem fundamento deciditur quæstio, de qua gl. *in Clem.* 1. *de hæret. v. Capituli.* num scilicet sede vacante Capitulum possit visitare generaliter diœcesim, sicut eam visitare potest, ac debet Episcopus; cùm enim id ad jurisdictionem spectet Episcopi, sanè competit Capitulo sede vacante non solùm ad crimina particularia, & quibus fit infamia, quod DD. contrariæ sententiæ affirmant (& in specie apud Azor Jo. And. *in c. cùm olim* hisce expressis: *penes Capitulum potestas visitandi generatim non est, sed inquirendi speciatim in eos, quorum fama lasa est; quia Capitulum succedit in jurisdictione Episcopi necessaria, non voluntaria. at generalis visitatio est voluntaria, specialis verò inquisitio in hos vel illos criminosos est necessaria*) sed etiam generaliter; quia id est executio jurisdictionis episcopalis, non solùm utilis ecclesiis, ac diœcesi, quod sufficeret; sed etiam necessaria incumbens ex officio habenti curam Episcopatus, juxta *c. inter cetera. de off. ordinar.* & alia jura. & consentit *c. ecclesia. de suppl. negl. Prælator. in* 6. ubi statuitur, Metropolitanum posse mittere visitatorem ecclesiæ vacanti, si Capitulum negligens sit in exequenda jurisdictione ad se devoluta. ita Molin. Cui inhæret Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 13. citans Solorzan. *de jur. Indiar. tom.* 2. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 18. Mareschot. *l.* 2. *var. resolut. c.* 15 *n.* 14. Baunium. *theol. mor. tom.* 1. *tr.* 8. *q.* 21. Eadem fere verbotenus cum Molin. habet Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 37. *n.* 67. citans insuper alios. nisi quod *n.* 70. addat hanc limitationem: tunc demum Capitulum sede vacante posse diœcesim visitare, quando lapsus est annus à postrema antistitis visitatione, nec de proximo ecclesia est providenda de pastore. Quæ tamen limitatio sic sublimitanda videtur; nisi urgeat necessitas. si enim, ut Lotter. *loc. cit. n.* 46. *citato C. mandamus. de off. ordinar.* & *c. cùm venerabilis. de censib.* & *ibi* gl. *v. bis in anno.* Episcopus urgente necessitate etiam bis in anno uno visitare potest, ita etiam urgente necessitate potest Capitulum necdum elapso integro anno à visitatione Episcopi visitare denuo diœcesim.

2. De cetero facultatem habet Capitulum, durante sedis vacantiâ ad annos plures, quolibet anno visitandi diœcesim. nam licèt gl. *in c. Episcopum* 10. *q. v. annos.* videatur restringere obligationem Episcopi in visitando per singulos annos, si subsit necessitas, alioquin velit sufficere visitationem de triennio in triennium; hanc tamen doctrinam ait Lotter. *loc. cit. n.* 46. accipiendam esse in sano sensu; cum, si necessitas subsit, etiam bis eodem anno possit visitare. si verò ea necessitas non subsit, adhuc possit, ac debeat visitare quolibet anno, non solùm ex antiquorum canonum dispositione, sed & ex constitutione Trident. *sess.* 24. *c.* 3. quæ etiam constitutio removet immemorialem hisce expressis: non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemoriali. tum quia materia est imprascriptibilis (quippe contra ecclesiasticam disciplinam frustra obtenditur consuetudo aut præscriptio. Lotter. *loc. cit. n.* 51. citans *c. cùm inter. de consuetud. & ibi* post gl. ult. Innoc. *n.* 3. Anchar. *n.* 2. Abb. *n.* 2.) & actus Episcopi (intellige omittentis visitare post annum elapsum ab ultima visitatione) remanet merè facultativus, ut Lotter. *n.* 50. citans Gratian. *discep. for. c.* 298. *n.* 10. Surd. *cons.* 127. *n.* 81. Aym. *cons.* 96. *n.* 4. Rotam *decis.* 778. *n.* 5. *p.* 1. *divers. &c.* Et quia etiam aliàs ab ecclesiastica disciplina alienissimum est, ut ex negligentia Prælati detur causa clero, & subditis refugiendi annuam visitationem, & ut Episcopus, vel Capitulum in grave cultûs divini præjudicium, & in perniciem animarum & subditorum recusantium non valeant munus suum aliquo tempore ob incuriam prætermissum resumere. Jam verò idem dicendum de Capitulo, utpote quod in potestate, & obligatione visitandi succedit Episcopo. Unde in *Pampelonensi juris visitandi* teste Lotter. (qui dicit se scripsisse in hac eadem causa pro Capitulo) *sub die* 15. *Martii.* 1624. fuit denegata remissoria clero de Giripuzcoa adnitenti impedire Capitulum, ne visitaret sede Episcopali vacante ante lapsum triennii sub prætextu immemorialis consuetudinis. Item Lotterium secutus, & ex eodem referens eandem denegationem remissoriæ tenet Barbos. *loc. cit. n.* 71. ubi post lapsum anni à die ultimæ visitationis factæ ab Episcopo potest Capitulum visitare diœcesim non exspectato lapsu triennii, licèt dicatur, Episcopum consuevisse visitare singulis triennis tantùm, ut S. Congregatio in *dicta Pampelon.* 10. *Decemb.* 1629. Item ex Barbos. idem tenet Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *n.* 21.

* * * * * * * * *
* * * * *
* * *
*

*Quæstio*

*Quæstio* 502. *Per quem Capitulum visitare possit diœcesim?*

1. RESP. primò posse Capitulum per se, seu constitutum à se Vicarium suum generalem visitare diœcesim indubitatum videtur.

2. Resp. secundò, posse hunc ipsum Vicarium Capitularem visitare diœcesim absque eo, quod id ipsum ei specialiter à Capitulo sit commissum, tradit Barbos. *loc. cit. n. 68.* ut ex sententia S. Congregationis ait resolvisse Garciam *in addit p. 5. c. 7. n. 29.* Ventrigl. *loc. cit §. 2. n. 47.* supponere idipsum videntur A A. illi, qui docet non posse Capitulum deputare visitatorem sine Vicario suo; sed hunc à Vicario Capitulari constituendum. Quinimo tradit expresse Card. de Luc. *ad Trident. d. 5. n. 23.* non posse Capitulum Vicario hanc facultatem interdicere, eámque sibi reservare, ut eam uni, vel pluribus deleget. Negat tamen idipsum Rebuff. *in pr. benef. tit. forma Vicariatûs. n. 101.* hisce expressis: ex generali mandato Vicarius Episcopi visitare non potest, sicut nec Vicarius Capituli; ideo opus est speciali concessione. Item negat Sbroz *l. 2. c. 120. num. 5.*

3. Resp. Tertiò posse quoque Capitulum ad hoc munus visitandi deputare particularem, vel generalem visitatorem (intellige præter seu alium à Vicario suo generali) tenet Barbos. *loc. cit. n. 69. in fine* citans seipsum *de off. & potest. Episc. p. 3. allegat. 133. n. 9.* Ventrigl. *loc. cit. §. 1. n. 21. in fine* citans Meroll. *tom. 3. c. 7. n. 49.* Garc *p. 5. c. 7. n. 27.* Verùm num talem visitatorem deputare possit per se absque Vicario suo, non videntur convenire A A. non posse id Capitulum sine Vicario suo, sed, si opus visitatore, debere eum constitui à Vicario Capitulari, tenet Garc. *loc. cit.* sic dicens velle S. Congregationem, & ex Garcia Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. n. 75.* Quamvis addat Garcias, hoc non videri receptum in Hispania, ubi semper Capitula sede vacante nominant visitatores.

*Quæstio* 503. *An Capitulum sede vacante visitare possit exemptos, & sedi Apostolicæ immediatè subjectos, & in specie monasteria monialium exempta?*

1. RESP. in hoc non convenire A A. nam affirmativam tenent Barbos. *l. 1 jur. Eccl. c. 32. n. 107.* inhærens doctrinæ traditæ à Molin. *loc. paulo post citand.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 19.* citans Tambur. *de jure Abbatiss. d. 23. q. 4. n. 4.* Pellizar. *de regim. monialium. c. 10. n. 6.* Item apud Dian. *loc. cit. resol. 14.* Rodriq. *qq. regular. tom 1. q. 6. a. 9.* Cenedo. *qq. can. q. 26. n. 28.* Monet. *de commut. ult volunt. c. 5. n. 423.* Molin. *de just. tom. 6. tr. 5. d. 11. n. 8* cujus ferè verba, quia & rationem, seu fundamentum hujus sententiæ continent, subdo: dicerem, attendendum esse, num muneri Episcopali aliquid jurisdictionis tanquam sedis Apostolicæ delegato in perpetuum committatur, ut ex officio Episcopi deinceps competat. Atque tunc dicerem, eam jurisdictionem transire ad Capitulum sede vacante, nisi aliquid opponatur, unde colligatur, contrarium fuisse intentum Concilii, aut summi Pontificis id statuentis: cùm enim perpetuò ei muneri annectatur tanquam pars jurisdictionis ejus muneris; idque non in bonum, & tanquam privilegium Episcopi; sed in bonum eorum, in quos ea jurisdictio exercetur, aut in bonum aliorum & ecclesiæ, censendum est eam partem jurisdictionis in eum transire, in quem episcopalis reliqua jurisdictio transit, ac proinde transire in Capitulum sede vacante. Atque in re posita quis dubitet, quomodo concilium Tridentinum. *sess. 24. c. 9. de regular.* Sic statuit: *monasteria S. sedi Apostolicæ immediatè subjecta, etiam sub nomine Capitulorum S. Petri vel S. Joannis, vel aliàs quomodocunque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque.* Quis inquam dubitet, eam jurisdictionem transire ad Capitulum sede vacante? Neque enim mens Concilii fuit, ut toto tempore sedis vacantis sive per mortem Episcopi, sive per illius captivitatem moniales illæ careant gubernatore: neque id rationi esset consentaneum. Unde per epiikiam censendum non est, id Concilium non intendisse, ita Molina. Eandem rationem urget Moneta, quòd nempe jurisdictio concessa Episcopo tanquam sedis Apostolicæ delegato, cùm sit perpetuò annexa dignitati episcopali, non sit propriè delegata sed ordinaria, prout id colligit ex *c. ad abolendam. de Hæret.* juxtà *clem. 1. titulo eodem.* si quidem quod in *cit. c.* concessum erat Episcopo, ut authoritate apostolica contra exemptos in causis hæresis procedat, in *dicta clementina* simpliciter concedatur tam Episcopo quam Capitulo sede vacante, & nulla fiat ampliùs mentio de Apostolica authoritate, quasi jure ordinario id utrique competat. prout idem confirmat Moneta ex eo, quòd cùm à Canone ea jurisdictio tribuatur Episcopo, jam de jure communi, non autem speciali ei competat, non obstante, quòd in ea concessione fiat mentio delegationis, argumento *c. licèt in corrigendis. de off. ordinar.*

2. & contra sententiam negativam tenent apud Garciam. *p. 5. c. 7. n. 45.* Pavin. *p. 1. q. 7. & de visitat. p. 2. n. 32.* Abb. *in c. cùm olim. de major. & obed. n. 2.* Felin. *n. 3.* Rotam. *in Bingensi procurationis 10. Martii 1597.* ubi fuerit resolutum, Capitulum sede vacante posse visitare monasteria monialium non exempta; non verò exempta, quibuscum sentire videtur ipse Garcias, & non solùm eorum sententiam referre, ut ait Ventrigl. *loc. cit.* Item tenent eam Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 48.* & absolutè Dian. *loc. cit. resol. 14.* citans Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 5.* Federic. de Sen. *cons. 291.* Card. Tusch. *lit. G. concl. 56. n. 50.* Ricc. *in pr. tom. 4. Resol. 563.* Prosp. de August. *in addit. ad Quaran. v. capit.* Zipæum. *tom 1. consultationum l. 3. de censib. cons. 1.* Baunium *theol. mor. tom. 1. tract. 11. q. 24.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 73. q. 15.* (ubi tamen is non nisi pro utraque sententia refert A A.) Barbos. *de potest. Episc. c. 73. n. 25.*) quamvis is, ut dictum *paulò ante*, potiùs sentiat cum Molin.) & alios. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd in casibus, in quibus conceditur Episcopis (etsi in perpetuum) ut procedat tanquam sedis Apostolicæ delegatus, non sit facultas, seu jurisdictio ordinaria, adeóque non transeat in Capitulum. Dian. *loc. cit.* Hoc ipsum fundamentum à nobis fusè deductum ex Fagn. & Pirh. vide supra, ubi num Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione ordinaria. Ex quo fundamento etiam facilè solvuntur ab adversariis adducta in contrarium. Nempe ad primum dicitur: licèt jurisdictio perpetuò annexa dignitati censeatur ordinaria, dum conceditur à canone vel Papa (qualiter ex Trident. *sess. 24. c. 6.* conceditur ad dispensandum in aliquibus irregularitatibus, & ad absolvendum à casibus pontificiis occultis) secus tamen sit, dum conceditur cum illo addito; quòd

eam

eam concessionarius exerceat tanquam sedis Apostolicæ delegatus, quod additum aliàs esset superfluum. Dian. *loc.cit.* nisi fortè addita quoque esset particula *etiam*, utpote quæ implicat jurisdictionem quoque ordinariam, ut dictum à nobis supra *loc.cit.* ex Fagu. Ad secundum dicitur pari modo Capitulum sede vacante non posse cognoscere de causa hæresis, quò ad exemptos; cùm non nisi potestate sibi delegata per *c.ad abolendam.de Hæret.* seu tantùm tanquam sedis Apostolicæ delegati hæc faciant Episcopi. neque enim dicendum (ut vult Monet.& ut non rectè admittit Dian.) hanc dein facultatem, seu jurisdictionem tam Episcopis, quàm Capitulo sede vacante concessam ut ordinariam: quippe sine ulla ampliùs mentione facta de authoritate Apostolica,seu ut procedant tanquam sedis Apostolicæ delegati per *Clem.1.de Hæret.* non fiat ulla mentio exemptorum. Ad tertium dicitur, quod loco confirmationis additur; dicendum, quòd licèt Episcopi habeant illam facultatem visitandi exemptos à jure communi, habeant tamen eam à canone non tanquam ordinariam, sed ut delegatam. Dian. *loc.cit.* nam tam à jure communi,seu canone, quàm Concilio concedi potest jurisdictio delegata, & non omnis jurisdictio concessa à jure communi est hoc ipso statim ordinaria. Ad quartum, nimirum quòd rationi consentaneum non sit, adeóque intentio Concilii non fuerit, ut moniales exemptæ toto tempore sedis vacantis careant gubernatore,nec habeant, ad quem recurrant,& à quò,si necessarium,visitentur. dicendum, quòd ingruente necessitate, quæ dilationem, aut recursum ad sedem Apostolicam non patiatur,posse tam quò ad exemptos tam in negotio visitationis quàm alio, de quo agitur, procedi à Capitulo sede vacante,pro ut sententiam hanc negativam limitant Cuchus.*l.2.institut.major.* & alii apud Dianam *loc. cit.* & quidem jurisdictione ordinariâ; quippe in casibus urgentis necessitatis intrat jurisdictio ordinaria Capituli, non secus ac ea intrat & ex ea procedere posset Episcopus,licet nullam potestatem delegatam haberet. Dian.qui etiam in fine *citat.resolut.*14 ex Baunio addit, admonendum à Vicario Capituli Papam de re integra, & si intra semestre à literis ad eum datis malo non succurratur,tum videri, honestam rationem habere Capitulum animadvertendi in fontes. quòd si (quod ut ait,existimat verius) facere id non potest,res videtur committenda Deo, aut ad novi Episcopi adventum remittenda.

*Quæstio* 504. *An igitur possit Capitulum sede vacante concedere monialibus exemptis, & Papæ immediatè subjectis licentiam exeundi monasterio in casu urgentis necessitatis?*

Resp. si lubet inhærere jam immediatè ante traditis,posse id Capitulum sede vacante, ubi necessitas est gravis, quæ recursum ad Papam non patitur.si enim id in eo casu potest Episcopus,non tam potestate & jurisdictione delegatâ quàm ordinaria(quæ,ut dictum paulò antè, intrat in casu urgentis necessitatis)poterit idipsum Capitulum, utpote in quod transit potestas Episcopi ordinaria.Ita tenet Dian.*cit. resol.*14. citans Tho. Sanch. *tom.2.sum.l.6.c.15.n.30.* & addens rationem, quia monasteria hæc non debent esse absque Prælato, ad quem in casu necessitatis confugiant. Quomodo verò id sequatur ex dictis, & cum illis cohæreat, quod ibidem quoque ex Sanchez ait Diana: posse Capitulum sede vacante concedere licentiam monialibus egrediendi monasterio in casibus permissis in Bulla Pii V.quæ incipit:*Decori & honestati.*quamvis id pertineat ad Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, id inquam, non video;cùm quæ delegatæ tantùm sunt jurisdictionis, ab Episcopo ad Capitulũ non transeant juxta dicta ab ipso Diana.*quæst. præced.* Multò minùs subsistit & dictis convenit,quod tradit Baunius. *theol. mor. tom,1.tract.11. q.24.* apud Dianam *loc.cit. resol. 39.* nempe posse Capitulum sede vacante monialibus immediatè subjectis Papæ dare licentiam egrediendi claustro ex causa;quia Vicarius Episcopi eandem cum eo jurisdictionem habet : at Episcopo competit jurisdictio delegata in moniales exemptas quò ad egressum è claustro juxta Trident. *sess.25.de regular. c.9.* & Capitulum sede vacante vices agit Episcopi mortui:ergo hæ ab eo sede vacante facultatem egrediendi domo ex causa impetrare poterunt,cùm esse non debeant sine Prælato, ad quam confugiant. hæc inquam non cohærent cum dictis *quæst.præced.*ex parte tenentium sententiam negativam. nam juxta *ibi* dicta, etsi Capitulum suo modo dicatur Vicarius Episcopi, non tamen in illud transeunt, quæ is ex pura delegata facultate, & jurisdictione potuit. Proinde & ipse Diana *cit.resol.39.*rejectâ hac Baunii doctrinâ concludit: sed hæc opinio non est admittenda stantibus declarationibus S. Congregationis.

*Quæstio* 505. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam ingrediendi monasteria monialium?*

Resp.Affirmativè.Diana *loc.cit.resol.49.* citans Pellizar.*tract.de monial sect.5.n* 148.ubi ex Suarez probat,sub nomine Episcopi in verbis Concilii *sess.25.c.5. de regular.* (ubi id concedit Episcopis) venire etiam Capitulum sede vacante, & consequenter Vicarium Episcopalem; cum succedat in ordinaria jurisdictione Episcopali.

*Quæstio* 506. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam novitiis, ut disponant de bonis temporalibus?*

Resp. Potest Capitulum sede vacante dare licentiam, ut novitii intra duos menses ante professionem disponant de temporalibus suis bonis juxta Trident. *sess.* 25. *de regular. c.16.* potest enim id Episcopus jure ordinario; Capitulum autem succedit in omnem jurisdictionem ordinariam Episcopi.Barbos.*juris eccles.l.1.c.32. n.90.* citans Sanch.*in Decalog.tom.2.l.7.c.5.n.68.* Item Dian. *p.8. tr.4.resol.* 53.

*Quæstio* 507. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam clericis beneficiatis transeundi ad aliam diœcesim.v.g.dum eligerentur ad dignitatem, vel obtinerent beneficium alterius diœcesis?*

1. Resp.Non convenire AA.nam primò negativam tenet Fagu.in *c. his quæ, de major. & obed. n.59.*ubi: *licentiam transeundi ad aliam ecclesiam Capitulum clerico impertiri non potest sede vacante.* citat

pro

pro hoc *c. presbyteri dist. 24. c Fraternitatem. dist. 71.* gl. ult. *in c. cùm olim. de major. & obedient.* & *ibi* Host. *n. 1.* Butrio *n. 16.* & alios communiter. Item tenent illam Cuchus. *instit. major. l. 3. tit. 9. n. 75.* apud Dian. *loc. cit. resol. 20.* Archid. *in c. si is, cui. de elect. in 6.* apud Azor. *inst. mor. p. 2. l. 3. c. 37. q. 12.* Fundamentum hujus sententiæ est; quòd sicut Capitulum sede vacante alienare nequeat bona, & res ecclesiæ, ita nec personas; translatio autem talis beneficiati ad diœcesim aliam sit quædam alienatio. Quinimo multò minùs alienare hâc ratione possit personas; quia major, ut inquit Fagn. citans *c. præcipimus. 12. q. 1.* est alienatio personarum, quàm rerum.

2. Affirmativam tenent cum Abb. *in c. cum olim. n. 2.* Azor. *loc. cit.* ubi etiam dicit probabiliorem. Molin. *de Just tom. 6 tract. 5. d. 11. n. 14.* ubi: ad Capitulum sede vacante transit jurisdictio concedendi facultatem transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliam diœcesim, & omnino transeundi ecclesiasticum in alienam diœcesim, sicut Episcopo eadem jurisdictio competit. Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 51.* ubi: potest Capitulum sede vacante non tantùm confirmare electionem Abbatis, aut similis Prælati, aut eam infirmare; sed & dare licentiam Abbati, similive Prælato transeundi ad prælaturam alterius diœcesis &c. Item Dian. *loc. cit.* citans insuper Jo And. & Jo. Monach *in c. si Abbatem. de elect. in 6.* Pavin. *de potest. capit p. 1 q. 8.* Borgas. *de irregular. p. 3. tit. utrum aliquo tempore Capitulum dispensare possit.* Fundamentum hujus sententiæ est; quòd datio hujus licentiæ sit actus jurisdictionis, ut Azor citans *c. si religiosus. de elect. in 6.* & hæc potestas dandi hanc licentiam spectet ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, ut Pirh. neque hæc translatio, seu transitio ecclesiastici ad alienam diœcesim sit propriè alienatio rerum Episcopatûs, quæ sola prohibetur Capitulo sede vacante; cum non ita in alienatione illa clerici præjudicetur Episcopo, sicut ei præjudicatur in alienatione bonorum Episcopatûs, ut patet. Dian. Pirh. Molin. *ll. cit.* uti & ipsum inde confirmatur, quòd res Ecclesiæ nequeant alienari sine solennitate, ista autem licentia detur sine solennitate. Et translato Prælato alius continuò succedit (idem est de beneficiato alio, dum in hujus beneficium vacans mox alius sufficitur) non verò in locum rerum, & bonorum alienatorum succedunt res aliæ seu bona. Pirh. *loc. cit.*

3. Atque ex his jam etiam rectè inferri videtur contra Fagn. *in c. significasti. de off. Archid. n. 3.* inhærentem dicto fundamento, nempe quòd & hæc sit alienatio; posse Capitulum sede vacante concedere literas dimissorias (non quidem ad ordines suscipiendos, de quo inferiùs) sed quas formatas vocant, de quibus notatur *in c. 1. & 2. de cler. peregrinant.* & quarum formula edita à Concilio Nicæno ponitur *in c. 1. dist. 73.* quibus clerico peregrinaturo redditur testimonium de vita, & ordinibus illius, isque in hunc finem à potestate Episcopi sui absolvitur: non enim illa dimissio concessa peregrinandi gratiâ magis est alienatio, quàm dimissio, & absolutio beneficiati è potestate Episcopi sui in ordine, ut in diœcesi alia ad prælaturam, aut beneficium assumatur.

***

*Quæstio* 508. *An Capitulum sede vacante convocare & celebrare possit synodum?*

1. Resp. synodum diœcesanam sede vacante à Capitulo cogi, & haberi posse simpliciter asserit Gare. *de benef. p. 9. c. 2. n. 64.* Idem asserunt Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 1. q. 7. n. 3.* Bottæus *de synodo Episc. p. 1. q. 6. n. 40.* apud Laym. *in c. cùm olim. de major. & obed. n. 13.* verum synodum hanc sede vacante congregari non debere, si paulò post Episcopus eligendus, aut instituendus speretur; secus esse, si sedes diu vacatura sit, ut propter captivitatem Episcopi ab hostibus; vel si ob aliam ingruentem necessitatem res moram, aut dilationem non patiatur Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *loc. cit. n. 50.* Fundamentum horum posteriorum AA. est, quòd celebrare synodum sit inter valde ardua, quæ utpote secundùm consuetudinem ecclesiarum solis Prælatis, seu capitibus ecclesiarum competere censentur, Capitulum sede vacante expedire nequit, nisi necessitate cogente. Idem ferè tenet Lotter. *de rebenef. l. 2. q. 31. à n. 80.* ubi: ego verò, quemadmodum non dubito, potestatem cogendi synodum esse de lege jurisdictionis, quod etiam ostendi *l. 1. q. 21. n. 79.* ita valde vereor, nec nihilominus simpliciter sit transmissibilis ad Capitulum; constatque hujusmodi non transferri ad Capitulum. Tamen id intelligo, si velit indicere synodum ad effectum non solùm exigendi consecutiva jura episcopalia, vel etiam ad effectum decernendi, & statuendi generaliter & universaliter super statu ecclesiæ, & cleri. Secus verò, si ob imminentem aliquem casum necessitatis velit huic providere, ut in simili dicitur, de facultate statuendi, quæ licèt sit meri imperii, & incommunicabilis, ut probavimus *cit. q. 21. n. 87.* nihilominus eadem transit in Capitulum respectu singularis casûs, cui aliter necessariò provideri nequeat, ut opiniones contrarias conciliando concludunt Gemin. *in c. 1. dist. 18. col. penult.* Præpos. *ibidem col. penult.* Atque ita quotiescunque occurreret casus vacationis Parochialis sede episcopali vacante, si supponatur lapsus annus, à quo celebrata est synodus, & in facta deputatione Examinatorum, aut ex illis adhuc tot non supersunt, qui possint in præfinito numero examini interesse; quia in hoc casu est, quod imputetur Capitulo, si ilico non curaverit convocari synodum ex hac præcisa causa deputandi novos Examinatores &c. ita ille.

2. Verùm non video, cur non pari modo de cogenda per Capitulum synodo, quàm de instituenda per illud visitatione sit loquendum; cum & visitare sit inter ardua, ut expressè Laym. & Pirh. *ll. cit.* nec cogere synodum minùs sit de lege jurisdictionis, quàm visitare, urgeatque pariter lex diœcesana, & Concilii, synodum episcopalem cogendi singulis annis quàm visitandi: ac proinde dici queat, posse & teneri Capitulum cogere synodum, quoties id potest, & tenetur Episcopus, nempe singulis annis, ubi per plures annos duraverit vacantia, vel quasi vacantia, (v. g. Episcopo ducto in captivitatem) sedis, nisi fortè non multum post elapsum ab ultima synodo annum speretur successurus novus Episcopus. Et sic absolutè tradit Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 49.* hisce expressis: synodum diœcesanam quotannis Capitulum per suum Vicarium sede vacante potest celebrare, & convocare. pro quo citat. Gavan. *in Enchirid. Episc. v. synodus diœcesana n. 2.* Imò subdit Ventrigl. potest in ipsa

synodo

synodo vicarius juxta consuetudinem Ecclesiæ exigere manualem obedientiam, quam clerici suo exhibere solent Episcopo, pro quo citat Quarant. *in sum Bullar. v. Capit. sed. vac.* Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 55.*

Porrò quid possit Capitulum sede vacante circa deputationem Examinatorum synodalium, dicetur. *c. seq.* ubi de concursu pro parochialibus habendo per Capitulum.

*Quæstio* 509. *An & qualiter Capitulum Episcopo alicui sede vacante committere possit exercitium pontificalium, & in specie quò ad collationem ordinum?*

1. Resp. Ad primum, nempe posse Capitulum sede vacante, aut ejus Vicarium invitare Episcopum vicinum, aut alium ad exercenda in Ecclesia vacante, & in diœcesi Capitulo subjectâ pontificalia, seu committere alicui charactere Episcopali insignito exercitium pontificalium, dictum satis & stabilitum est supra, ubi, num ea, quæ Ordinis sunt, devolvantur ad Capitulum sede vacante. Neque his obstat Tridentinum, dum vetat, ne Episcopus exerceat Pontificalia in aliena diœcesi sine licentia Ordinarii, id est Episcopi istius diœcesis. Nam & Capitulum sede vacante, ejúsque vicarius est, & venit nomine Ordinarii; cùm succedat Episcopo defuncto in omnibus, quæ pertinent ad jurisdictionem episcopalem. Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 4. 72. in fine* citans Portel. *in resp. mor. tom. 2. cas. 71. n. 4. & 5.* item Lotter. *de benef. l. 2. q. 13. n. 42.* Conrad. *in pr. benef. l. 2. c. 12. n 92.* Card. de Luc. *ad Trid. d. 5. n. 33.* Paris. *de resign. l. 7. q. 23. n. 124.* Dum autem AA. quidam dicunt, debere invitare unum ex convicinis Episcopis, ita id accipiendum non est, quasi hoc sit de necessitate, sed ad summum ex aliqua convenientia, ut Ventrigl. *loc. cit. §. 1. n. 12. in fine.* nil enim verat, quò minùs id officii committatur alicui Episcopo extero hospiti in diœcesi illa Episcopo suo destituta commoranti, aut aliunde accersito Episcopo suffraganeo, ut vocant, & nullatenus, seu actu nullam diœcesim habenti. Sed neque dubium est, posse Vicarium ipsum Capitularem, dum is Episcopus est, exercere ibidem pontificalia per seipsum; idque post deputationem sui in vicarium independenter ab ulteriore, & speciali mandato Capituli.

2. Resp. ad secundum primò Capitulum sede vacante, aut ejus Vicarius, etiam intra primum annum vacationis (qui, ut Ventrigl. *tom. 2. annot. 158. 1. n. 30.* computatur à die vacationis, & finitur, postquam lapsi sunt dies 365. quibus constat annus naturalis; cùm appellatione anni in quacunque dispositione semper veniat totus & completus, ut idem. *tom. 1. annot. 2. §. 2. n. 3.*) dare licentiam Episcopo alicui extraneo ordinandi in diœcesi ecclesiæ vacantis extraneos, habentes dimissorias à proprio suo Episcopo, aut Prælato suo regulari. Laym. *in c. cùm nullus. de tempor. ordinat. n. 3.* citans Piacef. *p. 1. c. 1. n. 10.* Henriq. *l. 1. c. 22* Pirh. *ad tit. de temp. ordinat n. 59.* citans insuper Quarant. *in sum. Bull. v. Capit. sed. vac q. 11.* Ventrigl. *loc. cit. n. 33.*

3. Resp. ad secundum secundò Potest etiam intra primum annum vacantiæ dare tali Episcopo commoranti apud se, seu in sua diœcesi licentiam ibidem ordinandi subditos suos etiam non arctatos habentes dimissorias ab Episcopo defuncto vel Papa, aut Nuntio Apostolico (qui etiam intra primum annum dictæ vacantiæ eas concedere potest non arctatis; eò quòd, dum in facultatibus nuncii aliàs est eas concedere, tam sede plenâ quàm vacante, & nullibi vetetur id facere dicto primo anno, sine fundamento hæc ejus potestas restringatur à Pirh. *loc. cit. n. 45.* ad tempus post annum illum elapsum; cùm dando eas pro primo illo anno non agat contra dispositionem Tridentini, utpote non vetantis illas tunc dari simpliciter, sed solùm à Capitulo sedis vacantis) ut à quocunque Episcopo ordinari possint. Pirh. *loc. cit. n. 59.* Garc. *de benef. p. 5. c. 7. n. 93.* testans id expresè doceri à Navar. *cons. 44. de tempor. ordinat.* & Puteo *decis. 407. l. 2.* juxta expressum S. Congreg. Concilii declarat. quam hisce expressis recitat Garc. *loc. cit. Capitulum sede vacante potest concedere licentiam extero Episcopo exercendi pontificalia & ordines conferendi tam clericis suæ diœcesis quàm exteris habentibus dimissorias suorum Episcoporum &c.* Neque enim hoc prohibetur à Tridentino *sess. 7. c. 10.* aut alibi, utpote à quo solùm prohibetur intra annum dari à Capitulo subditis illius dimissorias, in quarum vim ordinari valeant extra diœcesim ab alio Episcopo; vel etiam ad summum prohibetur dari intra annum à Capitulo subditis suis licentia ordinandi, seu ut ordinari possint. quorum neutrum fit per hoc, quòd det Episcopo apud se commoranti licentiam ordinandi subditos suos instructos aliunde istiusmodi dimissorialibus, non primum, quippe dare licentiam extero Episcopo, ut celebret, seu conferat ordines in diœcesi aliena, ubi sedes vacat, res est omnino diversa à datione dimissorialium subdito ad suscipiendos ordines extra diœcesim ab altero Episcopo, ut patet. per prius enim tollitur impedimentum, quo aliàs juxta idem Tridentinum prohibebatur celebrare pontificalia in diœcesi aliena sine ordinarii illius licentia. per posterius tollitur impedimentum, quo Episcopus prohibebatur subdito alieno conferre ordines. adeóque jam prohibito per Tridentinum posteriore, nempe datione dimissoriarum, non prohibetur prius, nempe datio licentiæ exercendi pontificalia in aliena diœcesi. Dian. *loc. cit. resol. 73.* ex Theomudo *in decis. Archiepis. Olysiponens. p. 1. decis. 89. n. 3.* Non secundum, nimirum per hoc, quòd det Episcopo extero licentiam ordinandi in sua diœcesi, in qua vacat sedes, non dat subditis suis licentiam ordinandi. siquidem τὸ *ordinandi* accipitur passivè, ita ut idem sit, ac *ordines suscipiendi*, ut patet ex adjuncto dativo *alteri.* adeóque dare licentiam ordinandi; & dare dimissorias ad ordines suscipiendos, hìc idem sunt; & τὸ *literas dimissorias*: ad majorem claritatem additum est. proinde, quod det licentiam Episcopo in sua diœcesi ordinandi, seu ordines conferendi, non dat alicui licentiam, ut ab eo ordinetur, sed supponitur, ordinandum illam habere aliunde. Pirh. *loc. cit.* citans Sanch. *in opusc. mor. tom. 2. l. 7. c. 1. dub. 26.* Themudò *loc. cit.* apud Dian.

4. Porrò adjiciendum his, quod habet Barbos. *l. 1. jur. eccle. c. 32. n. 123.* ubi: ante lapsum anni vacationis sedis poterit Capitulum obtinenti facultatem à sede Apostolica de suscipiendo ordine cum licentia ordinarii; hujusmodi licentiam subordinatam (nempe suscipiendi ordines etiam intra diœcesim ab alio Episcopo) concedere. pro quo citat Navar. *cons. 19. in antiq. aliàs 27. in novis. tit. de tempor. ordin.* Piasec. *in pr. episcopali p. 1. c. 1. n. 13. v. capit. sed. vac.* & seipsum *de potestat. Episc. p. 2. alleg. 7. n. 14.*

5. Atque

5. Atque ex his jam inferri videtur non prohibere Tridentinum ordinari subditum non arctatum intra primum annum istius vacantiæ sedis, ubi is non eget dimissoriis, uti contingere videtur in hoc casu: dum designatus in vicarium capituli est Episcopus, sive dum Episcopus aliquis titularis deputaretur in vicarium capituli. cùm enim vicarii, & non capituli sit dare dimissorias (saltem dum hanc quoque potestatem Capitulum transtulit in vicarium suum) & nemo dare possit dimissorias ad seipsum, seu licentiam ut quis à seipso ordinari possit, non egebunt subditi illi ullis dimissoriis. Tridentinum verò solùm prohibet tunc ordinari subditum in vim dimissoriarum acceptarum à Capitulo.

6. Inferri videtur ulteriùs, neque prohibere Tridentinum ordinari subditos non arctatos talis diœcesis, in qua vacat sedes ab Episcopo ibidem commorante & assumpto ad exercendum ibidem pontificalia, etsi is vicarius Capituli non sit; quia nec respectu talis Episcopi subditi Capituli sede vacante egent dimissorialibus. Quòd facit, quod ex Themudo *loc. cit. decis.* 88. *n.* 9. habet Dian. *loc. cit. resol.* 72. quòd cum talis Episcopus de Anel, ut vocant, seu nullatensis nullam in actu habeat propriam diœcesim, ista diœcesis, in qua moratur, & in qua assumptus, & institutus est (intellige, sive ab Episcopo, sive à Capitulo sede vacante) ad exercendum ibidem absolutè, generaliter, & sine limitatione Pontificalia, fit certo modo ipsius diœcesis; adeoque dici non possit, quòd exerceat Pontificalia in diœcesi aliena sine licentia. Et sic absolutè tenent Dian. *loc. cit. resol.* 41. hisce expressis; etsi Capitulum sede vacante, vel ejus vicarius non possit intra annum subditis suis concedere dimissorias, poterit tamen interim intra eundem annum per alium Episcopum pontificalia exercentem ordinare diœcesanos suos. Atque ita fuisse resolutum à S. Congreg. refertur. Idem tradit Barbos. *loc. cit. n.* 123. ubi: poterit insuper Capitulum præfato anno durante concedere Episcopo extero exercitium Pontificalium, & ordinationem propriorum subditorum sedis vacantis. pro quo citat uterque, nempe Dian. & Barbos. Navar. *cons.* 27. *de tempor. ordin.* Ferrar. *de ordine. c.* 5. *n.* 7. Molfes. *in sum. tract.* 2. *c.* 2. *n.* 28. Marchin. *de sacram. ordin. tr.* 1. *p.* 6. *c.* 3. *n.* 16. & Barbosa. insuper Henriq. *in sum. l.* 10. *c.* 22. §. 1. Quarant. *in sum. bull. v. capit. sed. vac. q.* 11. Marc. Anton. Genuens. *in pr. Archiep. Neapol. c.* 87. *n.* 33. Piasec *pr. episc. p.* 1. *c.* 1. *n.* 13.

7. Unde jam minùs cohærenter videtur Barbos. locutus, dum *loc. cit. n.* 121. dixerat: colligitur, non posse Capitulum dicto anno durante dare licentiam Episcopo commoranti in civitate, vel diœcesi, ut ordinet regulares etiam prævio examine per ipsum vicarium facto, ut tenet Rague. *de voce can. q.* 39. *n.* 4. sanè cohærentius dictis sentit Themudo *cit. decis.* 89. *& seq.* apud Dian. *loc. cit. resol.* 73. dum absolute affirmat, posse Capitulum sede vacante intra primum annum dare licentiam alicui Episcopo (intellige, apud se commoranti, & assumpto ad exercendum pontificalia) conferendi ordines regularibus suæ diœcesis. sequitur enim id manifestè, quin & à potiore, ex dictis. si enim ordinari possint à tali Episcopo intra illum annum subditi sæculares non indigentes dimissoriis; quin & ad hoc capitulum illis facere licentiam, cur non etiam regulares? & cur non potiùs regulares? cùm Tridentinum vetando dari intra primum annum dimissorias, aut licentiam ordinandi clericis subditis suis, non videatur comprehendere religiosos; utpote qui, ut Themudo apud Dian. *loc. cit.* & alii passim, nomine clericorum (intellige in odiosis, quale quid est ista denegatio dimissoriarum, & licentiæ) non veniant. quod ipsum indicant AA. & inter reliquos Henriq. *loc. cit. c.* 22. *n.* 3. dum inquit: Capitulum sede vacante non potest sæcularibus clericis dare reverendas &c. hoc enim loquendi modo satis ostendit, prohibitionem illam solùm intelligi de clericis sæcularibus, & non de religiosis. Neque etiam religiosi, etiam sede plenâ, dum recipere volunt ordines ab Episcopo alterius diœcesis, dimissorias, non acceptas ab Episcopo, sed à Prælato suo deferunt. multóque ergò minùs egent iis ad hoc acceptis à Capitulo sede vacante. Adde, quòd religiosi non sint propriè subditi Capituli sedis vacantis; dimissoriæ autem non dentur nisi subdito, ut vadat ad alienum Episcopum pro suscipiendis Ordinibus. Sed & licèt sint subditi (intellige, etiam exempti alias à jurisdictione Episcopi) & subjecti Episcopo quò ad recipiendos Ordines, quod cogitandum monet Diana *cit. resol.* 73. *in fine* ex Barbos. *de canonic. c.* 42. *n.* 121. adhuc non obstat; quia juxta dicta & subditi etiam absolutè quo ad omnia jurisdictioni Episcopali, & consequenter etiam Capituli sede vacante, possunt à tali Episcopo ordinari, & iis concedi licentia ordinis suscipiendi intra illud tempus. Atque pro hac sententia, quòd Capitulum sede vacante intra annum dare possit licentiam alicui Episcopo ordinandi regulares, Dian. *in fine resol.* 73. citat Portel. *Responsa mor. tom.* 2. *cas.* 71.

*Quæstio* 510. *An Capitulum sede vacante possit revocare licentiam exercendi pontificalia, & conferendi Ordines concessam alicui Antistiti ab Episcopo defuncto: & si eam non revocaverit, possit Antistes pergere ibidem exercere Pontificalia, & ordinare?*

1. Resp. ad primum affirmativè. Cùm enim Capitulum totam jurisdictionem habeat ordinariam Episcopi mortui, & Episcopus mortuus in hac vita poterat revocare talem licentiam, etiam capitulum mortuo Episcopo poterit eam revocare. Dian. *loc. cit. resol.* 72. & apud illum Themudo *loc. cit. decis.* 88. *n.* 9. Et patet hoc ipsum ex eo, quòd Capitulum removeat Vicarium generalem à defuncto Episcopo constitutum. Ubi tamen datus fuisset talis Episcopus titularis ad exercendum in diœcesi aliqua, v. g. ob Episcopi minorem ætatem, vel non consecrationem, simpliciter pontificalia, non poterit dein tali Episcopo non consecrato mortuo Capitulum sede vacante illum impedire, aut amovere ab exercendis pontificalibus. Idem videtur, dum Metropolitanus, dum is fortè in ca-

su,quo id potuit,Episcopum talem titularem deputavit pro tali diœcesi, ad exercendum ibidem in defectum Episcopi pontificalia. Quemadmodum nec removere potest Capitulum Vicarium suum capitularem, ejúsve licentiam restringere ubi is datus ei fuisset à Metropolitano juxta dicenda inferiùs.

2. Resp. ad secundum quoque affirmativè. Dian. *loc. cit.* cum eodem Themudo; gratia enim, & licentia, præsertim facta absolutè & sine limitatione temporis, non exspirat morte concedentis. Fermosinus, *tract. de capit. sed. vac. q.* 20. *n.* 1. Dian. & Themudo. *ll cit.* citantes Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 28. *n.* 64. *& 83.* ubi etiam illud exemplificat datâ licentiâ Petro ad Ordines, quæ non exspirat mortuo, vel etiam translato Episcopo ad alium Episcopatum. Item licentiâ seu dimissoriis datis à Capitulo sede vacante ad ordines tempore, quo poterat dare, quæ non exspirat cum introitu novi Episcopi.

3. Porrò illud hic notandum cum Diana, quòd hæc doctrina de continuatione exercitii conferendi ordines faciliùs applicetur Episcopo titulari, seu de Anel assumpto pro tali diœcesi à defuncto Episcopo, cui serviebat ad exercenda ibidem generaliter Pontificalia juxta dicta *quæst. præced.* Poterit proinde jam talis Episcopus non solùm à Papa aut Metropolitano, sed & ab Episcopo defuncto legitimè, absolutè, & generaliter constitutus ad exercendum ibidem pontificalia (saltem Capitulo non contradicente) pergere, sicut ante conferre ordines subditis non arctatis intra primum annum vacantiæ; cùm licentia illa absolutè ei concessa illi non adimatur, etiam pro primo illo anno, à Capitulo, utpote non contradicente. Nec etiam in casibus positis adimi ab eo possit. nec etiam Capitulum dum posset, teneatur adimere illi, seu suspendere licentiam illam pro primo illo anno quò ad subditos non arctatos; hoc enim Capitulo à Concilio non mandatur, sed solùm, & ad summum ei prohibetur, ne facultatem illam ordinandi priùs non habitam à tali Episcopo ei concedat pro primo illo anno quò ad non arctatos. Dico ad summum; quia ut dictum *quæst. præced.* tò *ordinandi* intelligendum non activè, sed passivè, ut idem significet, ac ordines suscipiendi.

### *Quæstio* 511. *An Capitulum sede vacante intra primum annum vacantiæ possit non arctatis subditis suis dare literas testimoniales ad suscipiendos ordines?*

Resp. Potest Capitulum, etiam intra primum annum subdito suo, non arctato, dum is à Pontifice ejúsve Nuncio facultatem, seu dimissorias habet, ut à quocunque Episcopo externo ordinari valeat, concedere in ordine ad suscipiendos ordines has literas testimoniales de vita, & moribus, & idoneitate illius, pro ut eas exigit Trident *sess.* 23. *c.* 8. his verbis: *unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur. quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti aut privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas & mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Ita tenent Pignat. *tom.* 3. *cons.* 8. *n.* 4. Fermosinus *tr. de Capit. sed. vac. q.* 20. *n.* 12. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *n.* 39. Dian. *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 42. Barbos. *jur. eccles. l.* 1. *n.* 122. citans Sayr. *in florib. decis. decis.* 21. *tit. de tempor. ordin.* Bonacin. *de sacram. d.* 8. *q. unic. p.* 4. *n.* 24. Molin. *de Just. tom.* 6. *tr.* 5. *d.* 11. *n.* 14. Monet. *de commut. ult. volunt. c.* 10. *n.* 183. Vulpeium *in pr. Judic. c.* 44. *n.* 2. Ciarl. *controv. forens. l.* 1 *c.* 46. *n.* 12. Marchin. *de sacram. ord. tract.* 1 *p.* 6. *c.* 3. *n.* 17. *&* 18. *&c.* contra Garciam *de benef. p.* 5. *c.* 7. *n.* 115. id negantem hisce expressis: quamvis aliàs quis possit promoveri cum literis dimissoriis legati de latere, tamen id intelligendum, modò ejus probitas, & mores testimonio sui Ordinarii commendentur, ad quem effectum non dicitur Ordinarius intra annum Capitulum, seu ejus vicarius sede vacante respectu eorum, qui non sunt arctati, ut per Navar. & Rodriq. Verùm *quæst. ante hanc penult.* ostensum contrarium, nempe venire etiam Capitulum in ordine ad hoc nomine Ordinarii. Et sunt hæ literæ testimoniales longe quid diversum ab iis, quæ dimissoriæ dicuntur, ut videre est apud Fagn. *in c. significasti de off. archid. n.* 2.

### *Quæstio* 412. *An & qualiter Capitulum sede vacante concedere possit dimissorias?*

1. Resp. primò, potest Capitulum cathedrale sede vacante, vel ejus vicarius spectato jure communi absque limitatione temporis, adeóque & intra primum annum vacantiæ subditis suis, sive hi arctati sint, sive non, concedere literas dimissorias, id est, in quibus non solùm commendatur ordinandus, eíque de moribus & vita testimonium redditur; sed & conceditur facultas suscipiendi ordines ab Episcopo alieno, quæ etiam ab aliquibus, ut videre est apud Fagn. *loc. cit.* reverendæ dicuntur, uti & dimissoriæ ac formatæ dicuntur à Nicæna Synodo relata *in c.* 7. *dist.* 73. Ita constat *ex c. nullus. de temp. ordinat. in* 6. Barbos. *Jur. eccle. l.* 1, *c.* 32. *n.* 114. Pirh. *ad tit. eund. n.* 58. Ventrigl. *loc. cit. n.* 30. Azor *l.* 3. *c.* 37. *q.* 17. cum communi. Unde idem adhuc poterit capitulum, in locis, in quibus Trident. non est receptum; quia sic dispositit jus commune non immutatum per Tridentinum ob non receptionem illius. Ventrigl. *loc. cit. n.* 45. citans Sanch. *opusc. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 20. *n.* 37. Thesaurum *in pr. eccles. p.* 2. *c.* 19. *vers. ampliat.* qui & ipse citat alios.

2. Resp. secundò hodiedum tamen intra annum sedis vacantis eas dare nequit, sub nullius etiam privilegii aut consuetudinis prætextu, nisi solis arctatis ratione beneficii recepti, aut recipiendi. Ita enim expressè disponit Tridentinum. *sess.* 7. *c.* 10. *&* *sess.* 23. *c.* 10. Ventrigl. *loc. cit. n.* 30. Dian. *loc. cit. resol.* 41. Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. n.* 60. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 7. *n.* 91. Barbos. *loc. cit.* citans quamplurimos.

3. Ampliatur hoc ipsum primò, ut id Capitulo non liceat, etiamsi Capitulum habeat territorium distinctum, & exemptum ob immemorialem possessionem, in quo ipsi canonici sint judices. Pirh. *loc. cit.* Ventrigl. *n.* 34. Barbos. *loc. cit. n.* 119. citantes Riccium *in decis. curiæ Archiep. Neapol. p.* 4. *decis.* 185. Quarant. *v. capit. sed. vac. vers.* 14. qui testetur, ità à S. Congreg. rescriptum Capitulo Salmantino.

4. Am-

4. Ampliatur secundò. Ut id non possit, ne quidem quò ad accipiendam primam tonsuram. Pirh. *loc. cit.* Garc. *n.* 95. Dian. *loc. cit. resol.* 43. citans Zipæum *juris Pontif. l.* 3. *tit.* 9. *n.* 2. Ventrigl. *n.* 32. Barbos. *loc. cit. n.* 116. citans Majol. *de irregul. l.* 4. *p.* 2. *c.* 3. Quarant. *ubi ante.* Vulp. *loc. cit. c.* 8. *n.* 33. *& c.* 44. *n.* 20. Monet. *loc. cit. c.* 10. *n.* 137. *&c.* Loquitur enim Concilium generaliter, vetando absolutè concedere Capitulum intra annum dimissorias aut ordinandi licentiam. Unde licèt Tonsura non sit propriè ordo, tamen literæ, quæ ad eam suscipiendam conceduntur, dicuntur propriè dimissoriæ; adeóque in verbis concilii videtur comprehensa prima tonsura. Dian. *loc. cit.* qui etiam ait, quòd consuetudo interpretetur hoc decretum Concilii, & ita communiter intelligatur, ac practicetur. Adde, quòd plures Canonistæ negent, primam tonsuram non esse ordinem. de quo vide Dianam. Neque in contrarium facit declaratio S. Congreg. quam refert Garcias. *loc. cit.* quæ habet, memorato Concilii decreto non comprehendi primam tonsuram, utpote quæ intelligenda quò ad pœnas tantùm statutas à Concilio in ordinatos intra primum annum sedis vacantis; eò quòd illæ solùm imponuntur contra ordinatos in vim acceptarum à Capitulo intra primum annum dimissorias ordinibus minoribus vel majoribus: ordinatione autem minorum ordinum secundùm communem loquendi usum solùm intelliguntur quatuor minores, & non prima tonsura. Garc. *loc. cit. n.* 96. Dian. & Pirh. *ll. cit.*

5. Ampliatur tertiò, ut etiamsi à Metropolitano constitutus sit vicarius capitularis (etiam is, qui vivente Episcopo dare poterat dimissorias) adeóque inter cetera acceperit facultatem dandi dimissorias, nec possit is adhuc hanc facultatem intra primum annum vacantiæ exercere cum non arctatis; non secus, ac dum is, qui defuncti Episcopi fuit Vicarius Generalis in spiritualibus, designaretur dein à Capitulo in vicarium Capitularem, exercitium habitæ jam ante nimirum à defuncto Episcopo potestatis dandi dimissorias etiam non arctatis, continuare nequit intra annum primum sedis vacantis, etsi de cetero fingatur, hanc potestatem per mortem Episcopi non exspirâsse, sed continuari. Plus enim hac in parte concedere non poterit, nec dein potest Metropolitanus quàm ipsum Capitulum; utpote cujus vices, & defectum jure ad se devoluto (dum nimirum intra tempus statutum Capitulum negligit deligere vicarium) supplendo, & non aliter statuere Vicarium potest Metropolitanus, ut Fermos. *loc. cit. q.* 8. *n.* 3. Jam autem constat ex dispositione Tridentini, non posse Capitulum Vicario à se constituto dare facultatem dandi dimissorias intra primum annum vacantiæ.

6. Porrò his non obstantibus poterit Vicarius Papæ, etiam statim post vacantem sedem Apostolicam concedere literas dimissorias ad Ordines à quocunque Episcopo suscipiendos. Barbos. *loc. cit. n.* 115. citans Majol. *ubi ante. c.* 3. *n.* 22. Henriq. *in sum. l.* 10. *c.* 22. §. 3. Campanil. *in divers. jur. can. rubricas rub.* 9. *c.* 7. *&c.* Decretum enim illud Trident. minimè restringit jurisdictionem sedis Apostolicæ etiam vacantis, Barbos. ibidem. De cætero, ubi Tridentinum receptum non est, servabitur jus antiquum, de quo *c. cùm nullus, de temp. ordin. in* 6. ut possint etiam intra annum non arctatis concedi dimissoriæ à Capitulo. Pignat. *tom.* 3. *cons.* 8. *n.* 4. juxta dicta *n.* 1.

7. Resp. Tertiò. Poterit tamen mox ab elapso dicto primo anno (qui incipit à die mortis Episcopi. Ventrigl. *loc. cit. n.* 36. citato Novarin. *sum. Bullar. ti. tit. n.* 31. *p.* 1. ) concedere liberè dimissorias non arctatis. cùm concilium hanc facultatem Capituli restringat solùm durante anno primo; prohibitum autem ad tempus post illud fieri potest juxta *l. in tempus. ff. de hæred. institut.* Ventrigl. *cit. n.* 38. Pirh. *loc. cit. n.* 59. cum communi. Non posse tamen etiam post lapsum anni Capitulum, ejùsve Vicarium concedere dimissorias ordinandis ad titulum patrimonii, aut pensionis, eò quòd id reservatum sit Episcopo à Tridentino *sess.* 21. *c.* 2. ubi statuit, obtinentes patrimonium, vel pensionem non promovendos, nisi Episcopus pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum judicaverit eos assumendos esse, juxta responsum S. Congreg. habet Garc. *loc. cit. n.* 93. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n.* 40. Bene tamen addit Garcias, non videri id receptum, saltem in regnis Castellæ, uti & Barbos. *in sum. constit. Apostolicar. decis. v. capit. sed. vac. n.* 12. apud Ventrigl. qui etiam remittit quò ad hoc punctum ad Meroll. *loc. cit. c.* 7. *n.* 34.

8. Potuit quoque concedere dimissorias etiam intra primum annum arctatis tam quo ad habita, quàm recipienda beneficia dicto illo primo anno currente, pro ut disponit Trident. *sess.* 7. *c.* 10. Ventrigl. *n.* 37. Barbos. *n.* 125. citans quamplures cum communi. Arctati verò ratione beneficii jam accepti dicuntur, qui obtinent beneficium aliquod, ratione cujus tenentur se facere promoveri, ut qui obtinet Parochiam, arctatus est ad suscipiendum intra annum sacerdotium. qui obtinet Canonicatum, ad Ordinem ei annexum. Idem est de aliis beneficiis ex fundatione, seu institutione, aut statuto requirentibus aliquem Ordinem. Garc. *loc. cit. n.* 98. Pirh. *cit. n.* 58. Ventrigl. *n.* 37. Barbos. *loc. cit. n.* 126. citans Ugolin. *de potest. Episc. c.* 26. §. 20. *n.* 5. Ricc *in pr. aurea resol. cit. n.* 98. Monet. *de commerr. ult. volunt. c.* 10. *n.* 166. *& seq.* qui etiam censeat, idem esse, seu arctatum dici, ubi Ordo ita annexus beneficio, ut illud obtinens tempore provisionis debeat esse constitutus in eo, dispensatus tamen fuit, ut absque eo illud obtinere potuerit. Arctati ratione beneficii recipiendi dicuntur, qui ad beneficium aliquod vacans, certum ordinem actu requirens jus habent v. g. vi electionis, vel præsentationis, quâ ad illud electus aut præsentatus est. Garc. *loc. cit. n.* 99. Pirh. Ventrigl. *ll. cit.* Barbos. *n.* 127. Dicitur quoque à Garcia. *n.* 100. & Barbos. *loc. cit.* ( qui pro hoc citat quoque Molfes. *in sum. theol. mor. tr.* 6. *c.* 7. *n.* 50. ) arctatus ratione beneficii recipiendi, qui non tonsuratus est præsentatus à patrono laico ad beneficium jurispatronatûs illius, ut illud obtinere valeat. Quod intelligendum videtur, etsi per talem præsentationem non clerici, adeóque nullam, jus nullum ad beneficium illud acquisivis-

set ille præsentatus non clericus. Item cui solùm promissa præsentatio (idem est de collatione) quamprimum fuerit clericus, adhuc arctatus dicitur ratione beneficii recipiendi juxta Ventrigl. *loc.cit.n.*38, qui pro hoc citat Merolll. *tom.*3.*d.*7.*c.*7. *n.*79. testaturque hinc S. Congregationem *sub die* 18. *Jan.*1594. rescripsisse Episcopo Squillacensi, Vicarium sede vacante posse literas dimissorias concedere etiam infra annum laicis, qui exspectant præsentari per patronos ad aliqua beneficia, quam eandem declarationem S. Congreg. recitat Barbos. *loc. cit. n.*118. cum quo tamen non usque adeò bene conciliari videtur, quod tradunt Barbos. *cit.n.* 127. Garc. *loc.cit.n.*102. Ventrigl. ipse *cit.n.*37. citans pro hoc Merolll. *ubi ante n.*80. nimirum non dari arctatum ratione beneficii recipiendi, cui quis vult resignare beneficium requirens actu ordinem, quo ille caret, eò quòd hoc sit merè voluntarium; non enim minùs voluntaria est promissa præsentatio, quàm promissa resignatio: neque magis per promissam præsentationem, quàm per promissam resignationem jus ad tale beneficium acquiritur. Ille tamen ex sententia communi arctatus non est ratione beneficii recipiendi, qui electus in concursu ad beneficium curatum requirens sacerdotium, cujus collatio facienda à Papa; quia in tali tempore faciendæ collationis non requiritur actu sacerdotium. Garc. *n.*101. & ex eo Barbos. adeóque jam illud ipsum procedit, etiamsi per talem electionem diceretur jus aliquod acquisivisse ad tale beneficium. facta tamen illi collatione jam arctatus erit ratione beneficii accepti.

9. Porrò illud hìc notandum, non posse Capitulum sede vacante, ejúsve vicarium concedere infra annum dimissorias arctatis alia de causa quàm beneficii, ut si quis haberet necessariò promoveri ad obtinendum gradum in theologia, & similia, ad quæ fortè requireretur actu clericatus altérve ordo. Ventrigl. *loc.cit.n.*40. citans Sanch. *opusc.l.*7.*c.*1. *dub.*20.*n.*38. P. Thesaur. *in pr. eccles.p.*2.*v.ordo.c.*19. *vers. amplia secundò.*

*Quæstio* 513. *Per quem Capitulum sede vacante has dimissorias concedere possit, an per solum vicarium suum, an etiam per seipsum, & in specie in casu, ubi omnes Canonici diffugerunt aliò?*

8. Resp. ad primum, dimissorias in casibus, ubi id licet, concedere non posse Capitulum per seipsum, sed spectare ad ejus vicarium tradit Ventrigl. *loc.cit.n.*35. citans Aldan. *in compend. can. resolut.tit.*3.*n.*5. Item Barbos *loc.cit. n.*120. testans, sic Vicario Capitulari Neapolitano rescripsisse S. Congregationem præpositam negot. Episcop. & regular. *sub die* 12. *Jan.* 1604. Non posse tamen Vicarium Capitularem nec arctatis intra annum, nec etiam aliàs post annum concedere dimissorias sine speciali Capituli commissione, habet Ventrigl. *n.* 42. citatis Pavon. *de potest Capit. sed.vac. c.*10. *p.*2. *n.* 17. Mandos. *ad reg.*24. *cancell.q.*6. *n.*9. Guttierez *qq. can.l.*2.*c.*12.*n.*22. P. Thesaur. *in pr. eccles.p.*2. *v.ordo. c.*19. Barbos. *loc.cit.n.*129. ubi is, speciale hoc mandatum conjecturis probari, quarum multas adducit.

2. Ad secundum, in casu, in quo potest Capitulum concedere dimissorias, si Canonici v. g. propter hæreses (idem videtur, si propter alia similia, puta pestem, bella &c.) dispersi sunt, & nequeant convenire sine difficultate (si neque sit Vicarius Capitularis) sufficit habere literas dimissorias ab uno aliquo ex Canonicis Capitularibus ecclesiæ cathedralis. Et sic quoque sufficit, habere literas dimissorias à residentibus capitularibus, etiam si unus duntaxat resideret. sic refert Garc. *loc. cit. n.* 93. in fine decisum à S. Congregat. Concilii super *c.*10 *sess.*7. ejusdem Concilii.

*Quæstio* 514. *Quam pœnam incurrat Capitulum, vel ejus loco Vicarius sede vacante concedens dimissorias non arctatis intra primum annum vacantiæ, & sic contra, quod statuit Tridentinum.* sess. 7. c. 20.

1. Resp. Incurrit pœnam interdicti, & sic ordinati (nempe in vim talium dimissoriarum) si in minoribus fuerint constituti Ordinibus, nullo gaudent privilegio clericali, præsertim in criminalibus. constituti verò in majoribus ipso jure incurrunt suspensionem ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Episcopi. Fagn. *in c. significasti. de off. archid. n.* 8. Barbos. *loc. cit. n.* 117. & *à n.* 130. Garc. *n.* 91. Ventrigl. *n.* 46. (qui etiam remittit ad P. Thesaurum *in pr. eccles. loc. cit.* ubi is de his pœnis multa referat. & Bonacin. *de suspens. in particulari q.* 1. *p.* 11.) juxta quod iisdem ferè verbis hanc pœnam statuit Tridentinum *loc. cit.* Quam pœnam impositam iis, qui contra decretum illud Tridentini à Capitulo sede vacante dimissorias impetrant (non verò impositam pœnam illam interdicti impositam Capitulo, ut Fagn. *loc. cit. n.* 9.) postmodum idem concilium *sess. 23. c.* 10. extendit ad illos, qui easdem literas non à Capitulo; sed ab aliis quibusvis in jurisdictione episcopali succedentibus (puta ab ejus Vicario alióve administratore) obtinerent. Fagn. Garc. Ventrigl. *ll. cit.* Hujusmodi verò concedentes literas illas dimissorias ab officio, & beneficio per annum ipso jure suspendi addit Garc. & id notari inquiens à Majolo. *de irregular. l.* 4. *c.* 2. *n.* 3. Salcedo *in pract. crimin. Bernard. Diaz. c.* 28. *v. sine licentia.*

2. Circa has pœnas notandum primò. Quòd si Vicarius Capituli alicujus Collegiatæ (contra quod Capitulo collegiatæ, & cuivis alteri prohibetur dare dimissorias per Trident. *cit. sess.* 23. *c.* 10.) concederet istiusmodi dimissorias, ipsum Capitulum non incidere in pœnam dicti interdicti. Sequitur ferè ex dictis, & quidem à fortiore Fagn. *loc. cit. n.* 9. qui etiam *n.* 10. addit, quòd esto Vicarius talis ecclesiæ collegiatæ comprehendatur in prohibitione, non tamen videri illum incidisse in pœnam *c.* 10. *sess.* 7. eò quòd illud extensum tantùm sit per *c.* 10. *sess.* 23. ad Vicarios Cathedralium.

3. Notandum secundò, quòd licèt per Bullam Sixti V. contra malè promotos ordinati cum literis dimissoriis, seu licentia Capituli sede vacante contra dictum Tridentini decretum erant absolutè ipso jure suspensi, & absolutio Romano Pontifici reservata; illa tamen Bulla jam per Clem. VIII. ad terminos sacrorum Canonum & dispositionem Tridentini redacta sit Garc. *loc. cit. n.* 92. & fusiùs *p.*2. *c.*5. *n.*70. Unde jam pœna illa lata per Triden-

Tridentinum contra Capitulum, vel ejus administratorem sede vacante concedentem literas dimissorias in casu non permisso, non reservatur amplius Papæ; sed ejus absolutio dari potest per Episcopum successorem. Pignat. *tom. 3. consult. 8 n. 4.* Ventrigl. *loc. cit. n. 48.* citans P. Thesaurum *ubi ante*, qui etiam addat, non posse ab illa absolvere simplicem confessarium.

4. Notandum tertiò, pœnam illam statutam concedentibus dictas dimissorias contra dictum Tridentini decretum adhuc ab iis incurri, etiamsi is, cui eæ concessæ fuerunt, iis usus non fuerit; quia actus fuit perfectus quò ad concedentem, per quem non stetit, quò minùs concessionarius iis uteretur. Barbos. *loc. cit. n. 130.* citans Garciam *in addit. ad tract. de benef. p. 5. c. 7. n. 92.* Ventrigl. *n. 46. & 49.* citans insuper Molin. *de just. tom. 6. tract. 5. d. 11. num. 4.*

5. Notandum quartò, quòd pœna illa interdicti sit latæ sententiæ, pro ut colligitur ex verbo illo, quo utitur Concilium *subjaceat.* quod est latæ sententiæ. Ventrigl. *n. 47.* ex Thesaur. *loc. cit.* Pignat. *tom. 3. consult. 8. n. 3.* Pœnam verò privationis privilegii clericalis non incurrunt ordinati in minoribus ante Judicis sententiam juxta Constitutionem Urbani VIII. adversùs malè promotos. Barbos. *loc. cit. n. 131.* Ventrig *cit. n 47.* Dian. *p. 8. tract. 4. resol. 44.* citans Navar. *cons. 20. de tempor. ordinat. in prima edition.* Addunt quoque Barbos. & Dian. rationem, quòd nimirum Concilium dicat: *nullo gaudeant privilegio.* rò autem *gaudeat.* cùm sit futuri temporis, non denotet pœnam ipso jure impositam, sed imponendam juxta doctrinam communiter receptam. Unde jam etiam ordinatus taliter potest habere, & obtinere beneficium, donec per sententiam hujusmodi privilegio clericali privetur. Dian. *loc. cit.* citans Rodriq. *in sum. tom. 1. c. 71. n. 20.* Barbos. *n. 132.* Ventrigl. *n. 37.* citantes Sanch. *de matrim. l. 7. d. 46. n. 18.* Quarant. *in summ. Bullar. v. capit. sede vacant. q. 10.*

*Quæstio 515. An dimissoriæ ritè & legitimè concessæ per Capitulum sede vacante exspirent per ingressum novi Episcopi?*

Resp. negativè Ventrigl. *loc. cit. n. 43.* Barbos. *jur. eccles. l. 1 c. 32. n. 129.* citans Quarant. *ubi ante, vers. secundò dubitatur.* Ledesm. *in sum. p. 1. de sacram. ordin. c. 8. concl. 4.* Gonzal. *ad reg. 8. cancell. gl. 12. n. 37.* Monet. *de commut. ult. volunt. c. 10. n. 179.* Molin. *ubi ante n. 4.* Guttur. *can. qq. l. 2. c. 17. n. 12.* qui tamen consulat ordinatoribus, ut si tempore præsentationis dictarum dimissoriarum coram eis sciverint, novum Episcopum possessionem Episcopatûs accepisse, vel in Episcopatu adesse, illas non admittant, nisi revalidatæ, vel noviter à successore concessæ productæ fuerint, vel ab ejus officiali speciale ad id mandatum habente. Quod tamen consilium videtur supervacaneum, si dictæ dimissoriæ per ingressum novi Episcopi non exspirent, sed in robore suo permaneant. Ratio responsionis est communis; quòd gratia semel concessa non exspiret morte concedentis, juxta *c. si supergratia. de off. deleg. in 6 c. cui nulla. de præbend. in 6.* Illud verum videtur, quod ibidem ex Rebuff. *in pr. benef. tit. de formalit. dimissoriar. n. 44.* & Campanil. *rub. 6. c. 8. n. 36.* tradit *ibidem* Barbos. posse à novo Antistite revocari per edictum omnes, & quascunque dimissorias à prædecessoribus Episcopis, & à Capitulo sede vacante concessas; secus tamen est de concessis à Papa, vel Nuntio Apostolico.

*Quæstio 516. An dum Episcopus defunctus est simul Princeps Imperii, Capitulum sede vacante comparere possit in comitiis imperialibus?*

Resp. affirmativè Pirrhing. *ad tit. de major & obedient. n. 52. §. his addendum.* ubi: licet Capitulum sede Episcopali vacante admittatur ad comitia Imperialia; non tamen Capitulum v. g. ecclesiæ Archiepiscopalis admittitur ad electionem Imperatoris, aut regis Romanorum; cùm hoc jus eligendi quibusdam Archiepiscopis Germaniæ ratione dignitatis eorum ex speciali jure, ac privilegio competat, ut ex Aromæo de comitiis tradit Laym. *in c. unicum. ne sed. vac. in 6.* in his autem, quæ Episcopo ex speciali jure competunt, non succedit Capitulum; quia succedit in jurisdictione & administratione Episcopi propter unionem, quæ est inter ipsum & Episcopum; hæc autem unio non intervenit secundùm ea, quæ Episcopo jure, & privilegio speciali, & veluti extrinseco, & extraordinario competunt. Honorius ab Axel. in sum. decretal. *in cir. tit. ne sede vac. n. 7.*

***

# CAPUT TERTIUM.

## De potestate Capituli sede vacante in materia beneficiaria.

*Quæstio* 517. *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam ædificandi ecclesiam, & quidem ita, ut ædificanti, aut dotanti illam acquiratur juspatronatus?*

1. RESp. ad primum primò, supponendo, quæstionem non procedere de ecclesiis regularium, seu conventualium novarum, istiusmodi enim ecclesiarum, seu conventuum (sive sint mendicantium propriè, seu mendicantium de facto, seu per veritatem; sive impropriè talium, seu mendicantium privilegiativè habentium reditus, & mendicitatem non exercentium; sive etiam aliorum monachorum, seu regularium) etiam servatis servandis aliis in eorum erectionibus (de quibus vide Card. de Luca *de regular. d. 29. & 30.* Dian. *p. 8. tract. 4. resolut. 68.*) fundationi seu constructioni authoritatem, seu licentiam præstare nequit Capitulum sede vacante. Et quidem de novorum monasteriorum erectione in genere Dian. *loc. cit. in fine* hisce expressis: dico igitur monasteria nova erigendi licentiam concedere non potest vicarius capitularis sedis vacantis, prout declaravit S. Congreg. Concilii 19. *Jan.* 1633. teste Sellio *in select. can.* 18. *n.* 12. de fundatione conventuum mendicantium propriè & impropriè talium C. de Luca *cit. d.* 26. *n.* 17. ubi: Ordinarii appellatione tam circa consensum ab ipso præstandum, quam circa alia ab eo authorizanda (in hac materia nempe fundationis dictorum conventuum) non venit Capitulum sede vacante ex iis, quæ ceteris relatis habentur apud Donat *tract.* 1. *de monaster ædificand. q.* 18. Barbos. *in sum. apostol. decis. collectan.* 503. *n.* 15. & juxta Rotam *in Barchinon. conventus* 20. *Novemb.* 1637. *coram Panzirola.*

2. Resp. Ad primum secundò. Licentiam ædificandi vel dotandi ecclesiam sæcularem (quæ de cetero quoque ædificari nequit sine licentia superioris. Castropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 2. *n.* 8.) concedere posse Capitulum, tenent cum communi AA. citandi pro *respons. seq.*

3. Resp. ad secundum. Potest quoque Capitulum sede vacante, ejúsve Vicarius dare licentiam construendi, vel dotandi talem ecclesiam ex eo fine, ut construenti vel dotanti in ea acquiratur jus patronatus, sive potest illis reservare patronatum, seu reservationem illius authorizare consensu suo. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 9. *n.* 79. Azor. *instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 39. *q.* 1. Barbos. *juris eccles. l.* 1. *c.* 32. *n.* 88. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *n.* 61. Dian. *loc. cit.* citans insuper Pavin. *de potest. capit. sed. vac. p.* 5. *q.* 2. *n.* 5. Vivian. *in pr. juris. p.* 1. *l.* 2. *c.* 1. *n.* 12. Lambert. *de jurep. l.* 1. *p.* 2. *c.* 9. & ego *fori benef p.* 2. *q.* 37. *n.* 3. Cùm enim hic consensus sit actus jurisdictionis (intellige ordinariæ) poterit hunc ipsum præstare; qui jurisdictionem Episcopalem, vel quasi episcopalem habet. Castrop. *loc. cit.* citans Lambert. ubi ante *a.* 8. Barbosam. *de potest. Episc. p.* 3. *allegat.* 70. *n.* 23. sed talem potestatem episcopalem habet capitulum sede vacante. ergò. Sequitúrque hoc ipsum ex responsione præcedente; qui enim dare potest licentiam ædificandi ecclesiam, potest etiam præstare authoritatem ut juspatronatus obtineatur; quia ædificationem ecclesiæ subsequitur patronatus (intellige regulariter loquêdo) Castrop. *cit. n.* 9. Garc. *loc. cit. n.* 71. Et sic hoc ipso, quòd Episcopus consenserit in fundationem, vel ædificationem ecclesiæ, etiam consensisse videtur in juspatronatus inde quærendum fundatori, etiam si is illud expresse sibi non reservasset; cum posito illo consensu Episcopi in ædificationem aut dotationem jam jus ipsum concedat ædificanti juspatronatus, uti resolvisse Rotam refert Garc. *loc. cit.* quòd cùm regulariter non soleant Ecclesiæ ædificari sine acquisitione jurispatronatûs, & sic potestas dandi licentiam construendi Ecclesiam trahit secum tanquam aliquid consecutivum, potestatem consentiendi acquisitioni jurispatronatûs. Porrò qualiter hic consensus præstari possit à Capitulo juripatronatus acquirendo ex ædificatione, & dotatione, vide apud me. *loc cit. q.* 36. *n.* 2.

*Quæstio* 518. *Num igitur simpliciter loquendo Capitulum sede vacante erigere possit beneficium ecclesiasticum, seu præstare authoritatem huic erectioni?*

1. RESp. quòd id possit Capitulum sede vacante, videtur sequi ex jam dictis *quæst. præced.* sicut enim fundare ecclesiam assignata ei dote, ex qua alatur Rector illius ob celebrationem in ea divinorum, est fundare beneficium; ita superior ecclesiasticus concessa ad hoc sibi authoritate admittens eadem veluti præbita materialia hunc in finem, dando ad hoc licentiam, & approbando, seu non admittendo conditionem reservationis patronatûs adjectam, dicitur erigere beneficium seu esse jam causa efficiens ipsius beneficii ecclesiastici & ipsius jurispatronatûs. Jam verò Capitulum sede vacante, ut dictum, authoritatem habet dandi dictam licentiam, admittendique hæc à fundatore oblata hunc in finem sub ea conditione: ergò & erigendi beneficium. Et sic sentire videntur AA. præcitati Castrop. Garc. &c. dum volunt eundem præstare posse consensum acquisitioni jurispatronatûs ex fundatione, & dotatione, qui ædificandæ ecclesiæ, vel beneficio fundando authoritatem & consensum præbere potest, & vice versâ. Idque

clarè

clarè satis exprimunt, dum inquiunt, Vicarium generalem Episcopi consensum, & authoritatem ædificandæ ecclesiæ, vel beneficio fundando (nota hæc ultima verba) præstare posse, & mox subjungunt, posse etiam hanc facultatem, nempe ædificandi ecclesiam, vel fundandi beneficium concedere Capitulum sede vacante.

2. Nihilominus contrarium sequi videtur ex doctrina Lotterii, quam tradit *l.1. q.5. à n.12.* ubi postquam præmisisset, beneficia minora, quantumcunque de cætero curata erigi, & instituti posse authoritate episcopali, seu ab Episcopo, item ab habente jurisdictionem quasi episcopalem (qualis hic intelligitur, quam habent Prælati quidam Episcopo inferiores extra Collegium suum diffusam per totum aliquod territorium certis limitibus finitum, ita ut ea vigeat in parochianos ad exemplum jurisdictionis Episcopi) hujus ultimi rationem addit, quòd dedicatio illa temporalium pro beneficio ecclesiastico non pertineat ad Ordinem episcopalem, sed ad quasi Ordinem; cùm sufficiat dedicatio vel etiam consecratio verbalis, quæ magis ad dignitatem, quàm Ordinem spectat. Per quæ jam Capitulum sede vacante (tametsi non tantùm jurisdictionem quasi episcopalem cum territorio eodem; sed ipsam episcopalem habet cum eodem territorio proprio, quod est diœcesis) ab erectione beneficiorum excludi videtur; cùm, quæ ad Ordinem, vel etiam quasi Ordinem & dignitatem Episcopalem spectant, non transeant in Capitulum sede vacante. Quinimò subjungit Lotter. *à num. 52.* hoc jus dedicandi, & consequenter erigendi beneficia potestatem dictis Prælatis inferioribus non competere, ubi solenniter benedicti, pontificalibusque ornamentis, puta, mitrâ, baculo insigniti non fuerint; eò quòd per horum insignium pontificalium concessionem hæc facultas dedicandi temporalia pro beneficio implicitam habens benedictione transfundi videatur, & iis desinentibus, non tantùm Ordo, sed etiam Dignitas, & majestas illa pontificia, cui hæc facultas attribuitur, desideratur. Unde jam etiam iterum potestas illa erigendi beneficia adimitur Capitulo, utpote in quo talis consecratio, & benedictio locum non habet. Sed neque ejus Vicario concedenda videatur, etsi is esset Episcopus consecratus; cùm is plus potestatis in hoc non habeat quàm Capitulum habet, aut in eum transfundere potuit, quam proinde non auget character illius Episcopalis.

3. Hanc tamen Lotterii doctrinam non parum infirmare videtur, quòd Episcopus confirmatus, non tamen consecratus possit erigere beneficia, adeóque ista erectio non respiciat necessariò in erigente consecrationem, aut benedictionem aliquam; etsi fortè respiciat de cæterò dignitatem episcopalem, qualem adhuc censetur habere Episcopus non consecratus.

*****

***

*Quæstio 519. Utrum Capitulum sede vacante donare possit alicui juspatronatûs in beneficio; vel etiam donationem jurispatronatûs factam ab alio confirmare, aut ei assensum præbere possit?*

1. Resp. ad primum primò: Capitulum juspatronatûs, quod ei competebat jure proprio in beneficio donare potest tam sede plenâ quàm vacante alteri ecclesiæ, locóve pio seu religioso, aut Clerico nomine ecclesiæ, vel dignitatis quam obtinet, prout idem potest quilibet patronus laicus, etiam non requisito consensu Ordinarii. Castropal. *tract. 13. d. 2. p. 4. num. 17.* cum communi, juxta *c. illud. de jurep.* & *c. si laicus. tit. eod. in 6.* vide meipsum *in Foro benef. p. 2. q. 62. n. 1.* An verò donare possit illud alteri laico sine consensu Superioris, v. g. Metropolitani, aut Papæ, meritò dubitatur; cùm ea esset species quædam alienationis juris alicujus ecclesiastici in manus laicas, quæ sine consensu Superioris ecclesiastici fieri nequit; & in specie juspatronatûs à patrono donari nequit laico, aut etiam Clerico tanquam personæ privatæ sine consensu Episcopi. Conrad. *in prax. benef. l. 4. c. 5. n. 8.* Pith. *ad tit. de jurep. n. 61.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 20. q. 5.* cum communi. Adeoque Capitulum sede vacante sibi quòd ad hanc donationem præstare non potest authoritatem, sicut nec Episcopus, dum viveret, donando juspatronatûs, quòd quà Episcopus habebat, laico, sed eget ad hoc authoritate Superioris.

2. Resp. ad primum secundò: donare non potest juspatronatûs in beneficio, quod aliàs non erat subjectum juripatronatûs. Procedítque idipsum non solùm in beneficio spectante ad alterius collationem ut patet; quia vel sic præjudicaret juri illius Collatoris liberi: verùm etiam spectante ad suam collationem; quia absolutè loquendo non potest beneficium liberum subjicere huic servituti. Unde licèt jus suum conferendi, quod habebat in illo beneficio, concedere & donare possit alteri, non sequitur inde, posse & alteri in eo donare juspatronatûs reservando sibi institutionem in illo. Manifesta hæc sunt ex eo, quòd ne quidem Episcopus hac ratione concedere possit juspatronatûs, & subjicere beneficium liberum huic servituti. Lotter. *de re benef. l. 2. q. 2. n. 18.* Conrad. *loc. cit. num. 24.* Barbos. Castropal. Garc. Lambert. &c. quos citavi *Fori benef. p. 2. q. 46.* juxta *c. 2. de reb. eccles. non alien.* & Trident. *c. 9. sess. 25.* & S. Congregat. declarat. *super eod. loc.* quam *ibi recitavi.*

3. Resp. ad secundum: non posse Capitulum sede vacante præstare consensum & authoritatem suam donationi jurispatronatûs factæ ab altero (intellige alicui laico) tenent Barbos. *juris eccles. l. 1. c. 32. n. 111.* & *tom. 3. de potest. Episc. allegat. 71. n. 24.* cum Gratian. *discept. for. c. 303. n. 10. & seq.* Quòd si tamen de facto id faceret, existimant iidem apud Dian. *p. 8. tract. 4. resol. 54.* ex Seraph. *decis. 884. num. 2.* præbiturum per hoc titulum coloratum ad præscribendum. Verùm dum hi AA. nullam hujus asserti sui rationem adjiciant, non video, cur Capitulum sede vacante id non possit; cùm præbere consensum suum ad hoc possit Episcopus, spectétque idipsum ad jurisdictionem ejus ordinariam, neque sit inter ea, quæ in jure excipiuntur & vetantur fieri à Capitulo, etsi de cætero spectent ad jurisdictionem Episcopi.

*Quæstio* 520. *An Capitulum sede vacante præsentare possit ad beneficium jurispatronatûs competentis Episcopo?*

REsp. negativè. Castrop. *tract. 13. de benef. d. 2. p. 29. n. 8.* Fermosin. *tract. de Capit. sed. vac. q. 24. n. 9.* Dian. *loc. cit. resolut. 29. in fine.* Ventrigl. *tom. 2. §. 1. num. 52.* Azor. *Instit. mor. p. 2. l. 3. c. 38. q. 10.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 52.* citans Pavin. *de potest. Cap. sed. vac. q. 5. p. 2. num. 3. & 5.* Lambert. *de jurep. l. 2. q. 2. a. 4. &c.* Idem de electione, dum ea spectabat ad Episcopum, sentiunt iidem AA. contra Lotter. *l. 2. q. 2. n. 14. & 15.* ubi, quòd jus eligendi, & præsentandi competens Episcopo pari modo spectent ad jurisdictionalia, ac proinde pari modo non impediantur transire ad Capitulum, sicut confirmatio & institutio. Eadem enim, quæ de collatione constituuntur quòad hoc punctum, intelligenda quoque sunt de præsentatione, & electione competentibus Episcopo; eò quòd prohibitio generalis sit, & hæc non minùs quàm collatio sint solùm fructus dignitatis episcopalis, etsi longè quid minus quàm collatio. Fermosin. *loc. cit.* Adde, quòd præsentare, & eligere non tam jure communi, sicut collatio, quàm frequentiùs jure speciali, & per accidens competunt Episcopo. Et sanè de utroque constat ex *Regula 2. Cancellar.* ubi reservantur dispositioni Sedis Apostolicæ beneficia omnia spectantia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamlibet aliam dispositionem Episcopi, eo defuncto, seu sede episcopali vacante.

*Quæstio* 521. *An, & qualiter competat Capitulo sede vacante præsentatos instituere, dum nimirum institutio spectabat ad Episcopum?*

1. REsp. ad primum affirmativè. Fagn. *in c. his quæ. de major. & obedient. num. 57.* Azor. *loc. cit. q. 2.* Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 32. num. 63. & 95.* Garc. *de benef. p. 5. c. 7. num. 54.* Lotter. *l. 2. q. 2. n. 21.* Pirh. *ad tit. de major. & obed. num. 44. & 53.* Ventrigl. *loc. cit. num. 57.* cum communi, juxta *c. 1. de Instit. in 6.* Succedit enim Capitulum sede vacante in jurisdictione episcopali ordinaria, & vel maximè necessaria, & quò ad illos actus, per quos nulla fit rei alienatio, & qui non tendunt in præjudicium Episcopi futuri. Pirh. *cit. num. 44.* Jam verò instituere (idem est de confirmare) competunt jure Magistratûs, reputantúrque ideo inter jurisdictionalia, seu fructus jurisdictionis. Lotter. *loc. cit. num. 17.* Pirh. *loc. cit.* éstque actus jurisdictionis necessariæ, & dicitur collatio necessaria. Ventrigl. Pirh. *ll. cit.* non continens in se rationem donationis, aut gratiæ (ut facit collatio) sed potiùs donationis factæ confirmatio, & approbatio necessaria, & obligatoria, ut Castrop. *cit n. 8.* sed est actus justitiæ, Lotter. *num. 18. & 19.* loquens de confirmatione (inter quam, & institutionem in hoc est omnimoda paritas) neque per illam res ulla ecclesiæ alienatur, aut ullum fit Episcopo successori præjudicium. Si enim præsentatus est dignus, debet institui ab Episcopo, nec potest rejici. Atque ita, ut inquit Lotter. *cit. num. 21.* ratio necessitatis juncta cum cessatione præjudicii Episcopi suadet, ut confirmatio æquè, ac institutio sede episcopali vacante transeat in Capitulum. Idque etiam ob communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, ex quibus constituitur unum corpus ad providendum ecclesiæ necessitatibus. Unde jam etiam, dum sede vacante vacat beneficium jurispatronatûs pertinentis alias ad Capitulum, Capitulum duplici jure fungitur, scilicet præsentando jure Capitulari, & instituendo jure episcopali. Ventrigl. *loc. cit. num. 60.* ex Quarant. *in sum. Bullar. v. Capit. sed. vac. vers. quæ conclusio. post principium.*

2. Resp. ad secundum: Quòd si tamen præsentati essent plures, ita ut locus esset gratificationi, tunc, quia hæc gratificatio judicio Episcopi reservatur per *c. cùm autem.* & actus voluntarius, & gratiosus judicatur, non posse Capitulum, aut ejus Vicarium sede vacante gratificari, & unum præ reliquis instituere, tradit Lotter. *loc. cit. n. 34. &* 35. his ferè verbis: hócque dicendum existimo, si plures sint præsentati in concursu, ita ut sit locus gratificationi. Tametsi enim nec tunc agatur de collatione libera propter necessitatem providendi uni ex præsentatis; tamen quia lex in individuo facultatem hanc gratificandi judicio Episcopi præservat, ea nequit transire in Capitulum, propterea quòd hinc censeatur electa industria Episcopi. Neque enim ea gratificatio exigit causæ cognitionem, vel tribunalis erectionem, quò minùs censeri debeat actus merè voluntarius, & gratiosus, prout latissimè resolutum *in Calagurit. de Zurbano. 29. Octob. 1608. & 4. Novemb. 1609.* Hanc Lotterii doctrinam sequitur Ventrigl. *loc. cit. n. 58.* nisi quòd is loquatur de præsentatis per patronos. Lotterius de præsentatis in concursu; per quod intelligere videtur, quòd dum plures in concursu judicati sunt æquè digni.

3. Nihilominus Diana *p. 8 tract. 4. resol. 26.* cum Merolli. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. num. 107.* tradit, quòd dum patronus præsentavit plures Clericos æquè idoneos, possit Capitulum sede vacante ex iis instituere, quem maluerit, & sic exercere libertatem; eò quòd hoc proveniat per accidens ex tacita concessione & permissione ipsius patroni, qui, cùm potuisset præsentare unum tantùm, præsentavit plures, dando ipsi Capitulo potestatem eligendi & instituendi, quem maluerit ex præsentatis; sicut etiam posset patronus neminem præsentare, sed dare facultatem Capitulo conferendi beneficium, cui voluerit.

*Quæstio* 522. *An Capitulum sede vacante possit electos confirmare, & etiam electiones factas infirmare, dum confirmatio spectabat ad Episcopum?*

1. REsp. ad primum affirmativè Sbroz. *de Vicar. Episc. l. 2. q. 70. n. 4.* Fagn. *loc cit. & in c. cùm olim. de major. & obed. n. 1.* & cæteri AA. citati pro *respons. 1. ad quæst. præced.* ex eadem ratione ibi deducta juxta expressum textum *c. cùm olim. de major. & obed.*

2. Respond. ad secundum affirmativè quoque Ventrigl. Barbos. Pirh. *ll. cit.* cum comm. juxta citatum textum *c. cùm olim*, ubi non solùm jus confirmandi, sed & infirmandi electionem committitur Capitulo.

* * *

*Quæstio*

*Quæstio 523. Num Capitulum sede vacante possit administrationem tantisper committere electo à se, usque dum is à Superiore v. g. Papa confirmetur?*

REsp. negativè: fieret enim aliàs fraus ipsi legi prohibenti, ne Clericus administret. Pirh. *ad tit. de elect. n.* 8. Quin etiam, si contingeret, quòd ecclesiæ œconomus, aut procurator (intellige constituti ad liberum alterius arbitrium, vel si sermo est de prælato inferioris ecclesiæ, ab Episcopo; secus enim esset, si de eo, qui ex consuetudine ecclesiæ aliòve jure speciali debebat deputari œconomus, ut Lotter. *l. 3. q. 17. num.* 10.) eligeretur in Prælatum; illum debere statim cessare ab administratione, tradit Passerin. *de elect. c.* 33. *n.* 4. citans Jo. And. & Verall. Idem dicendum videtur de ipso Vicario Capitulari, casu quo is eligeretur. Vide meipsum *in foro benefic. p.* 2. *q.* 427. *num.* 3. *juncto num.* 5.

*Quæst. 524. Num Capitulum sede vacante, sicut electiones confirmare potest, possit etiam admittere postulationes?*

REsp. Affirmant id Cuchus *in Instit. majorit. l.* 2. *tit.* 9. *num.* 46. Pavin. 4. *q.* 2. *p. num* 8. apud Garciam *p.* 5. *c.* 7. *n* 57. eò quòd hæc admissio non nitatur meræ gratiâ, sed juris necessitatem habere videatur. Affirmat item Azor. *p* 2 *l.* 8. *c.* 38. *q.* 5. modò nihil objici possit postulato, in quo egeat Papæ indulgentiâ. Verùm de hoc meritò dubitari potest; cùm postulatio ante admissionem jus nullum, ne quidem ad prælaturam conferat, sed cum summo jure rejici possit. Passerin. *de elect. c.* 24. *num.* 1. Cardin. de Luca *de Regular. d.* 13. *n.* 9. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 4. §. 6 *n.* 9. Azor. *Instit. mor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 2. Laym. *in c. nihil. de elect. n.* 8 adeóque postulatio innitatur gratiæ, & è contra electio juri. Azor. Passer. *ll. cit.* & Laym. *in præamb. ad tit. de postul.* in hoc sensu, quòd per postulationem quis præsentetur, &, ex gratia solùm admittatur, & instituatur: per electionem verò canonicam vocetur quis ad prælaturam, ita ut Superior electionem legitimè factam confirmare debeat, Laym. *loc. cit.* ego *in Foro benef. p.* 2. *q.* 199. *num.* 2. Unde jam licet ad eum superiorem spectet admissio postulationis, cujus aliàs est confirmare electionem, modò tamen is dispensare possit, & aufferre inhabilitatem, propter quam postulatus erat ineligibilis ad prælaturam. Pirh. *ad tit. de postulat. num.* 4. Laym. *loc. cit. corollar.* 3. citantes Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 10. Ego *loc. cit. q.* 288. *n.* 2. Ad Capitulum verò sede vacante spectet confirmare electos, & fortè etiam in dicta inhabilitate, uti poterat Episcopus, & ipsum dispensare posset; adhuc tamen admittere non posse postulationem videtur ex eo capite, quòd admissio hæc habeat rationem collationis, & provisionis omnino liberæ, & gratiosæ; ea autem, quæ meram talem gratiam continent, non transeant ad Capitulum juxta dicta & dicenda *quæst. post hanc* 2.

* * *
*

*Quæst. 525. Num ad Capitulum sede vacante transeat potestas conferendi beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi quà talis, seu quà Ordinarii, diœcesis collationem spectant?*

1. REsp. negativè. Fagn. *in c. cùm olim. de major. & obed. num.* 34. Sbroz. *de Vicar. Episc. l.* 2. *q* 70. *num.* 4. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 51. *& seq.* Diana *p.* 8. *tract.* 4. *resol.* 25. Fermosin. *tract. de Capit. sed. vac. q.* 23. *à num.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 1. Castropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 29. *num.* 8. Lotter. *l.* 2. *q.* 2. *num.* 26. *& seq.* Laym. *in c. cum vos. de off. Iudic. ordinar. n.* 3. & *in c. cùm olim. de major. & obed. n.* 2. Ventrigl. *tom.* 2. *annot.* 15. §. 1. *num.* 50. Barbos. *jur eccles. l.* 1. *c.* 32. *num.* 109. citans Molin. *de Iust tract.* 5. *d.* 11. *num.* 11. Vulpe *in pr. Iudic. For. eccles. c.* 44. *num.* 5. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 23. *num.* 19. Gonz. *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 4. *proam. n.* 35. & *gl.* 9. §. 1. *n.* 77. & alios quamplurimos juxta *c.* 2. *ne sede vac.* & *c. unico. eod. tit. in* 6. *c. quanto* & *c. ea noscitur. de his, quæ fiunt à Prælat.* & *c.* 1. *de Instit. in* 6. In materia enim provisionis beneficiorum Capitulum sede vacante nihil assequitur, quàm quod à jure expressum Lotter. *loc. cit. num.* 31. tale quid autem non est collatio illa beneficiorum. Quin & licèt Capitulum succedat in iis, quæ jure ordinario competunt Episcopo. *c. cùm olim. de major. & obed.* collatio tamen beneficiorum casus unus est, isque præcipuus ab ista regula positivè exceptus per *c.* 2. *ne sede vac.* & *c. unic. tit. eod. in* 6. Garc. Castrop. *ll. cit.* Cujus exceptionis, seu prohibitionis hæc est ratio: tum quòd collatio sit fructus dignitatis episcopalis, Lotter. *loc. cit. num.* 16. Castrop. Barbos. *ll. cit.* fructus autem reserventur successori. AA. iidem juxta *c. quia sæpe. de elect. in* 6. Quin & non sit fructus tantùm simplex, sed fructus cum honorificentia, qui propterea avelli nequit à persona, Lotter. *num.* 17. Fermosin. *loc. cit. num.* 4. ex Abb. & Felin. tum quia insuper collatio beneficiorum continet meram gratiam, in quo transcendit jus instituendi, & confirmandi, quæ potiùs sunt de mera justitia. Lotter. *num.* 16. ex Beliamer. *cons.* 20. *num.* 13. seu quia est libera donatio; donare autem prohibetur is, cui libera bonorum administratio non conceditur. Castrop. *cit. n.* 8. adeóque, cùm Capitulum sede vacante alienare, aut donare nequeat, conferre nequit illa beneficia. Fermos. *loc. cit. num.* 18. Barbos. *loc. cit.* Atque ita ratio liberæ donationis, & meræ gratiæ, quam continet collatio, & in qua exercenda lex plus confidit Episcopo, quàm Capitulo suadet illam non transire in Capitulum, Lotter. *num.* 22. Quin & ultimatam rationem his adjicit Lotter. *num.* 13 & 17 nimirùm quòd etsi hæc potestas conferendi obveniat Episcopo eodem tempore cum jurisdictionalibus, non tamen ei competat jure Magistratûs, ita ut ad jurisdictionem spectet, aut sit illius fructus; quemadmodum, quia jus confirmandi, & instituendi, seu facultates aliæ inferiores à potestate conferendi ei competunt jure Magistratûs, & inter jurisdictionalia reputantur, non impediuntur transire in Capitulum. Vide me de his *in Foro benef. p* 2. *q.* 208. *n.* 1.

2. Ampliatur responsio primò, ut procedat, etiamsi beneficium vivente Episcopo vacârit in ejus mense, & ab illo provisum non sit. Dian. *loc. cit. resol.* 25. Fermos. *loc. cit. num.* 18. Castropal. *loc. cit.* citans Molin. *uti ante.*

3. Ampliatur tertiò, ut procedat, etiamsi collatio spectaret ad Episcopum non faciendâ nisi cum consensu, & consilio Capituli; cùm enim consilium, & consensus ille non faciat provisionem beneficii communem Capitulo cum Episcopo, provisio adhuc non poterit pertinere ad Capitulum sede vacante. Ventrigl. *loc. cit. num.* 53. Barbos. *loc. cit. num.* 10. citans Pavin. *p.* 2. *q.* 1. Navar. *cons.* 20. *num. ult. de præb.* Molin. *de Iust. tract.* 5. *d.* 11. *num.* 9. *&* 13.

4. Limitatur è contra responsio quò ad beneficia, quæ vivente Episcopo erant collationis liberæ simultaneæ illius cum Capitulo; hæc enim ratione hujus communionis defuncto Episcopo tota transit ad Capitulum, utitúrque illud tunc jure suo. Dian. *loc. cit.* citans Molin. *ubi ante. num.* 13. Navar. *cons.* 20. *de præb.* Fermos. *loc. cit. q.* 24. *n.* 5. Corrad. *pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *num.* 71. Barbos. Castrop. *ll. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 13. Neque enim beneficia simultaneæ collationis, dum vacant sede vacante in mense ordinario, reservantur Papæ per *Regul.* 2. *Cancellar.* cùm illa loquatur de collatione libera, quæ à solo Episcopo ad illius præcisam, & totalem voluntatem fieri potest, satísque ostendit Papa per illa verba Regulæ: *non tamen ad collationem cum alio vel aliis spectantia*: se nolle Capitulo præjudicâre in sua collatione sede episcopali vacante. Corrad. *loc. cit. num.* 71. *&* 74. Unde jam, dum quidam Canonicatus, v. g. Magistrales, Doctorales &c. in quibusdam Cathedralibus providentur communibus suffragiis Episcopi, & Capituli per concursum, poterit Capitulum sede vacante providere istiusmodi beneficia. Barbos. *cit. num.* 110. citans Molin. *ubi ante.* Navar. *loc. cit.* & *c.* 1. *ne sede. vac. in* 6.

*Quæstio* 526. *Num penes Capitulum sede vacante sit potestas conferendi beneficia debita conferri certi generis personis, puta graduatis, filiisfamilias, consanguineis fundatoris, nominatis, vel etiam certæ personæ, puta seniori de tali familia seu primogenito?*

1. RESP. Non posse conferre Capitulum debita conferri certi generis personis. Dian. *loc. cit. resol.* 26. referens Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 7. *n.* 5. *& p.* 4. *c.* 4. *n.* 37. & Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *c.* 7. *dub.* 1. *n.* 107. loquentes in genere de beneficiis debitis certo generi personarum. Castropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 29. *n.* 13. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancellariæ. gl.* 45. *num.* 19. *& gl.* 9. §. 1. *n.* 77. loquentes in specie de beneficiis patrimonialibus, hoc est, debitis conferri non nisi oriundis ex tali loco; in ordine ad quæ licèt gravata sit ordinaria potestas Collatorum, nihilominus adhuc eorum dici liberam collationem ait Gonz. *loc. cit. num.* 75. prout resolutum *in Abulensi parochial.* 12. *Iun.* 1594. *& num.* 19. ubi testatur *in una Prioratus de Novemb.* 1603. resolutum, esse adhuc liberam collationem, etsi facienda necessariò uni ex sex de certo Collegio. Et quòd in terminis beneficiorum patrimonialium eorum collatio facta à Capitulo, ejúsve Vicario sede vacante sit nulla, resolutum esse *in Callagur. beneficii de Arcarsa.* 26. *April.* 1569. ait *num.* 77. Item Lotter. *l.* 2. *q.* 2. *num.* 30. Ventrigl. *loc. cit. n.* 56. loquentes in specie de graduatis vel nominatis. Fermosin. *tract. de Capit. sed. vac. q.* 23. *n.* 14. loquentes in specie de beneficiis debitis ex fundatione conferri consanguineis fundatoris, vel uni ex personis de certo Collegio.

2. Contrarium sentiente Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 85. & *tract. de nominatione. q.* 8. *n.* 49. ubi, quod, ne diuturna vacatio contingat, posse Capitulum constituere administratorem, qui provideat de beneficiis, quorum collatio est necessaria. Item Garc. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 55. per numeros plures mordicus & fusè tenente contrarium, & conante solvere argumenta Corasii. Nititur autem potissimùm hoc argumento, quòd militet eadem ratio pro collatione in eo sensu necessaria, quòd fieri debeat certi generis personis, quæ militat pro institutione, & confirmatione. Verùm ratio in oppositum à Castropal. adducitur, & quidem universalis, militans quoque pro *Respons. seq.* nimirum, quòd beneficia debita sint certo generi personarum, vel etiam certæ, & determinatæ in individuo personæ, puta propinquiori fundatoris, aut aliàs digniori, id ipsum non constituat collationem necessariam, sed liberam, & voluntariam relinquat, dum nemo cogere potest Episcopum ad faciendam talem collationem, & ea debita non est fieri per Episcopum, sed is possit permittere elabi totum semestre datum ad providendum; & ita devolvi collationem ad alium, secus ac contingit in beneficiis, quæ præmissâ electione, & præsentatione conferuntur; utpotè in quibus compelli potest Ordinarius tam à patrono, & Electoribus, quàm à præsentato, & electo, ut electum confirmet, & præsentatum instituat; neque is se defendere potest ex semestri concesso ad conferendum; cùm pro institutione, & confirmatione non sit hoc semestre concessum; neque ob illius omissionem institutio & confirmatio ad superiorem devolvatur; cum in his non detur devolutio, sed potiùs cogatur institutor, & confirmator à superiore facere institutionem, & confirmationem.

3. Rationem aliam dat Lotter. *loc. cit. num.* 30. quòd talis collatio non pertineat adhuc ad legem jurisdictionis, utpote ad quam ex dicta necessitate faciendæ collationis non concluditur; & in materia provisionis, quò minùs facultas aliqua transeat in Capitulum sede vacante, sufficiat hunc ipsum casum non esse expressum in jure, juxta Coras. *de benef. p.* 2. *c.* 7. *num.* 4. Feder. de Senis *cons.* 30. *num.* 3. & Rotam *in Abulens. parochial.* 1. *Febr.* 1593. apud Lotterium. Unde jam etiam manifesta patet disparitas inter dictam collationem, & institutionem, & confirmationem; dum casus ille de confirmatione electi, & institutione præsentati reperiatur expressus in jure; item ille spectet ad legem jurisdictionis, & sic in alio sensu debitus, nimirum quia est Justitiæ. Confirmantur hæc ex eo, quòd dum Episcopus, cui vult ex pluribus graduatis, filiis familias, nominatis &c. providet, exercet actum gratiæ, seu qui propriè est gratificationis. Quin & ad hoc electa à lege est industria personæ Episcopi, dum ejus judicio remittitur præelectio unius ex pluribus; in quibus autem electa est industria Episcopi, ea non transeunt in Capitulum sede vacante. Lotter. *loc. cit. num.* 31. *&* 32. Et quod specialiter juxta aliquos esse videtur contra Garciam, illud est, quòd hâc ratione nimium extendatur potestas Capituli sede vacante circa collationem beneficiorum contra communem praxin, & sensum. Si enim posset con-

conferre beneficia debita ex fundatione certo generi personarum v. g. consanguineis fundatoris; quia talis collatio censeatur necessaria, eâdem ratione possit conferre debita ex fundatione conferri concivibus fundatoris v. g. Neapolitanis, vel etiam regnicolis, & non exteris; & sic beneficia v. g. totius Hispaniæ, quod absurdum inquit Meroll. *loc. cit.* cùm valde impropriè illa omnia beneficia dicantur collationis necessariæ. Quod tamen absurdum malè ex eo deducitur; dum nullatenus sequitur: potest Capitulum omnia beneficia eâ lege fundata, ut non nisi regnicolis conferantur, conferre; ergo potest conferre totius regni beneficia; quia omnia regni beneficia sic fundata non sunt; ac proinde, parum hæc instantia urget contra Garciam.

4. Illud tamen hìc notandum, quod monet Fermos. *loc. cit. num.* 20. dum dicitur, non transire ad Capitulum facultatem conferendi beneficia nominatis, id intelligendum de nominatione non habente rationem præsentationis, & relinquente liberum, ut nominatus præteriri possit; aliàs enim provisio non erit collatio, sed institutio, vel confirmatio. Unde ut Dian. *loc. cit. resol.* 25. ex Solorzano *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 13. *num.* 31. citatis quoque Wamesi. *cons.* 259. & 260. & 267. *n.* 2. Sebast. Nevio *in Rubr. tit. qui feuda dare poss. n.* 25. & *seq.* alìsque pluribus, id intelligendum non est de nominatione, quæ pro omnibus Indiarum ecclesiis fit à Rege Catholico, utpote quæ rationem veræ præsentationis habet, & fit à Rege tanquam patrono omnium illarum ecclesiarum; adeóque jam fieri potest à Capitulo, vel ejus Vicario collatio dependenter à dicta nominatione, utpote jam habens rationem veræ institutionis.

5. Resp. ad secundum: Sed neque fieri potest à Capitulo sede vacante collatio beneficii debiti conferri uni in individuo personæ, nempe Titio primogenito, vel Cajo optanti illud beneficium. Sic enim convincunt duæ rationes primæ pro responsione præcedente adductæ contra Fermosin. *loc. cit. num.* 14. Dianam, Meroll. *ll. cit.* ubi dicunt in tali collatione nullam exerceri liberalitatem, & de ea collatione necessaria intelligendos AA. apud Garciam dicentes, Capitulum posse facere collationes beneficiorum necessarias, & de quali collatione in specie loquitur Garcias. *loc. cit. num.* 90.

*Quæstio* 527. *An, & qualiter competat Capitulo sede vacante alternativa mensium, dum aliàs ei competit privativè vel simultaneè cum Episcopo collatio?*

1. Resp. primò: Capitulo Cathedrali habenti per se, seu privativè ad Episcopum collationem non competit alternativa sede plenâ. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 684. Gonz. *ad Regul.* 8. *gl.* 42. *n.* 2. Gratia enim hæc conferendi alternis mensibus locum non habet in inferioribus Episcopo collatoribus. Gonz. *loc. cit. num.* 1. Garc. *loc. cit. num.* 473. nisi fortè speciali super hoc privilegio sint donati, ut Lotter. *l.* 2. *q.* 41. *n.* 120. Neque etiam competit Capitulo sede vacante ob eandem rationem. Chock. *ad regul.* 8. *gl.* 15. *num.* 2. Garc. *num.* 685. citans Rotam *in Segob. Canonic.* 24. *Novemb.* 1588.

2. Resp. secundò: Neque competit alternativa Capitulo etiam sede vacante, dum habet aliàs simultaneam cum Episcopo collationem; quia tunc confert nomine suo, & est adhuc inferior collator Episcopo. Vide dicta à me *in Foro benef. p.* 2. *q.* 582. *num.* 1.

*Quæstio* 528. *An Capitulum conferre possit beneficia, quorum collatio ob negligentiam inferiorum collatorum devoluta ad Episcopum fuit, aut certè ad illum devolvenda, ubi is supervixisset?*

1. Resp. Non convenire super hoc puncto AA. Affirmativam tenent Jo. Andr. *in c. quanquam, de elect. in* 6. Zechus *de benef. & pens. c.* 5. *n.* 5. Zerol. *pr. episc. p.* 1 *v. Capitul.* §. 5 Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 3. *q.* 3. *a.* 8. *n.* 6. Zipæ. *de jure pontif. l.* 3. *tit. ne sed. vac. n.* 6. & 7. (ubi is etiam: num verò collatio, quæ jure devoluto competit Episcopo, successori reservanda sit de jure satìs problematicè controvertitur) Vallens. *l.* 3. *tit.* 9. *n.* 4. Molin. *de Iust tract.* 5. *d.* 11. *n.* 12. apud Barbos. *de jure eccles. l.* 1. *c.* 32. *n.* 110. E quibus Molina his ferè verbis suam sententiam proponit: Quamvis ad Capitulum sede vacante non pertinet conferre beneficia, quæ conferre pertinebat ad Episcopum ratione suæ dignitatis, tanquam annexum ejus dignitati ea donare, quando tamen ad Episcopum devolvitur conferre aliqua beneficia ob negligentiam, vel defectum inferioris, tunc ea conferre spectat similiter ad Capitulum sede vacante, ut cum Jo. And. consentiunt DD. communiter; quia ea devolutio tunc idque jus pertinet ad jurisdictionem episcopalem ratione utilis administrationis suæ diœcesis, in bonum & favorem non Episcopi, sed beneficiorum, & animarum; in ejusmodi autem jurisdictione succedit Capitulum sede vacante. Quòd autem in eo eventu collatio beneficiorum ad Capitulum sede vacante spectet, colligitur apertè ex *c. illa. in fine juncta gloss. ult.* ob negligentiam verò conferendi beneficium intra semestre à puncto notitiæ vacationis transit jus, quod habebat Episcopus ad illud conferendum ad Capitulum, etiamsi sedes non vacet, ut habetur *c. nulla,* §. *ult.* & *c. quia. de conces. præb. &c.* Sic quoque hanc sententiam probabilem asserunt Ventrigl. *loc. cit. num.* 54. Dian. *loc. cit. resol.* 27. licèt uterque dicat, se sententiæ oppositæ adhærere, ponitq; hanc pro ea rationem Dian. quòd hæc devolutio, seu potiùs facultas hæc conferendi in casu devolutionis negligentiam superioris supplendo pertineat ad Episcopum ratione jurisdictionis episcopalis (& quidem, ut dicebat Molin. necessariæ ad diœcesis utilem administrationem) adeóque in ea succedat Capitulum, secus ac accidit in potestate conferendi jure proprio; utpote quæ nascitur tanquam fructus ex dignitate episcopali, & ut Lotter. supra, conferre hoc jure proprio Episcopali non spectat ad jurisdictionalia.

2. His tamen non obstantibus contrarium tenent præter Dianam Ventrig. *loc. cit.* Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *c.* 7. *dub.* 9. *n.* 118. Fermos. *cit. loc. q.* 24. *n.* 4. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 53. Castrop. *cit. loc. num.* 10. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 6. & *l.* 6. *c.* 26. *q.* 9. Laym. *in c. cùm olim. de major. & obed. n.* 3. Barbos. *cit. num.* 110. citans Pavin. *p.* 2. *q.* 2. *n.* 10. Rebuff. *tit. de devol. n.* 93. Quarant. Felin. Abb. &c. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd hæc devolutio ad Prælatum superiorem inducta ob negligentiam, vel defectum Prælati inferioris non deducatur immediatè ex natura rei, nec ex aliqua ratione concludente, sed

sed immediatè ex dispositione juris Canonici, sequitur eam non esse inducendam extra casus ab eodem jure expressos: at nullibi in jure expressum, quòd devolutio, quæ de prælatis Episcopo inferioribus ex eorum negligentia facienda est, fiat ad Capitulum. *Cap.* enim 2. *in fine de concess. præb.* loquitur tantùm de devolutione collationis juris proprio competentis Episcopo negligenti; quòd nimirum ea ob negligentiam ipsius Episcopi in conferendo devolvatur ad Capitulum, ita ferè Diana *loc. cit.* Adde, quòd beneficia devoluta Episcopus conferat jure delegationis; Capitulum autem non succedat in iis, quæ Episcopo competunt jure delegationis, etiam jure communi inductæ juxta tradita, & pluribus firmata per Abb. *in c. cùm olim, de major. & obed. q. 5.* Garc. *loc. cit. num.* 42. Sanch. *l.8.d.2.num.*10. apud Castropal. *loc. cit.*

3. Proceditque hæc secunda sententia non solùm de collatione devoluta, sed etiam de electione, ubi nimirum electionem intra terminum à jure statuendum non fecerunt electores, aut eam perperam instituerunt, & hinc ea devoluta ad Superiorem. Laym. *loc. cit.* hisce expressis: Capitulum sede vacante beneficiorum collationes, aut Prælatorum electiones instituere nequit, quæ ad Episcopum sunt devolutæ; citat pro hoc seipsum *in qq. de elect. q.*102. & plures alios. Idque Argumento *c. cùm olim. de major. & obed.* in quo, dum perperam Monachi elegissent Abbatem sede Episcopali Messanensi vacante, ex gratia permisit Pontifex novam electionem conventui; quod non fecisset, si in eo casu electio devoluta ad Episcopum spectasset ad Capitulum Messanense ob delictum dicti conventûs; non enim facilè Papa solet facere gratiam cum derogatione juris alieni. Laym. *loc. cit.*

4. Resp. secundò: dum tamen beneficia devoluta ad Episcopum sunt collationis necessariæ; nimirum dum eorum institutio & confirmatio spectaret ad inferiores, & hi in instituendo, & confirmando fuerunt negligentes (intellige, dum à Superiore moniti, ut intra terminum sibi ab eo præfixum instituerent, & confirmarent, id non fecerunt; aliàs enim ob institutionem, & confirmationem non factam non contingit devolutio; cùm à jure præfixum terminum, intra quem fiant, non habeant) Capitulum poterit ea providere, seu in eis instituere præsentatos, & electos confirmare. Fermos. *loc. cit.* Sic volens conciliare utramque sententiam, & dicens, de hac collatione necessaria devoluta loqui AA. plures ex AA. primæ sententiæ.

### *Quæstio* 529. *Quid possit Capitulum sede vacante circa collationem beneficiorum parochialium, aliorumque curatorum?*

Resp. Seclusâ reservatione, quâ illa beneficia aliàs per *Regul. 2. Cancellar.* non minùs, ut cætera reservata sunt Papæ, dum vacant sede episcopali vacante: supposito etiam, quòd conferenda sint per concursum, & aliis conferri nequeant, quàm magis digno in concursu approbatis ex dispositione Tridentini *sess.*24.*c.*18. Quin & iis debeantur, ita ut non solùm dignior à mala electione appellare possit, sed etiam factâ declaratione majoris dignitatis ei sit jus aliquod quæsitum, adeóque à retardata collatione justè queri, & appellare possit; adhuc eorum collatio, dum ea competit Episcopo, non transit ad Capitulum sede vacante. Ventrigl. *tom.*2. *annot.*15. §.1. *n.*55. loquens expressè & genericè de beneficiis curatis. Castrop. *tract.*13. *d.*2. *p.* 29. *n.* 12. dicens esse omnino certum. Lotter. *l.*2. *q.*2. *n.*27. testans sic resolutum à S. Congreg. Concil. Garc. *p.*5. *c.*7. *n.*86. Fermos. *loc. cit. n.*8. testans à Rota resolutû *in Salmant. parochial.* 1. *Decemb.* 1578 (cujus decisionis etiam meminit Garcias *loc. cit. n.*87.) quòd parochialis vacantis sede Episcopali vacante in mense Ordinarii collatio de jure (etsi nunc aliud sit vi 2. *Regulæ Cancell.*) reservetur Episcopo Successori. Rationi generali à se datæ inhæret Castropal. *num* 14. quam eandem affert Garc. *loc. cit. n.*83. nimirum, quòd, esto, detur jus aliquod considerabile esse quæsitum tali alicui declarato digniori, Ordinarius tamen non teneatur hoc jus exequi, neque ad id compelli possit, sed possit abstinere à collatione, & permittere, ut per lapsum temporis jus devolvatur ad Superiorem, quamvis jam factus sit concursus. De cætero electum ex approbatis magis idoneum non habere jus ad parochialem, nec eam esse ei debitam absolutè, ut vel sic collatio ejus dici possit necessaria, sed solùm Episcopum, si velit conferre, debere conferre huic. Atque ita collatio comparatione Ordinarii sit adhuc libera, tradunt iidem Castrop. & Garcias. Confirmantur hæc ex altera ratione generali quoque; nempe quòd omnis collatio beneficiorum sit prohibita Capitulo exceptis casibus in jure expressis; adeóque cùm sola institutio, & confirmatio excipiatur, provisio parochialium alia prohibita erit Capitulo. Castropal. *num.* 12.

### *Quæstio* 530. *Quid possit Capitulum sede vacante quò ad habendum concursum pro parochialibus?*

1. Resp. Potest Capitulum sede vacante ecclesiâ parochiali sive in mense papali, sive ordinario vacante instituere concursum, sive potest apponere edicta, ad concursum vocare, concurrentes examinare, & ex approbatis digniorem eligere, electúmque offerre Papæ (supponendo nimirum, ut dictum, etiam parochialia vacantia sede episcopali vacante reservata Papæ) ab eo providendum: in summa, potest omnia à Tridentino *sess.* 24. *c.*18. præscripta peragere usque ad electionem dignioris inclusivè, non secus, ac illa perageret Episcopus; utpote cui in hac jurisdictione seu prærogativa habendi concursum eodem modo, quo in reliqua universa episcopali jurisdictione succedit. Card. de Luca *de paroch. d.*5. *n.*3. & 5. citans Pellegrin. *in pr. Vicarior. p.*1. *s.*4. *subs.* 2. *n.*16. Ventrigl. *loc. cit. n.*55. Castrop. *loc. cit.* Barbos. *jur. eccles. l.*1. *c.*32. *num.* 94. (ubi etiam ait, posse quoque Capitulum sede vacante circa beneficia etiam curata, quæ jurispatronatûs sunt, quæ Tridentinum *loc. cit.* præscribit, ut Episcopus efficiat, & quæ Episcopus perageret, si sedes non vacaret) Molin. *de Iust. tr.*5. *d.*11. *n.*11. Garc. *p.*9. *c.*2. *n.*6. recitans ad fusum pro hoc declarationem quandam S. Congr. Concil. factam ad instantiam Capituli Toletani 1577. sede illa Archiepiscopali vacante.

2. Ve-

2. Verùm hæc de jurisdictione illa habendi concursum existente habitualiter penes Capitulum sede vacante : num autem & exercitium hujus jurisdictionis, sive ipse concursus, cæteráque à Tridentino præscripta actualiter celebrari per ipsum Capitulum immediatè possint ; an verò non nisi per deputatum ab illo Vicarium, meritò dubitatur. In quo dubio contra Capitulum pro ejus Vicario decidit Cardinalis de Luca *loc. cit. à num.* 4. his ferè verbis : planum ac receptum dixi, quòd concursus fieri debeat coram Vicario ad præscriptum Concilii Tridentini deputato ad exercitium universæ jurisdictionis Episcopalis in diœcesi ; non autem coram Capitulo juxta declarationem S. Congregationis *in dicta Toletana* registrata apud Garciam. Idque summâ ratione, quoniam Concilium loquitur de Episcopo, vel Vicario, & sic de unico officiali : unde sub nomine Vicarii contenti in decreto conciliari veniat deputatus à Capitulo. Ac etiam, quia prorsus incommodum videtur, hujusmodi actum explicari in pleno Capitulo, ubi ob ingeniorum & affectionum nimiam discrepantiam scissuræ, ac pleraque inconvenientia resultare possent circa præelectionem plurium approbatorum, ac etiam ob magnam publicitatem, cujus ratione restricta videretur Examinatorum libertas in proferendo suo voto cum similibus inconvenientiis, &c. Sic quoque expressè ait idem Cardinalis de Luca *in annot. ad Trid. d.* 23. *num.* 30. ubi Ordinarii sedes vacat, seu alias impedita est, adeò ut in universa jurisdictione episcopali subintret Capitulum, tunc ad illud quoque id (intellige habere concursum) pertinet, modò tamen id agat per Vicarium ab eo deputatum, ad præscriptum Concilii Tridentini, ideóque non potest id sibi reservare, ac per seipsum capitulariter, seu per aliquos Canonicos ad id deputatos hujusmodi actum explicare juxta memoratam S. Congregationis declarationem. Idem adhuc expressius tradit Fagn. *in c. illa. ne sede vac. n.* 17. *in fine. & num.* 25. verbis ipsiusmet S. Congregationis Concilii : Capitulum, aut Decanus Cathedralis nullum sibi jus vendicat proponendi edictum, aut deputandi, seu eligendi, vel convocandi coram se Examinatores, nec jubendi, aut curandi, ut coram se aut Examinatoribus deputatis, ab eo examen fiat ; minùs eligendi magis idoneum, aut literas testimoniales de eo scribendi : sed hæc omnia exequatur partim Synodus diœcesana, partim Vicarius sede vacante constituendus, quem Capitulum omnino constituere debebit : qui, ut præmittit Fagnan. *nu.* 24. (ex eodem S. Congregationis præscripto) Vicarius ipse solus absque Examinatoribus scribet literas ad Sanctissimum D. N. ad quem collatio Parochialis spectabit, quibus præcipuè testabitur, propositum fuisse edictum, & examen per concursum factum, tótque examinatos fuisse, & ex examinatis tot idoneos à tribus saltem Examinatoribus judicatos ; se verò ex illis idoneis talem cæteris magis idoneum judicâsse elegisséque.

*Quæstio* 531. *Quid possit Capitulum sede vacante quoad deputationem Examinatorum Synodalium ?*

Resp. Si Capitulum sede vacante celebrare possit Synodum, nil vetat in ea deputari Examinatores Synodales : quin etsi in illud non transeat potestas celebrandi Synodum extra casum specialis necessitatis occurrentis, cui aliter provideri nequeat. Talem casum specialem necessitatis celebrandi Synodum esse tradit Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 31. *num.* 84. dum sede Episcopali vacante vacaret ecclesia Parochialis, & ex deputatis in ultima Synodo Examinatoribus non supererent tot, qui possent in præfinito numero examini interesse. Hoc enim casu imputandum Capitulo, si non illico convocârit Synodum ex hac præcisè causa deputandi novos Examinatores. Si verò supererent Examinatores saltem tres, cùm iis poterit fieri examen absque eo, quòd plures à Capitulo deputentur. Lotterius *loc. cit.* explicatiùs idipsum verbis iterum ipsiusmet sacræ Congregationis Concilii proponit *loc. cit. nu.* 20. ubi : Curabit idem Vicarius (intellige Capitularis, seu sede vacante à Capitulo constitutus) ut singulis annis à diœcesana Synodo probentur Examinatores saltem sex, ex quibus tres ipse eliget, cósque congregabit, qui secum examen perficiant ad singulas Parochias vacantes. Et si ex dictis Examinatoribus sex aliqui intra annum suæ electionis mortui sint, tota facultas examinandi ad superstites, etiamsi unus tantùm supereset, eo anno durante spectabit. Si contingat sequentibus annis nullos alios Examinatores eligi in Synodo diœcesana, illi sex, qui semel præcedente anno electi fuerint, pro legitimis habeantur, etiam post lapsum annum suæ electionis, & sic in officio suo perseverare possunt, donec alii servatâ formâ Concilii electi fuerint. Et si ex dictis sex examinatoribus aliqui mortui fuerint, curabit Vicarius, ut lapso anno alii in locum demortuorum sufficiantur, seu eligantur in Synodo diœcesana, aliqui, qui supererunt, pro legitimis non habeantur. Vide dicta à me *in Foro benef. part.* 1. ubi de hac materia concursûs, & constituendorum Examinatorum fusè. De cetero videtur idem posse vel non posse Capitulum extra deputationem Examinatorum extra Synodum, quod circa illam extra Synodum potest, vel non potest Episcopus.

*Quæstio* 532. *Quid possit, vel non possit Capitulum sede vacante circa commendationem beneficiorum tam Parochialium, quàm aliorum ; item circa constitutionem administratoris, & œconomi ?*

1. Resp. primò in genere, posse Capitulum sede vacante vacantia beneficia, etiam quæ conferre attinebat ad Episcopum, commendare ad tempus, providendo de idoneo Vicario & œconomo, qui illa administret, dato ei congruo stipendio, donec beneficia ab eo conferantur, cui competit eorum collatio. Id enim ad rectam diœcesis administrationem spectat. In hisce terminis generalibus loquuntur Barbosa *jur. eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.* 94. citans Rebuff. *in pr. tit. de devolut. nu.* 77. & 80 Molin. *de Iust. tr.* 5. *d.* 11. *nu.* 11. Azor. *p.* 2. *l.* 3 *c.* 38. *q.* 8. (cujus tamen doctrinam intelligendam esse de beneficiis simplicibus, & non de curatis, ait Diana *p.* 8. *tr.* 4. *resolut.* 32.) Castrop. *cit. p.* 29. *n.* 21. & fusè Fermosin. *tr. de capit. sede vac. q.* 25. *à n.* 12. ego *For. benef. p.* 2. *q.* 711. *n.* 2.

2. Notandum tamen, aliud esse commendare ecclesiam seu beneficium, aliud dare illi adminis-

ſtratorem, cuſtodem ac œconomum. Quamvis enim is, cui eccleſia ad tempus commendata eſt, titulum beneficii non habeat, plus tamen juris obtinet, quàm merus adminiſtrator aut cuſtos, quippe cùm ſpectatâ ſaltem conſuetudine, permittatur commendatario (intellige etiam temporali) ut fructus beneficii interim percipiat, & annexis beneficio juribus utatur, cùm & labores ſuſtineat. Laym. *ad c. nemo. de elect.* citans Jo. Monach. *in idem cap. nu. 3*

3. De cætero reſponſionem limitat Lotter. *l. 2. q. 2. n. 25.* ut procedat, modò urgeat neceſſitas, quia nimirum beneficium habet annexum onus, & patitur defectum miniſtrorum.

4. Limitat ſecundò *loc. cit. num.* 40. nempe ut procedat ceſſantibus reſervationibus apoſtolicis, dum enim hodiedum omnia beneficia ſpectantia ad collationem Epiſcopi vacantia ſede Epiſcopali vacante reſervantur Papæ, cenſet non poſſe Capitulum in parochialibus, aliiſque beneficiis apponere œconomum, aut temporaliter commendare; eò quòd ex eo, quòd Papa habeat providere, & collatio non pertineat ad ſucceſſorem in Epiſcopatu, ſoli Papæ ſeu miniſtris ejus competit illud jus cuſtodiæ, aut deputatio œconomi, aut temporaria commenda. Lotter. *num.* 36. citans Abb. *in c. bonæ memoriæ. nu.* 12. *&* 13. *de appellat.* & *in c. nobis. nu.* 6. *de elect.* & Rotam *in una Abulenſ. paroch.* 1. *Febr.* 1593.

5. Limitatur quoque ab aliis quoad tempus, ita ut licè loquantur in terminis generalibus non diſtinguendo beneficia parochialia à ſimplicibus, dicant nihilominus Capitulum ea commendare, vel etiam in iis ſtatuere poſſe œconomum ad ſex menſes, ut Laym. *in c. cùm vos. de off. jud. ordinar. n.* 3. & loquuntur hac in parte de Capitulo ſicut de ipſo Epiſcopo.

6. Reſp. ſecundò in ſpecie, poſſe quoque Capitulum ſede vacante eccleſias Parochiales commendare, conſtituerèque Vicarium, qui eccleſiæ deſerviat, & Sacramenta adminiſtret etiam ultra ſex menſes, donec fuerit de paſtore proviſum. Barboſ. *loc. cit. nu.* 110 *in fine* ex Azebedo *conſ.* 9. *à nu.* 15. Fermoſ. *qu.* 25. *nu.* 10. citans Rebuff. Abb. Innoc. & plures alios, ac dicens eſſe praxin communem omnium Epiſcopatuum, & multò magis id procedere in beneficiis curatis, quàm ſimplicibus. Idem tradit Azor *loc. cit.* ubi: quid ſi intra ſex menſes rector eccleſiæ datus non fuerit, poteritne ultra id tempus commendare? poterit. imò illud (intellige tempus) protrahere interim, dum fuerit de idoneo rectore eccleſiæ vacanti proſpectum. Nec quicquam Epiſcopo futuro detrahitur; quia is poterit conferre illud beneficium etiam invito eo, aut non vocato, cui commendatum eſt. Item Layman. *in cit. c. nemo. num.* 3. ubi quòd Capitulum poſſit commendam prorogare, ſi accidat Epiſcopatum vacare ultra ſex menſes, & interea idoneus rector haberi nequit, aut alia neceſſitas prorogationem expoſtulet. Atque ità quoque quoad hanc prorogationem temporis in commenda Parochialium loquendum de Capitulo, ſicut de Epiſcopo, ſi is viveret.

7. Reſp. tertiò: Non poteſt tamen Capitulum, ejúſve Vicarius Parochialem eccleſiam dare in commendam temporalem ei, qui in concurſu magis idoneus judicatus, aut is conſtitui in adminiſtratorem ejuſdem. Fagnanus *in cap. illa ne ſede vac. à num.* 26. ubi ipſiuſmet S. Congregat. Concilii verbis ſic ait: meritò magis idem Capitulum (intellige Cathedrale ſede vacante) abſtineat à conferendo Parochialem vacantem in commendam temporalem ei, qui magis idoneus fuerit judicatus (intellige in concurſu) maximè etiam caveat, ne concedat omnes fructus ipſius Parochialis eidem, dictâ commendâ durante. Quoniam Concilium hæc omnia prohibuit, dum ſtatuit Epiſcopum debere ſtatim habitâ notitiâ vacationis Parochialis idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione conſtituere. Quod munus obibit Vicarius præcisè ſede vacante deputatus. Cavebitque & ipſe à dicta commenda, & à conceſſione omnium fructuum, & illud quoque ſibi interdictum ſciet, ne eum, quem magis idoneum ipſe judicaverit, conſtituat Vicarium in Parochiali, aut ei quoquo modo præficiat, donec collatio fiat, ſed debet omnino à principio vacationis, & antequam ullum examen fiat, conſtituere in ea alium Vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec Parochialis fuerit à ſede Apoſtolica magis idoneo collata.

8. Reſp. quartò: Capitulum nequit commendare beneficium regulare Clerico ſæculari, & è contra. Azor *loc. cit.* ex Rebuff. *in pr. benef. tit. de devolut. num.* 83. contra Præpoſ. *in cap. Presbyteri,* & Petrum Peruſin. *in cap. ſi conſtiterit. de accuſat.* Nam nec ipſe Epiſcopus id poſſet, argumento *clem. de ſuppl. neglig. prælator. in* 6. Solius enim Papæ eſt regularia beneficia Clericis ſæcularibus, & ſæcularia regularibus committere. *c. cùm ſingula. de præb. in* 6. niſi fortè, ut addit Azor, dicat, jura ſolùm prohibere, ut conferantur; & verbum *committere*, accipere prout eſt idem quod commendare.

9. Reſp. quintò, de cætero, ſi ſermo eſt de commendatione propriè tali, etiam ſeclusâ reſervatione nequaquam Capitulum commendare poteſt beneficia, quia commendatio propriè talis, ſeu perpetua, æquivalet collationi, quæ Capitulo eſt interdicta. quin & omnis commendatio (intellige propriè talis ſeu perpetua) (Parochialium) à Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 18. interdicta eſt Epiſcopis. Caſtropalao *loc. cit. nu.* 21.

## *Quæſtio* 533. *Quid poſſit Capitulum ſede vacante quoad recipiendas reſignationes beneficiorum, & reſignatorum collationes.*

1. Reſp. primò, Capitulum ſede vacante, ejúſque Vicarius beneficiorum non ſolùm ſpectantium ad collationem ſimultaneam Epiſcopi & Capituli; verùm etiam ſpectantium ad collationem ſolius Epiſcopi ſimpliciter factas recipere poteſt. Barboſ. *jur. eccleſ. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 96. citans Zerol. *in pr. Epiſc. part.* 2. *v. Capit.* § 7. Riccium *in pr. aurea, reſol.* 243. Sbroz. *de off. Vic. part.* 2. *quæſt.* 71. *num.* 12. Pariſ. *de reſign. lib.* 7. *quæſt.* 23. *num.* 20. Pavin. *de poteſt. Capit. ſede vac. part.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 11. *& ſeq.* Azor *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 38. *quæſt.* 3. Diana *part.* 8. *tract.* 4. *reſolut.* 28. citans plures alios, & ſtudioſè remittens ad Baunium *tom.* 2. *tract.* 11. *quæſt.* 23. *per tot.* Ventrigl. *tom.* 2. *annotat.* 15. §. 1. *num.* 51. Caſtropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 29. *num.* 15. Garcias *part.* 11. *cap.* 3. *numer.* 256. contra Rebuffum *in pr. tit. de devolut. numer.* 94. *& ſeq.* Proſper. de Auguſt. *in addit. ad ſumm. Bullar.* Quarantam. *v. Capit. num.* 1. apud Dianam *loc. cit.* item contra Laym. *in c. Cùm olim.*

olim de major. & obed. num. 11. quem sequitur Pirh. ad tit. de renunc. num. 74. quatenus tenent non posse resignationes eorum beneficiorum, quæ ad solius Episcopi resignationem spectant, simpliciter factas à Capitulo recipi; eò quòd receptio talis resignationis sit gratia, seu remissio obligationis. Pro quo Laym. citat Garciam p. 5. c. 7. nu. 2. ubi tamen is de hoc nihil, sed solùm ait, aliquos dicere, Capitulum succedere in iis solùm, quæ sunt justitiæ & necessitatis, non in iis quæ sunt gratiæ & voluntariæ jurisdictionis. Verùm in contrarium est ratio, quam ipse etiam Garcias indicat loc. cit. num. 4. Fungitur namque Capitulum vice Episcopi, & succedit in illis, quæ spectant ad jurisdictionem Episcopalem, & rectam Episcopatûs administrationem, exceptis casibus à jure expressis, inter quos non est dicta receptio. Diana loc. cit. & ego part. 2. qu. 714. adde ex Paris. Dian. Azor. loc. cit. quòd resignatio potest, quin & fieri debet in manibus illius, qui invitum potest spoliare beneficio, & non in manibus collatoris (intellige, dum iste facultate destituendi caret) sed Capitulum sede vacante potest invitum destituere, privando aliquem beneficio ob crimen. ergo. Nec obstat, quòd alienatio sit interdicta Capitulo sede vacante, cùm receptio resignationis non sit propriè alienatio; quia Capitulum eam recipiens non hoc ipso beneficium conferat, aut conferre possit. Paris. cit. qu. 23. nu. 28.

2. Procedit responsio non solùm in resignatione, quæ fit in pœnam resignantis, sed etiam in qualibet alia quacunque voluntaria (intellige tamen, si fiat ex causa aliqua, quia omnis resignatio requirit causam aliquam) Diana loc. cit. Cujus contrarium sensisse videtur Paris. loc. cit. num. 35. ubi; declara conclusionem procedere, quando fit resignatio in pœnam resignantis. Ratio est, quia admissio talis resignationis pertinet ad justitiam; & in his, quæ sunt justitiæ, succedit Capitulum sede vacante; ideo resignationem gratiosam non posse admitti à Capitulo sede vacante, ut inquit Lapus. Citat quoque præter Lapum pro hac doctrina Federicum de Senis tract. de permut. benef. quæst. 36. num. 62. Pavin. &c. Et ita expressè tenet Laym. loc. cit. secus est, si accipiatur resignatio propter crimen commissum, seu in pœnam, aut ob aliquam necessitatem, vel si causâ permutationis. His casibus Capitulum dare potest potestatem (intellige resignandi) seu authorizare & recipere resignationem. Laymannum sequitur Pirh. & idem sentire videtur Formosin. quæst. 25. num. 3. & 7. Verùm, ut bene Diana, ratio à nobis data est regula generalis. Adde, quod ait Azor loc. cit. resignationes admittere non causâ permutationis, sed simpliciter factas, est plerumque necessitatis, non voluntatis. nam justis de causis beneficiarii aliquando sua beneficia deponunt, seu dimittunt. Quin &, ut ipse Paris. loc. cit. num. 25. ex mente etiam Feder. de Senis, & Jo. And. in c. unic. de major. & obed. in 6. plurima potest Capitulum sede vacante de pertinentibus ad Episcopum, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ. Procedit quoque non solùm quoad resignationes spectantium ad solius Episcopi collationem, verùm etiam ad aliorum inferiorum collatorum. Posse quoque Capitulum sede vacante resignationes beneficiorum recipiendas committere alteri, tradit Paris. loc. cit. n. 34. citans Pavin. p. 2. q. 2. nu. 15.

3. Resp. Secundò non potest tamen istiusmodi beneficia coram se simpliciter resignata conferre. Azor. Barbos. Castropal. locis cit. Paris. loc. cit. num. 19. Sunt enim hæc duo, resignationes recipere, & resignata conferre valde diversa, potéstque unum, & non alterum competere alicui. Paris. loc. cit. num. 30. Castropal. num. 16. éstque Capitulo, ut dictum, prohibitum conferre beneficia spectantia ad liberam solius Episcopi collationem, qualia esse non desinunt, dum vacant per liberam resignationem non factam in manibus Papæ. Neque magis necessaria est Episcopo talis beneficii provisio, quàm si vacaret morte beneficiati. Castrop. num. 15.

4. Resp. Tertiò potest quoque Capitulum sede vacante præstare authoritatem permutationibus, sive recipere resignationes factas permutationis gratiâ, dum ea aliàs spectant ad collationem Capituli, vel etiam ad collationem Capituli, & simul Episcopi, vel ut addit Barbos. tertii alicujus. quia admissio permutationis est actus jurisdictionis episcopalis ad rectam diœcesis administrationem spectans, adeóque transit ad Capitulum, cùm non inveniatur in jure exceptus. Paris. loc. cit. nu. 31. juncto nu. 37. Ventrigl. loc. cit. Azor. p. 2. l. 7. c. 29. qu. 4. vers. hinc efficitur. Barbos. loc. cit. nu. 94. citans insuper gl. in Clem. 1. de rerum permut. v. confirmatur. Bonacin. de simon. q. 4. §. 12. num. 7. Garc. p. 11. c. 4. à num. 75. Non potest tamen recipere resignationes permutationis gratiâ, dum ea spectant ad Episcopi (vel etiam alterius) solius collationem. Diana loc. cit. resolut. 29. citans Meroll. tom. 3. d. 7. dub. 11. num. 135. Barbos. loc. cit. citans Riccium in collectan. decis. p. 6. collect. 487. & Puteum decis. 320. l. 2 in correctu. Castropal. loc. cit. num. 18. contra Laym. loc. cit. Wames. tom. 1. cons. 13. num. 10. Chok. de permut. benef. c. 8. nu. 6. Ventrigl. loc. cit. ubi is: Limitatur (nempe quòd Capitulum possit recipere resignationes in causa permutationis, seu permutationes) ut possit resignationes ex causa permutationis recipere etiam in beneficiis spectantibus ad solam collationem Episcopi, licèt non possit permutationem exequi, & illi authoritatem præstare, sed sit exspectandus Episcopus, refert Garc. p. 11. c. 4. n. 72. Item contra Azor. p. 2. l. 3. c. 38. q. 4. ubi: an Capitulum sede vacante possit recipere, & approbare permutationes beneficiorum, dum sunt sententiæ, una negat, altera affirmat. Veteres quidam negârunt, sed concedunt Feder. de Senis tract. de permut. benef. q. 36. Lapus, Panorm. Felin. in cùm olim. de major. & obed. Card. Imol. Vitalin. cùm gl. in Clem. 1. de rer. permut. Hæc opinio est probabilior; ea verò sic intelligenda: Capitulum potest quidem recipere permutationes, sed non conferre beneficia permutata, nisi jus conferendi ad ipsum pertineat, vel communiter ad ipsum Episcopum & Capitulum. ita gl. loc. cit. Sicut in simili potest Episcopus admittere resignationem beneficii reservati Papæ, sed nequit illud conferre, ut docent Lapus, Feder. de Senis loc. cit. & Rebuff. in pr. tit. de devolut n. 94. Verùm vel ex hoc ipso, quòd dicatur ab adversariis, ea beneficia sic resignata à Capitulo tamen conferri non posse, rectè arguitur hæc sententia inconsequentiæ, & stabilitur nostra responsio. siquidem nemo recipere potest resignationem beneficiorum factam permutationis gratiâ, nisi etiam beneficia illa conferre possit, dum permutantium quilibet hac conditione, & non aliter re-

signat suum beneficium, ut loco illius beneficium alterius consequatur. Sed Capitulum beneficia illa conferre non potest, ut fatentur adversarii, & rectè docent Fermosin. *q.25.n.4.* Dian. *cit. resol.29.* Barbos. Castrop. Garc. *ll. cit.* innixi iterum generali regulæ; nimirum quòd Capitulo interdicta sit provisio beneficiorum spectantium alias ad liberam Episcopi collationem, qualis adhuc est collatio beneficiorum resignatorum permutationis gratiâ. tametsi enim, ut bene Castropol. *loc. cit. n.19.* beneficia permutata necessariò conferenda sint permutantibus, ita ut hi compellere possint admittentem permutationem, ut eam perficiat, beneficia permutata sibi conferendo; quia tamen hæc necessitas collationis non provenit aliunde, quàm ex libera permutationis acceptatione, quámque propterea non alius (uti alias contingit in collatione beneficii, ad quod quis præsentatus est) sed Episcopus liberè acceptans permutationem sibi ipsi injecit, collatio dicenda est absolutè libera, & non nisi necessitate consequente, nimirum ad liberum arbitrium necessaria, adeóque dum dicitur Capitulum conferre posse, quæ sunt collationis necessariæ, intelligendum id non est de conferendis necessariò hac necessitate consequente, sed de conferendis necessariò absolutè, & necessitate ab aliis Episcopo imposita. Unde jam rectè concluditur, non posse Capitulo permitti facultatem recipiendi permutationem, quin permittatur eidem potestas conferendi; & contrà collatione hac vetitâ, non posse non esse ei vetitam receptionem permutationis, etsi hæc dicatur esse actus jurisdictionis episcopalis, uti hanc sequelam legitimam agnoscit Diana *loc. cit.* & stabilit hoc exemplo: si Vicarius Episcopi generalis haberet facultatem ab Episcopo recipiendi resignationes beneficiorum ex causa permutationis, posset jam eo ipso sine alia facultate ab Episcopo accepta ea conferre permutantibus. uti hoc ipsum tenet, & hanc sequelam alio manifesto exemplo comprobat Paris. *de resignat. lib. 2. qu. 16. num.4.* relatis pro hoc plurimis, dum ait: Reservatio impedit permutationes coram Ordinariis (cujus contrarium rectè pro hac sententia adducebat, & adducere debebat Azor:) nam si possent admittere permutationem, deberent quoque conferre permutantibus juxta *c. 1. de rerum permut. in 6* & ibi communiter AA. & quia conferre non possunt reservata, prohibentur admittere eorum permutationes. Quibus contrarium non dicit Paris. dum *loc. cit. num. 2.* tradit, posse resignari reservata coram Ordinariis, etsi ab eis conferri nequeant; longè enim diversum est, reservata resignare simpliciter & absolutè, & resignare ea permutationis gratiâ. Nil enim vetat resignari simpliciter beneficium in manibus alicujus, qui id conferre nequit, ut patet, dum resignatio fit in manibus Episcopi, & collatio istius beneficii resignati sæpe ab inferiore collatore. Ego in *Foro benef. part.2. qu.713. in fine.* Facitque pro hoc, quòd admissio resignationis separari nequeat à collatione in permutationibus beneficiorum, juxta doctrinam Lotterii *lib.3. qu.19. num.10. ubi* permutatio secum trahit executionem, consummatúrque in simplici Superioris admissione, juxta doctrinam Innoc. *in c. inter cætera. num 3. de præb.* quem sequitur Archid. *in c. unic. de rerum permutat. in 6.* adeò ut non sit necessarius actus collationis, ut punctualiter Feder. de Senis *cons.73.n.5.* Quam doctrinam eandem expressiùs adhuc tradit Gonz. *ad reg.8. gl.14. num.43. & 44.* ubi: in permutationibus non est necessaria aliqua expressa collatio nova ipsis permutantibus de beneficiis permutatis facienda; sed statim, quòd ex causa permutationis beneficia resignantur, & Superior resignationem admittit absque alia collatione, transfert ea invicem in alterutrum, & in continenti permutatio eo ipso perfecta permanet absque alia nova collatione. Nam illa admissio habet vim tacitæ collationis. citat pro hoc Federic. de Senis *de permut. nu.44. qu.27.* Anchar. *in cit. c. inter cætera.* & Rotam *decis.16. num.6. de rerum permut. in antiq. & decis.1. nu.3. tit. eodem in novis.* Contra quam tamen doctrinam Lotterii quid obmoveri possit, vide apud me *in For. benef. p.3. q.391.*

5. Unde jam etiam minùs rectè Gartiam. *p.11. cap.4. num.81.* censet Castropal. *loc cit. num.20.* nempe quòd, si permutatio jam admissa esset à vivente Episcopo. & necdum ad effectum perducta, sive necdum facta collatio permutatorum beneficiorum, per eam perfici, & sic beneficia permutata permutantibus à Capitulo sede vacante conferri. eò quòd (præterquam quòd casus talis vix contingere possit; cùm admittens permutationem eo ipso, seu eodem contextu admittat resignationem, & conferat resignata; quin & idipsum absolutè fieri nequeat, juxta doctrinam illam Lotterii & Gonz.) hæc perfectio permutationis, seu collatio facienda ab Episcopo, si supervixisset, in sensu jam explicato adhuc foret libera.

6. Stabilitur & hoc ipsum, nempe quòd Capitulum resignationem permutationis gratiâ factam admittere nequeat, & collationem beneficiorum permutatorum reservare futuro Episcopo; licèt etiam detur posse collationem in hoc casu separari à receptione resignationis. Siquidem dicta resignatio admitti nequit, quin simul admittatur (intellige à recipiente hanc resignationem) conditio collationis illorum beneficiorum compermutantibus faciendæ. ut Castrop. *de benef. d.6. p.3. §.1. num.2.* & quem citat Garc. *part.11. cap.4. à num.85.* (quin &, ut Castrop. *loc. cit. num.1. in fine,* admittens resignationem ex causa permutationis eo ipso obligetur beneficia resignata conferre permutantibus) adhuc Capitulum nequibit illa recipere, collatione illorum reservatâ futuro Episcopo, eúmque obligare ad ea hisce, & non aliis, conferenda; cùm libertatem, quam habet conferendi beneficia, quæ ad illum solùm spectant, restringere nequeat. Quam eandem rationem tangit Diana *cit. resol.29* ubi etiam addit: neque in casu, ubi Episcopus futurus noluerit permutationem perficere, beneficia illa conferendo permutantibus, hi ad ea (utpote quæ amiserunt resignando coram Capitulo, quod eorum resignationes admittere nequibat) redire nequeant sine nova collatione; secus ac accidit in permutationibus factis coram Papa, & non sortitis effectum. Citat Diana pro hoc Gambar. *in c.1. de rer. permut. in 6. n.114. & seq.*

7. Porro circa hanc materiam receptionis resignationis faciendæ, à Capitulo notanda sunt sequentia. Primò, si Capitulum sede vacante esset in possessione recipiendi resignationes omnium beneficiorum, etiam spectantium

tium ad solius Episcopi collationem, posset recipere resignationes, & conferre omnia beneficia. Paris. *l.7 q.23.n.40* quia in his attenditur possessio juxta *c. consultationibus. de Jurep.* imò ex unica collatione sortita effectum acquiritur possessio conferendi. Paris. *loc. cit. n. 4.* citatis plurimis, Etsi de cetero Capitulum sede vacante non possit præscribere hanc facultatem recipiendi resignationes; cùm sede vacante nec inchoari, nec currere, nec finiri possit præscriptio; cùm ecclesia careat legitimo defensore, & sit pupilla. Paris. *n. 44. & 45.* secundo in casibus, in quibus Capitulum sede vacante potest recipere resignationes, & resignata conferre (: intellige, dum ea alias se solo conferre non potest :) debet hoc facere ante provisionem faciendam in consistorio de novo Prælato. Paris. *loc. cit. n.46.* hac enim factâ, sedes non ampliùs vacat, etiamsi necdum capta possessio. Paris. *n.47.* citans Rotam *in Burgens. canonicat. 28. Jan. 1583.* cùm aliàs vacet sedes usque ad confirmationem; provisio autem facta in consistorio, seu provisio apostolica, ut Calderm. *cons. 4. de elect.* Felin. *in c. 2. descrip.* habet vim electionis, & cõfirmationis. Paris. *n.48. & 49.* Plura circa eandem materiam authorizandi permutationes beneficiorum per capitulum sede vacante vide apud me *in For. benef. p.3.q.848. & 949.*

*Quæstio 534. Quid possit Capitulum sede vacante circa uniones beneficiorum?*

RESP. primò Capitulum sede vacante sibi unire nequit beneficia. Barbos. *jur. Eccl. l.1. c.32. n. 99.* Ventrigl. *tom.2. annot.8 §.1. n.8.* Laym. *in c. cùm olim, de major. & obed. n. 11.* Castrop. *tract.13. d.6. p.12. §.2. n.13.* Garc. *p.12. c.2. n. 68.* testans decisum à S. Cong. Concil. capitulum sede vacante non posse supprimere quodcunque beneficium, & sibi unire, sicut sede plenâ non potest consentire unioni faciendæ ipsi Capitulo directè, & principaliter.

2. Resp. secundò; num verò possit unire aliis piis locis, vel beneficiis beneficia, per quorum unionem nihil juribus, aut jurisdictioni Episcopi detrahitur, non conveniunt AA. sed utrimque æquè ferè probabiliter dissentiunt. Affirmativam tenent Ventrigl. *loc. cit.* dicens eam esse magis communem. Dian. *p.8. tract.4. resol.31.* Laym. *loc. cit.* citans seipsum *theol. mor. l.4. tract 2. c.9. n.6* Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.67.* citans Caccialup. *in tract. de unione a.3. q.6. n.19.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de union. n.36. & tit.* de *devol. n.100.* Pet. Perus. *tr. de union. c.4. n.29.* (vel ut Barbos. eum citat, *c.5. n.26.*) Zerol. *in pr. Episc. p.1. v. unio. §.11. & p.2. v. capit. §.9.* Marc. Anton. Genuens. *in pr. curiæ Neapol. c.85. n.25. edit 1.* Azor. *p.2. l.6. c.28. q.9.* (quamvis idem Author expresè contrarium teneat. *p.2 l.3. c.38. q.9.*) & insuper Sanch. *in sum. tom.2. l.7. c.29. n.155.* Fundamentum horum AA. est, quòd potestas hæc uniendi sit jurisdictionis episcopalis, & quidem necessariæ; eò quòd non nisi urgente necessitate Ecclesiæ, vel evidente illius utilitate facienda sit unio, neque sit ex casibus in jure exceptis, adeòque in ea succedat Capitulum, quibus non obstat, quòd Capitulum beneficia conferre nequeat; unire autem non possit beneficium ecclesiæ, seu alteri beneficio, nisi id ei conferat, nam lata est disparitas inter unire & conferre. beneficium enim etiam nondum vacans potest uniri, non tamen conferri. Item unire est necessitatis, vel evidentis utilitatis Ecclesiæ; non verò conferre. Dian. *loc. cit.* ex Sanch. & Azor. *cit. c.28. q.9.*

3. Nihilominus oppositam sententiam tenet Azor. *cit. c.38. q.9.* ubi etiam ait, AA. oppositæ sententiæ loqui non de unione facta accessoriè, sed æque principaliter; quia volunt, id posse Capitulum, ubi nihil decederet per talem unionem juri episcopali (qualiter illi nihil decederet per unionem factam æquè principaliter, vel etiam factam accessoriè de beneficiis spectantibus ad collationem solius Capituli; decederet autem per unionem factam accessoriè; cùm beneficium sic unitum extinguatur, adeòque subtrahitur imposterum collationi Episcopi) in quo tamen fallitur Azor. quia etsi aliqui eorum id velint, non tamen omnes, ut patet ex Castrop. Item hanc sententiam oppositam tenent Lotter. *l.1. q.28. n.141.* Item Meroll. *tom.3. d. 7. c.7. dub.14. n.147.* apud Dian. Item Pavin. *p.3. q.3. à n.17.* Cuch. *in institut. major. l.2. tit.9. n.87.* Hojed. *de incompar. benef. p.2. c.3. n.7.* apud Garciam, quamvis Hojeda pro affirmativa citetur à Dian. & Barbos. Fundamentum potissimum hujus sententiæ est, quòd etsi unire sit jurisdictionis episcopalis, & jurisdictio transeat ad Capitulum, unire tamen sit de reservatis Episcopi, implicètque alienationem & extinctionem rituli, quæ sede vacante in specie est prohibita capitulo. ad cujus tamen rationis primam partem rectè respondet Ventrigl. *loc. cit. n.9.* quòd unire sit proprium Episcoporum, id solùm dici ad exclusionem Prælatorum inferiorum Episcopo, non habentium jurisdictionem episcopalem, quod dici nequit de Capitulo, utpote quod succedit in integram jurisdictionem Episcopi. Ad illud etiam, quod pro hac sententia negativa adduci solet; quòd nimirum talis unio facta per Capitulum cedat in præjudicium juris episcopalis, dum hac viâ subtrahuntur beneficia sic unita ejus collationi; respondet Castropal. *loc. cit. n.12.* negando creari per hoc præjudicium aliquod, aut diminutionem juris episcopalis, utpote quod jus in eo consistit, ut possit omnia beneficia sibi subjecta, quamdiu naturam beneficii retinent, providere, quæ potestas per hoc non diminuitur, quòd beneficia vi istius unionis extinguantur. adde, quòd vel ex hoc jus illud Episcopi non magnopere diminuatur; cùm loco illius, quòd aliàs non factâ unione possit conferre duo beneficia, jam facta illa unione possit conferre beneficium pinguius, seu tanti valoris, quanti ista duo, dum beneficium, cui unitum est aliud, spectat ad illius collationem.

*Quæstio 535. Quid possit Capitulum sede vacante circa dissolutionem unionis beneficiorum?*

RESP. Si Capitulum sede vacante uniones facere potest, potest & easdem à se vel Episcopo factas dissolvere ex causa. Castropal. *de benef. d.6. p.12. §.4. n.4.* Azor. *p.2. l.6. c.29. q.5.* res enim per quas causas nascitur, per eas & dissolvi potest. Castrop. *loc. cit.* & licèt id fallat in præsente quò ad eos, qui solùm ex consuetudine, aut privilegio unire possunt, dum illi nequeunt uniones à se factas dissolvere; eò quod dissolvere est quid diversum ab unire, & consuetudo, & privilegium se non extendunt ad contraria. Azor. *loc. cit.* & ex eo Castrop. citantes Rebuff. *in pr. tit. de union. revocat. n.19.* non tamen fallit quò ad Capitulum, utpote quod si unire potest, id potest potestate ordinaria, & episcopali. Porrò sicut Episcopus, sic nec Capitulum Ecclesias exemptas unire aut unitas dissolvere potest Azor. *loc. cit.*

*Quæstio 536. Quid possit Capitulum sede vacante quò ad dismembranda, & dividenda beneficia?*

1. REsp. ad primum. Si unire potest accessoriè unum beneficium alteri, sive facere uniones, quas facere potest Episcopus, ut plerique ex citatis AA. *quæst. ante hanc* 2. & uniones factas dissolvere, videtur quoque beneficia posse dismembrare in casibus, in quibus id potest Episcopus servatis servandis. dismembrare enim beneficia aliud non est, quàm separare aliquos fructus, & reditus beneficii ab ipso beneficio, ut alteri beneficio vel pio loco applicentur. Castropal. *loc. cit. p.* 9. §. 10 *n.* 1. & quidem intacto & inextincto ipso beneficii titulo. per unionem verò accessoriam extinguitur ipse titulus beneficii, quod unitur, fructúsque, & reditus illius omnes applicantur beneficio, cui unitur, efficitúrque veluti prædium illius; quòd sanè plus est, majoremque sapit alienationem, quàm relicto in rerum natura beneficio partem fructuum ab eo separatam applicare alteri. ergo hoc postremum potest, qui potest prius. Si verò Capitulum sede vacante unire non potest beneficia nisi fortè ad summùm æquè principaliter; idque quia ista unio accessoria sapit alienationem, videtur quoque non posse beneficia dismembrare; sapit enim & ista dismembratio alienationem; etsi, ut dictum, minorem quàm dicta unio accessoria; omnis autem alienatio interdicta sit capitulo. ex ista verò potestate faciendi unionem æquè principaliter argui nequit potestas illa dismembrandi; cùm per unionem principalem neque titulus beneficii extinguatur, neque fructus ab eo separentur, sed beneficium unà cùm fructibus suis ita connectetur alteri, ut ex duobus beneficiis, quorum singula manent in rerum natura, consurgat unum.

2. Resp. ad secundum pari modo, si unire potest beneficia accessoriè, videtur quoque posse beneficia dividere, quæ dividere poterat Episcopus. dividere enim beneficium est ipsum titulum beneficii dividere, & ex uno facere duos, seu ex uno beneficio duo, v. g. ex una Parochiali facere duas, ex uno Canonicatu facere duos Canonicatus, vel Canonicatum, & portionem. per quam sectionem veluti ipsius tituli differt divisio à dismembratione, utpote in qua titulus remanet integer, & unus. Garc. *loc. cit.* Castropal. *loc. cit. n.* 3. hoc autem minus videtur, quàm titulo extincto penitus separatos ab eo fructus applicare alteri, & sic ex duobus beneficiis non nisi unum relinquere, uti fit per unionem illam accessoriè factam. videtúrque idipsum adhuc clariùs sequi ex eo, quòd uniones factas accessoriè rescindere potest, ita ut denuo duo consurgant beneficia. Et posse beneficia ab eo dividi, tenet Laym. *in c. olim. de majorit. & obed. n.* 11. ubi; Capitulum sed evacante beneficiorum uniones instituere, quin & beneficia dividere potest; quia ejusmodi propter utilitatem ecclesiæ, seu ob causam rationabilem fieri solita ad episcopalem jurisdictionem spectant; ergo à Capitulo vacante sede expediuntur, dummodo ejusmodi unio, vel divisio non tendat per se in utilitatem capituli, neque per eam juri episcopali præjudicetur. citat pro hoc seipsum. *theol. mor. l.* 4. *tract.* 2. *c.* 9. *n.* 6. Porrò in ordine ad hæc utiliter leges, quæ tradidi *in for. benef. p.* 3. *sect. ult.* de hac materia unionis, dismembrationis, divisionis &c.

*Quæstio 537. Quid Capitulum sede vacante possit circa supprimenda & extinguenda beneficia?*

1. REsp. primò supprimere beneficia, ut sibi uniantur, nequit Capitulum. Ventrigl. *loc. cit. n.* 64. Barbos. *loc. cit. n.* 99. juxta dicta paulo supra.

2. Resp. Supprimere de cetero potest in omnibus casibus, in quibus ea accessoriè unire potest; quippe talis unio non fit sine suppressione, & suppressionis filia, ut ait Loterius, est dicta unio.

3. Resp. tertiò; supprimere tamen etiam non posse in casu, & causâ expressis à Trident. *sess.* 24. *c.* 15. tenere videtur Castropal. *tract.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 9. *n.* 2. ubi, quòd dicto Tridentini decreto nomine Episcopi is solus comprehendatur. Verúmque & indubitatum videtur quò ad supprimenda beneficia simplicia in ordine ad reliquarum præbendarum in cathedrali augendas distributiones. Sic enim directè faceret hanc suppressionem in bonum, & utilitatem propriam Capitulum, quod non potest juxta *respons.* 1. & dicta supra, & juxta expressam declarationem S. Congreg. *ad c. 1. Trid.* apud Gallemart. quæ plus non vult, dum ait: *Capitulum sede episcopali vacante nō potest supprimere quodcumq; beneficium & sibi unire.* Veruntamen nil videtur vetare, quo minùs id possit in insignibus Collegiatis, in ordine ad augendos proventus, & distributiones ceterarum præbendarum istiusmodi collegiatarum. quod ipsum *loc. cit.* licere Episcopis vult Tridentinum, & respectu cujus non videtur excludi Capitulum, quod sede Episcopali vacante fungitur vice Episcopi; cùm & ipsum sit necessitatis, spectétque ad bonam diœcesis administrationem; adeóque licèt specialiter id concedatur Episcopis, nil obstat, quò minùs iis defunctis transeat ad Capitulum cathedrale ista facultas, & ex altera parte ista suppressio non cedat directè in utilitatem propriam Capituli. Observandum tamen hìc iterum, ne per talem suppressionem creetur præjudicium juribus futuri Episcopi. vide *quæst. penult. p.* 3. *for. benef.* ubi quid possit Episcopus quò ad suppressiones beneficiorum.

*Quæstio 538. Quid possit Capitulum sede vacante circa alterationes beneficiorum?*

RResp. in genere, videri, posse quò ad hoc punctum Capitulum sede vacante. quod potest Episcopus, dum viveret, jure ordinario, modò non cedat in præjudicium Episcopi futuri. Unde in casu, in quo potest ille onera aliqua beneficio in prima ejus creatione imposita demere, aut præter illa imponere (quæ est quasi alteratio beneficii extrinseca) videtur idipsum posse Capitulum. Item ubi is posset beneficium liberum potestate sua ordinariâ subjicere juripatronatûs (quæ quoque est alteratio beneficii quasi extrinseca) vel è contra de subjecto juripatronatûs reddere liberum, poterit idipsum Capitulum ex regula quasi generali, quòd Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione ordinaria. Item sicut potest Episcopus potestate sua ordinariâ mutare Ecclesiam simplicem in curatam, & parochialem (quæ est alteratio quasi intrinseca beneficii) Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 30. *q.* 2. Castrop. *tract.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 11. *n.* 2. Garc. *p.* 12. *c.* 5 *n.* 1. ita quoque id poterit Capitulum sede vacante. Atque ita vi-

videndum, quid hac in parte possit aut non possit Episcopus. de quo vide *p. 3. for. benef. sect. ult.* ubi de suppressione & alteratione beneficiorum.

*Quæstio* 539. *An Capitulum sede vacante possit beneficiatum privare suo beneficio?*

Resp. affirmativè. Dian. *p. 8. tract. 4. resol. 28.* Paris. *de resignat. l. 7 q. 23. n. 22.* Azor. *p. 2. l. 3. q. 11.* citans Pavin. *p. 2 q. 6. n. 1. & 2.* quia Capitulum succedit in jurisdictione episcopali quò ad inquirendum in criminosos, eósque puniendum; adeóque poterit eos ob crimen dignum hac pœnâ privare beneficiis juxta dicta supra.

***

# CAPUT QUARTUM.

## De constitutione & qualitatibus Vicarii Capitularis.

*Quæstio* 540. *An Capitulum sede vacante teneatur constituere vicarium, per quem jurisdictionem ad se devolutam exerceat?*

Resp. Neque olim tenebatur, neque modò, quantum est de jure communi, tenetur Capitulum constituere Vicarium, sed poterat jurisdictionem ad se per mortem Episcopi devolutam per seipsum exercere. Barbos. *jur. eccl. l. 1. c 32. n 28.* Sbroz *de off. vicar. l. 1 q. 16. n. 9.* Ventrig. *tom. 2. annot. 15. & 2. n. 1.* citans insuper Riccium. *de personar. extra eccl. constitut. l. 1. c. 13. n. 16. in fine.* Hodiedum verò post Tridentinum tenetur pro administratione, & jurisdictione illa ad se devoluta creare seu constituere Vicarium, vel existentem confirmare juxta expressam dispositionem Tridentini *sess. 24. c. 16.* Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. n. 67.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 6.* Sbroz. *loc. cit. n. 8.* Barbos. Ventrig. *ll. cit.* cum communi.

*Quæstio* 541. *Num quoque alia capitula præter cathedralia arctentur à Tridentino, defuncto prælato suo, constituere Vicarium?*

Resp. Negativè. Fagn. *loc. cit. n. 77.* ubi: advertendum dispositionem Concilii in *dicto c. 16.* procedere in Capitulo Cathedralis & Metropolitanæ duntaxat, ut patet ex illius contextu, & declaravit S. Congreg. ejusdem Concilii interpres. nam proposito dubio, an decretum illud Concilii, quòd constituere debeat vicarium, locum etiam habeat in collegiata defuncto ejus prælato, qui ordinariam jurisdictionem, & jura episcopalia habebat, S. Congregatio censuit, non habere locum. Quamobrem in Capitulis titulorum Cardinalium, & aliarum ecclesiarum collegiatarum tanquam omissis à concilio servanda dispositio juris communis &c. ita ille. Quam ejus doctrinam sequitur Carol. de Luca *in observat ad Ventrigl. loc. cit. n. 6.* atque exinde jam sequitur, quòd prælato talis ecclesiæ defuncto penes Capitulum maneat administratio (intellige, quò ad exercitium) idem Carol. de Luca. *loc. cit.* citans pro hoc Card. de Luca *de jurisdict. d. 54. n. 2. & 3.*

***

*Quæstio* 542. *An in aliis quoque casibus extra casum mortis aut captivitatis Episcopi v. g. dum Episcopus ageret in remotis, & interea constitutus ab eo Vicarius mortuus esset, Capitulum possit, aut debeat constituere Vicarium Capitularem?*

Resp. certum esse ex dictis supra *q. 3. hujus tractatus*, jurisdictionem in hoc casu devolvi ad capitulum, ne interea, quo Episcopus agens in remotis de hoc certioretur, aut ad sedem Apostolicam recurratur, clerus, & populus maneat acephalus & sine superiore, ut card. de Luca *de jurisdict. d. 54. n. 7.* quòd si autem interea administratio, & jurisdictio ad Capitulum devolvatur, nil vetat, illud eam exercere posse per Vicarium à se deputatum. Card. de Luca *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de off. vic. n. 77.* contra Marchet. *in pr. vicar. capit. p. 1. tit. 1. n. 32.* & Beroium *cons 23. à n. 4. l. 1.* qui tamen posterior loquitur solùm in casu, in quo Episcopus absens reluctatur, & vult per seipsum administrare; cùm de jure Episcopus non teneatur deputare Vicarium, uti patent hæc ex iis, quæ ex eodem Beroio habet Sbroz. *de Vicar. l. 1. q. 59.* ubi: sive Episcopus negligens sit in eligendo vicario, sive absens, eo refragante Capitulum constituere nequit vicarium. Verùm ut vides is non est casus præsentis quæstionis. Videtur tamen Capitulum in hoc casu non arctari, ad exercendam jurisdictionem per Vicarium à se electum; sed posse eam interea exercere per seipsum; cùm Concilium ad hoc non arctet Capitulum, nisi in casu sedis vacantis, quod non contingit nisi per mortem, aut translationem Episcopi ad aliam ecclesiam, aut etiam ad summùm per captivitatem illius, utpote in quo casu censeri solet, ac si sedes vacaret, & adhiberi quoque solet terminus viduitatis, etsi per quandam improprietatem, seu improprium loquendi modum, ut Ridolphin. *in pr p. 3. c. 4. n. 19. & seq.*

*Quæstio* 543. *Intra quod tempus à morte Episcopi constituendus ille Vicarius?*

1. Resp. primò intra dies octo juxta eandem expressam Tridentini dispositionem. Laym. *ad c. romana. de off. vicar. in 6. n. 16.* Fagn. Garc. Barbos Ventrig. *ll. cit.* cum communi. Currere verò incipit dictum tempus à die scientiæ mortis, vel translationis Episcopi ad aliam ecclesiam. Dian.

*p.8 tract.4.resol.55.* Barbos. *loc.cit.n.32.* Ventrig. *loc. cit. n. 3.* ubi etiam, quòd hæc scientia debeat esse certa, & non sufficiat præsumpta. Hinc si translatio Episcopi facta sub consensu illius, mox, ut is innotuit capitulo, etiam ante captam possessionem novi Episcopatûs Capitulum potest eligere Vicarium. eò ipso enim, ut decidit S. Congregatio 14. *Decemb.* 1624. amisit translatus jura primi Episcopatus, à cujus vinculo fuit absolutus. Tondut. *qq. benef.p.2.c.4.§.6.n.13. & 14.* si autem potuit ab illo momento innotescentis sibi consensus eligere Vicarium, incipit illi currere ab eodem momento terminus ille octo dierum. De cetero præscindendo ab illo consensu, currit hic terminus à Die, quo innotuit Capitulo, Episcopum fuisse per Papam in Consistorio absolutum à vinculo ptioris ecclesiæ, etiam captâ necdum possessione. quin & literis necdum expeditis. Dian. *loc.cit.* Barbos. *n.32.* Ventrigl. *n.3.* citans eundem Barbos. *de canon. & dignit. c.ult.n.32.* Quarant. *in sum. Bullar. v. Capit. sed. vac.* Meroll. *tom.3. d.7. c.7. dub.26. n.186.* ab eo enim tempore vacat prior Episcopatus, adeóque postquam hujusmodi absolutionis notitiam habuerit Episcopus translatus; etiam ex testimonio seu documento secretarii solùm sacri collegii illico tenetur abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eáque transit in Caputulum, idque statim eâ uti potest, & debet, sedémque vacantem publicare, Barbos. Dian. *ll. cit.* ex Massobr. *in pr. habendi concurs. requisit. 1. dub. 9. secundum rom. editionem.*

2. Resp. secundò: Sicut tamen potest Capitulum terminum illum octo dierum restringere & abbreviare. Pax Jord. *l.12.tit.2.n.6.* Ventrigl. *loc.cit.n.2.* citans *c.ecclesia vestra. de electione & ibi* Abb. *notab. 1.* Quarant. *loc.cit.n.2.* contra Meroll. *loc.cit.n.260.* modò tamen non in fraudem absentium Capitularium abbreviet illum terminum. Pax Jord. *loc. cit,* ubi etiam, quòd si pro parte absentium compareret aliquis, ac instaret exspectari terminum juris, esset exaudiendus. Ita quoque non arctatur capitulum intra terminum illum nondum elapsum eligere vicarium; sed potest toto illo termino sibi ad id à Concilio concesso uti. Barbos. *loc. cit. n.31.* Ventrig. *cit.n.2.*

*Quæstio* 544. *An, & ad quem fiat devolutio, Capitulo negligente intra dictum terminum constituere, aut constituente inidoneum.*

1. Resp. Fieri devolutionem ad Metropolitanum, & si Ecclesia ipsa (intellige vacans) fuerit Metropolitana, aut exempta, Capitulúmque negligens (intellige in constituendo intra dictum tempus idoneo Vicario) tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta œconomum (de quo quoque in eodem cap. habitus fuerat sermo) & Vicarium idoneos possit constituere. hæc ferè verba sunt Tridentini. *sess.24 c.16.* & juxta illa Barbos. *jur.eccles.l.1.c.32.n.55. & 56.*

2. Poterit nihilominus Capitulum, dum intra octo dies Vicarium non elegit, re adhuc integra, antequam Metropolitanus eum deputet, purgare moram, & eum eligere. Pax. Jord. *cit. n.6.* (qui tamen ibi dicit, utramque sententiam sibi videri probabilem) Garc. *p.5. c.7. n.7.* & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n.4.* dicens hanc sententiam esse veriorem, & verbis concilii conformiorem, utpote quod istâ devolutione punit negligentiam capituli, quæ purgatâ morâ considerari non potest. & citat pro hac sententia Meroll. *tom.3. d.7. c.7. dub.26. n.235.* contra Suarez. *tom.5.d.28.s.3.n.3.* apud Garc. *loc.cit.* quem is dicit docere, Capitulum debito tempore, & modo per Concilium præscripto non eligens Vicarium, privari pro ea vice facultate eum eligendi, seu ab eo munere suspendi. non tamen addit, quòd etiam purgata morâ privetur eâ facultate. quin etiam Pignat. *tom.8.consult.34.a n.13.* fusè probat, pluribus S. Congregat. responsis, mentem Concilii fuisse, inducere dictam devolutionem ad Metropolitanum in casu non factæ electionis Vicarii intra terminum octo dierum, non tamen, si in tempore facta fuit, sed nulliter, v.g. de non doctore, existentibus doctoribus; pro quo etiam adducit hanc rationem, quòd concilium devolutionem illam statuit potissimùm & principaliter ob negligentiam ingerendo actu, quæ non debeat exrendi ad casum, quo actus quidem gestus fuit, sed nulliter; cùm minus sit peccare in qualitate quàm in substantia: & quia regulariter conceditur aliquid fieri per secundum actum, quando per primum non valuit, nec fuit satisfactum menti disponentis ex allegatis per Gabriel. *tit. de ll. concl. 2. n.28. & 3.* & Tiraquel. *in l. Boves. §. hoc sermone, limit. 1. & 6.*

3. De cetero certum est, quòd si Vicarius constitutus à Metropolitano moriatur, aut ab officio removeatur, contumacia Capituli censeatur purgata, & illud possit intra dies octo ab amotione, aut morte istius Vicarii eligere alium, si cut prius: dispositio enim illa Concilii intelligenda pro una solùm vice Pax Jord. *cit. n.6.*

*Quæstio* 545. *Termino illo octo dierum pendente, an & qualiter Capitulum administret & exerceat jurisdictionem?*

1. Resp. administratio jurisdictionis pro illo tempore non spectat ad primam dignitatem Barbos. *jur. eccles. l.1.c.32. n.29.* testans sic expresè declarasse S. Congregat. Concil. 19. *sept.* 1620.

2. Neque spectat ad archidiaconum. Barbos. *loc. cit.* Pax Jord. *l.12 tit.2.n.4.* citantes Riccium, Quarant. &c. contra Vulpe *in pr. Judic. for. eccles. c.34.n.19.* Navar. *in sum. Bullar. tit. capit. sed. vac. n.16.* Sbroz. *de off. vicar. l.1. q.61.* apud Barbos. quamvis Sbroz. ibi plus non dicat quàm Archidiaconum sede vacante sustinere vices vicarii in iis, in quibus de jure communi est vicarius; & quòd in vacantia sedis Salernitanæ fuerint electi duo vicarii, nempe archidiaconus & unus ex Canonicis, licèt postea gratiosè permissum Archidiacono illi exercere jurisdictionem, & eo impedito ab altero illo. quod non est contra nos. non enim negamus hic posse Archidiaconum à Capitulo eligi in Vicarium: sed illum de jure eo ipso, quòd sedes vacat, esse Vicarium Capituli, & loco illius exercere jurisdictionem. siquidem archidiaconus censetur Vicarius (intellige Episcopi) de jure in aliquibus tantam Episcopo vivente. Unde non bene infertur, totam jurisdictionem Episcopo defuncto vice capituli ad illum spectare. Pax Jord. *cit, n.4.* Nihilominus Archidiacono non secus, ac Archipresbytero salva pro illo tempore vacantiæ manebunt jura sua propria illis competentia de jure communi tanquam

Vica-

Vicariis natis, poterúntque illa exercere non secus tunc quam vivente Episcopo; cùm non debeant esse deterioris conditionis sede vacante quàm eâ plenâ. Pax Jord. *loc. cit. n.* 5.

3. Sed administratio jurisdictionis pro illo tempore residebit penes totum Capitulum, potestque illud per seipsum eam exercere toto illo spatio, sicut antiquitus poterat pro toto tempore vacantiæ. Pax Jord. *n.* 4. Barbos. *cit. n.* 29. citans seipsum *de off. & potest. Epis. p.* 3. *allegat.* 59. *n.* 163. Raguc. *de voce can. in capit. q.* 37 *n.* 2. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. capit. §.* 3. *&c.* Addit tamen Barbos. *n.* 31. quòd possit tunc administrare per se successivè.

*Quæstio* 546. *Num Capitulum sede vacante possit, & teneatur existentem Episcopi Vicarium generalem confirmare, seu potius assumere in suum Vicarium?*

RESP. potest Capitulum, uti & Metropolitanus in casu negligentiæ Capituli, Vicarium generalem Episcopi defuncti confirmare, seu constituere suum Vicarium, modò habeat qualitates à Tridentino in Vicario Capituli requisitas, ita ut si eas non habeat v. g. non esset Doctor, electio seu deputatio illius sit nulla. Pignat. *tom.* 7. *consult.* 4. *n.* 9 juxta decis. S. Congreg. Non tamen tenetur illum constituere suum Vicarium. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 1. *q.* 60. citatis plurimis contra Beroium *cons.* 23. *n.* 7. *volum.* 1.

*Quæstio* 547. *An Capitulum possit duos simul deputare Vicarios?*

1. RESP. Potest Capitulum constituere Vicarios plures (intellige æquè principales, ut expresse Pirh.) quantum est de jure communi. Fagnan. *in c. his quæ de major & obed. n.* 68. Pirh. *adtit. de off. vicar. n.* 57. præsertim ubi diœcesis est amplior. non enim in hoc minus potest, quàm Episcopus. Pirh. *loc. cit.* is verò constituere potest plures Vicarios. Sbroz. *l.* 1. *q.* 50. *n.* 3.

2. Potest quoque hodiedum adhuc, ubi sic habet, & probatur consuetudo immemorialis, Capitulum constituere plures Vicarios, dummodo iis præditi sint qualitatibus, quas in tali Vicario requirit Tridentinum Fagn. *loc. cit.* Barbos. *n.* 33. Ventrigl. Pirh. *ll. cit.* referentes sic expresse & sæpe declaratum à S. Congreg. Trid. puta, *in una Terentina. de qua* Fagn. & in altera *Panormit.* 31. *Maij* 1592. de qua Barbos. Atque ita in vim talis consuetudinis deputari possunt duo vicarii in solidum, vel ut alternis mensibus vicariatûs munere fungantur. ut S. Cong. in illa Panormit. Pirh. Barbos. vel etiam ita, ut deputetur unus pro urbe, alter pro reliqua diœcesi, seu foraneus. Ventrigl. Barbos. *ll. cit.* vel unus generalis & alter pro Monialibus, ut Ventrigl. uti etiam testatur Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 12. *n.* 9. Patriarcham Venetum habuisse Vicarium unum generalem, alterum pro monialibus. & idem de Archiepiscopo Neapolitano Quaranta apud eundem Pax Jord. Atque ita Carol. de Luca *n.* 12. *ad Ventrigl. annot.* 15. §. 2. simpliciter ait, posse Capitulum sede vacante Vicarium Monialium constituere, ubi Episcopus vivus separatum pro iis deputabat. Quòd si tamen consuetudo haberet ut electio, vel deputatio fieret de gremio Capituli, & bini, vel singuli per singulos menses administrent observando ordinem, si Canonici omnes non essent Doctores, vel Licentiati, & haberi possent alii, qui essent Doctores, non valeret talis deputatio seu electio. Garc. *loc. cit. n.* 10. & ex eo Ventrigl. juxta expressam S. Congreg. declarationem. *ad cit. loc. Tridentini*, quam recitat Garcias.

3. Hodiedum tamen post Tridentinum independenter à tali consuetudine non potest Capitulum deputare, nisi unum Vicarium Capitularem. Pirh. Fagn. Ventrigl. Barb. *ll. cit.* Dian. *p.* 8. *tract.* 4. *resol.* 61. citantes Novar. *in sum. Bullar. v. capit. sed. vac. n.* 15. qui etiam testetur, sic determinasse S. Cong. Concil. Loquitur enim Concilium *cit. sess.* 24. *c.* 16. in singulari, & injungit Capitulo, ut sede vacante deputet œconomum unum, vel plures, & eligat Officialem seu Vicarium. atque ita, ubi facit mentionem de electione Vicarii, non repetit illam dictionem *plures*. Fagn. *loc. cit.* nihilominus plures, nullâ factâ mentione consuetudinis, adeóque etiam independenter ab hac Capitulum posse deputare vicarios simpliciter tenent Sbroz *l.* 1. *q.* 50. & 60. *n.* 3. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 36. citans Pavin. *p.* 2. *q.* 10 *n.* 6. Zechum. Auton. Genuens. &c. Item Molin. *de Just. tract* 5. *d.* 11. *n.* 1. apud Barbos. aitque Garcias, sic videri sentire S. Cong. & Concilium loqui quidem in singulari; quia regulariter non solet poni nisi unus vicarius, non tamen tollere, quando plures esse possent Vicarii, & dispositionem loquentem de uno locum habere in pluribus, quando eadem est ratio in illis juxta gl. *in c. compromissarius. de elect. in* 6. *v. compromissarius.* Declarationem verò S. Congreg. (quæ in contrarium adducitur) loqui in casu, quando Capitulum volebat unum ponere, & in controversia fuerunt plures assumpti, quàm duo; eò quòd non conveniat esse tot Vicarios, vel etiam quando unus habebat qualitates requisitas à Concilio, alii verò non.

*Quæstio* 548. *Quid ergo circa hanc pluralitatem Vicariorum possint plura Capitula ecclesiarum sibi unitarum?*

RESP. dum duo sunt Episcopatus uniti, & unusquisque suum habet Capitulum, & Cathedralem, unumquódque Capitulum potest suum Vicarium Capitularem deputare juxta formam concilii. Ventrigl. *loc. cit. n.* 17. citans Quarant. *in sum. Bullar. v. Capitul. sed. vac. in append. fol.* 523. Pax Jord. *l.* 12. *tit.* 2. *n.* 10.

*Quæstio* 549. *An Capitulum possit unum eundémque constituere Vicarium generalem tam in temporalibus quàm spiritualibus?*

RESPONDET affirmativè Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 37. *q.* 18. citans *clem.* 1. *& c.* 2. *de hæretic.* & Pavin. *p.* 2. *q. ult.* Rebuff. *in pr. tit. de devol. n.* 62. Verùm de hoc dubitari posset; cùm præter Vicarium alium constitui disponat Tridentinum *cit. sess.* 24. *c.* 16. juxta quæ ait Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 46. *n.* 7. sede Episcopali vacante est ab ipsius ecclesiæ Capitulo, vel eo negligente, à Metropolitano œconomus constituendus. œconomi autem officium sit, ut idem Barbos. *loc. cit. n.* 8. res omnes ecclesiæ fideliter administrare, & gubernare tanquam ecclesiæ patrimonium, & fructus ecclesiæ fideliter exigere, dispensare, augere &c. adeóque videatur ad illum spectare administratio in temporalibus, præsertim quò ad bona episcopalia, reditus & fructus.

*Quæstio*

*Quæstio 550. Qualiter deputandus seu eligendus Vicarius Capitularis?*

REsp. Necesse non est, ut in electione hujus Vicarii servetur forma *cap. quia propter. de elect.* aut etiam decreti Concilii Trid. *sess. 25. de regularib. c. 6.* Garc. *p. 5. c. 7. nu. 21.* (ubi etiam recitat claram pro hoc declarationem S. Congregat. Pax-Jord. *l. 12. tit. 2, n. 41.* Dian. *p. 8, tract. 4. resol. 60.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. nu. 77.* Pignat. *tom. 8. consult. 34. nu. 9. & 11.* contra Fuscum *de visitat. l. 1. c. 25. nu. 32.* qui de hoc dubitavit. Non enim hæc constitutio Vicarii est propriè electio; quia electio propriè talis eget confirmatione, quod non cadit in istam Vicarii deputationem, sed simplex deputatio. Pax-Jord. Pignat. *loc. cit.* unde Concilium cit. *sess. 24. c. 16.* non utitur verbo *eligant*, sed verbis *constituant & deputent*. Et ad summum est talis electio, qualis haberi solet à Capitulo ad dignitates, canonicatus, officia. Dico *ad summum*; quia ex alio capite adhuc deficit à tali electione; cùm isti Vicarii ut plurimùm sint temporales, & momentanei. Ob quam rationem quoque relata à Garcia declaratio S. Congreg. resolvit, in ista deputatione Vicarii servandam non esse necessariò formam *cap. quia propter.* & formam electionis præscriptam à Trident. *sess. 25. de regular. c. 6.* Caput enim illud *quia propter* loquitur de electione Episcoporum, aliorúmque Prælatorum ecclesiarum Collegiatarum, habentium generalem jurisdictionem, ut *ibi* Abbas cum gl. & Sylv. *v. electio. q. 1.* & intendit solùm providere ecclesiis pastore viduatis; per mortem autem solùm prædictorum Prælatorum remanent ecclesiæ viduatæ, & sine pastore, utpote qui, ac præcipuè Episcopi, propriè dicuntur illarum sponsi: Vicarii autem isti non dicuntur sponsi, cùm non sint Prælati principales ecclesiarum. Concilium verò Trid. *loc. cit.* præscribit solùm formam electioni Prælatorum regularium. Dian. Garc. *locis cit.* Unde jam infero, &

2. Resp. secundò: non est necessarium, ut electio Capitularis fiat per suffragia occulta. Diana *loc. cit. in fine* contra Carol. de Luca *ad Ventrigl. annot. 15. § 2.* ubi is directè tenet contrarium hisce expressis: Vicarii capitularis electio facienda per secreta suffragia, alioquin est nulla, ut declaravit S. Congregatio.

*Quæstio 551. Quot suffragia requirantur, ut quis electus sit in Vicarium Capitularem?*

1. REsp. Requiri & sufficere pluralitatem votorum, seu suffragiorum. Ventrigl. *loc. cit. nu. 16.* ubi: si duo Vicarii fuerint electi, & unus habeat majorem partem suffragiorum, is remanere debet: nam si dicitur electus à Capitulo. Si verò duo electi habeant æqualia suffragia, neuter censetur electus à Capitulo, quod non repræsentatur nisi à majore parte. Pignat. *tom. 8. consult. 34. nu. 9.* expressiùs *to. 1. consult. 23. n. 5. ubi:* nullitas (intelligе electionis Vicarii Capitularis, de hac enim ibi agit Pignat.) erit patens, si apparuerit electum ex suffragatoribus habuisse solùm medietatem suffragiorum, quæ non sufficiunt ad legitimam electionem; cùm requiratur major pars non respectu aliorum, qui minora vota habuerunt, sed respectu totius Capituli, &c.

2. Proceditque idipsum, etiamsi is, qui habet pauciora vota, sit magis idoneus, modò electus à majore parte non sit indignus, & incapax, non habens requisita à Tridentino. Ventrigl. *loco cit.*

3. An verò, ubi electio facta scienter de indigno à majore parte Capituli, tunc valeat electio facta à minore parte Capituli, controversum est in jure. Affirmativam sequitur Ventrigl, licèt addat, posse in eo casu Capitulum se iterum congregare, & eligere idoneum Vicarium, & revocare electum à minore parte, citátque pro hoc Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 24. nu. 200.* Item affirmativam tenet Pignat. *loc. cit.* ubi: si ex pluribus eligentibus aliqui elegerunt dignum; alii verò scienter indignum, electio de digno dicitur perfecta, quamvis à pauciore numero, eâ ratione; quia eligentes scienter indignum privantur pro ea vice jure eligendi, quod totum devolvitur ad eligentes dignum, in quibus, etsi paucioribus, consolidatur totum jus Capituli, juxta textum expressum *cap. dudum. & t. cum Vintimienſis. de elect.* ibique AA. & Rota *in Leodiensi Abbatissatûs 4. Iulii 1642. &c.* Verùm de his omnibus accuratè à nobis dicta vide in *For. benef. p. 1. sect. 2.* ubi de electione, & ea omnia huc applica, ubi etiam respectu quorum computandus major ille numerus votorum,

4. Porrò in casu, quo quis electus esset à medietate suffragatorum, seu votantium, ubi publicato scrutinio (intellige, ubi fortè electio facta, etsi citra necessitatem, per scrutinium) id intelligeret, posset sic electus mutato suo suffragio sibiipsi accedere, seu sibiipsi dare votum suum (vel potiùs, ut Ventrigl. *cit. nu. 16.* consentire electioni de se factæ, qui consensus reputatur pro voto, & jam augebit numerum suffragiorum) ad effectum augendi numerum, & vel sic constituendi numerum majorem votorum, & electionem suî perfectam. Carol. de Luca *ad cit. loc. Ventriglia, n. 8.* Pignat. *loco cit. nu. 10.* citans Abbat. *in c. cùm in jure. de elect. n. 5.* quam ejus doctrinam communiter receptam testentur Navar. *cons. 6. de elect. n. 5.* Rota *in Cæsaraugustana benef. 26. Iun. 1646.* & Vivian. *de jurep. decis. 135. nu. 9. & 10.* Idem est, dum esset processum non per secretum scrutinium, sed per publica suffragia, in quo casu poterit pari modo ipse electus adhærere votantibus pro se, & ad constituendam majorem partem, argumento textûs *cùm in jure. de elect.* ubi in septem vocabulis electus à tribus cum accessu suipsius dicitur electus à quatuor, & consequenter à majore parte. Pignat. *loc. cit. n. 9.* addens, dictum textum non esse correctum, sed etiam hodie attendendum, quoties non agitur de electione juxta formam *cap. quia propter.* De hoc quoque vide meipsum *loc. cit.*

5. Veruntamen si Capitulum inter se discordans plurium Vicariorum fecerit electionem, sive Capitulares in electione Vicarii inter se discordes duos vel tres elegerint Vicarios, magis idoneus ex his electis, & habens qualitates à Concilio requisitas remanere debet, seu esse Vicarius cæteris exclusis. *Barbos. jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 36.* Garc. *p. 5. c. 7. nu. 23.* Pax-Jord. *l. 12. tit. 2. n. 11.* Ventrigl. *loc. cit. nu. 30.* juxta expressam S. Congr. declarationem, quam recitant. Unde illud patere videtur, in hoc casu non esse necesse in hac Vicarii electione electum pro se habere pluralitatem votorum, prout aliàs de jure in electionibus aliis requiritur. Cognitionem autem hujus majoris idoneitatis intra terminum octo dierum pertinere ad ipsum Capitulum; elapso verò hoc termino ad Metropolitanum, ait Pax-Jord. *loc. cit.*

6. De

6. De cætero, licèt inspectâ juris communis dispositione sufficeret ad Vicarii Capitularis electionem pluralitas illa votorum; nihilominus ubi adesset statutum alicujus ecclesiæ apostolica authoritate firmatum, & in viridi observantia, ut ad electionem Vicarii generalis duæ ex tribus partibus suffragiorum concurrere debeant, aliàs electio facta sit irrita, illud statutum omnino servandum esset. Pignat. *tom. 9. consult. 78. per tot.*

*Quæstio 552. An si propter non habitam pluralitatem votorum electio Vicarii Capitularis fuit nulla, revalidari possit ex subscriptione literarum patentium facta à majore parte Canonicorum.*

REsp. Negativè. Pignat. *tom. 1. cons. 23. nu. 7.* vota enim dari debent collegialiter, & in Capitulo, ita ut non sufficiat consensus postea datus uti à singulis. Pignat. *loc. cit.* citans Innoc. *in c. in Genesi. de elect. nu. 7.* Butrio *ibidem n. 28.* & plures alios. Nec obstat, Tridentinum non dare formam præcisam eligendi Vicarium Capitularem; satis enim est, quòd dicat electionem faciendam à Capitulo; non autem dicitur facta à Capitulo, dum non est facta à majore parte collegialiter congregata, etiamsi postea Canonici uti singuli accesserunt in numero sufficiente. Pignatell. *juxtà c. in Genesi.* & *c. auditis de elect.* & *ibi* DD. pro quo etiam citat Bertach. *de Episc. l. 1. p. 3. q. 2. n. 8.* Mirand *in manual. Prælator. to. 3. q. 13. n. 29. concl. unica.* Sigism. de Bononia *de elect. dub. 111. nu 3. &c.* Neque etiam revalidari poterit electio talis; etiamsi electus propriæ electioni suæ consenserit, & consensus ejus reputetur, ut dictum, pro uno suffragio ad constituendam pluralitatem votorum, nisi præstiterit illum consensum in Capitulo & electione. Pignat. *loc. cit. n. 9.*

*Quæstio 553. Num electio Vicarii ex hoc vitietur, & reddatur nulla, quòd quis idoneus rejiciatur à numero concurrentium & eligendorum.*

REsp. affirmativè. Quisquis enim idoneus de jure potest eligi; adeóque non potest à concursu repelli, ut patet in concurrentibus ad parochialem. Insuper rejectio idonei habet vim voluntariæ contestationis ad certum numerum eligendorum, quæ non permittitur electoribus in præjudicium aliorum; & si quis repellatur, ex hoc ipso electio dicitur restricta & coarctata; ita ferè Pignat. *tom. 6. consult. 92. nu. 1.* qui etiam *nu 2.* addit, idoneum in præsenti esse illum, qui est Doctor, & qui sæpe in Vicarium Capitularem fuit electus, ut proinde non esset super hoc iteranda inquisitio, pro quo citat Peyr. *de subdito tom. 1. q. 1. c. 31. nu. 10.* Castellin. *de elect. c. 13. nu. 21.* Gonz. *de reg. 8. gl 4. nu. 84.* & aliquot Rotæ decisiones. Quin & fore talem electionem non solùm irritam, sed & attentatam, si ab hujusmodi declaratione electorum appellatio interponeretur, ait Pignat. *loc. cit. n. 3.* vide eundem de his pluribus *num. seq.*

***

*Quæstio 554. Nullitas electionis Vicarii Capitularis qualiter, & coram quo deducenda, & objecta qualiter repellenda.*

REsp. Si proponenda nullitas contra electionem unius ex electis, vel contra unicum electum & deputatum in Vicarium Capitularem, distinguendum est. Aut enim proponitur nullitas, quæ non est contra Tridentin. *c. 16. sess 24.* sed alia, putà, quia non omnes Canonici fuerunt vocati ad electionem, vel similis, & tunc adeundus est Superior Capituli, & coram illo proponenda nullitas dicta (neque enim illa proponi potest coram ipso Capitulo, ut Ventrigl.) per quem si deputatio, seu electio fuerit revocata, & declarata irrita, poterit Capitulum denuo congregari, & ad novam Vicarii electionem devenire. Ventrigl. *loc. cit. n. 31.* citans Vulpe. *in pr. for. judic. c. 44. num 31.* Pax Jord. *l. 12. tit. 2. n. 42.* citans Quarant. qui testatur, sic responsum à S. Congregat. Episcopo Surrentino. Si verò est proponenda nullitas contra electionem, eò quòd facta contra formam à Tridentino præscriptam, v. g. de non Doctore; & tunc, quia in tali casu vigore ejusdem Tridentini devolutio fit ad Metropolitanum, vel antiquiorem ex Suffraganeis, quando ecclesia Metropolitana vacans est; vel ad viciniorem, quando ecclesia est exempta, nullitas potest proponi coram Metropolitano, vel coram antiquiore, vel coram viciniore respectivè. Ventrigl. *loc. cit. nu. 32.*

*Quæstio 555. Num Vicarius eligi possit ad certum & determinatum tempus?*

REsp. Negativè, sed eligendus pro toto tempore vacationis ecclesiæ. Pignat. *tom. 1. consult. 23. nu. 10.* testans sic definivisse S. Congr. præpos. negot. Episcopor. & Regular. *in una Sutrina 14. Febr. 1653.* & *in una Puteol. 14 Novemb. 1659.* & sæpe aliàs. Tradit tamen Ventrigl. *tom. 2. annotat. 15. §. 2. n. 22.* posse Vicarium à Capitulo deputari ad certum tempus, quo elapso statim exspiret ejus jurisdictio, & teneatur Capitulum alium Vicarium eligere, vel prædictum confirmare, seu denuo deputare, citat pro hoc Vulpe. *in pr. c 44. & c. 28.* qui refert sic decisum à S. Congregat. Concilii. Item Barbos. *sum. Apostol. decisionum, v. capit. sed vac. nu. 4. & 5.* & *tract. de canon. & dignit. c. ult. nu. 44. & 45.* qui referat declarâsse prædictam S. Congreg. melius esse simpliciter absque temporis præfinitione illum deputare. Et sic expresè testatur Barbosa *jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 43.* S. Cong. Concil. censuisse, capitulum Sede vacante posse certum tempus in Vicarii deputatione præfinire. Item declarâsse eandem S. Congregat. *die 17. Jun. 1617.* posse Capitulum eligere Vicarium cum clausula, quòd non duret nisi per annum. Idem cum Ventrigl. tenet Pax-Jord *l. 12. tit. 2. n. 39.* citans Pavin. *p. 2. q 10.* Quarant. &c. Item Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7 dub. 35. nu. 35.* sic declaratum testans à S. Congreg. ad petitionem Capituli Salernitani.

*Quæstio 556. Num eligi debeat Vicarius Capitularis de gremio Capituli?*

REsp. Quamvis Capitulum neque vi juris communis, neque vi Concilii Tridentini teneatur de necessitate eligere in Vicarium personam, quæ est

est de gremio suo, si tamen adesset ex gremio idoneus, is cæteris paribus præferendus esset. Garc. *p.5.c.7.n.13.* citans pro hoc declarationem S. Congreg. Barbos. *jur. eccles. l.1. c.32. n.37.* Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. n.77.* Ventrigl. *loc. cit. n.14.* Dian. *p.8. tract.4. resol.57.* citans Vulpe. *in pr. c.44. n.25.* Navar. *in sum. Bullar. tom.1. tit. de capit. sede vac. nu.28.* Merol. *ubi supra dub.18. nu.187.* Pignat. *tom.7. consult.4. n.1.* Proceditque idipsum, dum Capitulo, negligente electio devolveretur ad Metropolitanum, ut neque is teneatur deputare Vicarium de gremio Capituli, ut Merol. *loc. cit.* Marc. Anton. Genuens. *in pr. Curiæ Archiepisc. Neapol. c.84. nu.1.* apud Dian. *loc. cit.* Quòd si verò adesset in Capitulo idoneus, deberet Metropolitanus cæteris paribus illum præferre. Diana ipse *loc. cit.* eò quòd cùm Metropolitanus in hac electione Vicarii succedat in locum Capituli, ejúsque defectum suppleat, debeat eodem prorsus modo deputare Vicarium, quo Capitulum tenebatur. Unde sicut Metropolitanus non potest eligere non Doctorem, ita etiam eligere non potest externum, quando in Capitulo adesset æquè idoneus. Dian. *loc. cit.* Ubi tamen in Capitulo adsint Doctores in publica universitate promoti, Capitulum ex necessitate teneri unum ex iis eligere in Vicarium, alioquin electionem fore nullam, juxta declarationem S. Congreg. quam recitant, astruunt Garcias *loc. cit. nu.12.* & ex eo Pignat. *cit consult.4. n.2.* citans quoque Barbos. *ad cit. c.16. sess.24. n.28.* Quod ipsum tamen non nisi sub hac restrictione: *cæteris paribus*, intelligendum puto: ità ut si quoque extra Capituli gremium extet Doctor talis excellentior, & doctior, adeóque magis idoneus, Capitulum non prohibeatur eum assumere præ altero Capitulari suo, quoad gradum doctoralem in publica Universitate obtentum parem quidem, de cetero tamen minus idoneum. Addit quoque Garcias *loc cit. n.13.* quòd si in Capitulo, in quo non sunt Doctores, vel Licentiati in Jure Canonico; adesset autem in eo aliquis Juris Canonici peritus, & idoneus, is deberet eligi, aliàs electio esset nulla. Probat hoc ipsum tum ex illis verbis Concilii: *vel aliàs, quantùm fieri potest, idoneus*: tum ex quadam S. Congregationis declaratione, quam refert *num.12.* verum & hoc ipsum non nisi sub dicta limitatione: *ceteris paribus*, intelligendum censeo, ità ut si in Capitulo non adessent Doctores, vel Licentiati, quamvis de cetero adessent aliqui ad hoc munus idonei, si tamen haberi posset extraneus Doctor æquè idoneus, ac illi Capitulares idonei non Doctores, extraneus ille deberet præferri. Ità expresè tenet Diana *loc. cit. in fine.*

*Quæstio 557. An Vicarius Capitularis necessariò debeat esse Doctor, & quidem Iuris Canonici, & promotus in publica Vniversitate?*

1. Resp. ad primum: Vicarius Capituli debet eligi Doctor, aut Licentiatus (intellige quando haberi potest) aliàs deputatio erit nulla. & devolvetur ad Metropolitanum. Merol. *to.3. d.7. c.7. dub.18. nu.186.* Vulpe. *in pr. c.44. num.15.* apud Dianam *loc. cit. resol.56.* Ventrigl. *loc. cit. n.12.* Barbos. *loc. cit. nu.49. & 50.* Pignat. *tom.8. cons.34. nu.2.* Garc. *loc. cit. nu.9. & 10.* referens pro hoc plures S. Congregat. Concilii *ad citat. ejus loc.* declarationes contra Solorzan. *de jur. Indiar. tom.2. l.3. c.13. n.40. & seq.* apud Dian. *loc. cit.* dum docet formam illam à Concilio præscriptam quoad eligendum Doctorem in Vicarium, non ità præcisam videri, quin alium idoneum non Doctorem admittat; unde in arbitrio Capituli relinquatur hæc alternativa (intellige Doctoris cum non Doctore) quòd arbitrium ex justis causis moderari possit Capitulum. Et citat pro hac sua sententia, nempe quòd verba illa Concilii: *Capitulum sede vacante constituere teneatur Vicarium, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri potest, idoneum*: non excludatur Capituli arbitrium (intellige Doctorem, vel non Doctorem deputandi, etiam dum Doctor alius idoneus esset) Navarr. *cons.2. de off. Vic.* Sayrum *in Florib. decis. decis.2. eodem tit.* Ricc. *in pr. Curiæ Archiepisc. Neapol. decis.473. n.2.* Azor *p.2. l.3. c.37. in fine*, qui tamen *ibi* de hoc nihil. Item Sbroz *de off. Vicar. l.... q.36. n.13.* qui tamen *ibi* solùm agit de Vicario Generali Episcopi, quem dicit, non debere necessariò esse Doctorem (quod ipsum passim docent & alii, ut Vulpe. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.17.*) modò sibi associet, & consultorem habeat Juris Canonici peritum. Testatur quoque Solorzan. se sic (nempe deputari non Doctorem ubi aderant Doctores) vidisse practicari in Limensi, aliisque ecclesiis Indiarum. Ac denique concludit: quòd etsi S. Congregationis Cardinalium declarationes contrarium expresserint, & talem tantámque authoritatem habeant, qualem quantámque eas habere tradunt Garc. *de benef. in proœmio circa finem.* Zerol. *in pr. Episc. p.1. § authoritas. in fine.* Cenedo *in pract. canon. q.6. n.9.* adhuc, ubi eæ nec publicatæ, nec receptæ, aut practicatæ sunt, non videri tanti ponderis esse, ut consuetudinem vincant, & conciliarem dispositionem dictam alternativam concedentem.

2. Verùm tenenda responsio, pro qua hanc rationem dat Pignat. *loc. cit.* (quam verbotenus exscripsit ex Fag. *in c. inter cæteras de rescript. n.46.* qui ibi agebat de alio decreto Tridentini *sess.24. c.18.* quo jubentur eligi in Examinatores Synodales Magistri, seu Doctores, vel alii Clerici etiam Ordinis Mendicantium) quòd etsi alternativa seu disjunctiva regulariter det, & relinquat electionem, ita ut alteram ejus partem adimplere sufficiat, quando tamen est posita inter personas habentes diversas qualitates, & in primò nominatis sub majore ratione, quàm in posterioribus in secunda parte alternativæ comprehensis, tunc alternativa inducat ordinem, non electionem, & ad secundam alternativæ partem deveniri non debeat, nisi in subsidium, & in defectum primæ, argumento *cap. Metropolitano, dist. 63.* ubi jubetur Metropolitano defuncto substitui alius ex Presbyteris, vel Diaconis; & gl. notat illis verbis designatum esse ordinem, ut ex Diaconis non eligatur Metropolitanus, nisi desint Presbyteri. Item argumento *l. hæredes mei. §. fin. ff. ad Trebellum.* ubi fideicommissum relictum alternativè nepotibus, vel ceteris cognatis, non debetur ceteris cognatis, quamdiu extant nepotes, qui prædilecti præsumuntur. Confirmatur idem ex eo, quòd aliàs prima pars alternativæ esset otiosa, nisi designaret ordinem; satis enim fuisset dare Capitulo facultatem eligendi idoneos; ad quod absurdum evitandum fateri necesse est secundam partem alternativæ non esse nisi subsidiariam. Pignat. *loc. cit. n.3.* ex eodem Fagn. *nu.49.*

3. Procedit responsio nostra ita etiam, ut defuncti Episcopi Vicarius non Doctor superstes à Capi-

Capitulo sede vacante in Vicarium Generalem confirmari seu assumi non debeat, Vulpe. *loc. cit.* Pignat. *to. 7. consult. 4. n. 9.* Garc. *loc. cit.* Barbos. *cit. c. 32. n. 50.* citans plures alios juxta declarationem S. Congr. *ad cit. loc. Trid. in una Macaren.* apud Gacr. ubi dicitur, verba illa Concilii: *omnino teneantur*, referri ad utrumque, scilicet confirmandum, ità ut tam confirmatus, quàm constitutus habeat qualitates à Tridentino requisitas, aliàs electio est nulla. Item verbum illud *debeat*, quo utitur S. Congregatio, præcisam necessitatem importet, & actum contra gestum reddat nullum. Quin & usque adeò procedit responsio nostra, ut si in Capitulo sint Doctores idonei, hi adhuc præferendi sint aliis existentibus in eodem Capitulo non Doctoribus, etsi hi non Doctores de cetero sint magis idonei, quàm illi Doctores. Pignat. *loc. cit. n. 6.* ubi: respondetur, Concilium absolutè voluisse, ut primo loco deputentur Doctores; quia, cùm hi studiorum cursus peragere, & in publicis functionibus literaturæ periculum facere consueverunt, eos juris præsumptione sufficienter idoneos judicavit. A qua quidem juris præsumptione quemadmodum noluit posse recedi ex eo, quòd aliqui aptiores & doctiores reperirentur; cùm alternativa illa, ut dictum, sit ordinis, non electionis; ità nec censendum est, voluisse, ut possit recedi ex eo, quòd aptiores reperirentur ex non Doctoribus.

4. Porrò intelligenda hæc de Vicario Capitulari ecclesiæ Cathedralis: non enim necesse est, ut Vicarius ecclesiæ Collegiatæ ejus sede vacante, seu defuncto ejus Prælato, qui ordinariam, & quasi episcopalem jurisdictionem habebat, sit Doctor, aut Licentiatus. De eo enim non loquitur Concilium. Barbos. *cit. n. 50.* citans Ragueau. *de voce can. q. 37 n. 6.* Garc. *loc. cit. n. 20.* juxta declarationem S. Congreg. quam *ibi* recitat.

5. Resp. ad secundum, debet esse Doctor, aut Licentiatus in jure Canonico, ità ut electio Doctoris Theologi in Vicarium Capitularem sit irrita, intellige, dum Doctor Canonum haberi potest. Barbos. *loc. cit. n. 53.* testans sic resolutum à S. Congreg. 28. *Aug.* 1621. Ventrigl. *loc. cit. n. 9.* Garc. *loc. cit. n. 14.* contra Riccium *in decis. Curiæ Archiep. Neapol. p. 4. decis. 305.* mordicus sustinentem electionem Doctoris Theologi in Vicarium esse validam prætermisso Canonistâ. Ratio est, quòd Concilium *cit. c. 16.* expressis verbis requirat eligi Doctorem, vel Licentiatum in jure Canonico: & quòd quotiescumque Concilium, vel aliud decretum loquitur de Doctore, non loquatur de Magistro S. Theologiæ, sed de Jurisconsulto. Lotter. *de re benef. l. 3. q. 7. n. 194* & ex eo Ventrigl. *loc. cit.* & ubicunque Concilium voluit admitti ad dignitates ecclesiasticas Theologos, eos distinctè sub vocabulo *Magistrorum*, non Doctorum vocavit. Ita idem Ventrig. *loc. cit.* citans Trid. *c. 8. & 12. sess. 24.* Neque obstat, quòd Tridentinum *cit. c. 16.* utatur voce *saltem* dicendo: *eligatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor.* Non enim id ità intelligendum, quasi per illam particulam *saltem*, quæ alia subjecta includit, Concilium quoque admiserit Theologum, & quidem potiùs; sed ità, ut dictio illa referatur ad jus Canonicum. Cùm enim Jurisconsulti sint in duplici genere, nimirum in utroque Jure civili & canonico, & in jure canonico tantùm, voluit Concilium, ut Vicarius esset Doctor, si non in utroque jure, saltem esset Doctor in jure canonico. Ventrigl. *cit. n. 10.* ubi etiam ex Barbos. *de diction. diction. 355. n. 3.* addit, particulam *saltem* comprehendere & alia subjecta, quàm expressum, si ea sint proportionabilia. Jam verò proportionatum non esse, dicere, Concilium admisisse quoq; ad Vicariatum Theologum, cùm is ignarus sit professionis Vicarii, & Canonum. Rationem etiam, cur potiùs Canonistam, quàm Theologum Doctorem constitui in Vicarium voluerit Concilium, hanc affert Diana *cit. resol. 56.* nempe, quòd viri Theologi, etsi literatissimi sint, non satis Jurisprudentiæ praxin & theoriam callent, & proinde multoties ex capite, & pro arbitrio sententias proferunt, & à veritatis & justitiæ tramite aberrent, ut Cevall. *in tr. de violentiis, p. 1. gl. 6. num. 24.* Axia *de exhibend. auxil. casu 5.*

6. Resp. ad tertium, debere esse Doctorem, vel Licentiatum promotum in publica Universitate, & non sufficere esse creatum Doctorem ex privilegio ab aliqua persona privata. Pignat. *to 8. consult. 34. n. 1.* testans, sic declarâsse S. Congreg. *in Cotronen. 9. Maii 1637.* & *in Materana 10. Decemb. 1640.* Ventrigl. *loc. cit. n. 5.* citans Barbos. *de Canon. & dignit. c. ult. n. 51.* & *in sum. decis. apostol. v. Capit. sed. vac.* qui sic declaratum testetur à S. Cong. 19. *Sept.* 1620 Ratio hujus est, quòd quandocunque Concilium loquitur de Doctoribus, loquatur de Doctoribus in publica Universitate promotis, nec verisimile sit, Concilium intelligendum quoque de graduatis extra publicas Universitates generalis studii; cùm in iis præsumatur doctrinæ defectus, & vocentur Doctores Bullati. Lotter *loc. cit. à n. 125.* & ex eo Ventrig. qui & in specie *n. 6.* ait, non posse eligi in Vicarios Capitulares, aut etiam ad alias dignitates ecclesiasticas requirentes gradum habentes privilegia Doctoratûs, quæ ab urbe Roma nullo prævio examine à particulari persona, vel certis officialibus mitti solent usque ad domum graduati, sub prætextu privilegii, vel alterius tituli, eò quòd tales non dicantur, nec verè sint graduati, cùm per *Extravag.* Pii V. *de anno 1563. 1. Iunii.* quæ in Bullario est *constitutio 60.* dicti Pontificis expressè revocata sint & annullata omnia privilegia & indulta comitibus Palatinis, ac etiam quibusvis Curiæ Romanæ officialibus, collegiis, singulisque aliis personis uniuscunque status, gradûs, ordinis & præeminentiæ existentibus ad Doctoratûs, Licentiaturæ & Magisterii gradum promovendi per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos, ac etiam per ipsum Pium, etiâ motu proprio, déque certa scientia & plenitudine potestatis quomodolibet concessa, confirmata & innovata. Ac decretis Tridentini inhærendo decrevit & declaravit eos, qui à comitibus Palatinis, & aliis præfatis promoti fuerint, quoad dignitates, ceteráque beneficia ecclesiastica nullâ gradûs prærogativâ frui, & gaudere posse. Ubi etiam hujus suæ dispositionis rationem addit Pontifex; nempe, quia intellexerat, hujusmodi indultarios quamplurimos, tam laicos quàm clericos indoctos & inhabiles nullo prævio examine Doctores, Licentiatos, & Magistros creâsse, ut ad dignitates, aliáque beneficia faciliùs assumerentur in animarum suarum jacturam, & quamplurimorum scandalum. Idem & multò magis dicendum de graduatis ab indultario aliquo ipsius Cæsaris, vel etiam ab ipsomet Cæsare, ait Lotter. *loc. cit. à num. 131.*

*mer.* 131. non solùm quia respectu facultatis theologicæ, & Juris Canonici (quos duntaxat Concilium & Pontifex considerat) deficit illius authoritas, ut Felin. *in cap. per tuas. de major. & obed. sub num.* 3. sed quia, quos Papa inhabilitat in materia sibi subjecta, non potest Cæsar habilitare, etiamsi admittatur, actum doctorandi esse voluntariæ jurisdictionis; quatenus enim removeretur inhabilitas inducta per Papam, esset contentiosa. Vide de his agentem pluribus Loterium *à num.* 133.

7. Jam verò in casu, ubi Doctor haberi non potuit, adeóque Capitulum validè elegit non Doctorem, poterit Capitulum in actu deputationis tali Vicario non Doctori à se electo dare Doctorem consultorem aliquem, alioquin poterit ipse Vicarius electus eligere sibi talem consultorem sibi bene visum, & partibus non suspectum. Pax Jord. *lib.* 12. *tit.* 2. *nu.* 16. Ventrigl. *loc. cit. nu.* 13. Vulp. *loc cit.* apud Dian. Barbos. *loc. cit. n.* 52. citans Sbroz. *de off. Vicar. l.* 1. *qu.* 36. *nu.* 13. qui tamen *ibi* agit de Vicario non Capituli, sed Episcopi non Doctore, quem dicit posse sibi assumere Assessorem; cùm & Judices imperiti esse possint, & Rectores civitatum assumendo Assessores. Pro quo citat plurimos. Quamvis dicat Garcias *p.* 2. *c.* 7. *nu.* 18. & 19. graviter peccare Episcopos, qui constituunt Vicarios Theologos, seu aliàs ad officium illud ineptos, & teneri illos ad restitutionem damnorum inde secutorum: quin & ad restitutionem assessoriarum, ut vocant, seu expensarum, quas tales Vicarii faciunt solvi à partibus Assessori, & hunc in finem iniquè extorquent (uti & ipsi tales Vicarii ad hanc restitutionem tenentur) cùm Episcopi gratis teneantur administrare justitiam, seu ponere, qui eam administrent.

8. Notanda denique hic sunt, quæ habet Garcias *loc. cit. à nu.* 14. ubi: sed id malè servatur in ecclesiis hujus regni (intellige Hispaniæ) nam Capitula sede vacante non curant eligere Vicarios Doctores authenticos in jure canonico, licèt adsint in Capitulo: & si eligant unum sic graduatum, eligunt etiam alium Theologum, vel non graduatum, quod est contra Concilium. sed Capitula sibi omnia licère putant. Nec fieri potest, quod in quadam ecclesia hujus regni fieri intellexi; nempe per singulos duos menses eligere duos Vicarios de Capitulo; unum graduatum, seu literatum, qui exercet officium; & alium non graduatum, qui non exercet, accipit tamen medietatem emolumentorum officii: & est simonia, & contra *titul. ne Prælati vices suas*, nam in effectu est eligere graduatum in Vicarium cum onere dandi medietatem emolumentorum alteri, qui solo nomine est Vicarius. Sicut etiam est simonia, & contra *dictum titul.* convenire Canonicos, quòd quicunque illorum eligatur in Vicarium, teneatur dividere cum aliis Canonicis salarium, & emolumenta officii. Unde jam prædictæ electiones tanquà simoniacæ sunt nullæ, & sic electi tenentur dimittere officium, licèt non incurrunt excommunicationem; quia non est beneficium, nec Ordo, ut Navar. *cons. 1. tit. ne Prælati vices suas.* Ita Garcias.

## *Quæstio* 558. *Num eligi in Vicarium possit Parochus?*

1. Resp. Tametsi Canonicus de Capitulo habens cetera requisita exercens in eadem ecclesia & civitate curam animarum, eligi possit in Vicarium Capitularem, Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.* 38. Ventrigl. *loc. cit. n.* 15. Pignat. *to.* 7. *consult.* 4. *n.* 6. prout resolvit S. Congregatio præposita negotiis Episcopor. & Regular. *in una Orien.* 19. *Maii* 1619. apud Barbos. modò tamen utrique officio, nempe Parochi, & Vicarii (ut videtur supponere dicta declaratio) satisfacere possit. De cetero tamen, ut inquit Pignat. *loc. cit. n.* 6. *in fin.* generale est, Parochum & Vicarium esse officia malè compatibilia in eadem persona ex mente dictæ S. Congr. 19. *Junii* 1603. ex eo, quòd ut quis bene exerceat alterum ex dictis officiis, alteri necessariò deesse cogitur, ut eadem Congregatio *in Sutrina* 15. *Nov.* 1640. Unde licèt talis Parochus urbanus habens in ipsa Cathedrali curam animarum, vel ex hoc ipso residere censeatur residentiâ materiali, quòd habitet in urbe, & apud ecclesiam illam, in qua habet curam animarum; nõ tamen censebitur residere residentiâ formali, quæ consistit in exercitio muneris pastoralis, ad qualem tenentur Parochi, ut Sylv. *v. residere. n.* 1. Angel. Tabiena *v. eod.* Zerol. *in pr. v. parochus. §.* 4. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 71. *n.* 3. Garcias *de benef. p.* 2. *c.* 2. *n.* 179. apud Pignat. *n.* 7. juxtà Trid. *sess* 23. *c.* 1. dum inculcans debitum pastoralis curæ animarum inculcat residentiam, quâ pascat & regat, non, inquam, censebitur residere residentiâ formali, si ea, quæ muneris pastoralis sunt vi muneris Vicarii exercere impediatur.

2. Parochus tamen exterus, vel diœcesanus omnino eligi nequit in Vicarium Capitularem. AA. fidè uti & Merol. *to.* 3. *d.* 7. *du.* 18. *n.* 191. Vulpe. *in pr. fori Judic. eccl. c.* 44. *n.* 18. apud Dian. *loc. cit. resol.* 58. prout etiam dictum fuit in citata declaratione decisiones contrarias, seu negantes Parochum eligi posse in Vicarium, intelligendas de tali Parocho rurali. Quod adeò verum est, ut ne ipse quidem Episcopus absque dispensatione apostolica possit in sui servitium habere Parochum, nec eum occupare in servitio ecclesiæ Cathedralis, ut nempe sit Vicarius, Visitator, &c. Pignat. *loc. cit. n.* 4. citans Navar. *l.* 2. *tit.* 22. *de resident. parochi, nu.* 166. & *seq.* Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 6. *n.* 258. Barbos. *de off. Episc. p.* 3. *alleg.* 53. *n.* 85. Zerol. *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 3. *n.* 27. Garc. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 42. *&c.* Ratio responsionis & disparitatis est: quia imprimis talis Parochus exterus non est de gremio Capituli: dein ratione curæ animarum tenetur jure divino & canonico residere. Trid *sess.* 23. *c.* 1. Pign. *loc. cit. n.* 3. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 34 *dub.* 29. *n.* 153. Lotter. *de re benef. l.* 3. *c.* 27. *n.* 37. citans D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. & *ibi* Cajet. Soto *de Just. & jure l.* 10. *q.* 3. *a.* 1. 2. 3. Zypæ. *in analyt. l.* 3. *de cler. non resident. n.* 7. & plures alios. Quæ residentia aliter non est dispensabilis, quàm ex suppositione majoris commodi & utilitatis ipsius ecclesiæ per interpretationem ejusdem juris divini, ut ait Lotter. *n.* 40 de quo vide Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. vide & meipsum *For. benef. p.* 1. *q.* 366. *& seq. & præsertim q.* 386. Atq; ità Parochum, ne resideat, nulla excusat consuetudo: nec secundùm S. Congr. Concilii excusat servitium Episcopi, aut Cathedralis, aut officii Inquisitionis, Pign. *loc. cit. n.* 4. ex Sa *v. residentia, n.* 1. Et Episcopum uti non posse operâ Parochi in visitatione, vel alio servitio suæ diœcesis, nisi pro tempore aliàs permisso, nimirum duorum mensium. Possevin. *de off. curati. c.* 1. *n.* 12. Quarant. *in sum. Bull. v. residentia* apud Pign. *loc. cit. n.* 4. Sed & vix considerari potest urgens necessitas (in quo casu adhuc requiritur dispensatio, ut Lotter. *loc. cit. nu* 40. & *seq.*) vel utilitas ecclesiæ; cùm verisimile non sit, præter unum talem Parochum non reperiri alios æquè idoneos in tota diœcesi, ac præcipuè in Capitulo Cathedrali, cujus Canonicos jura præsumunt peri-

peritos, ac consilio maturos, ut Fagn. *in c. super inordinata. de præb. n. 12.*

3. Neque suffragatur, si parochus hujusmodi (intellige extera) sjam extitisset Vicarius defuncti Episcopi, ut validè dein à Capitulo eligi seu confirmari possit in Vicarium Capitularem. Pignat. *loc. cit. n.* 8. apud quem *ibidem* plura concernentia hanc materiam residentiæ Parochialis leges utiliter.

*Quæstio* 559. *Quæ ætas requiratur in Vicario Capitulari.*

RESP. Ætatem viginti trium annorum permitti posse in Vicario Capitulari, si aliàs est idoneus, non tamen id expedire ait Barbos. *Iur. eccles. l. 1. c. 32 n. 54.* sic declaratum testans à S. Congreg. Concilii 11. *Aug.* 1614. Veruntamen (saltèm præscindendo à dicta declaratione) rectiùs dici videtur ob paritatem rationis requiri in eo ætatem ad minimùm viginti quinque annorum; dum vi Tridentini ad quascunque dignitates, quibus cura animarum subest, requiritur, ut promovendus vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & minor 25. annis ad officium vel dignitatem, quæ administrationem continet, admitti non debeat. L. *ad rempub. ff. de mun. & hon.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 35. n. 3. & 4.* Et hinc Vicarius Episcopi generalis, qui habet dignitatem cum administratione rerum spiritualium, non debet esse minor 25. annis, Sbroz *ibid. n. 2. juncto n.* 4. Ità, ut ne quidem Episcopus super hac ætate Vicarii sui dispensare valeat, Sbroz. *loc. cit. n. 6.* citans Abb. *in c. cùm in cunctis. §. inferiora. de elect. n. 3.* Card. *in Clem. 1. q. 38. n 25. de off. Vicar.* dicens opinionem Archidiac. *in c. licèt canon. de elect. n. 6.* sententis contrarium communiter reprobari. Jam verò Vicarius Capituli non minùs quàm Vicarius Episcopi administrationem rerum spiritualium; quin & curam animarum, saltem consistentem in jurisdictione illa externa, habeat. Quidquid sit de hoc, num hic Vicariatus sit quoque dignitas. quin etiam addit Sbroz. *nu. 7. & 8.* non posse à Capitulo sede vacante deputari Vicarium in causa hæresis, nisi is attigerit annum ætatis quadragesimum, & aliàs non valere gesta per illum, etiamsi non opponatur. Pro quo citat Pavin. *de potest Capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 9.* post glos. *in Clem. 1. de haret. versiculo committi.*

*Quæst.* 560. *Num Vicarius Capituli sede vacante debeat esse constitutus in sacris Ordinibus?*

RESP. Id non requiri; sed posse non minùs à Capitulo sede vacante, quàm ab Episcopo in Vicarium Capitularem eligi Clericum primæ tonsuræ. Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 59.* Ventrig. *to. 2. annot. 15 §. 2. n. 61.* & apud hunc Meroll. *to. 3. d. 7. c. 7. dub. 18. n. 189.* contra Venerum *in Exam. Episc. l. 4. c. 1. n. 18.* & Novarium *in sum Bullar. to. 1. tit. de Capit. sed. vac. n. 19.* audacter dicentem, quòd licèt Trident. hanc qualitatem in Vicario non requirat, Clementem tamen VIII. in literis per illum relatis expresè sic jubere, ut Canonicus, qui non est in sacris, non possit esse Vicarius. Quas tamen literas id non continere ait Ventrigl. & dictarum literarum nullum testimonium authenticum afferri, ait Meroll. apud Dian. Et quàmvis hæ literæ reperirentur, nihilominus hodie non obligarent; quia continent præceptum personale latum, scilicet ab homine, quod morte dicti Clementis exspiravit. Quin & responsionem nostram procedere, ait Ventrigl. tametsi Clericus in minoribus electus in Vicarium Capitularem obtineat canonicatum, cui Diaconatûs, vel Presbyteratus Ordo annexus est, & ità obligetur intra annum hunc Ordinem suscipere, juxta dispositionem Tridentini *sess. 22. c. 4.* ità ut adhuc elapso anno possit eligi in Vicarium: cùm licèt talis Canonicus ob non promotionem privetur voce activâ in Capitulo, non tamen voce passivâ (hæc enim absolutè est vox, & de ea, & non de voce passiva privationem illam intelligunt Barbos. *de can. & dignit. c. 16. n. 18. & 41. n. 1. in fine.* Garcias *de benef. p. 3. c. 4. in addit. sub n. 15.* contra Less. *de Iust. l. 2. c. 34. n. 105.*) adeóque remanet eligibilis.

*Quæstio* 561. *Num illegitimus eligi possit in Vicarium Capitularem sede vacante?*

RESP. Negativè: eò quòd qui etiam solùm ad interim pro tempore vacantiæ statuuntur Superiores ordinarii (qualis est dictus Vicarius) debeant esse legitimi. Passer. *de elect. c. 25. n. 160.* contra Sylv. & Rodriq.

# CAPUT QUINTUM.

## De Iurisdictione & Potestate Vicarii Capitularis.

*Quæstio* 562. *An & qualiter Vicarius Capitularis dicatur Vicarius Episcopi, vel etiam Vicarius episcopalis jurisdictionis?*

1. RESP. ad primum, Vicarium Capitularem non esse, nec dici Vicarium Episcopi. Pax Jord. *l. 12. tit. 2 n. 3.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 16. n 6 & seq.* citans gl. *in Clem. & si principalis. de rescript. v. Episcop.* Felin. *in c. eam te. de rescript. n. 17.* Pavin. *p. 2. q. 10. n. 2.* Lambert. *de jurep. l. 1 p. 3. a. 7. q. 1 n. 3. &c.* Vicarius enim ille vicem aliam sive alterius gerere non potest, quàm illius, à quo habet jurisdictionem; eam autem habere non potest ab Episcopo, utpote qui non est ampliùs sede vacante, sed à Capitulo, quod ipsum jurisdictionem Episcopalem habet, estque Episcopi successor; adeóque Capituli, & non Episcopi dicitur successor Pax-Jord. *loc. cit.* Sbroz. *loc. cit. n. 10.* Et sanè, si Vicarius hic esset, & diceretur Vicarius Episcopi, jam ubi Papa delegâsset Episcopo, aut ejus Vicario hîc & nunc potestatem absolvendi à casu aliquo, posset defuncto Episcopo Vicarius Capitularis absolvere, ac ità majorem jurisdictionem haberet, quàm Capitulum, à quo tamen jurisdictionē suam accipit, prout hoc absurdum deducit Sbroz. *loc. cit. n. 1. & 2.* Pari modo ex his deducit Felin. *loc. cit.*

cit. apud Laym. *in c. Romana. de off. Vicar. n. 16.* quòd si à Papa delegata fuisset causa Vicario seu Officiali Episcopi, hæc ab eo cognosci non posset, dum is mortuo Episcopo confirmatus fuisset in Vicarium Capituli, eò quòd jam non esset amplius Vicarius Episcopi, sed Capituli. quamvis addat Laym. contrarium tamen probabiliter tradi à Sanch. *lib. 8. de matrim. d. 27. n. 33.* eò quòd, cùm jurisdictionem Episcopalem (ut mox dicetur) vice Capituli exerceat, quodammodo sit Vicarius Episcopi, sicut eum appellat Zabarell. *in Clem. 2. de rescript. q. 23.* accedat insuper, quòd in his commissionibus ad mentem potiùs Papæ, quàm ad juris rigorem attendi debeat. Item quòd, ut Beroius *in c. quoniam. n. 81. de off. deleg.* ex Bald. *in l. 4. c. de emancipat. liberor.* Licèt rescripta ad lites strictam habeant interpretationem, quatenus concurrunt jura ex præjudicio partium; amplam tamen interpretationem meantur, quatenus decernunt potestatem seu facultatem principis concedentis aut delegantis.

2. Resp. ad secundum: Est tamen, & dicitur Vicarius episcopalis jurisdictionis; quippe exercet jurisdictionem ab Episcopo defuncto translatam ad Capitulum, quæ est ipsa jurisdictio Episcopalis. Etsi enim Episcopus defunctus sit, remanet tamen in rerum natura, & ipsi Capitulo jurisdictio illius, seu Episcopalis. Neque enim illa, etsi ab Episcopo nomen habet, essentialiter respicit Episcopum in vivis existentem. Sbroz. *cit. n. 6. junctis nu. 12.* Pax-Jord. *loc. cit.* Laym. *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 78.* Neque tamen censetur Vicarius episcopalis jurisdictionis simpliciter, sed tantùm illius, quæ devolvitur ad Capitulum, seu quæ est in Capitulo, in quantum repræsentat Episcopum. Jam verò non simpliciter tota jurisdictio & potestas Episcopi devolvitur ad Capitulum, dum multa remanent, quæ per Capitulum, ejúsve Vicarium exerceri nequeunt, sicut exerceri poterant per Episcopum viventem.

*Quæstio 563. In qua jurisdictione Vicarius Capitularis succedat Episcopo?*

Resp. Succedit Episcopo in jurisdictione ordinaria, non autem delegata. Pax-Jord. *l. 12. tit. 2 n. 19.* citans Pavin *de potest. Capit. sede vac. p. 1. q. 10. in principio.* Idque etiam quoad delegatam generaliter à jure, nisi fortè urgente necessitate expediendi actûs, ubi spes non est de futuro brevi successore. Item succedit in potestate & jurisdictione spectante ad Episcopum jure communi & proprio; non verò in iis, quæ competunt jure speciali seu accidentali. Item in juris electione contentiosa & necessaria, seu quoad ea, quæ sunt gratiæ, nisi quatenus à jure concessa; vel etiam ut alii, succedit in omnibus, exceptis solùm iis, quæ specialiter ei à jure prohibentur. Pax-Jord. *cit. num. 19. & 20.* Veruntamen loquendo brevius: Vicarius succedit Episcopo in omni illa potestate & jurisdictione, in qua ei succedit Capitulum; totam enim illam exercet nomine Capituli, & in his omnibus dicitur locum tenens Capituli. Proinde illa revidenda sunt, quæ hac de re in particulari dicta sunt supra sub initium *hujus Tractatûs* de jurisdictione & potestate Capituli.

*Quæstio 564. Qualiter jurisdictio illa resideat penes Vicarium.*

Resp. Transire ad Vicarium nudum hujus jurisdictionis exercitium: non enim Capitulum constituendo Vicarium se abdicat ipsâ jurisdictione, sed ea habitualiter & principaliter residere pergit penes Capitulum. Pax-Jord. *loc. cit. n. 34.* Pignat. *to. 9. consult. 59. n. 3.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 78.* Fagn. *in c. his, quæ de major. & obed. n. 73.*

*Quæstio 565. A quo Vicarius habeat illam jurisdictionem, sive à quo committatur illi jurisdictionis exercitium?*

Resp. Quidquid Vicarius Capituli quà talis habet jurisdictionis, vel potestatis, id totum habet immediatè à Capitulo, vel à Metropolitano, dum Capitulum negligeret eligere Vicarium. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 29. n. 5.* citans Barbos. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 180.* Garc. *de benef. p. 5. c. 7. n. 30.* Sed neque eam habet à Tridentino. Suar. *to. 5. in 3. p. d. 7. s. 3. n. 13.* quem citant & sequuntur Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 32.* contra Ugolin. *de cens. tab. 1. c. 10. §. 2. n. 4.* Tridentinum siquidem devolutam ad Capitulum jurisdictionem eidem non abstulit, nec imminuit aut immutavit; sed solùm præcepit illi modum utendi illâ jurisdictione, seu eam exercendi, nempe per Vicarium à se electum, cui usum & exercitium suum committeret. hoc autem præcipiendo Concilium dici nequit concedere jurisdictionem illam Vicario, aut ad hoc interponere authoritatem suam; adeóque hoc præcepto dato Capitulo Vicarius ille Capituli vicem Capituli gerit, & utitur jurisdictione quoad exercitium acceptâ à Capitulo. Garc. *cit. n. 32.* ex Suar. *loc. cit.* Idémque est, dum Metropolitanus ob negligentiam Capituli deputat Vicarium. Etsi enim Vicarius in eo casu habeat usum & exercitium jurisdictionis Capituli independenter à voluntate Capituli, quam in eo casu supplet authoritas Tridentini, vel potiùs Metropolitanus ex authoritate Tridentini, habet tamen exercitium illud dependens, aut dependenter à potestate & jurisdictione Capituli, in quo ea residere pergit. Garc. *nu. 33.* ex eodem Suarez.

*Quæstio 566. An tota illa jurisdictio Capituli quoad exercitium transeat ad Vicarium, ita ut Capitulum nihil sibi per seipsum exercendum reservare possit.*

1. Resp. Capitulum deputando Vicarium potest sibi ipsi reservare aliqua per seipsum exercenda, sive potest in ipsa deputatione Vicarii eidem concedere exercitium jurisdictionis & potestatis suæ restrictum & limitatum quoad aliqua: cùm enim jurisdictio principaliter resideat penes Capitulum, & Vicarius illam recipiat non nisi de manu Capituli, inconveniens non videtur Capitulum posse eam ampliare & limitare. Ita tenent Barbos. *in eccl. l. 1. c. 32. n. 43.* citans Vulpe. *in pr. fori eccl. c. 44. n. 28.* Raguc. *de voce can. q. 40. n. 14.* Pavin. *p. 1. q. 10. n. 6.* Item ità tenet Diana *p. 8. tr. 4. resol. 62.* citans Novar. *in sum. Bull. tom. 1. tit. de Cap. sed. vac. num. 17.* Item Pignat. *to. 9. cons. 59. nu. 4.* Ventrigl. *loc. cit. num. 18.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. nu. 78.* Garcias *loc. cit. n. 25.* ubi: licèt antea (hoc est, in prima consideratione Vicarii) posset dare huic Vicario potestatem restrictam & limitatam, &c. & *n. 30.* ubi: si tamen de facto Capitulum det Vicario à se electo limitatum mandatum reservando sibi aliqua, non videtur Vicarius posse exercere potestatem in illis, quæ sibi Capitulum reservavit, cùm Vicarius ipse non habeat aliunde jurisdictio

ationem, nisi à Capitulo, quod in illis noluit illam ei dare. Pro quo facit declaratio S. Congregationis *in Abulens.* quam refert *p. 5. c. 8. n. 87.* Et sic inquit Pax-Jord. *t. 12. tit. 2. n. 61.* ex dicta formula (nempe deputationis Vicarii, quam *num. 60.* recitaverat ex Quarant.) liquet Capitulum sibi multa reservare, quæ sive in re, sive injuriâ reservaverit, tenebitur Vicarius observare, quia cùm sit forma mandati, debet ad unguem custodiri. Porrò dum Capitulum juxta hanc sententiam reservavit sibi aliqua, si reservata sunt voluntariæ jurisdictionis, & gratiosa, non repugnare ea exerceri per ipsum Capitulum, ait Ventrigl. *loc. cit. num. 19.* si verò sunt contentiosæ jurisdictionis, & exerceri debeant cum cognitione causæ, Capitulum debere ea delegare, ne partes detrimentum patiantur ob difficultatem congregandi Capitulum, hancque delegationem posse fieri non solùm Vicario, sed & alteri. Idem ferè tradit Pax Jord. *loc. cit. nu. 25.* ubi: reservationes tolerabiles censentur, quæ respiciunt voluntariam jurisdictionem, aut præeminentiam; secùs, si ageretur de jurisdictione contentiosa, actibúsque judiciariis; quia cùm in his posset contingere justitiæ retardatio, & partium gravamen, quibus, ut occurreret Concilium, abstulit exercitium jurisdictionis à Capitulo, & mandavit transferri in Vicarium; cui decreto per reservationes tales contraveniretur, & ob id non sunt permissæ. Pro quo citat Quarantam. Quod verò tradit Marc. Ant. Genuens. *in pr. Curiæ Neapol. c. 85. n. 3.* apud Garc. *loc. cit. nu. 26.* Capitulum non posse causam alteri delegare, quàm Vicario suo, procedit solummodo, quando Capitulum à principio commiserat causam Vicario, quòd tunc eam ab illo auferre non debeat, & alteri delegare, nisi ex justa causa. Ventrigl. Garcias *locis cit.* quàmvis, ut addit Ventrigl. si Capitulum auferret causam à Vicario, & committeret alteri (intellige, sine causa) actus per hoc non irritetur. De cetero cavendum rectè monet Pax Jord. *loc. cit. nu. 62.* à talibus reservationibus, quæ illicitæ sunt, & quandoque simoniacæ, ut, dum Capitulum reservâsset medietatem salarii, & emolumentorum Vicariatûs dividendam inter Canonicos.

2. Veruntamen his omnibus non obstantibus testatur Fagn. *in c. his quæ. de major. & obed. num. 72.* S. Congr. præpositam negot. Episcopor. & Regular. definivisse, Capitulum teneri Vicario suo jurisdictionem totam conferre non cumulativè, sed privativè. De qua S. Congreg. decisione plura infra, ubi de revocatione Vicarii.

*Quæstio 567. An Capitulum, postquam deputavit Vicarium absque reservatione aliqua vel limitatione, possit dein se immiscere administrationi jurisdictionis, & aliqua ad se avocare?*

1. Resp. Negativam tenet Garcias *cit. loc. n. 25.* ubi ex declarationibus præmissis S. Congreg. maximè ex illa Toletan. videtur Capitulum sede vacante non posse se in aliquo intromittere circa administrationem jurisdictionis, seu sibi aliquid reservare; sed debere totam administrationem jurisdictionis liberè Vicario relinquere, &c. quod ipsum se intelligere de casu, ubi jam antecedenter jurisdictio illimitatè concessa Vicario, satis indicat per verba eodem contextu subjuncta: *licet antea posset dare huic Vicario potestatem restrictam.* Idem sentire videtur Pax-Jord. *loc. cit. n. 62.* dum ait: advertendum, quòd reservationes, quàmvis licitæ fiant in ipso actu deputationis, alioquin post deputationem non permitteretur amplius.

2. Affirmativam è contrà, & quidem non tantùm posse Capitulum ex post reservare, seu avocare ad se aliqua; verùm etiam posse se intromittere in exercitio jurisdictionis, eámque cumulativè exercere cum suo Vicario, sive exercitium illud non esse privativè apud Vicarium respectu Capituli, tenet Ventrigl. *tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 20.* citans pro hoc Meroll. *to. 3. d. 7. c. 7. dub. 25. nu. 252. & seq.* & Dian. *p. 6. tract. 7. Miscellan. resol. 41.* dátque hanc rationem Ventrigl. quòd ante Trident. Capitulum potuit exercere jurisdictionem per seipsum sine Vicario, & Tridentinum solùm obligavit ad constituendum Vicarium nullâ factâ abdicatione jurisdictionis ab illo; adeóque jam sicut Episcopus astringeretur constituere Vicarium, non per hoc dici posset, Vicarium illum habere jurisdictionem privativè ad Episcopum; ita quoque dici nequeat, Capitulum, quod in jurisdictione succedit Episcopo, per hoc, quòd arctetur à Concilio, assumere Vicarium, cogi exercitium jurisdictionis abdicare, & relinquere illud privativè suo Vicario. Et sic Capitulum non esse privatum exercere jurisdictionem, quin post deputationem alteri delegare possit, tenet liberè Diana *loc. cit.* teste Ventrigl. quin & huc facere ait Ventrigl. declarationem adductam à Garcia *loc. cit. n. 28.* qua resolvitur non posse Capitulum unà cum Vicario Visitatorem deputare, quod est exercere jurisdictionem, intellige, unà cum Vicario. Contra quod postremum tamen facit, quod, ut ait Garc. *loc. cit. nu. 27.* Congregatio velit, quòd, si opus fuerit Visitatore, Vicarius eum constituat: hæc enim verba non tam sonant, quòd Capitulum unà cum Vicario possit deputare Visitatorem, quàm quòd Capitulum non nisi per Vicarium, seu ministerio illius possit deputare illum; adeóque in hoc non nisi per Vicarium suum exercere jurisdictionem. Ac proinde etiam contra hanc doctrinam facit, quòd Concilium revera videatur ademisse Capitulo exercitium jurisdictionis, dum voluit ab eo constitui Vicarium eo fine præcisè, ut suam per eum jurisdictionem exerceat: idque ideò, quia negotia tam multiplicia tempore sedis vacantis occurrentia, ordinatiùs per unum nomine omnium quàm multorum difficulter sæpè congregabilium, & in diversa abeuntium, & inter quos nonnunquam plures pertinacis & heterocliti cerebri, suffragiis expediuntur. Quæ ratio in constitutione Vicarii Episcopi locum habere non potest, dum is aliâ ratione non assumitur, quàm ut Episcopum nimiâ negotiorum mole pressum sublevet, & in administratione Episcopali coadjuvet; adeóque, casu quo obligaretur ex hoc capite assumere Vicarium, exinde nullatenus sequeretur, administrationem Episcopo adimi.

3. Multóque jam minùs poterit Capitulum limitare Vicario illud exercitium jurisdictionis, & aliqua ad se avocare, ubi is negligente Capitulo constitutus à Metropolitano illimitatè. Habet enim tunc potestatem omnem & jurisdictionem, quam Capitulum ei dare poterat, independenter à voluntate Capituli; quam proinde ei imminuere dein non potest Capitulum. Et id velle videtur Garcias *loc. cit. n. 34.* ubi: videtur Metropolitanus, ad quem devolvitur deputatio Vicarii, si Capitulum in eo deputando fuit negligens, juxta decretum Concilii possit illi dare jurisdictionem & potestatem in illis, quæ Capitulum sibi reservârit.

Nam eadem est ratio de parte ac de toto ; ita ut sensus sit : in iis, quæ Capitulum sibi reservare potuisset (nam dum neglexit deputare Vicarium, sicut nulla ei actu commisit, sic quoque nulla sibi actu reservavit) vel certè ut sensus sit : in iis, quæ fortè Capitulum sibi actu reservavit, relinquendo de cetero deputationem Vicarii Metropolitano.

*Quæstio.* 568. *Num ergo etiam ita omnis jurisdictio transeat ad Vicarium (intellige, dum illimitatè ac simpliciter deputatur absque ulla positiva reservatione) ut transeant quoque ad eum, quæ speciale alias mandatum Episcopi requirunt respectu Vicarii Generalis illius?*

1. Resp. Non convenire in hoc AA. affirmativam tenet Garcias *loc. cit. n.* 28, ubi : Videtur in Vicarium electum à Capitulo sede vacante eo ipso transire totam jurisdictionem Capitulo competentem, nec esse necessarium speciale mandatum seu commissionem quoad ea, quæ in Vicarium Episcopi non transeunt sine speciali mandato. Nam cùm Concilium arctet Capitulum ad constituendum Vicarium, qui totam jurisdictionem administret, non videtur necessaria aliqua commissio, &c. Citat pro hoc Garcias, uti & Barbosa, Guttier. *qq. canon. l.* 1. *c.* 11. *nu.* 10. Marc. Anton. Genuens. *in pr. Curiæ Neapol. c.* 86. *n.* 5. citatur quoque à Barbos. Molin. *de Iust. tract.* 5. *d.* 11. *nu.* 4. quorum opinionem probabilem dicit Ventrigl.

2. Negativam è contrà, nempe ea, quæ specialem commissionem requirunt, specialiter ei committi debere, sine qua speciali commissione ea in illum non transeunt, tenent Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 32. *n.* 103. Castropal. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 29. *n.* 5. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. nu.* 78. Ventrigl. *loc. cit. nu.* 21. citans Meroll. *ubi supra nu.* 256. *& seq.* Diana *p.* 8. *tract.* 4. *resol.* 64. citans insuper Novar. *in summ. Bullar. to.* 2. *tit. de Capit. sede vac. n.* 10. qui omnes testantur, displicuisse Rotæ sententiam affirmativam *in una Mauritanen. pensionis de* 25. *Iunii* 1626. Sic itaque Vicarium Capitularem (intellige illimitate constitutum) non posse sine speciali mandato Capituli dispensare in interstitiis, tradit Ventrigl. *cit. n.* 21. *in fine* citans pro hoc Mandos. Pavin. Sbroz. Item Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. n.* 61. Pro hac sententia potissimùm urget illud Ventrigl. quòd ex eo, quòd obligetur Capitulum constituere Vicarium, non sequatur Vicarium illum necessariò habere totalem Capituli jurisdictionem, quódque quoad hoc punctum non appareat ratio differentiæ inter Vicarium Capituli, & Vicarium Episcopi. Verùm ratio hæc differentiæ probabiliter videtur insinuata *qu. præced.* uti & contra alterum ibidè aliquid dictum. Porrò penes Capitulum remanere adhuc jura & necessitatem tuendi ecclesiasticam libertatem & disciplinam ait Pax-Jord. *l.* 12. *tit.* 2. *n.* 35. prout idipsum probat Quarant. apud eundem ex Brevi Clem. VIII. dato ecclesiæ Neapolitanæ sede vacante, quod recitat *ibidem* Pax Jord.

*Quæstio* 569. *An igitur Vicarius Capitularis majorem potestatem habeat, quàm Vicarius Generalis Episcopi: & sicut hic, ità & ille habeat jurisdictionem ordinariam, faciátque idem tribunal cum Capitulo, sicut Vicarius Episcopi cum Episcopo?*

1. Resp. ad primum convenienter magis ad sententiam secundo loco propositam *qu. præced.* ex sola designatione non transire in Vicarium, seu officialem Capituli sede vacante majorem potestatem, quàm in Vicarium Episcopi. Pirh. *loc. cit.* Sbroz. *de off. Vicar. l.* 2. *q.* 41. *n.* 5. citans Mandos. *ad regul. Cancell.* 24. *q.* 6. *n.* 10. Pavin. *q.* 10. *p.* 2. *n.* 17. Castropal. *loc. cit.* Garc. *cit. q* 7. *nu.* 29. ubi : quamvis antea in Vicarium Capituli sede vacante non transiret major potestas, quàm in Vicarium Episcopi, &c. nisi per tò *antea* intelligat ante dispositionem illam Tridentini de exercenda jurisdictione à Capitulo per suum Vicarium, dum fortè is citra obligationem ab eo deputatus fuisset, non transiviſſe in illum majorem potestatem, quàm transeat modò in Vicarium Episcopi, dum is ab eo citra obligationem assumitur. Subjungit enim Garcias illa verba immediatè, postquam præmisisset : cùm Concilium arctet Capitulum ad constituendum Vicarium, qui totam jurisdictionem administret, non videtur necessaria aliqua specialis commissio. Et certè sic congruentiùs ad hanc sententiam diceretur, habere in tantùm majorem potestatem Vicarium Capitularem præ Vicario Episcopi, in quantùm hic eget in pluribus speciali commissione Episcopi. Vide dicta supra, ubi : num Capitulum habeat majorem potestatem, quàm Vicarius Generalis Episcopi.

2. Resp. ad secundum, habere Vicarium Capituli fundatam intentionem in exercitio ordinariæ jurisdictionis eâdem prorsus ratione sibi, quâ ipsi Episcopo competentis, ait Pignat. *tom.* 10. *consult.* 121. *nu.* 1. citans gl. *in c. Romana. de appellat. in 6. v. generaliter.* Covar. *qq. pract. c.* 4. *n.* 87. *& var. resol. l.* 3. *c.* 20. *nu.* 4. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *qu.* 1. Sbroz. *l.* 2. *q.* 55. *n.* 9. ubi tamen is aliud nihil, quàm quòd Vicarius Episcopi habeat jurisdictionem ordinariam, pro quo citat quamplurimos. Idem jam ante Pignatellum expresè tradidit Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 22. ubi postquam præmisisset hæc formalia : Permittendum est, quòd Vicarius sicut Episcopus Ordinarius est : idque quamplurimis quoque citatis stabiliviſſet, subjungit : idem dicendum est in Vicario Capituli sede vacante. Et sanè in utroque Vicario, nempe Episcopi, & Capitulari eadem est ratio, sive dicatur cum Sbrozio, Sanch. Maranta, & pluribus aliis, quos refert Garzias *loc. cit. nu.* 24. Vicarium Episcopi ex eo esse ordinarium, quòd lex concedat illi jurisdictionem, interveniente facto, & ministerio (nempe assumptione, qua in Vicarium assumitur) Episcopi ; sive dicatur cum ipso Garcia, Vicarium Episcopi accipere jurisdictionem ab Episcopo eum deputante, ut Abb. *in c. Romana. de appellat. in* 6. & Vestrius *in pr. l.* 3. *c.* 3. *n.* 2. ex eo tamen esse Ordinarium, quòd juris permissione ab Episcopis constituitur, ut eorum locum teneat, vicésque gerat jurisdictionem generaliter exercendo, & sic perinde sit, ac si à lege constitueretur. Eadem siquidem applicari possunt Vicario Capituli, etsi prius fortè minùs congruenter ad dicta *quæst. ante hanc.* 4. cùm Vicarius hic non accipiat jurisdictionem hanc à lege seu dispositione Tridentini ministerio Capituli eum deputantis, sed immediatè ab ipso Capitulo, à quo constituitur, non solùm ex juris (intellige Tridentini) permissione & consensu, sed etiam jussione, gerátque vices Capituli, ejúsque jurisdictionem, quæ utique ordinaria est, generaliter exerceat.

3. Resp. ad tertium : Videtur facere idem Consistorium, seu tribunal cum Capitulo. Si enim ille facit unum Consistorium, seu tribunal cum Episcopo, qui est in tribunali Episcopatûs constitutus cum

cum generali commissione, non facta determinatione ad certum locum seu partem diœcesis, & dicitur Vicarius Generalis seu principalis. Sbroz. *l.1.q.3.nu.26. & q.23. & seq. & q.29.* Garc. *cit.c.8. nu.27.* gl. *in Clem. & si principalis. de rescript. v. foraneo.* & *ibidem* Card. *nu.3.* Imol. *nu.17.* Abb. *nu.5.* Rebuff. *in pr. tit. de Vicar. Episc. num. 6.* Sanch. *ubi ante. nu. 11. &c.* Vicarius quoque Capituli faciet unum cum eo tribunal, cùm totam jurisdictionem Episcopi & Capituli ex generali hujus commissione exerceat. Quamvis hîc aliquid quæstionis de nomine intercurrere videatur; dum nimirum Capitulo non nisi per Vicarium permittitur exercere jurisdictionem, adeóque tribunal ad exercendam per seipsum jurisdictionem non habeat, sicut habet Episcopus cumulativè cum suo Vicario ex eodem tribunali administrans justitiam & jurisdictionem. Nil tamen vetat, quò minus Vicarius dicatur occupare tribunal jurisdictionis Capitularis, & eam ex illo administrare.

*Quæst. 570. Num igitur etiam à Vicario Capitulari appellari nequeat ad Capitulum?*

REsp. Sequi videtur, quòd sicut à Vicario Episcopi ad Episcopum appellari nequit, quia habent idem tribunal, ita etiam nequeat appellari à Vicario capituli. Ita etiã tenere videtur Sbroz. *l.3 q.14. à n.8.* dum enim ibi tradit, quòd sicut, si causa esset commissa per Episcopum Vicario, non tanquam Vicario, sed tanquam Delegato, Vicarius non haberet idem tribunal cum Episcopo; cùm tunc à Delegato appellatur ad Episcopum; ita etiam sit in Vicario Capitulari sede vacante, qui in causa sibi delegata non facit unum Consistorium cum Capitulo, ut Pavin. *p.2.q.10.n.14.* adeóque, quod hinc infertur, ab eo appellari nequeat ad Capitulum.

*Quæstio 571. Quid igitur agendum, seu quò recurrendum, dum Vicarius Capituli recusatur ut suspectus?*

REsp. De hoc satis dictum supra, ubi an, & qualiter Capitulum possit cognoscere causas suspicionum motas contra suum Vicarium.

*Quæstio 572. Num Vicarius electus jurisdictionem exercere possit ante literas patentes electionis illius confectas, eique traditas?*

REsp. Affirmativè. Carol. de Luca *ad Ventrigl. tom.2.annot.15. §.2.n.10.* ubi: Vicarius electus, si ante literas expeditas patentiales exerceat jurisdictionem, non cadet à jure suo, mandatum oretenus dari potest. Item Cardin. de Luca *de Canon. & dignit. d.26. nu.2. juncto nu.10.* ubi: procedit id (nempe quòd ante expeditas literas suæ deputationis non possit quis administrare) quando agitur de actu, qui exigit ad sui perfectionem Superioris authoritatem, ut est v.g. in electione, quæ eget confirmatione; secus autem est in hac materia, in qua non agitur nec de vera electione, nec de nominatione exigente post se etiam actum ad sui perfectionem; sed agitur de simplici deputatione sonante in mandatum, quod Episcopus vel Prælatus, vel ejus loco Capitulum dare dicitur; quod mandatum ad sui essentiam non exigit scripturam, sed etiam oretenus dari potest. Sbroz *l.1.q.64.* Et generaliter quòd dicti termini non intrent in illis actibus, qui falsum actum ad illorum perfectionem non exigunt; ubi scilicet ipsa electio est collatio simul. Garc. *p.1.c.6.n.23.* literæ siquidem patentes expediuntur ad probationem, non autem ad substantiam, vel perfectionem actûs; cùm nullo jure cautum sit, eas requiri do substantia. Ita ferè Card. de Luca.

*Quæstio 573. An excommunicato, aut per aliam censuram suspenso Capitulo suspensa quoque sit jurisdictio Vicarii Capituli?*

REsp. Affirmativè Pith. *ad tit. de off. Vicar. n.78,* ubi: suspenso vel interdicto Capitulo ipse Vicarius suspensus & interdictus esset; quia Vicarius utitur jurisdictione Capituli. Castrop. *tract.13. d.2.p.29.nu.5.* Garc *p.5.c.7.n.32.* ex Summ. *tom.5. d.7. §.3. n.13.* ubi is: si Capitulum habeat impeditum usum jurisdictionis, consequenter etiam Vicarius habet idem impedimentum, sicut in Vicario Episcopi, &c. & ego *in For. benef p.2.q.715.n.1.* contra Ugolin. *tab.1. de cens. c.10. §.2.nu.4.* expressè dicentem, jure Capituli suspenso ob censuram aliquam, Vicarii hujus jurisdictionem non suspendi, nec impediri, uti contingit in Vicario Capituli. Pro quo citat *c.1. de off. Vicar. in 6.* Idem cum Ugolino sentire videtur Sbroz. *l.3.q.17. nu.11. & 11.* ubi: locum non habet in Delegato excommunicati, cujus jurisdictio non suspenditur excommunicato delegante; quia Vicarius in causa sibi delegata non facit idem consistorium cum Episcopo, intellige, delegante; & mox subjungit: extenditur hæc declaratio, ut locum habeat etiam in Vicario Capituli sede vacante, ut Pavinus *p.2.q.10. nu.14.* post Card. *in Clem. & si principalis. de rescrip. nu.9.* Verùm, ut vides, loquitur Sbroz. in casu, ubi à Capitulo specialiter causa aliqua delegata Vicario suo, non ut Vicario, sed ut Delegato, de quo casu non procedit quæstio; sed respectu eorum, quæ illi generaliter ut Vicario commissa sunt à Capitulo. Porrò procedit responsio, etiamsi Vicarius deputatus à Metropolitano; quia & is jurisdictionem Capituli exercet, sive habet jurisdictionem dependentem à jurisdictione & potestate Capituli, etsi independenter à voluntate illius eam habeat. Garc. *loc. cit. n.33.* ex eodem Suarez.

*Quæstio 574. Vicarius Capitularis quid possit quoad condenda statuta nova, & abroganda vetera, & quoad transgressores puniendum?*

REsp. Facere potest constitutiones obligantes totam diœcesim, eáque duratura perpetuò, quamdiu à secuturo Episcopo non fuerint revocatæ; jus enim statuendi pendet à jurisdictione juxta *c.2 de constitut. in 6.* Ventrigl. *tom.2. §.2.n.39.* citans Quarant. *in summ. Bullar. v. Capit. sede vac. vers. quartò quæro.* Vulpe. *in pr. c.44. nu.16.* Meroll. *ubi supra, n.39.* Potest etiam statuta antiqua, & facta à prædecessoribus prælatis revocare (intellige, nisi authoritate Apostolica sint firmata; illa enim neque Episcopus abrogare potest) Ventrigl. *loc. cit. n.40.* citans Gemin. Zabarel. Felin. Pavin. Quarant. *ubi antè in fine.* Qualiter hæc ipsa limitentur, & extendantur, vide supra, ubi; quid Capitulum possit hoc in puncto. Eadem enim omnia, quæ potest Capitulum quoad hæc, potest etiam ex ejus commissione Vicarius; & quidquid illud non potest, id neque poterit Vicarius; utpote cujus potestas non potest esse major potestate Capituli, à

quò constitutus eam accepit. Pirh. *loc.cit.n.78.* Veruntamen in condendis statutis istiusmodi generalibus egebit speciali saltem consensu Capituli, si non demandatione, & commissione; cùm etiam Episcopus hac in parte in pluribus egeat consensu Capituli. Et hoc voluit Ventrigl. dum ait: potest Vicarius Capitularis habens facultatem à Capitulo statutum condere. Potest quoque ad observanda statuta sua & Capituli cogere intentatis pœnis, & transgressores illorum punire. vide quoque quæ in hac parte dicta sunt supra de Capitulo. Ad pœnas tamen has infligendas non videtur egere speciali consensu, aut commissione Capituli; cùm cui conceditur potestas statuendi, pœnásque intentandi, eidem hoc ipso concessa sit potestas eas actu infligendi, ne aliàs detur jurisdictio sine coërcitione contra textum *c. ex literis. de off. delegati.*

*Quæstio 575. An Vicarius possit quoque de aliis delictis cognoscere, eáque punire.*

Resp. affirmativè: potestatem enim hanc habet Capitulum juxta limitationes datas supra, censetúrque exercitium illius cum iisdem limitationibus ex commissione generali concessum Vicario.

*Quæstio 576. Quid possit Vicarius quoad infligendas censuras?*

1. Resp. primò in genere: Potest Vicarius nedum minari censuras, sed & illas exequi. Pignat. *tom.10. consult.121.n.4.* Sbroz. *l.2. q.182. n.7.* Censura enim est nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Sbroz. *loc.cit.n.2.* ex Abb. *in c. cùm inter. de consuetud.* & in specie de excommunicatione ait Trident. *sess.25. c.3.* & per illam Judices ecclesiastici (qualis utique est Vicarius Capituli, utpote ordinariam habens jurisdictionem juxta dicta supra) exercent jurisdictionem. Sbroz. *ibidem* citatis *c. licet. de jurejur. in 6.* & *ibi* Archid. *c. ex literis. de off. deleg.* & *ibi* Canonistæ passim. Poterit itaque in hoc genere Vicarius, quod quoad hoc potest Episcopus; siquidem quod is potest, potest Capitulum, nisi specialiter ei hæc facultas in quibusdam casibus denegetur. Ventrigl. *cit.loc.n.46.* Barbos. *jur. eccles.l.1.c.32.n.65.* citans Navar. *in man. c.27.nu.5.* Molin. *de Iust. tr.5.d.11.n.6.&c.* potestatis verò, quâ habet Capitulum, exercitium habet Vicarius: neque ad hoc videtur Vicarius egere speciali mandato Capituli ob rationem in fine *quæst. ante hanc penult* insinuatam, quamvis Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar.n.174.* apud Sbroz. *loc.cit.n.4.* dicat, solere ad majorem cautelam in Vicariatu exprimi commissio suspendendi, & interdicendi. ipse quoque Sbroz *ibidem* dicat, se putare fore exprimendam dictam commissionem in casibus, in quibus ageretur de perpetua suspensione, vel multùm diuturna, quam Vicarius Episcopi (idem juxta illum est de Vicario Capituli; ad illum enim omnia præcedentia extendit *nu.ult.cit. q.182.*) ferre non posset sine speciali mandato; cùm suspensio perpetua, & diuturna dicitur de arduis secundùm Innoc. ex Abb. *in c. ad hæc.n.1. de off. Archiep.* ità ut dicant Episcopum illam ferre non posse sine Capitulo.

2. Resp. secundò in specie. Poterit itaque Vicarius Capituli non minùs, quàm alius Judex ecclesiasticus (de quo id apud Sbroz. *nu.3.* tenent Abb *in c. cùm ecclesiar. de off. ordinar.n.4.* Innoc. *ibid. in fine.* juxta Trident. *loc.cit.*) & in specie quam Vicarius Episcopi (de quo id tenent apud eundem cum communi Rebuff. *loc. cit.* Covar. *in c. almæ. §12 n.7.* Navar. *loc.cit.n.159. & 168.*) Suspendere & interdicere Sbroz. de hoc Vicario in specie loquens *cit.n.7.* citans Rebuff. *in pr. tit. de devol.n.63.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar.n.78.* citans Suar. *de cens. d.7. s.3. n.10. & d.2. s.2. nu.9.* Poterit quoque excommunicare. Paris. *loc.cit.* Pax-Jord. *l.12. tit.2. nu.41.* Sbroz. *l.2. q.168. nu.6.* citans Rebuff. *in pr. ubi ante.* Idque etiamsi non esset sacerdos, ut de Vicario Episcopi *ibid. n.5.* Sbroz. citans Calderin. *in c. excommunicat. n.16. de rescript.* Excommunicatio siquidem non minùs censura est, quàm suspensio, & quidè principalior: ergo si, ut dictum, Judices ecclesiastici per censuras exercent jurisdictionem, quin &, ut dictum ex Tridentino, excommunicatio est nervus disciplinæ ecclesiasticæ, hanc infligere, ubi opus, utique spectabit quoque ad Vicarium Capituli ob rationem communem his omnibus supra datam, nec aliàs dicitur jurisdictio ordinaria sine coërcitione, quod falsum est; cùm talis jurisdictio sit nulla. Sbroz. *l.2. q.68. n.4.* citans *l.1. & ibi DD. ff. de jurisd. omn. Iud.* & *c. cùm contingat. de for. compet.* & *ibi* Abb. Imol. Felin. quin & actus excommunicationis sit actus jurisdictionis. Sbroz *loc. cit. n.2.* citans *c. cùm ecclesiar. de off. ordinarii.* & *ibi* Abb, & alii. Imò quilibet Judex ecclesiasticus potest excommunicare, etiamsi sit delegatus inferioris Episcopi juxta Sbroz. *loc.cit. n.3,* citantem pro hoc plures. Et quod possit sine speciali mandato excommunicare Vicarius Episcopi, habet Sbroz. *l.2. q.170. n.1,* adeóq; pariter si non potiùs Vicarius Capitularis.

3. Resp. tertiò, poterit quoque Vicarius hic vigore commissionis suæ (intellige generalis) excommunicare, suspendere, & interdicere singulares personas, seu Canonicos de Capitulo. Pax-Jord. *loc.cit.* Piguat. *loc.cit. nu.4.* Poterit quoque contra eosdem Capitulares procedere sine adiunctis, quando id poterat Episcopus. Pax Jord. *loc. cit.* Garc. *p.5, c.7.n.23.* ex declaratione S. Congreg. Non tamen poterit Vicarius totum Capitulum suspendere, vel interdicere; quia redundaret etiam in ipsum Vicarium. Pax-Jord. *ibid.* vis enim officii & jurisdictionis Vicarii dependet ab ipso Capitulo, & suspenso Capitulo suspensus est quoque ejus Vicarius, etiamsi fuisset deputatus à Metropolitano, aut ab Episcopo viciniore ob negligentiam Capituli. Pirh. *loc cit.n.78.* Pax-Jord. *loc. cit.* Suarez *de censur. d.7. s.3.n.13.* & ex eo Garc. *loc.cit.n.32.* Quarant. & Barbosa apud Pax Jord.

*Quæstio 577. Num Vicarius possit quoque Clericos privare beneficiis, & procedere ad actualem degradationem.*

Resp. Videtur posse Vicarius exigente atrocitate delicti Clericum privare beneficio. Videtur quoque posse devenire ad verbalem degradationem: utrumque enim potest Capitulum, ut supra dictum. quamvis quoad utrumque, & ad minimum quoad secundum egere videatur speciali commissione, aut consensu Capituli. Et sic posse beneficiatum per Vicarium Episcopi removeri; simpliciter tenet Franc. *in cap. licet. de jurejur.* apud Sbroz. *l.3. q.162. n.7.* Et ex mandato Episcopi speciali posse eundem Vicarium deponere, seu verbaliter degradare, tenet Sbroz. *loc.cit. n.8.* ex Bald. *in l. aliquando. n.8. ff. de off. proconf.* Et sic de consuetudine servari dicit Franc. *loc.cit.* Ad realem verò & actualem degradationem devenire non potest, quia ne quidem Capitulo, sed solis Episcopis id competit juxta dicta supra.

Quæstio

*Quæstio 578. An Vicarius Capitularis uti debeat carceribus, aliisque ministeriis Episcopi, an verò Capituli habentis alias suam jurisdictionem?*

Resp. Debet uti carceribus Episcopi, non Capituli. Sbroz. *l.1.q.16.n.5.* citans Pavin. *tr. de potest. Capit. sede vac. p.2.q.10.n.9.* quia est Vicarius episcopalis jurisdictionis devolutę ad Capitulum, & non est Vicarius jurisdictionis aliunde, etiam vivente Episcopo, comperentis Capitulo.

*Quæstio 579. Num Vicarius Capitularis possit sibi applicare pœnas seu mulctas pecuniarias?*

Resp. Negativè: Eæ enim applicandæ locis piis, ut expressè disposuit Trident. *sess.25.c.3.* ubi: *ut liceat eis* (nempe Judicibus ecclesiasticis) *procedere per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi existentibus eo ipso, quòd exactæ fuerint, assignentur.* Ad quę locum ait declaratio S. Congreg. apud Gallemart. Pœnæ fori ecclesiastici piis locis sunt applicandæ. Nec valet consuetudo contraria, per quam pars pœnarum applicatur Vicario, vel Camerę Apostolicæ, etiam in minima parte. Poterit proinde Vicarius Capitularis hujus decreti authoritate id statim exequi; neque poterit sibi aliquam portionem retinere sub prætextu salarii sui; nam illud consequi poterit in fructibus ecclesiæ vacantis. Ventrigl. *tom.2.annot.15.§.1.n.25.* citans Meroll. *Theol.mor. tom.3.d.7.c.7.n.21.*

*Quæstio 580. Num Vicarius possit quoque pœnas, etiam ad quas quis damnatus à defuncto Episcopo, remittere, & à censuris absolvere.*

1. Resp. ad primum: Probabiliter potest remittere pœnas tam à seipso, quàm à defuncto Episcopo, aut etiam à Capitulo sede vacante (spatio nimirum illorum octo dierum, quo ante constitutionem Vicarii administrabat per seipsum) interrogatas. Potest enim idipsum probabiliùs Capitulum, ut vidimus supra. Et sic quoad pœnas ab Episcopo defuncto inflictas de Vicario Capitulari tenet Ventrigl. *loc. cit. nu.42.* quàmvis is videatur respectu Vicarii requirere ad hoc specialem Capituli commissionem; dum ait: Capitulum, & ejus Vicarius ad id facultatem habens potest facere gratias, & remittere pœnas, etiam ad quas Episcopus præmortuus subditos condemnavit. Quâ saltem speciali commissione non videtur egere quoad remittendas pœnas, ad quas ipse ex generali commissione condemnavit, etsi secus videatur quoad pœnas à Capitulo ipso inflictas.

2. Resp. ad secundum, absolvere quoque poterit Vicarius ab excommunicatione (idem est de aliis censuris) Fagn. *in c.pervenit. de sentent. excom. nu.16.* citans gl. *in cap. unic. de major. & obed. in 6. v. juris.* (loquitur autem Fagn. in specie de absolutione ab excommunicatione canonis, sive ob percussionem clerici, si ea levis sit.) Sbroz. *l.2.q.172. nu.4.* citans Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.63.* Pirh. *ad lit. de off. Vicar. num.78.* ubi: Vicarius, sive is, quem Capitulum ut administratorem constituit, potest excommunicatos à jure, vel ab homine, v.g. ab Episcopo mortuo, vel ejus Vicario, vel Delegato sede Episcopali vacante absolvere, sicut Episcopus posset, si viveret, nisi à sede Apostolica id fuerit ei interdictum, &c. Vide de hoc dicta supra de Capitulo; ea enim omnia poterit ejus Vicarius. Idque absque speciali ejus mandato: si enim sine eo excommunicare potest, ut dictum paulò supra, potest etiam sine eo absolvere: excommunicatus enim ad suum excommunicatorem remitti debet absolvendus ab eo. Sbroz. *loc.cit. nu.1.* juxta *c.pastoralis. de off. ordinar.* & *ibi* Felin. *n.9* sunt enim convertibilia condemnare & absolvere, ità ut, qui potest unum, possit & alterum. Sbroz. *nu.2.* citans Menoch. *de arbitr. Iudic. l.1.q.43.n.3.* & *seq.* & potestas data ad ligandum commissa quoque est ad solvendum. Innoc. *in c.prudentiam. nu.9. de off. deleg.* Abb. *in c. nuper. de sent. excomm. v. excommunicatus.* & alii apud Sbroz. *cit. n.2.* qui tamen hoc ipsum *loc. cit. n.14.* limitat: ut si alicui, v.g. Vicario esset tantùm sententia excommunicationis delegata, tunc si excommunicavit, non possit absolvere, nisi hoc ipsum in commissione dicatur. Pro quo citat Borgas. *tract. de irregul. & disp. p.6. tit. de absol. à major. excom. nu.29.* De cetero posse Vicarium absolvere ab excommunicatione, etsi sacerdos non sit, eò quòd hæc absolutio, uti & ipsa excommunicatio sit actus jurisdictionis, habet Sbroz. *loc. cit. n.7.* citans pro hoc Calder. *in c. ab excommunicato. de rescript. n.6. &c.* quàmvis *num.11.* subjungat, Vicarium non sacerdotem honestè facturum, si committat absolutionem sacerdoti, qui simul à culpa seu peccatis, & ab excommunicatione absolvat. Pro quo citat Abb. *in cit. c. ab excomm. n.16.* & Hostiens. *ibid.*

*Quæstio 581. Vicarius Capitularis an dispensare possit in casibus, in quibus dispensat Episcopus?*

1. Resp. Poterit id utique, ubi Capitulum ei omnimodam authoritatem, etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt, concessit; poterit enim tunc omnia exercere, & facere, quæ potest Capitulum ipsum, sive jurisdictionis sint necessariæ, sive gratiæ. Ventrigl. *cit. annot.15.§.2. num.37.* Jam verò Capitulum, ut vidimus supra, in casibus istis dispensare potest. Num verò dispensare sit ex illis, quæ requirunt speciale mandatum Episcopi respectu Vicarii sui, Capituli respectu Vicarii Capitularis, non convenit inter AA. Pro negativa sententia facit, quòd dispensare sit jurisdictionis, ut Decius *in c. ut si clerici. §. de adulteriis. de Iudic. nu.21.* Cardin. *ibidem in 4. not.* quin &, ut dictum supra, dispensare non sit actus merè voluntarius; cùm sæpe expediens sit, imò necessarium, dispensare cum subditis. Ea autem, quæ sunt jurisdictionis, possit Vicarius exercere sine speciali mandato, ut Federic. *cons.130.* Felin. *in c. eam te, de rescript. nu.17.* Abb. *in c. quoniam. de off. deleg.* & plures alii apud Sbroz. *l.2.q.35.nu.2.* Et in specie de Vicario Capituli sede vacante, quòd possit dispensare sine speciali mandato, tradit Rebuff. *in pr. benef. tit. de devolut. num.63.* quem tamen inconstantiæ arguit Sbroz. *loc. cit. n.3.* ex eo, quòd *tit. de form. Vicar. Archiep. n.43.* contrarium teneat de Vicario Episcopi. Quòd num justè faciat, non satis liquet, cùm plura sint, ad quæ speciali mandato eget Vicarius Episcopi, quàm ad quæ eo eget Vicarius Capituli; plurăque sibi reservare posse videatur Episcopus, quàm Capitulum; adeòque non sit in hoc omnimoda paritas inter Vicarium Episcopi, & inter Vicarium Capituli. De cetero pro affirmativa quoad Vicarium Episcopi, quòd is egeat speciali mandato ad dispensandum, stant Sbroz. *cit. n.3.* & quos is citat Calder. *cons.1. tit. de off. Vicar.* Felin. *in c. at si clerici. n.22.* Cuch. *Inst. Jur. Canon. de Vicar. Episc. num.62. & 111.* Borgas. *de irreg. & dispens. c. fin. n.22.*

*n.22.&c.* Quin & idem in specie de Vicario Capitulari tenet Sbroz. *loc.cit.nu.6.* citans pro hoc Pavin. *de potest.Capit.sed.vac.p.2.q.10. n.17.* Fundamentum illius est, quòd dispensatio habeat se instar restitutionis in integrum; restitutio autem in integrum non delegetur ex generali mandato juxta *L.illud.ff.de minor.* Roland. *cons.25.in princ.vol.2.* qui dicat hanc esse communem opinionem. Item, quòd in mandato generali Vicariatûs non veniant ea, quæ sapiunt liberalitatem, ut Castrens. *cons 348.* Roland. *loc.cit.* quos citat Sbroz. adeóque nec dispensatio, utpote quæ provenit ex speciali gratia & liberalitate. *c.fin.de transact.* Castrens. *loc.cit.*

2. Sic itaque juxta hanc sententiam postremam non poterit dispensare Vicarius Capitularis in interstitiis sine speciali mandato Capituli, uti id docent Ventrigl. *to.2. annot.15.§.1. n.40.* citans pro hoc Barbos. *sum.Apost.decis.v.Capit.sede vac.num.14.* Vulpe. *in pr.c.44 n.14.* Aldan. *compend.can.resolut. tit.3.n.6.* qui etiam referat sic decisum à S.Congr. E contra simpliciter & indifferenter hanc facultatem dispensandi in interstitiis spectare ad Vicarium Capitularem tradit Riccius *decis.185. sub n.2.* apud Ventrigl. & Machadus apud Dian. *p.8. tr.4.resol.5.*

3. Item juxta hanc sententiam non poterit Vicarius ille dispensare cum illegitimis ad Ordines minores, & simplex beneficium, nisi de speciali mandato Capituli, uti expressè docent Ventrigl. *loc.cit.§ 2.n.58.* Dian. *loc.cit.resol.6.* citans Meroll. *Theol.mor.to.3.d.7.c.7.dub.1.n.34.* Rodriq. *in sum. tom.1.c.71.n.5.*

*Quæstio 582. Quid possit Vicarius Capituli circa cognoscendas causas matrimoniales?*

Resp. De causis matrimonialibus posse cognoscere Vicarium Capitularem habentem omnimodam authoritatem (intellige, à Capitulo) ait Ventrigl. *cit § 2. n.38.* citans præter alios Dianam *ubi ante resol.22.* & Barbos. *jur.eccl.l.1.c.32. n.102.* ubi tamen illi nihil de Vicario Capitulari, sed solùm Capitulo. Porrò per omnimodam authoritatem intelligere videtur absolutam potestatem quoad omnia, quæ Capitulum committere potest; adeóque etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt. De quo tamen meritò dubitari potest; num nimirum cognitio illa causarum matrimonialium (etsi ut dictum supra, eæ sint de arduis; cùm in iis agatur de statu hominis, Sbroz. *lib.2. q.44.n.4.* citans præter alios Menoch. *de arbit.l.2. casu 205.n.7.* & quæ sunt ardua, non transeant aliàs in Vicarium etiam cum ampliſſima facultate constitutum. Sbroz. *loc.cit. n.5.* ex Federic. de Senis *cons.302.&c.*) egeat speciali mandato, cùm spectet ad jurisdictionem ordinariam, sitque ex illis, quæ frequentiùs in administratione Episcopatûs occurrunt. Sic causas matrimoniales à Vicariis Episcoporum passim, ut videmus, cognosci comprehendíque illas in generali mandato Vicariatûs, expressè docet Cuchus *Inst. de Episc. l.2.tit.6.nu.123.* apud Sbrozium *de off.Vicarii l.2.q.43. n.4.* qui & ipse hanc sententiam tenere haud obscurè dignoscitur, dum *nu.5.* de suo rationem hujus addit, dicens: nam ad cognoscendum causas matrimoniales duo in Judice requiruntur, scilicet scientia Canonica, & quòd habeat potestatem seu jurisdictionem ordinariam, vel delegatam; Vicarius autem Episcopi hanc scientiam habere debet, & est Judex ordinarius; adeóque meritò causas matrimoniales cognoscere potest. Quin & expressè hanc sententiam de Vicario Episcopi tenet idem Author *l.2.q.44.n.1.in fine,* ubi pro hoc, quòd iste Vicarius cognoscere possit, & terminare dictas causas sine speciali mandato Episcopi, citat Lambert. *de jurep.l.2.p.3.q.2 a.3.* Covar. *l.4.Epitom.c.8.§.12. nu.1.* Præpos & Abb. *in c.fin.de cognat.spirituali, &c.* Ac denique hanc quæstionem concludit dicendo: ab hac sententia majore numero authoritatum probata non recedo. Unde idipsum à fortiore dicendum videtur de Vicario Capitulari. Neque hîc obstat, quòd juxta Tridentinum discussio illarum causarum matrimonialium nullius alterius inferioris, quàm Episcopi examini relinquatur: id enim, ut inquit Sbroz. *cit.q.43.n.7.* intelligendum non est de Vicariis, sed aliis inferioribus Prælatis, juxta dicta à nobis supra, ubi an cognitio causarum illarum competat Capitulo. Vide plura etiam de his, ubi actum de Vicario gnerali Episcopi.

*Quæstio 583. Num Vicarius Capituli per seipsum assistere possit matrimonio sine speciali mandato Capituli?*

Resp. de hoc vix dubitari posse, idque etiamsi Sacerdos non sit; cùm exerceat ordinariam & episcopalem jurisdictionem, possítque delegare cuique alteri Sacerdoti non minùs, quàm Vicarius Generalis Episcopi hanc potestatem assistendi, sitque Ordinarius & Parochus Parochorum. Et sic expressè tradit Dana *p.8.tr.8, resol.49.* ubi: sub nomine Ordinarii, qui & assistere, & assistendi licentiam dare potest, in Trident. *sess.24.c.1.* comprehenditur Capitulum sede vacante, & ejus Vicarius. Citat pro hoc Gutrier. *de matrim.c.66.n.5. & 13.* Pontium *l.5.c.10.n.4.* Boss. *c.4.§.21.* Idem expressè tenet Ventrigl. *loc.cit. n.43.*

*Quæstio 584. Quid possit Vicarius Capituli circa cognoscendas causas civiles, vel etiam feudales?*

1. Resp. ad primum: In generali commissione Vicariatûs citra speciale mandatum cognoscere potest causas civiles. Sbroz. *l.2.q.125.nu.1* loquens de Vicario Episcopi, ac citans Cardin. *in Clem.1.n.19.de off Vicar.* Bald. *cons.477.n.6.* Aufrer. *in addit.ad Tolosan.q.148.* Beroium, &c. Cùm enim in Vicarium per commissionem officii Vicariatûs generaliter ei factam transeat cognitio causarum. *c. licèt. de off. Vicar. in 6.* & *ibi* AA. cùm ex eadem generali commissione Vicarius habeat administrationem in civilibus (quod non minùs locum habet in Vicario Capituli, quàm Episcopi) necessaria non est specialis concessionis quoad hoc expressio. Sbroz. *loc.cit. n.2.* citans Rebuff. *in pr. benef. tit.form Vicar. Archiep. n.195.* Quænam verò sint causæ civiles fori Episcopalis (& consequenter spectantes quoque ad Capitulum sede vacante, & cognoscendæ per ejus Vicarium) recenset Cuch. *in Instit.jur.can.de Episc. tit.6. num.122.* apud Sbroz. *cit.n.2.*

2. Resp. ad secundum: Causas tamen feudorum

rum spectantium privativè ad Episcopum, ne quidem de mandato speciali Capituli cognoscere potest ejus Vicarius. Harum enim cognoscendarum potestatem Capitulum non habet juxta dicta à nobis supra: quorum autem exercendorum Capitulum sede vacante potestatem non habet, ea Vicario suo committere non potest. Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num. 78.* Causas tamen feudorum spectantium ad Episcopum, & simul ad Capitulum cognoscere posset; has enim Capitulum sede vacante cognoscendi potestatem habet juxta dicta à nobis supra. Item feudorum spectantium privativè ad Capitulum cognoscere potest, sed non nisi de speciali ejusdem Capituli commissione & mandato.

*Quæstio 585. Quid possit Vicarius Capitularis circa cognoscendas causas criminales, & in specie hæresis?*

1. RESp. ad primum. Quemadmodum de Vicario Episcopi, quòd causas criminales cognoscere nequeat, docent Sbrozius *lib. 2. quæst. 143. num. 1.* pro quo citat præter alios quamplurimos Pavinum *de potestate Capit. sede vacant. part. 2. quæst. 10. num. 33.* Rebuffum *in pr. benef. tit form. Vicar. Archid. num. 173.* Lancellot. *Instit. Jur. Canon. §. 1. de off. Vicar.* Clarum *in pract. crimin. §. fin. quæst. 40. in fine*, juxta *cap. licèt. de off. Vicar. in 6.* Per quem textum correctum ait *Extravag. dudum, de appellat.* quæ est Alexandri IV. & disponit, officiales Episcoporum ordinariè causas criminales cognoscere posse. Ità quoque idem tenet Sbrozius *loc. cit.* de Vicario Capituli sede vacante citans Pavinum *ubi antè. numer. 3.* Quemadmodum verò idipsum variè limitat de Vicario Episcopi, ita quoque easdem limitationes in Vicario Capituli locum habere, necesse habebit concedere. Limitat autem primò *num. 7.* quòd opus non sit commissione illâ speciali, ubi inquirit & cognoscit, non ut puniat, sed ut referat Episcopo. Pro quo Lap. *in cit. cap. licèt.* Diaz. *in pract. crim. canon. cap. 4. num. 5.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 43. num. 27.* Foller. *in pract. crim. canon. part. 1. moral. num. 124. & part. 3. tit. vel absolvantur. num. 26.* & alios quamplurimos. Limitat secundò, ut eâ opus non sit, dum Vicarius vellet inquirere, ut delinquentes se corrigant, & emendent. Pro quo citat Franch. *in citat. cap. licèt. col. 1. in princip. limit. 3.* Innocent. & Jo. Andr. *in cap. ad nostram il. 2. de jure jurand. &c.* Limitat tertiò, ità ut opus sit dictâ speciali commissione, ubi Vicarius inquirere vellet, & punire pœnâ privationis, vel depositionis ab officio, vel aliâ majore; secus, si pœnâ pecuniariâ, vel simili. Quod ipsum passim practicari videmus ab ipsis Archidiaconis, eorumque commissariis. Plures ejusmodi limitationes vide apud eundem.

2. Resp. ad secundum: In crimine tamen hæresis posse Vicarium Episcopi inquirere absque speciali mandato tenet Sbrozius *loc. cit. num. 13.* citans Farinac. *in cit. cap. licèt. limit. 3.* & *ibidem* Jo. And. Marian. Socin. *in cap. qualiter. de accusat. num. 173.* Vide tamen supra *in tract. de Vicar. generali Episc.* ubi de professo quæsitum, quid possit ille Vicarius circa crimen hæresis cognoscendum, quæ mens fuerit Sbrozii hoc in puncto, dum Author hic quandoque videatur contradicere. De cetero huic sententiæ favere videtur Carena *tract. de S. Officio. part. 1. tit. 6. §. 3. num. 10.* apud Dianam *resolut. 37.* quem vide. Et certè si id potest Vicarius Episcopi, à fortiore id posse videtur Vicarius Capituli, ob rationem aliàs datam; nimirum quòd Capitulum non ita Vicario suo restringere possit potestatem, quàm Episcopus suo. Contrarium nihilominus expressè de Vicario Capitulari tenet Ventrigl. *citato §. 2. n. 27.* ubi: procedit (nempe Vicarius Capituli) in materia hæresis, prout Episcopus ipse procedere poterat in puniendis ac judicandis hæreticis. gloss. *in cap. ad abolendam. de hæreticis. v. prærogativa.* ubi DD. quod intellige, quando habet speciale mandatum à Capitulo. Et tunc solùm contra subditos, non autem exemptos procedere potest. Farinac. *de hæresi. quæst. 186. num. 182.* Et licèt Farinacius *eod. loc. num. 181.* dicat Vicarium Capitularem nullam habere jurisdictionem in hæreticos, hoc intelligitur ex generali, secus ex speciali mandato Capituli. Quid etiam hac in parte possit Vicarius Capituli etiam in exemptos, vide apud Dianam *part. 8. tract. 4. resol. 37.* ex Carena *loc. cit.* ubi is: in casibus, ubi Episcopus procederet ut delegatus, ut cùm in causis hæresis procedit contra exemptos; nam in hoc casu Episcopum non posse ut ordinarium, sed ut delegatum considerari, secundùm communiorem tradit Farinacius, & tunc non posse Vicarium Capituli procedere, magis etiam communem voluerunt, quos citant Farinacius, Castropal. &c. Et hoc quidem de stricto jure procedit; quoniam in contrarium pro Vicario Capituli sensit Quarant. *in summ. Bullar. v. Capit. sed. vacant. num. 1.* cujus opinionem video in praxi in nostra Inquisitione Cremonæ observatam. Ità Carena.

*Quæstio. 586. Num Vicarius Capitularis esse possit delegatus Papæ, quemadmodum esse potest Vicarius Episcopi generalis?*

RESp. Affirmativè Sbrozius *lib. 3. quæst. 23. num. 3.* citans Pavin. *part. 2. quæst. 10. num. 6. & 8.* gloss. *in Clement. etsi principalis. de rescript. v. Episcopi.* & *ibi* Abb. *num. 1.* Garc. *de benef. part. 6. cap. 2. num. 42.* ubi: Vicario seu Officiali Capituli sede vacante possunt de jure dirigi delegationes & rescripta papæ, non secus ac Officiali Episcopi; cùm sit Vicarius, seu Officialis jurisdictionis Episcopalis, & sic in Hispania solent Nuncii causas delegare Officiali Capituli sede vacante. Militat enim eadem in hoc Vicario ratio, quæ in Vicario Episcopi; nempe quia non minùs quàm ille est dignitas. Personis verò in dignitate constitutis committi possunt causæ authoritate literarum Apostolicæ sedis, vel Legatorum ejusdem *cap. statutum. de rescript. in 6.*

* * * * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* *

*Quæstio*

*Quæstio 587 Quid ergo possit quoad executionem commissionum Apostolicarum delegatarum Officiali, seu Vicario Episcopi.*

1. REsp. Commissa à Sede Apostolica, v. g. literas in forma *dignum*, dispensationes matrimoniales, & similia directa Episcopo, aut ejus Vicario generali exequi nequit aut expedire Vicarius Capituli sede vacante. Pax-Jord. *lib.* 12. *tit.* 2. *num.* 28. sic decisum testans à S. Congregatione Concilii *in Cameracens.* 2. *Augusti.* 1631. Barbos. *jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 57. testans sic resolvisse eandem S. Congregationem *sub die* 24. *Maii* 1621. dispensationes matrimoniales directas Episcopo, & ejus Vicario generali, si sedes vacare contingat, non posse per Vicarium Capituli expediri. Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num.* 78. Garcias *loc. cit. num.* 41. dicens, id certum; eò quòd Vicarius Capituli sede vacante non sit Vicarius Episcopi, sed Vicarius episcopalis jurisdictionis. Felin. *in cap. Eam te. de rescript. num.* 17. apud Layman. *in cap. Romana. de offic. Vicar. num* 16. hinc etiam inferens, ut dictum supra *quæst.* 1. *hujus capit.* quòd causa à Sede Apostolica delegata Vicario, seu Officiali Episcopi ab illo cognosci nequeat, si Episcopus mortuus sit; cùm is idem Vicarius Episcopi à Capitulo assumptus, & confirmatus, non sit Vicarius Episcopi, sed Capituli. Contrarium tenentibus, quos citat *loc. cit.* Barbos. Salas. *de LL. d.* 20. *sect.* 17. *num.* 124. Ochogav. *de Sacram. tract.* 4. *de matrim. quæst.* 11. *num.* 23. Basil. Pont. *de matrim. lib.* 8. *cap.* 18. §. 1. *num.* 13. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *d.* 27. *num.* 32. à quibus, præcipuè à Sanchez, quid in contrarium opponatur, & qualiter probabiliter fundamentum sententiæ oppositæ; quòd nempe Vicarius Capituli non sit Vicarius Episcopi, solvatur. Vide apud Layman. *loc. cit.* & à nobis relato supra *cit. quæst.* 1. *hujus capitis.*

2. Sed neque, si literæ & commissiones simpliciter directæ Vicario generali diœcesis, non dicendo: *Vicario Episcopi*; sed *Vicario generali diœcesis, v. g. Trevirensis*: vel simpliciter, *Vicario Trevirensi*: adhuc Vicarius Capituli sede vacante videtur non posse eas exequi. Ità expresè Garcias *loc. cit. num.* 44. *& seq.* Barbosa *loc. cit.* citans Leon. *in Thes. fori eccles. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. Bonacinam *de LL. d.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 1. *num.* 7. Riccium *in decis. Curiæ Archiepisc. Neapolit. decis.* 44. Novarr. *in sum. Bullar. tit. capit. sede vac. num.* 27. Contrarium iterum à fortiore sentientibus Sanchez, & aliis paulò antè citatis. Fundatur hæc sententia potissimùm in stylo curiæ, & cancellariæ, quæ sede Episcopali vacante non dirigit hujusmodi literas in forma *dignum*, nec dispensationes, & similia Officiali Capituli, sed Episcopo viciniori, vel ejus Vicario. De quo stylo testatur Hieronym. Paul. *in pract. Cancell. in princip. vers. circa qualitatem personarum.* quod, inquiunt hi AA. Garcias & Barbosa, manifestum signum esse, nomine Officialis, seu Vicarii absolutè prolati in literis, quæ diriguntur, v. g. Vicario Trevirensi, non intelligi Vicarium Capituli, sed Episcopi. Citat etiam pro hac sententia Garcias *loc. cit. num.* 46. *& seq.* aliquot Rotæ decisiones, quarum una, nimirum *in Ilerdens. pensionis* 4. *Maii* 1588. sic habet: Resolutum sententiam, de qua agitur, fuisse nullam. Cùm enim delegata fuisset causa à Sede Apostolica Officiali Ilerdensi, cujus officium exspiraverat per mortem Episcopi, & à Capitulo deputatus fuisset alius Officialis sede vacante, licèt successerit Capitulum in locum Episcopi respectu jurisdictionis ordinariæ, non tamen successit respectu jurisdictionis delegatæ, &c. Non tamen videtur in hoc puncto satis sibi constare Barbos. dum *num.* 59. ait: & sic jam hodie Capitulum sede vacante exequi non potest causas Vicario Episcopi delegatas, nisi in commissione exprimeretur nomen diœcesis, v. g. Vicario Bracharensi; quia, dum sedes vacat, Vicarius est Officialis diœcesis illius. Ità novissimè Vulpe. *in pr. Iudic. fori eccles. cap.* 44. *num.* 6.

3. De cetero notandum, quod habet idem Barbosa *loc. cit. num.* 10. poterit tamen Vicarius Capituli sede vacante executioni demandare literas Episcopo per S. Congregationem directas, & ab illo non executas. S. Congregat. præposita negot. Episcopor. & Regular. *sub die* 10. *Aprilis* 1615. nec non omne illud, quòd Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus concessum erat, eadem S. Congregat. *in Tranens.* 26. *Ianuar.* 1604. *& in Neapol.* 10. *Februar.* anni ejusdem, &c. Quod verò tradit Naldus ad decretal. *in cap. ad abolendam. de hæreticis*, commissionem, seu delegationem factam Episcopo defuncto (intellige à Sede Apostolica) expediri posse per Vicarium Capituli, Diana *part.* 8. *tr.* 4. *resol.* 66. *in fine.* dicit omnino improbabile; eò quòd causæ delegatæ Episcopo mortuo expediri nequeant per ipsum Capitulum, utpote quod non succedit in jurisdictione Episcopi delegata, sed tantùm in ordinaria.

*Quæstio 588. An Vicarius Capitularis possit amovere Officiales à Capitulo constitutos?*

REsp. Juxta sententiam illam, quòd liceat Capitulo in actu electionis Vicarii Capitularis facultates restringere, & sibi aliqua reservare, quòd sicut Episcopus potest sibi eligere secretarium, ac ceteros ministros & officiales justitiæ, ità potest Capitulum sede vacante eosdem deputare tanquam necessarios ad jurisdictionem exercendam; maximè cùm soleat illorum deputatio Capitulo reservari in electione Vicarii Capitularis, juxta formulam impressam per Quarantam *in sum. Bullar. v. Capit. sede vac. num.* 15. quem à Pax-Jord. *lib.* 12. *tit.* 2. *n.* 60. recitatam lege. Ità Pignat. *tom.* 9. *consult.* 159. *num.* 4. Jam verò Vicarius Capitularis non potest hujusmodi Officiales amovere, sed tenetur eos adhibere, sicut tenetur Vicarius Episcopi, quia hujusmodi Officiales dicuntur Officiales jurisdictionis Episcopalis, cujus ipse dicitur Vicarius tanquam vices gerens Capituli, à quo jurisdictionem habet. Pignat. *loc. cit. num.* 5. citans Barbosam *in sum. decis. Apost. collect.* 125. *num.* 10. ubi is testatur, declaratum à S. Congregatione non licere Vicario ad sui libitum ministros illos amovere. Confirmatur hoc

hoc ipsum ex eo, quòd Tridentinum disponens electionem Vicarii per Vicarium sede vacante faciendam non excluserit, quin possint constitui plures cum divisione jurisdictionis. Pignat. *loc. cit. num. 6.* prout id tradit Sbroz. *lib. 1. qu. 50. num. 3.* Garc. *part. 5. cap. 7. num. 36.* juxta dicta à nobis supra.

*Quæstio 589. Num Vicarius Capituli visitare possit diœcesim sine speciali commissione Capituli?*

Resp. De hoc dictum satis supra, ubi quæsitum, an id possit Capitulum.

*Quæstio 590. Num Vicarius Capitularis celebrare possit Synodum sine speciali commissione Capituli?*

Resp. Posse Capitulum per suum Vicarium celebrare synodum, ex Ventrigl. & aliis dictum fuit supra, ubi an id competat Capitulo. Verùm num id possit Vicarius ex generali commissione Vicariatûs sine speciali Capituli mandato, non determinant illi Authores, qua in re dicendum videtur, id eum posse sine speciali mandato, sicut absque illo visitare potest; cùm visitare non minùs sit inter ardua, quàm cogere synodum; nec cogere synodum minùs sit de lege jurisdictionis, quàm visitare, lexque diœcesana non minùs urgeat unum, quàm alterum; & tamen visitare potest Vicarius sine tali mandato: ergo & synodum cogere.

*Quæstio 591. Num Vicarius Capituli dare possit licentiam ædificandi nova monasteria?*

Resp. Id Vicarium non posse, expressè tenent Diana *p. 8. tract. 4. resol. 68. in fine.* Barbosa *jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 60.* Pax Jord. *l. 12. tit 2. n. 27.* pariter restantes, sic definitum à S. Congreg. Concil. *19. Febr. 1633.* Verùmtamen legendus Fagn. *in c. non ampliùs. de Institutionib.* maximè *à nu. 66.* ubi, quòd servatâ formâ, quam Clemens VIII. præscripsit in Constitut. suâ *99. edita 23. Iul. 1603.* (cujus contentum quoad præsens punctum vide apud eundem Fagn. *loc. cit. nu. 65.* utì & apud Dian. *loc. cit.* multos Authores referentem) Conventus Mendicantium erigi possunt de licentia Ordinarii, nec opus sit licentiâ sedis Apostolicæ; quem intellectum esse Concilii Trid. probaverit S. Congregatio, quæ etiam tam se Secretario, quàm anteactis temporibus multas monasteriorum erectiones probârit ab Ordinariis factas absque licentia sedis Apostolicæ. Quin etiam ait Fagnanus *n. 70.* hanc facultatem novum monasterium erigendi S. Congregatio nec denegaverit Vicario generali Episcopi ad id speciale mandatum habenti; nec forsitan Vicario Capituli sede vacante. Et propterea quoddam monasterium Fratrum S. Dominici cœptum ædificari de illius licentia respondit finiendum esse, & ad finem perduci. Quæ omnia (ut pergit Fagn.) cogunt me credere apocryphum esse decisionem, quam referunt Campanilis & alii, cùm præsertim loquatur de Monachis, qui nullo jure arctantur ad obtinendam super hoc licentiam sedis Apostolicæ; nec talem decisionem usquam reperi in libris publicis S. Congregationis. Quæ de Vicario Capitulari, si vera sunt, videtur is ad hoc non secus, ac Vicarius Episcopi speciali mandato Capituli egere.

*Quæstio 592. An Vicarius Capitularis possit licentiam dare novitio disponendi de bonis suis temporalibus?*

Resp. Affirmative. Ventrigl. *to. 2. annot. 15. §. 2. nu. 51.* ubi ait, posse id concedere Capitulum, vel ejus Vicarium, Cúmque id indistinctè, & sub disjunctione dicat, videtur ad hoc non requirere quoad Vicarium speciale mandatum Capituli; sed neque id est ex arduis, aut singularibus. Vide quæ hac in parte dicta sunt supra de Capitulo. Et sic in genere posse Capitulum, vel ejus Vicarium concedere omnes licentias, quas poterat Episcopus, ait *num. 51.* Ventrigl.

*Quæstio 593. Num Vicarius Capituli exigere possit subsidium charitativum?*

Resp. Id eum posse, sed non nisi de mandato Capituli, Ventrigl. *loc. cit. nu. 48.* Vide de hoc dicta supra, ubi quid in hoc puncto possit Capitulum.

*Quæstio 594. Num Vicarius Capituli supplere possit consensum ad hoc, ut Ecclesiastici graventur gabellis, & exactionibus?*

Resp. Negativè. Pagn. *in c. novit. ne sed. vac. aliquid innovetur. num. 21.* ubi: ad hujusmodi onera imponenda præter alia exigitur deliberatio & consensus Episcopi & Cleri. Unde non sufficit consensus Vicarii Capitularis. Item *num. 23.* ubi: renuntiationi immunitatis hujusmodi (intellige ab exactionibus) non potest Vicarius Capituli assensum præbere, quia Capitulum sede vacante non succedit in potestate alienandi jura & bona ecclesiæ, &c. Vide dicta hoc in puncto de Capitulo.

*Quæstio 595. An Vicarius Capituli immutare possit voluntates ultimas in casibus, in quibus id potest Episcopus?*

Respondet pariformiter de hoc quoad Capitulum, & ejus Vicarium Ventrigl. *loc. cit. n. 45.* adeóque videtur id posse sine speciali Capituli mandato.

*Quæstio 596. An possit approbare confessarios, & approbatos revocare, & ubi inhabiles, reprobare?*

1. Resp. ad primum affirmativè; constituere enim & approbare confessarios est jurisdictionis ordinariæ, quam passim in hoc puncto exerceri videmus sine speciali mandato à Vicariis Episcoporum. Poterit itaque Vicarius Capitularis quoad hæc omnia sine speciali mandato Capituli, quæ supra diximus posse in hoc puncto Capitulum per suum Vicarium, adeóque etiam, ut expressè in terminis de Vicario Capitulari Ventrigl. *loc. cit. n. 44.* poterit is facultatem concedere confessariis absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reserva-

tis, & confessarium deputare pro absolutione casuum reservatorum.

2. Resp. ad secundum pari modo affirmativè ob eandem rationem, Ventriglia *loc. cit.* ubi expressè: Vicarius Capitularis potest revocare facultates omnes audiendi confessiones sacramentales, & confessores examinatos & approbatos per Episcopum mortuum iterum ad examen revocare, & si inhabiles invenerit, reprobare, etiamsi regulares sint. Quæ facultas licèt fortè denegetur Episcopo, qui semel examinavit, & simpliciter approbavit confessarios, maximè regulares (quod ipsum tamen valde limitandum) permittitur tamen successori, & Vicarius Capituli dicitur successor. Ita ille, citans Henriquez *in sum. lib. 3. de pœnit. cap. 6. in princip.* &c. Et sic idipsum quoque quotidie practicari videmus à Vicariis Episcoporum vi generalis commissionis Vicariatûs iis factæ.

*Quæstio* 597. *An Vicarius possit interponere authoritatem suam in alienatione bonorum ecclesiarum inferiorum Cathedrali?*

REsp. Quod hac in parte potest Capitulum, hoc ipsum poterit ejus Vicarius, quia est jurisdictionis ordinariæ, & sæpè necessarium.

*Quæstio* 598 *An Vicarius Capituli sine ejus speciali consensu indicere & ordinare possit processiones?*

1. REsp. Potest Vicarius Capitularis processiones publicas indicere, & præscribere quò, & quomodo sint dirigendæ. Pignat. *tom.* 10. *consult.* 121. *num.* 21. residet enim hoc jus privativè quoad alios penes Ordinarium. Pignat. *loc. cit.* idque ex mente S. Congregationis Concilii *in Elborens.* 14. *Jan.* 1617. teste Barbosâ *jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 161. non obstante, quòd Capitulum, vel alii essent in quasi possessione contraria, & non obstante etiam immemoriali consuetudine juxta decis. Congregationis sacrorum Rituum *in Camerin.* 24. *Aug.* 1619. quam pariter referunt Pignat. & Barbos. *locis cit.* Jam verò Vicarius Capitularis habet fundatam intentionem in exercitio ordinariæ jurisdictionis eâdem prorsus ratione sibi, quâ Episcopo competentis. Pignat *loc. cit. n.* 1. citans. gl. *in cap. Romana. v. generaliter. de appellat. in* 6. & *ibi* Doctores, & *in cap. tua. v. vicarii. de offic. Vicar.* Covar. *pract. quæst. cap.* 4. *num.* 87. Sanchez *de matrim. l.* 3. *d.* 29. *qu.* 29. *nu.* 1. Sbroz. *lib.* 2. *qu.* 55. *num.* 9. Garc *part.* 5. *cap.* 8. *num.* 21. *ubi*, quòd Vicarius (intellige tamen Episcopi) sicut Episcopus ordinarius est. Et quod dicendum quoque de Vicario Capitulari sede vacante expressè ait. Ex quo eodem principio fundatæ nimirum intentionis in exercitio jurisdictionis ordinariæ competentis Episcopo sequitur, posse Vicarium Capitularem omnia, quæ potest Capitulum vi jurisdictionis Episcopalis, in qua succedit, quamdiu positivè nihil à Capitulo respectu Vicarii sui exceptum est. Et sicut Capitulum succedit in jus universum Episcopi, potestque agere omnia, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, nisi expressè reperiantur ei prohibita; ità quoque totam illam jurisdictionem exercere potest per Vicarium suum, & exercet, nisi expressè sibi aliqua reservet. Pignat. *tomo* 9. *consult.* 159. *num.* 3. Garcias *loc. cit. num.* 22. citans Pavin. Ugolin. Sanch. Sbroz. Confirmatur responsio quoque ex eo, quòd eadem prorsus jurisdictio indicendi publicas processiones, illásque ad evitanda scandala potiùs per hanc, quàm per illam viam dirigendi absente Episcopo residet in Vicario illius generali cum consilio quidem Capituli, non autem de ejus consensu, ac eodem modo, quo posset Episcopus, si præsens esset. Pignat. *cit. consult.* 121. *num.* 3. ex Barbosa *loc. cit.* testante sic resolutum in S. Congregatione Rituum *in Vigilien.* 28. *Septemb.* 1630. Unde jam etiam, ut addit Pignat. *num.* 4. juxta dispositionem Tridentini *sess.* 25. *cap.* 13. *de regul.* poterit dictus Vicarius nedum minari censuras & pœnas etiam extraordinarias Canonicis ad publicam processionem accedere recusantibus; verùm & illas exequi. Pro quo citat Riccium *in collect. ad Trident. loc. cit.*

2. Non tamen potest Vicarius Capitularis processiones publicas sive generales indicere Capitulo non requisito, sive sine ejus consilio, & consequenter neque tunc præcipere Canonicis ut interfint. Pignat *num.* 5. Nam neque Episcopus ipse, neque ejus Vicarius potest tales processiones indicere sine consilio Capituli, cùm non competat ei potestas liberè indicendi processiones, sed solùm de consilio Capituli. Pignat. *loc. cit. num.* 5, & 6. juxta plures declarationes sacræ Congregationis relatas à Riccio *in pr. Curiæ Archiepisc. Neapol. part.* 4. *decis.* 379. *à num.* 3. & à Barbosa *ad cit. loc. Trident.* & *in sum. Apost. decis. collect.* 605. *num.* 3. & *de off. & potest. Episc. alleg.* 23. *à nu.* 4. Quod ipsum tamen consilium Capituli necessariò requirendum intelligi de processionibus, quæ fiunt in civitate (intellige, Episcopali, seu ubi est Capitulum Cathedrale) non verò de iis, quæ fiunt extra illam in oppido aliquo diœcesis, tradit Pignat. *loc. cit. nu.* 8. juxta declarationem S. Congreg. Concilii.

*Quæstio* 599. *Num Vicarius Capitularis uti possit sigillo suo particulari, an verò teneatur uti sigillo Capituli?*

1. REsp. Quà Vicarius Capitularis, seu in scripturis publicis, quas expedit tanquam Vicarius Capituli, uti non debet sigillo privato, sed uti debet publico sigillo Capituli. Pignat. *tom.* 9. *cons.* 159. *num.* 7. sigillum enim requiritur & apponitur, ut authoritatem tribuat mandatis, præceptis, & ordinationibus; adeóque ratione publici officii, quod quis gerit: ergo debet esse non privatum, sed publicum, & authenticum, quale est sigillum Principis, Magistratûs, Episcopi; & in specie Capituli jurisdictionem ordinariam exercentis. Pignat. *loc. cit.* de quo vide Gonz. *ad regul.* 8. *cancell gl.* 61. ubi multa de sigillis. Cúmque sigillum tantam tribuat authoritatem literis, quantam vult is, qui authoritatem concedere potest, si persona sit publica, & ratione publici officii, quod gerit, authoritatem scripturæ suæ tribuere cupit, consignatio illius debet esse publica, sive uti debet sigillo publico,

blico Pignat. *num.* 8. Proinde jam, cùm Vicarius Capituli sit persona publica, publicam & ordinariam exercens jurisdictionem, in ordinationibus suis, & scripturis publicis uti debet sigillo publico, quod gerit ratione hujus officii sui. Cúmque ex altera parte sit locum tenens Capituli nomine illius exercens jurisdictionem, uti tenetur sigillo Capituli, exemplo aliorum locotenentium juxta praxin ordinariam, & ut de locumtenente Auditoris Cameræ Apostolicæ notat Mandos. apud Pignat. *num.* 9. Et sicut sigillum Episcopi tanquam authenticum præbet authoritatem ipso Episcopo vivente juxta decis. Rotæ 1. *de probat. in nov. & in Civitatens. Archipresb.* 26. *Novemb.* 1659. apud Pignat. *cit. num.* 9. ità etiam ad authoritatem literis actisque publicis tribuendam sede vacante requiritur sigillum ecclesiæ vacantis, sivè Capituli, quod fungitur vice & munere Episcopi.

2. Contrarium, nimirum quòd uti possit sigillo proprio, censet Pignat. *loco cit. num.* 10. de Vicario Capitulari constituto authoritate Apostolicâ; dátque hujus rationem hisce verbis: siquidem hujusmodi Vicarius non ex suo nomine utitur proprio sigillo, ac titulo Vicarii Apostolici; sed ex decreto Congregationis authoritate Pontificiâ confirmato; ideóque, ne inanis reddatur Vicario facultas S. Congregationis, dicendum est, quòd ea velit eum uti posse omnibus prærogativis hujusmodi Vicariis à S. Congregatione concedi solitis, inter quas procul dubio est usus proprii sigilli ad instar Præsulum; cùm omnia possint isti Vicarii, omnésque prærogativas consequantur, quas ipsi Præsules, juxta quod de Vicario Episcopi authoritate Apostolicâ constituto tradit Sbrozius *lib.* 2. *quæst.* 64. *num.* 6

3. Secus tamen iterum, nempe quòd uti possit sigillo proprio, tradit Pignat. *loco cit. num.* 12. de Vicario Capitulari authoritate Apostolicâ confirmato tantùm.

*Quæstio* 600. *Num Vicarius Capitularis dare possit Episcopo extero licentiam exercendi Pontificalia, & in specie conferendi Ordines in ecclesia vacante, & diœcesi Capitulo subjecta?*

1. REsp. Affirmativè. Sbroz. *lib.* 2. *quæst.* 12. *num.* 2. Ventrigl. *tom.* 2. *annotat.* 15. §. 2. *num.* 51. juxta tamen limitationes, & extensiones traditas supra, ubi examinatum, qualem hac in parte potestatem habeat Capitulum sede vacante. Non tamen ad concedendam hanc licentiam videtur Vicarius Capitularis egere commissione speciali Capituli, sicut in Vicario Episcopi, eò quòd ad dandam hanc licentiam Episcopo extero requiritur juxta Sbroz. *loc. cit. num.* 1. ubi, quòd Episcopus dare possit suo Vicario specialem authoritatem committendi alicui Episcopo ea, quæ sunt ordinis Episcopalis. Pro quo citat plures. Dispar enim in hoc est ratio, dum datur dicta licentia vivente proprio Episcopo, & dum datur eo defuncto ab exercente jurisdictionem ordinariam Episcopalem, & sic exigente rectâ administratione diœceseos.

2. Poterit quoque Vicarius Capitularis, si est Episcopus, ipse exercere Pontificalia in ecclesia vacante, v. g. Ordines conferre, chrisma conficere, consecrare templa, aliáque omnia, ad quæ aliàs licentiam dare poterat alteri Episcopo. Ventrigl. *loc. cit. num.* 55. qui quàmvis addat *de licentia Capituli:* videtur tamen satis data illi ista licentia in generali Vicariatûs commissione. Si enim sine speciali, ut jam dictum, commissione, potest dare eam licentiam extero Episcopo, cur non & sine illa exercere posset eadem per se, ubi ea exercendi capax est.

*Quæstio* 601. *Quid possit Vicarius Capituli, quoad dandas dimissorias?*

REsp. Posse eas dare Vicarium, limitando tamen & extendendo hoc ipsum juxta dicta supra, ubi examinata potestas hac in re Capituli. Dare quoque eas illum posse privativè ad Capitulum, ita ut hoc per seipsum eas dare nequeat, dictum quoque supra ex Ventriglia, quàmvis idem Author, ut quoque ibidem allegatum, cum Barbosa teneat, citatis pro hoc pluribus, non posse Vicarium, ne quidem arctatis, vel etiam post elapsum annum vacantiæ eas concedere sine speciali mandato Capituli, uti & ipsum tenet Pignat. *tom.* 3. *consult.* 8. *num.* 3. tamen contrariari videtur quod Barbosa *jur. eccl. lib.* 1. *cap* 32. *nu.* 129. dicit ex Jo. And. *in c. cùm nullus. in fine. de temp. ordin.* quòd facultas dandi dimissorias sit de solitis pro jurisdictione Vicariorum. Si autem sit de solitis concedi pro jurisdictione, censebitur jam eo ipso concessa hæc potestas in commissione Vicariatûs, dum positivè non excipitur. Quam porrò pœnam incurrat Vicarius Capitularis contra Tridentini dispositionem concedens dimissorias, & qualiter ab ea absolvi possit per successorem Episcopi, dictum satis supra, ubi etiam, quòd Vicarius dare possit literas testimoniales.

*Quæstio* 602. *Num Vicarius Capitularis concedere possit facultatem construendi vel dotandi ecclesiam in ordine ad acquirendum jus patronatûs dotanti, vel construenti?*

REsp. Affirmativè. Ventriglia *tom* 2. *annotat* 15. §. 1. *num.* 61. ubi dum simpliciter ait, posse id Capitulum, & ejus Vicarium, videtur hoc modo conjunctivo significare, non egere ad hoc Vicarium speciali mandato Capituli. Quod ipsum ex eo quoque suaderi videtur, quòd dare licentiam ædificandi ecclesiam spectet ad ordinariam jurisdictionem Episcopi, adeóque & Capituli, nihílque in hoc propriè intercurrat gratiæ & liberalitatis; jus verò patronatûs concedatur ædificanti, vel dotanti non tam ab Episcopo, aut Capitulo, quàm ab ipso jure communi. Vide dicta de hoc supra quoad Capitulum ipsum.

*Quæstio* 603. *Num Vicarius hic instituere possit præsentatos, & confirmare electos, idque sine speciali mandato Capituli?*

1. REsp. ad primum affirmativè. Ventrigl. *loc. cit. n.* 57. plures citatos vide supra, ubi quid

Capitulum in hoc puncto possit. Loquuntur enim ii ferè omnes pariter de Vicario & Capitulo, dum dicunt, transire hanc facultatem ad Capitulum, vel ejus Vicarium. Ubi quoque videbis, qualiter ex pluribus præsentatis uni præ alio gratificari possit: quin & institutio præsentatorum, & confirmatio electorum fieri debet per Vicarium Capituli; quia is loco Capituli fungitur jurisdictione Episcopali transeunte in Capitulum. Barbosa *jur. eccles. lib. 1. cap. 32. num. 62.* & ego *For. benefic. part. 2. quæst. 715. num. 2.* Mandat enim Tridentinum *sess. 24. cap. 16.* Capitulo constituere Vicarium, qui totam ejus jurisdictionem administret, seu statuit modum, quo Capitulum transeunte in se jurisdictione Episcopali uti debeat, nempe per designatum à se Vicarium, & non per seipsum. Garcias *part. 5. cap. 7. num. 6. & 28.*

2. Resp. ad secundum, Potest quoque hoc ipsum sive præsentatos instituere (idem est de confirmare) sine speciali mandato. Conrad. *pr. benefic. lib. 2. cap. 1. num. 78. & seq.* Garcias *part. 5. cap. 7. num. 28.* & ego *For. benef part. 2. quæst. 171. num. 2.* Potest enim hic Vicarius ratione officii generatim commissi expedire ea, quæ sunt justitiæ, & necessitatis, quale quid est præsentatos instituere, & electos confirmare: uti hoc ipsum ob hanc rationem de Vicario Episcopi tenent Azor *part. 2. lib. 6. cap. 22. quæst. 3.* Laym. *cap. ad cùm in generali. de offic. Vicar. num. 9.* & plures alii à me citati *loc. cit.*

## *Quæst.* 604. *Quid Vicarius Capituli possit circa beneficiorum collationes?*

1. Resp. primò generaliter, in hoc illum plus non posse, quàm Capitulum; quia quidquid habet jurisdictionis & potestatis quà Vicarius Capituli, id totum habet vel à Capitulo, vel à Metropolitano (in casu nimirum negligentiæ Capituli) qui majorem ei concedere nequit potestatem, quàm communem & solitam concedi à Capitulo. Ego *cit. quæst. 715. num. 1.* cum Castrop. Garz. Suar. Barbos. *ibi* citatis.

2. Resp. secundò quoad collationes liberas, quæ aliàs competunt Capitulo etiam sede plenâ, non poterit se magis immiscere, quàm Vicarius Episcopi in collationes pertinentes ad eum. Neque etiam collationes illæ competentes Capitulo spectant ad ejus jurisdictionem, adeóque ad ea beneficia conferenda ad minimùm egebit speciali mandato Capituli. Ego *loc. cit. num. 3.*

3. Resp. tertiò: Si tamen collatio libera beneficiorum spectaret ad Capitulum ob jurisdictionem & administrationem Episcopalem ad illud devolutam, v. g. in casu, ubi ob negligentiam inferiorum collatorum devolveretur collatio aliàs ad Episcopum, si viveret, ut habet sententia probabilior, de qua vide me *loc. cit. quæst. 712.* hanc collationem faciendam per Vicarium suadet ratio *quæst. præced.* allegata de institut. & confirmat. An verò egeat ad hoc speciali nihilominus mandato (duo enim hæc distincta sunt: potestatem Capituli exercendam semper per Vicarium, & potestatem hanc exercendam per illum semper, seu in omnibus sine speciali mandato) non ità liquet; cùm hic intercurrat adhuc liberalis donatio ex parte Vicarii: quæ etsi competeret Capitulo, non tamen exinde sequitur competere eam ejus Vicario ex generali commissione Vicariatûs.

4. Respondet quartò Garcias *part. 5. cap. 3. num. 76.* quòd si aliquod beneficium, seu Capellania ex fundatione & institutione conferendum sit certæ personæ, seu certo generi personarum, ut consanguineis fundatorum, poterit Vicarius Capituli sede vacante illud conferre, quàmvis non sit juris patronatûs, sed merè collativum: ut si fundator illud liberum reliquisset à jure patronatûs, seu aliàs jus patronatûs amissum esset; vel ubi esset juris patronatûs, & patronus non præsentâsset in tempore. Et sic testatur docere Wamesius *consult. 260.* ubi, quòd beneficia, quæ certis personis in specie affecta sunt, possint conferri à Capitulo sede vacante; licèt sit secus, cùm in genere qualificatis personis collatio facienda est, verbi gratiâ, Magistris. Idem tradit Garcias *loc. cit. num. 90.* de Capitulo sede vacante: ubi cùm filius patrimonialis in concursu magis idoneus judicatus habeat jus ad beneficium, & ei absolutè debeatur, sicut præsentato, ità ut Ordinarius possit per Superiorem compelli ad ei conferendum beneficium, videtur collatio verè necessaria, & de justitia, & consequenter in ea succedere Capitulum sede vacante, &c. Verùm *in Foro benefic. part. 2. qu. 710.* uti & supra sententiam contrariam secutus sum; nempe quòd nimirum istiusmodi beneficium conferre non possit Capitulum sede vacante. Quibus congruenter dicendum, neque id posse ejus Vicarium.

## *Quæstio* 605. *Quid Vicarius Capituli possit circa recipiendas resignationes beneficiorum?*

1. Resp. primò. Potest Vicarius hic recipere resignationes beneficiorum spectantium privativè ad collationem Episcopi simpliciter factas. Ventrigl. *loc. cit.* §. 1. *num.* 51. juxta dicta à nobis supra, ubi quid in hoc puncto possit Capitulum. Egere verò illum ad hoc speciali mandato, tradit *ibidem* Ventrigl. Quemadmodum de Vicario Episcopi id passim tradunt Auctores. Quod ipsum faciliùs admisero de resignationibus illorum beneficiorum, quæ pertinent privativè ad collationem Capituli etiam sede plenâ; vel etiam, quæ pertinent ad collationem simultaneam Episcopi & Capituli: eò quòd illa, quæ de se independenter à vacantia sedis, seu independenter à potestate Episcopi ad se devoluta potest Capitulum conferre, non transeant ad ejus Vicarium Capitularem sine speciali ejus mandato; quàmvis tamen etiam ex eo, quòd collatio hujus vel illius beneficii pertineat ad Capitulum etiam sede plenâ, adeóque sede vacante illud conferre nequit Vicarius Capitularis sine speciali Capituli commissione non rectè inferatur: ergo neque receptio resignationis illius beneficii sede vacante spectabit ad Vicarium sine speciali Capituli commissione. Nam adhuc in hoc casu Capitulum (quia sede plenâ istorum beneficiorum ad suam collationem pertinentium resignationes recipere

non

non valebat; dum resignatio non nisi coram eo fieri possit, qui habet potestatem invitum deffituendi beneficio, quam Capitulum tunc non habebat) non nisi potestate Episcopali sede vacante ad se devolutâ potest istorum beneficiorum resignationes non secus, ac dictâ potestate recipere tunc potest aliorum beneficiorum resignationes, utpote jam pollens eâ jurisdictione Episcopali ad se devolutâ potestate illa deffituendi quoad beneficia omnia. Jam verò receptio illa resignationum est jurisdictionis ordinariæ, & plerumque, ut dictum supra ex Azor, necessitatis, non voluntatis. Unde meritò dubitari possit, an non illa potestas recipiendi resignationes ex generali commissione Vicariatûs transeat in Vicarium; sicut è contrà indubitatum videtur, illam non transire in illum sine speciali mandato, si Capitulum jam antecedenter sede plenâ de se habuisset potestatem recipiendi resignationes certorum beneficiorum.

2. Resp. secundò: Resignationes beneficiorum factas permutationis gratiâ, nullatenus recipere potest Vicarius; quia nec illas recipere potest Capitulum juxta dicta supra.

*Quæstio 606. Quid possit Vicarius Capitularis vacante Parochiâ, & in specie circa habendum concursum.*

Resp. Potest Vicarius hic vacante Parochiali omnia facere, quæ ex dispositione Tridentini *sess. 24. cap. 18.* præcedere debent ejus collationem. Sed habitâ notitiâ vacationis providere potest illi ecclesiæ de idoneo Vicario cum assignatione congruæ portionis, proponere edicta, examinare per concursum deputare Examinatores in Synodo. Ventriglia *loc. cit. §. 2. num. 50.* sic decisum testans per S. Congregationem Concilii *in una Toletana. anno 1577.* Quin & procedere potest usque ad dignioris electionem. Ventriglia *loc. cit.* dicens sic verè servari in praxi, quod Vicarius Capituli facto examine per concursum nominet Papæ digniorem. Quin etiam, ut dictum supra ex Cardinale de Luca, & Fagnano, non potest Capitulum juxta dispositionem Tridentini hæc ipsa sibi reservare, aut per seipsum Capitulariter expedire, sed necesse habere illa facere per Vicarium suum. Unde jam etiam infertur, non egere adhæc Vicarium speciali mandato (etsi de ceterò sint diversa: Capitulum teneri facere aliquid per alium: & illum hoc posse sine speciali commissione Capituli) si enim non potest ea sibi reservare Capitulum, ut ait Cardinalis de Luca, & ea aliàs spectant ad jurisdictionem ordinariam, & quidem necessariam, ultra generalem commissionem Vicariatûs opus non erit commissione speciali, tametsi eâ aliàs egeret ad hæc Vicarius Episcopi; dum ei liberum est per se, & absque suo Vicario hæc exercere, non item Capitulo. Porrò quod specialiter spectat ad deputationem, vel subrogationem Examinatorum Synodalium, poterit quoad hoc punctum Vicarius, quod supra diximus de hoc de Capitulo, deberique hoc ipsum fieri per Vicarium Capituli, adeóque de hoc pari modo, ac de ceteris loquendum.

*Quæstio 607. Num Vicarius Capituli possit transferre beneficia ab ecclesiis collapsis?*

Resp. Affirmativè. Fagnan. *in cap. his quæ. de major. & obed. num. 56.* ubi: S. Congregatio censuit, facultatem transferendi beneficia simplicia ab ecclesiis collapsis competentem Episcopo ex Tridentino *sess. 21. cap. 7.* transire in Vicarium Capituli sede vacante: quippe decretum illud non dicit simpliciter: *authoritate Apostolicâ*; sed additâ particulâ *etiam*, quæ est implicativa jurisdictionis ordinariæ.

*Quæstio 608. Quid possit Vicarius Capituli circa uniones beneficiorum faciendas, & rescindendas; item circa dismembrationem, & extinctionem beneficiorum?*

Resp. in genere, posse illum, quod potest in hoc puncto Capitulum, proindè videnda, quæ dicta sunt supra. Videtur tamen egere speciali ad hæc Capituli consensu, si non commissione; cùm & ipse Episcopus factutus uniones & suppressiones egere videatur consensu (de quo tamen vide dicta de unione & suppressione beneficiorum *in Foro meo benefic.*) & requisitione Capituli Cathedralis.

*Quæstio 609. Quid possit hic Vicarius quoad emolumenta iurisdictionis?*

Resp. Reditus, proventus, emolumenta, etiam figilli, vel cujuscunque generis, etiam ex jurisdictione provenientia, utì Capitulum, ità etiam Vicarius illius sibi applicare nequit; sed reservanda successori, nisi forsan alicui sint debita, Pax Jord. *lib. 1 2. tit. 2. num. 22. & 23.* juxta *Clement. statutum de elect. & DD. ibi.* Quin & emolumenta communia ipsi Episcopo cum Capitulo pro ea parte, qua Episcopum contingunt accumulanda, & successori reservanda ab œconomo. Pax-Jord. *cit. num. 22.* ex Quarant. & Cardinali. Hujus rationem, & objecta in contrarium soluta ex Laym. vide supra, ubi num Capitulum sede vacante obtinere possit obvenientia emolumenta spectantia aliàs ad Episcopum.

*Quæstio 610 An hic Vicarius in hoc munere suo occupatus, & ideo absens à choro lucrari possit distributiones?*

Resp. Vicarius Capituli, dum est Canonicus, seu de gremio Capituli, non solùm in absentia lucratur fructus, sed & distributiones. Garcias *part. 3. cap. 2. num. 358.* citans Pavin. *de off. & potest. Cap. sede vac. part. 2. quæst. 10. num. 5.* Rebuff. *in pr. benefic. de Vicar. Episc. num. 5.* Quam sententiam tenet etiam Diana *part. 8. tract. 4. resolut. 67.* citans Escob. *de hor. Canon. §. 2. de distribut. nu. 218.* Cenid. *qq. canon. quæst. 1. num. 72.* qui tamen posterior idipsum extendit ad Canonicos Cathedrales electos in Vicarios Generales, Officiales, Visitatores, non distinguendo inter Vicarios Episcopi, & Capituli, & etiamsi ratione horum officiorum assignetur illis salarium,

rium. Contra Barbosam *jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 39. ubi expresè: Canonicus ex gremio Capituli in Vicarium electus, dum tempore divinorum officiorum suo muneri & officio incumbit, distributiones quotidianas non percipit, ut resolvit Monet. *de distribut. quotid. part.* 2. *qu.* 11. *num.* 83. & idem stante consuetudine illum absentem non excusante, admittit Rota *decis.* 222. *num.* 6. *part.* 2. *divers.* Item contra Trullench. Castrop. Ratio responsionis est: quia Vicarius Capituli censetur esse in servitio ecclesiæ (secus ac Vicarius generalis Episcopi, potius est in servitio Episcopi) cùm magis commodum sit ecclesiæ, ut deputetur unus, & non exerceatur jurisdictio per totum Capitulum, Garcias *loc. cit.* Et qui abest pro servitio, & evidente utilitate ecclesiæ, de jure, etiam cessante consuetudine, non solùm percipit fructus, sed etiam distributiones quotidianas. Garcias *num.* 359. quamvis is *ibidem* id limitet: si est præsens in loco, ubi est ecclesia; secus si ab eo abfit, etsi pro utilitate ecclesiæ.

*Quæstio* 611. *An Vicarius Capituli sibi substituere possit alium?*

1. RESP. primò. Non posse illum sibi substituere alium, nisi ad modicum tempus, & ex urgente & magna causa, ac non nimis frequenter; & id quidem non nisi ex speciali Capituli mandato tradit Ventrigl. *tom.* 2. *annot. ff.* §. 2. *num.* 27. ubi: nota, quòd Vicarius Capitularis non potest alium Vicarium substituere sine facultate ei concessa à Capitulo. Imò si facultatem haberet substituendi, adhuc non potest substituere nisi ad modicum tempus, & concurrente magnâ causâ, non nimis frequenter, citat pro hoc Riccium *in pr. p.* 1. *resolut.* 511. Vulpe. *in pr. cap.* 44. *num.* 17. Meroll. &c. idem sentire, nimirum opus esse speciali Capituli mandato ad substituendum, etiam ad breve tempus ex urgente causa, qui absolutè loquuntur, dicendo Vicarium Capituli non posse sibi substituere alium nisi ex speciali Capituli concessione hanc substituendi potestatem habeat, ut Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n.* 78. Videntur tamen in hoc casu, nimirum dum fieret ea substitutio ad breve tempus, ex magna causa, non nimis frequenter, non requirere speciale Capituli mandatum. Barbos. *jur eccl. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 56. Diana *part.* 8. *tract.* 4. *resolut.* 62. dum sub disjunctione loquuntur, nimirum non posse illum substituere, nisi ad breve tempus, & ex magna causa, vel nisi haberet speciale mandatum à Capitulo, ut possit alium substituere cum clausula: *quem ex nunc prout ex tunc nos substituimus*; ità ut si specialem illam haberet à Capitulo substituendi potestatem, posset illum substituere ad tempus longiusculum, & causâ non adeò fortiter urgente. Quin & indifferenter sine dicta speciali concessione Vicarium sibi posse substituere alium, decisum refert Garcias *part.* 5. *cap.* 7. *num.* 23. à S. Congregatione his verbis: *ad Vicarium* (loquitur de Vicario Capituli) *propter cujus absentiam spectat substitutionem facere.* Quæ decisio si vera est, ait Ventrigl. corruit tota machina prioris sententiæ. De cetero, quod attinet potestatem illam substituendi, de Vicario Capituli pariter ac de Vicario Episcopi, nisi in deputatione Vicarii sui aliud expresserit Capitulum, loquendum, ait Pax-Jord. *lib.* 12. *tit.* 2. *nu.* 38.

2. Resp. secundò. Si Vicarius Capitularis infirmitate detentus, aliòve impedimento occupatus esset, posset substituere quidem, saltem si facultatem substituendi haberet, hoc tamen non obstante, si alium non substituat, potest Capitulum deputare Vicarium alium pro tempore durantis infirmitatis. Ventrigl. *loc. cit. num.* 28. Diana, Barbosa *locis cit.* cujus substituti potestatem non exspiraturam, si Vicarius substituens moriatur: quia illam habuit à Capitulo, quod dedit facultatem substituendi, ait Ventriglia *loc. cit.* citans Riccium *ubi antè resol.* 512. Secus videtur, si Vicarius illum substituit independenter à speciali facultate substituendi sibi concessa à Capitulo. Poterit quoque Vicarius ille detentus infirmitate, aliòve impedimento causas tunc coram se pendentes delegare alteri, saltem de consensu ipsius Capituli. Dian. Barbos. *locis cit.* Porrò debere substitutum illum habere qualitates illas requisitas in Vicario ipso Capitulari per Tridentinum, habet Ventriglia *loc. cit. num.* 29. & ita decisum à S. Congregatione 17. *Maii* 1600. testari ait Sellium *select. Can. cap.* 19. *num.* 45.

CAPVT

# CAPUT SEXTUM.

## De Vicarii Capitularis Præcedentia, Salario, Exspiratione officii, reddendáque ab eo Ratione administrationis.

*Quæstio* 612. *An Vicarius Capituli, & quatenus habeat, aut prætendere possit præcedentiam?*

1. RESP. primò. Supra primam dignitatem non habet, nec prætendere potest præcedentiam. Cardinalis de Luca *ad Tridentin. d.* 31. *num.* 29. & ex eo Carolus de Luca *ad Ventrigl. tom.* 2. *annotat.* 15. §. 1. *num* 6. Est enim Vicarius Capitularis minister Capituli, quod in ipsa prima dignitate in actibus præeminentialibus repræsentari videtur. Cardinalis de Luca, & Carol. de Luca *locis cit.* Ait tamen de seipso *ibidem* Cardinalis de Luca, quòd dum ipse fuit in hoc munere Vicarii Capitularis, studuerit effugere hunc actum positivum occupandi locum post primam dignitatem; ideóque statuisse se sedem in loco tertio, in quo apud populum major videbatur dignitas officii, nempè Vicariatûs Capitularis. Sic illum sedere debere in sede portatili, & non occupare locum primæ dignitatis, ait *loc. cit.* Carolus de Luca; citans Marchet. *part.* 1. *tit.* 5. *num.* 12. Idem sentire videtur Barbosa *jur. eccles. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 42. ubi: Nec Vicarius hujusmodi Capitularis occupare debet in ecclesia sedem Archidiaconi, sed debet sedere in alia sede portatili, ut declaravit S. Congregatio Rituum *in Nucerina.* 10. *April.* 1601. Supponere enim videtur, Archidiaconum esse primam dignitatem post Pontificalem. Sic namquè expressè ait idem Barbosa *loc. cit. numer.* 41. ubi: advertit Sbrozius *de Vicario lib.* 2. *quæst.* 25. *num.* 17. (ubi tamen is agit solùm de Vicario Episcopi) quòd etiam, quando non eligitur Vicarius ex Canonicis, illi in processionibus præferendus & Archidiaconus, seu alia dignitas major est prima post Pontificalem. Idem tenet Pignat. *tom.* 4. *consult.* 183. *num.* 8. ubi: dicendum est, Archidiaconum primam dignitatem semper præcedere Vicarium Capitularem. Item Sbrozius *loc. cit. num.* 20. ubi: quòd Archidiaconus præferendus Vicario Capituli sede vacante. Contrarium, nempe, quòd Vicarius generalis Episcopi primum locum ac dignitatem occupet post Episcopum (non tamen supra Assistentes & Prælatos) quando in habitu Vicarii, non autem Canonici, in choro, aliisque functionibus intervenit, tanquam verius magisque receptum tenet Cardinalis de Luca *loc. cit. num.* 38. citans seipsum *tit. de præced. disc.* 18. Contrarium quoque de Vicario Apostolico (constituto nempe à Papa pro ecclesia episcopali vacante) qui præcedit omnes, tenet Carolus de Luca *loc. cit.* citans Marchet. *ubi antè num.* 37. Bordon. *de præcedent. num.* 510. Quin & contrarium de Vicario Capituli à Capitulo electo quoad processiones tenet Diana *part.* 8. *tract* 4. *resolut.* 67. ubi: quoad locum in processionibus ego puto Vicarium Capituli sede vacante habere primum & honorabiliorem locum, quidquid aliqui in favorem præsertim Archidiaconi asserant. Hanc nostram sententiam tenet Meroll. *tom.* 3. *d.* 7. *dub.* 32. *num.* 329. De cetero Vicarium Capitularem præcedere aliis dignitatibus post Archidiaconum, seu primam dignitatem asserit Pignat. *loc. cit.*

2. Resp. Quòd si Vicarius Capitularis interveniat in choro cum canonicali apparatu, ut distributiones quotidianas lucretur, debet sedere in loco proprio sui Canonicatûs, antiquiores non præcedendo. Barbosa *loc. cit. num.* 40. citans Sayr. *in florib. decis. sub tit. de Vicario, decis.* 3. Riccius *in pr. for. eccles. decis.* 475. *in prima editione. & in* 2. *edit.* 492. qui etiam dicat, sic decisum per Rotam *in una Lucana benef.* 18. *Decemb.* 1579. uti & Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 54. *num.* 167. & 178. citans pro hoc insuper Grilenz. *cons.* 121. Homob. de Bovis *de vita hum. statib. part.* 1. *cap.* 7. *vers. porrò.* Sic simpliciter ait Pignat. *loc. cit.* quando Vicarius Capitularis est Canonicus, debet semper stare, sedere, incedere in loco suo, & tunc nulli præcedit. Citat pro hoc Barbos. *de Can. & dign. cap.* 36. *num.* 10.

* * * * * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* * *

*Quæstio 613. An Vicario Capitulari debeatur salarium, quantum, & unde desumendum?*

1. REsp. ad primum. Vicario Capitulari debetur salarium competens, cùm nemo teneatur suis stipendiis militare. Ventriglia *tom. 2. annot. 15. §. 2. num. 33.* Pax-Jord. *lib. 12. tit. 2. num. 17.* Pignat. *tom. 9. consult. 105. num. 1.* Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 36.* testans sic censuisse S. Congregationem *sub die 15. Octob. 1601.* Procederitque idipsum, sive Vicarius hic sit extraneus, sive de gremio, & Canonicus. Ventriglia *loc. cit.* citans Quarant. *summ. Bullar. v. Capit. sede vac. num. 3.* Neque propterea, quòd sit Canonicus de gremio, minus habere debet salarium. Pax-Jord. *loc. cit.* Item procedere hoc ipsum pro tempore, quo extra diœcesim per vim detineretur Vicarius Capitularis, si per ipsum non steterit, quin exerceret suum munus, asserit Pignat. *loc. cit. num. 3.* citátque pro hoc Cæphal. *consult. 70. num. 4. & seq. l. 1.* ac probat variis textibus Juris civilis *L. Mœnia. de an. legat. L. Cajo. de alim. & cibar. legator. L. 1. de var. & extraord. cognit. L. diem defuncto. de off. Assess.*

2. Respondet ad secundum idem Pignat. *loco cit. num. 2.* ubi: competens salarium licèt sit, quod laboribus est proportionatum, taxari tamen debet juxta solitum ex *decis. Merlini 162.* ut debeatur in ea quantitate, in qua alius Vicarius immediatus prædecessor habuit, etiamsi alii majorem, aut minorem quantitatem habuerint juxta doctrinam Baldi *in L. laudabile. num. 4. cap. de advocat. diversi. Iudic.* ac plenè Bero *cons. 157. lib. 3.* Ciriac. *controv. 67. num. 3. & seq. l. 1.* & declaravit S. Congregatio super Episc. *in Vintimilien. 15. Octob. 1601. & 15. Ian. 1602.* Porrò non posse Capitulum paciscì cum Vicario per se eligendo, ut teneatur salarium, vel emolumentum dividere inter Canonicos, tradit Ventriglia *loc. cit.* ex Quarant. *cit. num. 3.* & Navar. *consult. 2. de off. Vicar.* De cetero pacta alia circa salarium hoc Vicarii, ejúsque quantitatem minimè prohibentur. Pax-Jor. *citato tit. 2. num. 66.* uti idipsum patebit ex *respons. ad quæst. seq.*

3. Resp. ad tertium: salarium illud desumi posse ex emolumentis sede vacante obvenientibus ex jurisdictione, sigillo, aut aliis undecunque, quæ ad Episcopum ecclesiâ non vacante pertinuissent, & futuro Episcopo aliàs reservari debent. Pax-Jord. *loc. cit. num. 32.* Et sic, ad quemcunque demum pertineant dicta emolumenta sede vacante, etiamsi sit Camera Apostolica, posse Capitulum inde deducere expensas pro ministris Curiæ, & in specie pro salario Vicarii Capitularis, tradit Ventrigl. *loc. cit. §. 1. num. 24.* citatis Vulpe. *in pr. cap. 44. nu. 13.* Quarant. Meroll. &c.

*Quæstio 614. An, & qualiter ad dictum salarium solvendum Vicario Capitulari teneantur Episcopi successores?*

REsp. Ad salarium etiam non conventum, neque solitum, etiam Vicario Capitulari sede vacante solvendum tenetur Episcopus successor, ubi ei reservata emolumenta obvenientia tempore sedis vacantis, & is ea percepit. Pax-Jord. *lib. 12. tit. 1. num. 13.* citans Galet. *in Margarit. v. Vicarius.* Barbosam, &c. Et sic *num. 15.* ait idem Pax-Jord. citans Campanil. *Rubric. 11. cap. 33. num. 14. & seq.* Gratian. &c. fructus omnes mensæ Episcopalis reservari successori ad hoc, ut obligetur ad salarium Vicario Capitulari; & si ad alium pertinerent, non Episcopus successor, sed iste alius eorum perceptor ad id teneretur. Quin & *num. 16.* subdit ex eodem Campanil. Capitulum posse cum Vicario paciscì circa salarium à successore in Episcopatu præstandum, Episcopúmque teneri stare quoad hoc punctum promissis Capituli. Plura de salario hoc vide supra, ubi de hoc quoad Vicarium Episcopi actum: ubi etiam in quibus casibus peti non possit salarium à Vicario (de quo vide tantisper Pax-Jord. *cit. tit. 1. nu. 17.*) quæ in multis applicari quoque poterunt Vicario Capitulari.

*Quæstio 615. Vicarii Capitularis officium quandonam exspiret?*

1. REsp. primò. Capitulum potest ad tempus determinatum deputare Vicarium, & si ità fecit, utique administratio & officium Vicarii exspirabunt dicto tempore elapso. Pax Jord. *lib. 12 tit. 2. num. 58.* Diana *part. 8. tract 4. resol. 69. in fine.* Ventriglia *cit. §. 2, num. 60.* citantes Meroll. *tom. 3. disput. 7. cap. 7. dub. 35. num. 325, & 326.*

2. Resp. secundò. Si verò sine temporis præfinitione deputatus fuerit, sive à Capitulo, sive à Metropolitano, exspirat ejus officium, quamprimùm sedes desinit esse vacans. Pax Jord. Ventriglia, Diana *locis cit.* Prih. *ad tit. de offic. Vicar. num. 79.* Barbosa *loc. cit. num. 43.* quia & tunc ipsius Capituli jurisdictio terminatur, seu desinit ea existere penes Capitulum habitualiter, cessante autem jurisdictione Capituli, cessat & jurisdictio Vicarii (intellige quoad exercitium.) Sbroz. *lib. 3. quæst. 42. num. 8.* Laym. *ad c. Romana. de off. Vicar. num. 16.* Porrò sedis vacatio, etsi quantùm est de jure communi, duret solùm usque ad confirmationem, institutionem, seu provisionem à sede Apostolica factam. Gonz. *ad regul. 8. gl. 15 §. 2. num. 80.* & ex eo Pax Jordan. *lib. 12. tit. 2. num. 48.* citans pro hoc Pavin. *de potest. Capit. prælud. 7. num. 16. in fine.* Felin. *in cap. cùm Bertoldus. num. 3. de re judic.* Rotam *decis. 6. in princ. de elect. in novis*; ità ut per dictam confirmationem, institutionem, seu provisionem acquiratur novo Prælato exercitium jurisdictionis

ante

ante apprehensionem possessionis. Gonz. *loc. cit. num.* 81. & ex eo iterum Pax-Jordan. *loc. cit.* citans gloss. communiter receptam *in cap. penult. de prab. in 6. v. collatio.* Abb. *in cap. transmissum. de elect. nu. 2. & 3.* Baisium. *de elect. part. 3. cap. 4. num. 4.* Garcias *part. 5. cap. 4. num. 243. & 250.* citans Covar. *lib. 3. var. cap. 16. num. 6.* Selv. *de benef. part. 2. quæst. 15.* Suar. Lamb. &c. & ego *For. benef. part. 2. quæst. 668. num. 3.* adeóque jam cessat jurisdictionis habitualis existentia penes Capitulum, ejúsque administratioin Vicario Capitulari. Hodie tamen post *Extravag. injunctæ. de elect. inter comm.* non antè cessat sedis vacatio, quàm si confirmationis, institutionis, & provisionis hujusmodi Apostolicæ literæ sint expeditæ, & actualiter præsentatæ ipsi Capitulo, cujus Prælati sedes vacabat. Gonz. *loc. cit. num. 83.* Pax-Jord. *loc. cit. num. 49.* citans Rebuff. *in pr tit. de simon. resign. num. 31. & 40.* Vitalin. *in Clem. 1. de hæretic. num. 178.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 54. num. 160. & seq.* prout expressè disponitur per dictam *Extravag.* Addit Gonz. *nu. 84.* & ex eo Pax-Jord. *num 50.* proinde non aliter intelligendos Doctores, dum simpliciter dicunt, quòd literæ debeant esse expeditæ, ut dicantur ecclesiæ non ampliùs vacare, absque eo, quòd faciant mentionem de præsentatione literarum; eò quòd dum Doctores (quorum quamplurimos citat Gonz. *cit. num. 84.*) ita simpliciter loquentes & asserentes, quòd necessaria sit expeditio literarum, per hoc non excludant earum transportationem, ostensionem, & præsentationem. Imò eam supponunt, ex quo ad id probandum allegant dictam *Extrav. injunctæ.* quæ de literarum ostensione & præsentatione expressè disponit, continérque decretum irritans, & graves pœnas intentat non solùm utenti jurisdictione, sed etiam Capitulo, seu Conventui admittenti ad possessionem, seu jurisdictionis exercitium ante dictarum literarum præsentationem. Dictum siquidem Doctoris semper intelligi debet secundùm legem, quam allegat, ut rectè Gonz. *loc. cit. num. 86.* citans Bartol. *in L. non solùm. §. liberationis. num. 7. ff. de liberat. Legat.* Confirmat hoc ipsum Gonz. *num. 87.* decis. Rotæ *in Burgens. Canonicat. 3. Iunii* 1583. in qua conclusum fuerat, validam collationem canonicatûs in mense ordinario vacantis factam à Capitulo Burgensi, spreto Episcopo jam promoto expeditas literas suæ provisionis habente, nondum tamen illas præsentante, quàmvis aliàs Episcopus ille simultaneam haberet cum dicto Capitulo collationem; eò quòd, cùm adhuc duraret vacatio ecclesiæ, potuit fieri collatio à solo Capitulo sine requisitione aut interventione Episcopi. Quin &, ut dixi *in For. benef. part. 2. qu. 668. num. 3. in fine.* ex Garc. *part. 5. cap. 4. num. 254. & 255.* seclusâ etiam illâ *Extrav. injunctæ.* æquum videtur non posse Episcopum ingerere se administrationi, & jurisdictionis exercitio, nisi dictis literis præsentatis Capitulo, de cujus præjudicio agitur, & de tollenda ei administratione & jurisdictione habita ab eo sede vacante, à qua priùs desistere non tenetur. Proinde jam cavendum, ut monet Gonz. *num. 88.* & ex eo Pax Jord. *num. 5.* à Parisio, quatenus *de resignat. lib. 7. quæst. 23. nu. 46. & 47.* docet, quòd cesset vacatio sedis, & potestas Capituli statim post provisionem ante captam possessionem, & pro hoc citat *decis.* Rotæ *in Burgens. canonic. de 28. Ian. 1583.* utpote quæ decisio dein melius examinata dispositione *dictæ Extravag.* revocata fuit per aliam ei contrariam in eadem causa *3. Iun. ejusdem anni* 1583. & hanc decisionem ultimam, & revocatoriam prioris fuisse postmodum sæpius à Rota canonizatam ait Gonz. Atque ex his concluditur ad expirationem potestatis Capituli, ejúsque Vicarii requiri non solùm propositionem in Consistorio, factámque in eo promotionem, & dein literarum expeditionem, etiam cum certa prædictorum scientia habita à Capitulo; sed insuper opus esse actuali ostensione & præsentatione dictarum literarum, sive Brevis loco ipsarum factæ Capitulo. Pax-Jordan. *loc. citato, num. 56.*

3. Verùm reflectendum hîc ad hoc, quod dixi *in For. benefic. part. 2. quæst. 431. num. 3.* nempe, quòd ubi adest consuetudo legitimè præscripta administrandi ante confirmationem interim dum expetitur & exspectatur, ea valeat & sustineatur. Passerin. *de elect. cap. 33. num. 36.* citans Tusch. *lit. E. conclus. 90.* Sigism. de Bonon. *de elect. dub. 42.* Riccium, &c. Item quod dictum *ibi num. 7.* posse Episcopos, aliósque Prælatos Papæ immediatè subjectos, dum remoti valde sunt ab Urbe, & in concordia electi, administrationem in spiritualibus & temporalibus capere ante confirmationem vi textûs *c. nihil. de elect.* Nam etsi ante confirmationem illorum dici nequeat sedes iterum plena, dum tamen interea, seu tantisper absque eo, quòd jus in prælatura habeant, conceditur iis jurisdictio & administratio à consuetudine tolerata, vel ab ipsâ sede Apostolica, aut jure communi, ut contingit in dicto *cap. nihil.* hoc ipso, quòd illi jurisdictionem usurpent, & administrationem adeant, cessabit jam ea in Capitulo, ejúsque Vicario, neque is, aut illud se in ea immiscere ampliùs poterit. Cessat enim jam ratio, cur tempore sedis vacantis eam devolvi ad Capitulum Jura voluerunt, nempe ne ecclesia grave damnum patiatur, dum gubernatore & administratore careret.

4. Resp. tertiò. Cessat Capituli & Vicarii potestas, si à sede Apostolica vacantis ecclesiæ administratio alicui fuerit commissa. Pax-Jordan. *loc. cit. num 57.* talis enim habetur loco Pastoris, & omnia præstare valet in spiritualibus & temporalibus, quæ verè provisus. Pax-Jordan. *loc. cit.* Sbroz. *lib. 1. quæst. 42. num. 1. & 2.* citans Roman. *consult. 506. num. 13.* potéstque is ipse administrator creare Vicarium, quemadmodum Capitulum. Pax-Jordan. *loc. cit.* quin & ut Sbroz. citans pro hoc Paris. *cons. 22. num. 19. in 4.* debet creare Vicarium, quia à pari procedunt Capitulum sede vacante, & talis administrator.

*Quæstio*

*Quæstio 616. An Capitulum ad libitum revocare possit Vicarium à se constitutum sine prædefinitione temporis?*

1. Resp. Ad hoc convenire Auctores, dum tempore deputationis Vicarii de hac libera facultate revocationis ad nutum Capituli actum & pactum fuit inter Capitulum & Vicarium (siquidem id fieri possit) posse eum revocari toties quoties; cùm tunc contra deputatum Vicarium obstare videatur conventionis, cui ipse consensit, exceptio, tenet apud Dian. *part. 8. tract. 4. resolut. 63.* Solorzan. *de jure Indiarum to. 2. lib. 3. cap. 13. num. 55.* pro quo citat Garc. *in addit. ad part. 5. cap. 7. num. 22.* Verùm præscindendo à tali conventione affirmativam, nempe quemadmodum de Vicario Episcopi tenent passim Auctores, posse simpliciter ad libitum & nutum Capituli revocari Vicarium Capitularem, tenent D. Antonin. *in sum. 3. part. tit. 19. cap. 10. §. 2. in fine,* apud Pax-Jord. *loc. cit. num. 12.* Garc. *part. 5. cap. 7. num. 23.* citans pro hoc S. Congregationis declarationem, quæ sic habet: Capitulum potest ad libitum amovere Vicarium aliàs per ipsum electum, seu confirmatum, dummodo intra dies octo alium constituat. Marcilla *in not. ad Tridentin. lib. 4. tit. 3. cap. 3.* Farinac. *part. 4. decis. 202.* & mordicus Meroll. *tom. 3. d. 7. dub. 27. num. 266.* apud Dianam *loc. cit.* Jo-And. *in cap. penult. de offic. Vicar. in 6. num. 15.* apud Pirh. & Fagnan. *ll. paulò pòst citand.* ubi is indicat, posse Vicarium, etiam datum ad certum tempus, illo necdum elapso, revocari. Item eandem affirmativam, etiam ubi fuisset interpositum juramentum de non revocando, tenent Sbroz. *lib. 3. quæst. 32. num. 7.* citatis Pavin. *de potest. Capit. sede vac. part. 2. quæst. 10. num. 1.* & aliis. Zerol. *pr. Episc. part. 1. v. Vicarius. §. 21.* expresè addens: *etiam sine causa.* & citans pro hoc D. Antonin. ubi antè. Selv. Rebuff. &c. Azor *instit. mor. part. 2. lib. 3. cap. 37. quæst. 18.* ubi expresè: Potest Capitulum Vicarium à se constitutum ad nutum revocare. Quòd si aliquem creaverit, cui jurejurando promisit, se nunquam revocaturum, & dein revocaverit, rata & firma erit revocatio, sed Canonici erunt perjuri. Unde ejusmodi Vicarii solent cum Capitulo pacisci eâ conditione, ut nunquam ab officio removeantur, pœnis constitutis & jurando confirmatis. Fundamenta hujus sententiæ affirmativæ ex Meroll. proponit Diana *loc. cit.* nimirum, quòd stando in jure antiquo ante Tridentinum poterat Capitulum revocare Vicarium à se electum; quia Capitulum succedit in tota jurisdictione ordinaria Episcopi, exceptis casibus in jure expressis. Episcopus verò revocare potest ad libitum Vicarium à se constitutum, & is semper censeatur constitutus ad beneplacitum, licèt in commissione Vicariatûs id non exprimatur. Unde & jurisdictio hujus Vicarii Episcopalis exspirat morte vel amotione constituentis ab officio, etsi delegata non sit, sed ordinaria. Jam verò si Capitulum hoc potuerit jure antiquo, possit idem adhuc post Tridentinum, utpote quod nihil circa hoc determinavit; adeóque hic casus tanquam omissus remanet in dispositione juris antiqui. Ità ferè Meroll. qui etiam hinc infert, Capitulum non teneri ad aliquod interesse restituendum, si Vicarium absque justa causa removeat; eò quòd obligatio restitutionis oriatur ex violatione Justitiæ commutativæ; in tali autem casu nulla justitia commutativa violetur. Hac ratione commotus Diana subjungit: ut verum fatear, huic sententiæ ego adhærerem; sed Purpuratorum Patrum oracula vereor. Ac dein expresè subjicit: ego tamen magis sententiæ negativæ adhæreo.

2. Negativam itaque sententiam, sive non posse sine justa causa revocari Vicarium Capitularem à Capitulo, præter Dianam tenent Themudo *in decis. Archiepisc. Olyspon. tom. 1. decis. 2. per tot.* Barbos. *jur. eccles. lib. 1. cap. 32. num. 47.* citans pro ea Riccium *in collect. decis. part. 5. collect. 1062. in fine.* Raguc. *de voce can. in Capit. quæst. 37. num. 4.* & seipsum *in pastorali. part. 3. alleg. 54. num. 171.* ubi etiam ex Sell. *in select. cap. 19. num. 43.* addit, hoc verum esse, etiamsi in nominatione Vicarii dictum fuisset, quòd possit revocari, quoties Capitulo visum fuisset. Item tenent hanc sententiam negativam Pirh. *ad tit. de off. Vicar. num. 79.* Fagn. *in cap. his quæ. de major. & obed. num. 70.* Pignat. *to. 1. cons. 23. num. 10.* & *tom. 9. consult. 159. num. 2. & seq.* Pax-Jord. *loc. cit.* Ventrigl. *loc. cit. §. 2. num. 23.* citans Vulpe. *in pr. cap. 44. num. 14.* testantúrque postremi quinque unà cum Barbosa sic expresè rescripsisse S. Congregat. præpos. negot. Episc. & Regular. *de anno 1631.* & antea sæpius, nimirum ut Barbos. 1. *Septemb. 1603.* Capitulo Neapol. 22. *ejusdem mensis & anni* Nuncio Neapol. & 26. *Octob. 1603.* Capitulo Aretino: nimirum non posse amoveri dictum Vicarium à Capitulo, nisi ex causa, & quidem priùs approbanda ab hac ipsa Congregatione. Qualia rescripta plura ejusdem Congregationis ad fusum recitata idiomate Italico vide apud Pignat. *loc. ult. cit.* Sed neque huic sententiæ deest ratio, nimirum, quòd licèt jurisdictio Vicarii Capitularis non oriatur à lege, vel canone, prout docuit Ugolin. relatus à Suarez *tom. 5. de censur. d. 7. s. 3. nu. 1.* & insinuat Sanchez *de Matrim. to. 1. l. 3 d. 29. nu. 4.* sed ab ipso Capitulo, electio tamen illius fiat in executionem & implementum præcepti Trident. in collegio autem ecclesiastico, ut inquit Marc. Ant. Genuens. *in pr. Archiepisc. Neapolit. cap. 84. seu 86. num. 4.* quando tenetur aliquem eligere, improbatur à jure mutatio, & variatio sine causa. Et sic, ut inquit Pignat. *loc. cit.* de jure nullus officialis per electionem canonicam constitutus amoveri potest sine causa ad nutum; quia non subest ampliùs electoribus quoad exercitium jurisdictionis, etiamsi esset Superior Regularis, juxta *c. 2. de statu Regul.* Addit & aliam rationem Quarant. apud Solorzan. & Pirh. & eandem adducit Pignat. *loc. cit.* nimirum quòd si Canonici pro libitu voluntatis suæ possent auferre

Vica-

Vicario commissionem ei factam, sequeretur absurdum, scilicet quòd ipse Vicarius seguiter se haberet in administranda justitia in Canonicos particulares, vel dependentes ab iis.

3. Porrò videtur hæc sententia negativa à fortiore procedere de Vicario Capituli, deputato à Metropolitano in casu negligentiæ Capituli, nempe quòd is multò minùs removeri possit ad libitum à Capitulo, utpote à quo jurisdictionis exercitium non accepit; quàmvis eundem amoveri posse à Metropolitano pro ipsius Metropolitani libitu, tradat Barbosa *loc. cit. num.* 48. sic resolutum testans à S. Congregatione Concilii *in Limana. 29. Septemb.* 1625. Idem cum Barbosa tenet Solorzan. *loc. cit. cap.* 13. *num.* 65. & Ventrigl. *loc. cit. num.* 24. qui etiam addit, in tali revocatione opus non esse requirere consensum S. Congregationis præpos. negot. Episcop. & Regul. eò quòd declaratio ejusdem S. Congregationis, de qua paulò antè, decernens requirendum esse dictum consensum, loquatur tantùm de amotione facienda per Capitulum de Vicario electo ab ipso Capitulo.

*Quæstio* 617. *Quænam sint justæ causæ revocandi, seu amovendi Vicarium?*

REsp. Esse sequentes Primò, quando Vicarius admodum negligens est in suo officio. Pax-Jord. *loc. cit. num.* 14. citans Boer. *decis.* 153. *nu.* 29. Menoch. Quer. argumento *L. finalis ff. ubi pupil. educ. L. si quos. c. de off. præf. & prætor.* Secundò, si prævaricaretur in officio illud malè gerendo, justitiam vendendo, &c. Pax Jordan. *loc. cit.* citans Bellug. *in spec. rub.* 26. *de priv. off. princ. in* 6. Menoch. &c. Tertiò: quando appareret insufficiens in exercitio tanti muneris. Pax-Jord. *loc. cit.* citans *c. quamvis triste.* 7. *quæst.* 1. Boer. *decis.* 149. *num.* 19. &c. Plures istiusmodi causas magis in specie enumerat Pignat. *tom.* 1. *cons.* 23. *num.* 10. singulásque firmat decis. Congreg. præpos. negot. Episc. & Regul. censentis, eas tales esse, ob quas à Capitulo justè amoveri possit ejus Vicarius tanquam indignus, v. g. si patiatur aliquid fieri contra libertatem ecclesiasticam, *in Materana* 16. *Iulii* 1601. si non resideat; si sit debitor Capituli; si acciperet pecuniam pro dimissoriis; si patiatur exceptiones; vel odio habeatur à populo, in una Tridentina 7. *Iunii* 1622. *in Tranens.* 17. *Maii* 1604. *in Neapol.* 26. *Ian.* 1604. Porrò stante justâ causâ licita erit mutatio, quàmvis Capitulum jurâsset non mutare; neque propterea perjurii, aut alicujus pœnæ reum censebitur. Pax-Jordan. *loc. cit. nu.* 15. citans Pavin. *part* 2. *qu.* 10. *nu.* 7. D. Anton. *in sum. part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 10. §. 2. Sbroz. *lib.* 3. *qu.* 32. *nu.* 9. ubi tamen is loquitur de Vicario Episcopi.

* * *

*Quæstio* 618. *An, & qualiter per constitutionem secundi Vicarii censeatur revocatus prior Vicarius?*

REsp. Ubi Capitulum deputare, & simul habere potest plures æquè principales, & in solidum Vicarios, per electionem secundi non videtur revocatus prior, nisi id exprimatur in constitutione secundi. Si verò non potest habere nisi unum, de amotione prioris per constitutionem secundi pari modo loquendum videtur hoc in puncto de Vicario Capitulari, ac de Vicario Episcopi, de quo vide Sbroz. *lib.* 3. *quæst.* 33. & dicta à nobis supra.

*Quæstio* 619. *Num Vicarius Capitularis ante adventum novi Episcopi teneatur reddere rationes Capitulo eas exigenti?*

REsp. Affirmativè. Pax Jord. *loc. cit. num.* 40. & 43. Ventrigl. *cit.* §. 2. *nu.* 57. ubi: Capitulum sede vacante, etiam non exspectato Episcopo, potest rationem exigere à Vicario Capitulari, & aliis officialibus, eósque pro modo culpæ punire, juxta expressam S. Congregationis declarationem, quam recitat Garc. *part.* 5. *cap.* 7. *num.* 23. hisce verbis: Capitulum sede vacante potest factâ remotione Vicarii, vel aliorum officialium, illos cogere ad reddendam rationem administrationis, eósque pro culpa punire, &c. Si igitur Capitulum ad id cogere potest Vicarium, is utique ad hoc tenebitur.

*Quæst.* 620. *Num Vicarius teneatur quoque novo Episcopo reddere rationes, non obstante quòd eas reddiderit Capitulo?*

REsp. Non solùm potest Capitulum finito officio rationem exigere à Capitulari Vicario, sed etiam non obstante, quòd ratio reddita sit Capitulo, potest successor Episcopus rationem exigere à Capitulo, & ejus Vicario, qui tenentur syndicatum dare moderno Episcopo. Ventrigl. *loc. cit. nu.* 53. Pax-Jord. *cit. nu.* 43. citans Pavin. *part.* 2. *qu.* 7. *nu.* 15. Fusc. *de visitat. cap.* 15. *num.* 31. Quarant. &c. Diana *p.* 8. *tr.* 4. *resol.* 70. citans Vulpe. *in pr. For. eccles. cap.* 44. *nu.* 19. Riccium *p.* 4. *dec. is.* 291. Et si Episcopus Vicarium illum culpabilem invenerit, potest eundem punire. Ventrigl. *loc. cit.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. nu.* 79. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 3. *qu.* 57. *nu.* 12. juxta declarationem S. Congr. Concil. quam recitat Pax Jord. *loc. cit.* quæ sic habet: Congregatio Concilii censuit, Episcopum posse rationem administrationis officii gesti à Vicario Capituli sede vacante constituto exigere, atque alicujus delicti reum compertum punire, authoritate sibi tributâ à decreto Concilii, *cap.* 16. *sess.* 24. Idque etiamsi à Capitulo fuisset absolutus. Pirh. Sbroz. *locis cit.* juxta ejusdem S. Congreg. declarationem, quam recitat Garcias *p.* 5. *c.* 7. *n.* 23. Colliguntur hæc omnia ex Tridentino *loc. cit.* ubi sic habet:

habet: *Episcopus verò ad eandem ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, Vicario, & aliis quibuscunque officialibus & administratoribus, qui sede vacante fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constitutis, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscunque eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint, etiamsi prædicti officiales redditis rationibus à Capitulo, vel à deputatis ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerunt.* Atque ex his omnibus concluditur, teneri Vicarium Capituli ad syndicatum, sive stare syndicatui, quod nihil est aliud, quàm teneri illum Episcopo rationes reddere administrationis suæ, Ventrigl. *loc. cit.*



TRACTA-

# TRACTATUS IV.

## DE ARCHIDIACONO.

### CAPVT PRIMVM.

### DE NOMINE, DIGNITATE, QUALITATIBVS ARCHIDIACONI, EORUMQUE NUMERO.

*Quæstio* 621. *Vbinam, & à quibus materia hæc de Archidiacono ex professo tractetur?*

RESpond. Exstat in Jure Canonico specialis titulus, nempe 23. *l.*1 *de officio Archidiaconi.* ad quem locum materiam hanc plenissimè tractant Laym. in singula memorati tit. Capita. Fagn. *in c. ad hæc. & in c. significasti. ad eundem tit.* Pirh. §§. *duobus.* Tellez. Gonz. nec non ceteri, qui ordinatè in singulos Juris Canonici titulos & Capita commentantur. Præter hos hanc quoque materiam ex professo prosequuntur Azor. *Inst. mor. p.*2. *l.*3. *c.*14. Lotterius *de re beneficiaria. l.*3. *q.*7. *à num.*33. & *l.*1. *q.*16. *à num.*106. & *q.*28. *à num.*119. Garc. *de benef. p.*7. *c.*7. *num.*36. Card. Tusch. *Lit. A. concl.* 482. Riccius *in collect. decis. p.*5. *collect.* 1618. Barbos. *jur. eccl. l.*1. *c.*24 Conrad. *in templ. omn. Iudic l.*2. *c.*8. Durand. *in Specul. Iuris l.*4. *sub tit. de off. Archid.* Michael Ferrus *tract. de præcedentia eccl. q.*5. *per tot.* Didac. de Narbon. *de stat. ad omnes actus hum. requisit. ann.*25. *q.*61. Sebast. Cæsar. *de eccl. hierarch. p.*3. *d* 12. §.1. Germon. *de Sacror. immunit. l.*3. *c.*3. Anton. Fabric. *in pr. eccl. benef. tit. de benef. cum Dignit. à num.*23. Pignat. in consult. suis sparsim. Laurent. Drip. *in suo Specul. Archid.* & alii plures apud Barbosam.

*Quæstio* 622. *Vnde nomen Archidiaconi, & quid importet?*

REpond. Nomen hoc deductum & compositum ex vocalibus Græcis ἀρχος, quod principium, & διάκονος quod ministerium sonat. Fermosin. *ad rubric. de off. Archid.* Fagn. *in c. ad hæc. eod. tit. n.*7. Barbos. *loc. cit. num.*1. & alii passim post Host. *in sum. h. t.* §. *& unde dicatur.* Importat Diaconorum seu ministrorum primum & veluti præfectum AA. iidem *ll. citatis.* Pirh. *ad h. tit. n.*1. Azor. *p.*2. *l.*3. *c.*14. *q.*1. Quippe jam à temporibus Apostolorum in urbibus singulis, quibus præficiebatur Episcopus, septem constituebantur Diaconi (ut dicitur *c. Diaconi. il.* 2. *dist.* 93.) ex quibus antiquior appellabatur Archidiaconus, cujus officium erat, ut cæteri Diaconi rite suo munere fungerentur. Azor. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *loc. cit.* item imperare hypodiaconis, eósque ad altaris ministerium instruere, bona ecclesiastica (ut colligitur ex *cap.* 6. *Act. Apostolor.*) administrare & dispensare. Laym. *ad c.* 1. *h. t. num.* 1. & ex eo Pirh. *loc. cit.*

*Quæstio* 623. *Quænam aliàs Archidiacono tribuantur nomina & tituli?*

1. RESpond. primò: Vocatur oculus Episcopi. Lotter. *l.*3. *q.*7. *num.* 33. Fagn. *in c. ad hæc. h. tit. n.*26. Barbos. *cit. c.*24. *n.* 12. Sbroz. *de off. Vicar. l.*1. *q.*36. *num.*10. juxta expressum textum *c. Diaconi il* 1. *dist.* 93. & *c. Diaconi il* 2. *ead. dist.* & *c. ad hæc. h. t.* & Trident. *sess.* 24. *c.*12. *de reform.* Idque quia Vice-Episcopi cuncta observat & circumlustrat, ut Lotter. *loc. cit.* sive quia per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigit & emendat, ut Fagn. *loc. cit.* juxta quod dicitur *cit. c. Diaconi. il* 1. aberrantes & circumlustrantes verecundis oculis actus totius ecclesiæ & perscrutantes diligentiùs, si quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, ut referant ad Episcopum &c.

2. Secundò dicitur Vicarius Episcopi natus. Barbos. *jur. eccl. l.*1. *c.*24. *n.*34. Card. de Luca *de benef. d.*46. *n.* 5. Laym. *in c.*1. *h. t. n.*3. Cuch. *Inst. major. l.*2. *tit.* 9. *de off. Archiepisc. num.*10. eò quòd à lege ipsa nullo facto aut ministerio Episcopi constituatur Vicarius. Barbos. *loc. cit.* sive quia Archidiaconus ipso jure est Vicarius Episcopi, dum Vicariatûs officium ipsi dignitati Archidiaconali ita à jure, seu ex privilegio Canonis annexum sit, ut ei aufferri nequeat Laym. *loc. cit.* Fagn. *in c. ad hæc. h. t. n.*32. Unde

3. Tertiò dicitur quoque Vicarius Episcopi intitulatus & perpetuus. Laym. *loc. cit.* item legitimus. Laym. *ibid.* veluti à lege seu jure factus & constitutus. Sbroz. *loc. cit. num.* 15. Lotter. *l.* 1. *q.* 28. *num.* 119. Laym. Fagn. *ll. cit.*

4. Quartò dicitur à Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 129. Vicarius specialis Episcopi; eò quòd sit Vicarius cum limitata facultate ad duo tantùm contenta *in c.* 1. *de off. Archid.* cùm tamen textus citati *cap.* sic habeat: *ut Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus, & omnem curam in Clero (tam in urbe positorum quàm eorum, qui per parœcias habitare noscuntur) ad se pertinere, sive de eorum conversatione sive honore & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina ecclesiasticorum vel ceterarum rerum studio & delinquentium rationem coram Deo redditurus est &c.* Verùm dilucidabuntur hæc omnia meliùs per sequentes quæst.

*Quæstio* 624. *In quo Archidiaconus (maximè consideratus secundùm statum illius antiquum, seu secundùm potestatem & jurisdictionem, quâ pollebat antiquitus vigore antiquorum Canonum, quæ de cetero hodiedum, ut dicetur postea, valde sunt imminuta) differat à Vicario generali Episcopi?*

1. REsp. Differentiam illam facilè ex jam dictis colligi. Nam primò, ut dictum, cùm Vicariatûs officium à jure annexum sit inseparabiliter Archidiaconatui, nequaquam ad illud Archidiaconus ab Episcopo assumitur. Dum è contra ab homine nempe Episcopo (etsi juxta institutionem & authoritatem Canonum) constituitur Vicarius generalis, estque ab eo ad nutum amovibilis; adeóque merè temporalis & non intitulatus. Barbos. *loc. cit. num.* 36. Pirh. *ad h. t. n.* 2. Laym. *ad c.* 1. *h. t. num.* 3. citans Butrio *ad c. ad hæc. h. t.* Sbroz. *de off. Vicar. l.* 1. *q.* 3. *num.* 15. *&* 16. Host. *in sum. tit. de off. Deleg. num.* 2.

2. Secundò (quod ex præcedente sequitur) quòd Archidiaconi jurisdictio ordinaria directè proveniat à lege, indirectè & mediatè ab homine, quatenus nimirum Episcopus instituit Archiaconum, aut electum ab aliis confirmat, cui dein sic instituto vel confirmato, tribuitur à lege ipsa, ut dictum, jurisdictio. Vicarii verò generalis seu Officialis jurisdictio (etsi & ipsa sit ordinaria) immediatè & directè proveniat ab Episcopo creante & instituente Vicarium, indirectè verò à lege seu Canone, quatenus nimirum Canones dant Episcopo potestatem seu authoritatem, Vicarium generalem cum jurisdictione ordinaria (cùm alioquin, ut Maranta *de ordin. judicior. p.* 4. *disp.* 5. *num.* 51. citatus à Laym. & AA. communiter in *l. penult. ff. de Iudic.* nullus inferior Princeps officium suum seu jurisdictionem suam totam alteri committere possit) Laym. & Pirh. *ll. cit.* ex Hostiens. *loc. cit.*

3. Tertiò: quòd Archidiaconus officium habet ab Episcopi officio separatum, ejúsque officium Episcopus ipse exercere non possit. Vicarius verò generalis exequatur ea, quæ aliàs ad Episcopum ex officio pertinent, & ab eo exerceri possent ac deberent; quibus tamen Episcopus ob plurimas occupationes deservire non potest. Barbos. *cit. c.* 24. *n.* 36. citans Narbon. *de appellat. à Vicar. ad Episc. p.* 1. *num.* 96.

4. Quartò: quòd Archidiaconus propriam jurisdictionem, etsi inferiorem & subordinatam Episcopo, adeóque & proprium veluti tribunal habeat, à quo juxta *c. referente.* 7. *de præb.* ad Episcopum appellari potest. Vicarius verò generalis & Episcopus unum tribunal seu consistorium habeant, cui nomine Episcopi præest Vicarius; adeóque juxta *c.* 2. *de consuetud in* 6. ab eo ad Episcopum appellari non possit. Laym. Pirh. *ll. cit.* citantes Hostiens. *ubi ante.* Card. Tusch. *v. Vicarius concl.* 482. *n.* 20.

*Quæstio* 625. *In quo differat Archidiaconus ab Archipresbytero?*

REsp. In eo, quòd Archidiaconus gerat vicem Episcopi quò ad jurisdictionem: Archipresbyter gerat vicem Episcopi quò ad divinorum celebrationem. Fagn. *in c. ad hæc. num.* 9. ex Jo. And. *in c.* 1. *de off. Archipresb. n.* 1. Quod idem vult Card. de Luca. *de benef. d.* 46. *n.* 5. dum Archidiaconum dicit Vicarium natum Episcopi in temporalibus, seu jurisdictione temporali; Archipresbyterum Vicarium natum Episcopi in spiritualibus. Verùm hæc differentia constabit meliùs ex dicendis infra accuratiùs de officio & potestate Archidiaconi.

*Quæstio* 626. *Num Archidiaconatus sit beneficium, cui incumbat cura animarum?*

1. REsp. primò: esse beneficium. Laym. *Theol. moral. l.* 3. *t.* 2. *c.* 4. *n.* 4. ubi inter beneficia duplicia media numerat Archidiaconatum. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 4. *& q.* 5. ubi expressè: Archidiaconus est constitutus in dignitate, quæ est beneficium ecclesiasticum. Siquidem beneficium respectu dignitatis ecclesiasticæ (qualis, ut dicitur *quæst. seq.* est Archidiaconatus) personatûs & beneficii simplicis genus est; dum rectè dividitur beneficium in duplex & simplex. &c. Laym. *loc. cit.*

2. Resp. secundò: dum ex consuetudine seu usu excommunicare, suspendere, interdicere, vel etiam visitare & inquirere, quæ corrigat, potest Archidiaconus, incumberè quoque ei curam animarum, minùs rigidè accipiendo TÒ *curam animarum*; prout nimirum non solùm importat jurisdictionem seu potestatem in foro interno seu pœnitentiali; sed & competit jurisdictioni in foro externo ecclesiastico consistenti in potestate ferendi censuras ecclesiasticas & absolvendi ab iis, nec non visitandi, inquirendi &c. Fagn. *in c. ad hæc. h. t. n.* 28. Pirh *ad h. t. n.* 5. citans Sylv. *v. Archidiacon. n.* 5. Azor. *loc. cit.* citans Jo. And. Abb. & gl. *in c. dudum. il.* 2. *de elect.* ubi expressè ait Pontifex: *Cùm in jure confessus fuerit, quòd Archidiaconus Ambianensis de consuetudine suspendit, excommunicat & absolvit Presbyteros & Priores, parœciales ecclesias interdicit, nec non Archidiaconus visitat & inquirit, quæ viderit inquirenda, & procurationes ratione visitationis recipit, evidenter apparet, quòd curam animarum habeat annexam &c.* Quò etiam referendum, quod dicitur *c.* 1. *h. t.* habere curam in Clero, tam in urbe positorum, quàm qui parœcias habitant, & delinquentium rationem coram Deo redditurus sit.

*Quæstio*

*Quæstio 627. Num Archidiaconatus sit Dignitas?*

1. REsp. Spectato jure communi esse dignitatem, etiam in Ecclesia Cathedrali. Fagn. *in c. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. n. 31.* Pignat. *tom. 1. consult. 6. n. 7.* Pirh. *ad h. t. n. 4.* Lotter. *de re benef. l. 1. q. 16. n. 112.* Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 24. n. 1.* aliique citandi *q. seq.* Quin & Archidiaconatus & Archipresbyteratus Collegiatæ est dignitas. Barbos. *loc. cit. c. 2. n. 8.* citans pro hoc Bald. *cons. 1. in fine l. 1.* Federic. de Senis *cons. 80. n. 2.* Tusch. *tom. 1. Lit. A. concl. 685. n. 6.* Idque non solùm in sensu aliquanto laxiore, in quo dignitas & personatus confunduntur, seu pro eodem sumuntur, & is quoque dignitatem habere dicitur, qui sine jurisdictione & administratione præeminentiam habet in Ecclesia, ut dum quis in choro, Capitulo, processione, in consessu, in suffragiis ferendis sedem ac locum digniorem habet. Pirh. *ad h. t. n. 3.* (etsi de cætero talis loquendo propriè & strictè non nisi personatum habeat; ut idem Pirh. *loc. cit.* & Laym. *in c. 1. de consuet. in 6. n. 1.* & *Theol. moral. l. 4. tract 2. c. 4. n. 4.*) sed & in rigore accipiendo nomen *Dignitatis*, nempe pro prærogativa seu præeminentia conjuncta cum jurisdictione, ubi nimirum eam habet Archidiaconus, ut Pirh. *loc. cit. n. 4.* Quin etiam est una ex dignitatibus in jure expressis, ut *ibidem* Pirh. Ipsumque solum Archidiaconi nomen usque adeò in dignitatem sonat, ut in illo habeat sedendi supra alios prærogativam. Lotter. *loc. cit. num. 113.* ex Boërio. *decis. 286. n. 5.* quamvis *ibidem. n. 106.* addat, Archidiaconum & Archipresbyterum eatenus inter Prælatos referri, quatenus jure aliquo singulari jurisdictionem aliquam habent. Esse verò, (ut ait *n. 109.* ex Albertin. *in c. quoniam. de hæretic. q. 3. concl. 1. n. 2.* & Archid. *in c. 1. de consuetud. in 6. num. 1. & 2.*) & appellari impropriè dignitates, referendósque inter personatus cum sola sonantia nominis in dignitatem, ubi sunt cum nuda & simplice præeminentia, quales eas hodiedum ferè esse binas illas dignitates, Episcopo omnem jurisdictionem, quam habuerant, sibi præscribente, nisi ubi electivæ sunt (cùm tunc vi electionis censeatur eas obtinentibus tributa aliqua jurisdictio in ipsos de Collegio, ut Abb. *in c. decernimus. de ludic. n. 17.* & Albertin. *loc. cit.*) ait ex iisdem *num. 107.* Quin etiam ait Cardin. de Luca *de Can. d. 30. num. 7.* citans pro hoc Sanch. *de matrim. l. 3. d. 27. in fine.* Boss. *eod. tract. c. 4. §. 28. num. 75.* hodiernos Archidiaconos & Archipresbyteros retinere solùm quandam antiquæ dignitatis imaginem seu reliquias.

2. De cetero appellari quoque Archidiaconatum quandoque officium, ut videre est ex Rubrica seu *titulo 23. l. 1. Decret.* qui inscribitur de off. Archidiaconi, officium non secus ac Præpositura (etsi non simplex officium, quale dicitur administratio aliqua sine præeminentia & jurisdictione fori externi) tradit Laym. *loc. cit. in c. 1. de consuetud. in 6.*

* * *

*Quæstio 628. Qualis Dignitas sit Archidiaconatus?*

1. REspond. De jure communi ac regulariter esse primam post Episcopum dignitatem. Lott. *cit. q. 16. num. 112.* ubi ait: inter has dignitates (nempe quæ modò sunt cum nuda tali præeminentia) cùm de præcedentia agitur, consideratur etiam solus habitus, & ideo Archidiaconatus de jure communi censetur prima post pontificalem Dignitas. Fagn. *in c. ad hæc. h. t. num. 30.* ubi ex Bellamer. ait, Archidiaconalem Dignitatem de jure communi post episcopalem esse majorem in ecclesia Dei, & per consequens majorem Abbatiali, licèt Abbates propter pinguedinem reditnum usurparint contrarium. & *in c. ut Abbates. de ætat. & qualit. num. 26.* ubi ait: DD. communiter in c. 1. de off. Archid. tenent, Archidiaconum esse primam Dignitatem post pontificalem. Barbos. *de Iur. eccles. l. 1. c. 24. num. 4.* ubi absolutè inquit: Archidiaconus est prima Dignitas, citans pro hoc Rotam *in Andriensi Archidiaconatûs 5. Decembr. 1625.* Vulpe. *in pr. c. 34. num. 12.* Aretin. *cons. 23. num. 3. & num. 20.* ubi: in Choro tanquam prima dignitas post pontificalem aliis Superior & major habetur. Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. num. 11.* ubi: Archidiaconus secundùm juris communis Regulas est prima dignitas in ecclesiis Cathedralibus. Card. de Luca *de Canon. d. 30. num. 9.* ubi: Archidiaconus in Cathedrali, Archipresbyter in Collegiata regulariter præsumitur prima dignitas. Pignat. *consult. Can. tom. 4. cons. 35. num. 7.* ubi: de jure, non docto de limitatione, regula est, Archidiaconum esse primam dignitatem post pontificalem. Pirh. *ad h. t. num. 4.*

2. Procedítque idipsum, etiamsi nullum jurisdictionis exercitium haberet, permanente penes illum jurisdictione, quam vi antiquorum Canonum habebat, in solo habitu. Pignat. *loc. cit.* ubi ait: sufficítque, quòd habitu sit dignior; nam ad effectum præcedentiæ non requiritur jurisdictio actu in Archidiacono habente assistentiam juris; sed sufficit habitu, cum possit esse sine administratione spiritualium &c. Idem tradit Lotter. *cit. num. 112.* expressis verbis supra citatis. Item Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 5.* ubi: Archidiaconus, ubi ex consuetudine omni curâ animarum & jurisdictione caret, meo quidem judicio & is Archidiaconus dignitate præditus esse judicari debet, in quo locum habeant jura *c. de multa.* & *Extrav. Execrabilis*, quibus prohibentur Clerici habere duas dignitates.

*Quæstio 629. An igitur Archidiaconus præcedat omnes alias dignitates, & in specie, an sit major dignitate Abbatiali?*

1. REsp. ad primum: Secundùm jus commune & præscindendo à particularibus ecclesiarum consuetudinibus, Archidiaconus major est omni alia dignitate in Cathedrali. Pirh. *ad hunc tit. n. 4.* Pignat. *tom. 1. consult. 6. num. 16.* Barbos. *loc. cit. n. 2.* Sequitur non solùm ex Responsione ad *præced. quæst.* sed & synomina sunt: esse primam dignitatem: Archidiaconum habere principalem dignitatem post Episcopum, & præcedere dignitates alias omnes episcopali inferio-

res. Et ratio est; quia Archidiacono de jure communi totius Cleri cura commissa est juxta *c. ad hæc. h.t.* Laym. *ad c. ut Archidiaconus. h.t. n.* 4. præestque Archidiaconus omnibus post Episcopum. Fagn. *in c. ad hæc. h.t. n.* 16. ex Host *in sum. h. t. §. & quibus præesse.* pertinéntque ad eum omnia sub Episcopo, *ut ibidem* Fagn. cùm sit Vicarius post Episcopum in omnibus Fagn. *ibid.* Barbos. *cit. c.* 24. *n.* 34. citans quamplurimos juxta expressum textum *c.* 1 *h.t.* Unde, si quantò quis melioribus præest, tantò major est. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 2. *q* 26. *num.* 11. citans Abb. *cons* 21. *n.* 10. *vol.* 1. Menoch. *cons.* 51. *n.* 10. *vol.* 1. sequitur evidenter, ejus dignitatem omnibus aliis dignitatibus post Episcopalem esse majorem. Unde

2. Resp. ad secundum majorem etiam esse dignitate Abbatiali. Pirh. *loc. cit.* Fagn. *loc. cit. n* 30. & *in c. ut Abbates. de ætat. & qualit. n.* 29. etsi, ut addit Pirh. contrarium in praxi usurpatur, sive, ut Fagn. licèt Abbates propter pinguedinem reditum contrarium usurparint. Vide tamen de hoc eundem Fagn. ad *c. accedentibus de excess. Prælator. l.* 5. *tit.* 31. *n.* 27. & 28.

*Quæstio* 630. *An itaque major quoque sit & præferendus Præposito, Archipresbytero seu Decano, & Primicerio?*

1. Resp. ad primum: Spectato nimirum, ut dictum, jure communi, & abstrahendo à consuetudine legitimè præscripta, majorem esse & præferendum Præposito. Laym. *ad c.* 1. *h.t. num.* 4. Pirh. *ad h.t. n.* 4. Sbroz. *de off. Vicar. l.* 2. *q.* 35. *n.* 21. citans Bald. *cons.* 387. *per tot. vol.* 1. Rotam *decis.* 451. *in fine in nov. &c.* sequitur ex dictis *ad q. præced.*

2. Resp. ad secundum: major quoque est Archipresbytero seu Decano. Pirh. Laym. *ll. cit.* Barbos. *cit. c.* 24. *n.* 3. ubi: dignior est Archipresbytero in voce, loco, administratione & aliis; citat pro hoc Cardin. Tusch. *tom.* 1. *lit. A. concl.* 482. *n.* 6. Barbat. *cons.* 5. *l.* 2. Item *n.* 38. ubi: de jure communi Archidiaconus major est omnibus post Episcopum, & Archipresbyter ejus subjacet jurisdictioni, citat pro hoc Barbat. ubi ante. Tusch. *num.* 11. Gratian. *discept. forens. c.* 111. *n.* 80. Vulpe. *in pr. c.* 34. *n.* 12. *&c.* aitque id colligi ex ordine titulorum de officio utriusque in Decretalibus. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 15. *q.* 2. Pignat. *tom.* 4. *consult.* 35. *ferè per tot.* Tond *qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 11. *num.* 11. Fagn. *in c. ad hæc. h.t. n* 16. juxta expressum textum *c.* 1. *de off. Archipresb.* ubi dicitur: Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & ejus præceptis sicut sui Episcopi debere obedire.

2. Neque his obstat, quòd Archipresbyter sit major Ordine seu ratione Ordinis, nempe sacerdotalis, quem annexum habet, Archidiacono, cui de jure annexus non est nisi Diaconatus. Neque enim ab Ordine desumitur ratio dignitatis ecclesiasticæ, adeóque nec ab altiore Ordine major dignitas; aliàs & quilibet simplex presbyter dignior foret Archidiacono; sed à majore & altiore jurisdictione dignioréque administratione; ut videre est in Cardinalibus, qui quia proximè assistunt Lateri summi Pontificis, ut ejus universalisque Ecclesiæ negotia Consilio, industriâ ac ministerio suo curent & promoveant, ratione hujus officii sui & administrationis Episcopos, etsi charactere ac Ordine majores præcedunt. Pari igitur modo, quia Archidiaconus proximè ministrat Episcopo, ejúsque in omnibus est Vicarius, etiam in jurisdictione, respectivè etiam ad Archipresbyterum, ratione hujus ministerii sui dignitate præcedit Archipresbyterum. Barbos. *cit. c.* 24. *n.* 41. Pirh. Laym. *ll. cit.* Quemadmodum & olim, dum in quavis ecclesia septem Diaconi constituebantur, ut Episcopo adessent, ejúsque negotia procurarent, ut habetur *Can.* 15. Concilii Neocæsarien. relato *in c. Diaconi. d.* 93. qui proinde presbyteris sacra tractantibus in externa gubernatione præponebantur, maximè illorum princeps seu Archidiaconus, licèt, dum divina agerentur in Ecclesia, eosdem presbyteros sequi debebant. Laym. *loc. cit.* Unde jam etiam, licèt cura animarum seu fori interni pertinens ad Archipresbyterum major sit curâ fori externi, & administratione rerum externarum pertinente ad Archidiaconum, externæ tamen curæ & administratio, à qua dependet cura illa animarum, superior est ad majorem fundandam dignitatem ecclesiasticam. Pirh. *ad h. t. n.* 4. Atque ita quidem, quia Archipresbyter Ordinis consecratione & potestate (intellige absolvendi in foro pœnitentiali) major est Archidiacono, longè tamen eo minor jurisdictione, ut Azor. *cit. q* 2. Fagn. *loc. cit. n.* 5. sive quia ratione administrationis Archipresbytero præfertur, ratione tamen divinorum postponitur. Pignat. *tom.* 1. *cons.* 6. *n.* 12. habent se hæ binæ dignitates tanquam excedentia & excessa, ut Fagn. *ibid. n.* 4. non tamen sic se habent in ratione dignitatis ecclesiasticæ; quia dum ratio illius ut dictum non desumitur ab Ordine potestatéque illa fori interni (aliàs enim etiam beneficium sacerdotale vel simpliciter curatum esset dignitas ecclesiastica) dignitas Archipresbyteri simpliciter excedit à dignitate Archidiaconali.

3. Resp. ad tertium: Dignior quoque seu major est Archidiaconus in dignitate Primicerio. Barbos. *cit. c.* 24. *n.* 3. ubi illum digniorem dicit Primicerio in voce, loco, & administratione, & aliis. Pignat. *tom.* 1. *cons.* 6. *n.* 15. ubi ait, Archidiaconum præcedere Primicerium, non ratione Ordinis, sed dignitatis, sicut Cardinales præcedunt Episcopos. Sequitur ex dictis

*Quæst.* 631. *An quandoque in contrarium sit speciale statutum vel consuetudo, eáque prævalere debeat, & qualis esse debeat, ut prævaleat?*

1. Resp. ad primum: Quandoque in ecclesiis quibusdam consuetudo est, vel etiam singulare statutum, ut non Archidiaconatus sit prima dignitas, sed vel Præpositura, vel Archipresbyteratus, vel Decanatus, vel etiam Cantoria, ut Pignat. mox citandus, atque ita Archidiaconatus aliis Dignitatibus postponitur. Barbos. *Jur. eccl. l.* 1. *c.* 24. *n.* 39. Pignat. *tom.* 4. *cons.* 35. *n.* 10. Tondut. *qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 11. *n.* 12. ubi etiam, quòd Archidiaconatus Avenionensis nunquam fuerit prætensus esse prima Dignitas. Sbroz. *l.* 2. *q.* 25. *n.* 20. ubi: quando consuetudo adest, Præpositus præfertur Archidiacono, etiamsi Archidiaconus gerat vices Episcopi. Lotter. *de re benef. l.* 3. *q.* 7. *num.* 39. ubi: sicut contingere potest, ut Archidiaconus ex singulari jure aliquo non sit oculus Episcopi, id est, nullum officium aut jurisdictionem obtineat, sed ventosa sit dignitas, ut in

ecclesia

ecclesia Parmensi, aut si non sit omnino ventosa, saltem non sit principalis, ut in ecclesia Paduana, in qua Archipresbyter est major Archidiacono &c.

2. Respond. ad secundum: Prævaléque hæc consuetudo, quantumcunque aliàs repugnet juri communi, ut Archipresbyter, vel Præpositus, vel alia Dignitas Archidiacono aliisve dignitatibus præferatur. Lotter. *l. 1. q. 16. n. 116.* Barbos. *cit. num. 39.* Semper igitur in hoc attendenda cujuslibet ecclesiæ consuetudo. Tond. *loc. cit. n. 12.* citans Boërium *decis. 286. num. 8.* Ludovis. *decis. 482. num. 3.*

3. Respond. ad tertium: Talis consuetudo, cùm sit contra jus canonicum, ut prævaleat, debet esse præscripta per 40. annos. Barbos. *loc. cit. num. 40.* citat pro hoc Barbat. *cons. 5. num. 6. l. 2.* Bartol. *cons. 136. l. 1.* Cravet. *de antiq. temp. p. 4. §. 1. num. 9.* ubi etiam is cum Card. Tusch. & Alex. tradat, debere deduci tempus vacantis dignitatis.

*Quæstio 632. Num Archidiaconus in celebratione Missarum solennium similiúmque functionum pontificalium & sacerdotalium præferendus sit Archipresbytero?*

1. Resp. primò: Archidiaconus, dum non est sacerdos, de jure non potest in divinis aliquam prælationem prætexere supra Archipresbyterum. Lotter. *l. 1. q. 16. num. 114.* Pignat. *tom. 4. consult. 35. n. 27.* Barbos. *juris eccles. l. 1. c. 24. n. 42.* citans Anton. de Prætis. *in Clypeo pastor. off. c. 637.* Gratian. *discept. for. c. 298. num. 35.* Menoch. *cons. 51. num. 56.* Theodos. de Rubeis *in singular. Rotæ, tom. 2. p. 4. tit. de præced. Protonotar. num. 11.* Ferrum *de præced. q. 5. num. 12.* Ricc. *in pr. fori eccles. p. 4. resol. 394. num. 1. &c.* Idque non obstante quacunque consuetudine, seu potiùs corruptela; cùm actus repugnantes rationi (qualis est, quòd in divinis non presbyter præferatur presbytero) tanquam improbi, juxta *l. improba. c. de acquirend. possess.* neque jus, neque possessionem tribuant. Pignat. *loc. cit.* citans Ferrum *ubi ante.*

2. Resp. secundò: Dum verò Archidiaconus est sacerdos, præferendum illum in divinis, expressissimis tenet Lotter. *l. 1. q. 16. n. 115.* secutus in hoc Hostiens. *in c. 1. de off. Archipresb. num. 5.* Butrium *ibidem num. 4.* Beroium *cons. 22. num. 31. vol. 1.* quos citat Anchar. aliósque antiquos, dum ait: quòd in divinis Archidiacono præferatur Archipresbyter, procedit ex mera contingentia; quia Archidiaconus non sit presbyter; si enim initiatus sit sacro presbyteratus Ordine, & velit ipse celebrare, nihil est, quin etiam in divinis ipsáque Missæ celebratione ei præferri debeat, ut notabiliter docuit Host. & quod probavit Rota *in Viterbien. celebrationis Missarum 11. Decemb. 1609. &c.* Item Barbos. *cit. n. 42.* ubi: quòd Archidiaconum præcedat Archipresbyter, procedit in divinis, nisi Archidiaconus sit in presbyteratûs Ordine constitutus; quia tunc, cùm sit par in Ordine, & major in administratione, debet præcedere Archipresbyterum absente Episcopo in celebratione Missarum in diebus solennibus & aliis relatis *in una Regien. 9. Decemb. 1600.* citat pro hoc Card. Tusc. *Lit. A. conclus. 482. num. 16.* Barbat. *cons. 5. per tot. l. 2.* Vulpe. *in pr. c. 34. n. 13.* Rotam *decis. 244. n. 2. p. 1. recentiss.* recitarque illam ipsam decisionem Congregationis Rituum in dicta *Rhegien.* hisce formalibus: Censuit S. Congregatio, Archidiaconum ecclesiæ, ubi prima dignitas post pontificalem existit, & sacerdos est, non quidem ex obligatione, sed ex sua voluntate & devotione in decantatione Missarum in diebus solennibus, delatione sanctissimi Sacramenti, benedictione candelarum, cinerum & palmarum & aliis hujusmodi actibus & functionibus sacerdotalibus, Episcopo absente, præferendum esse Archipresbytero; neque allegatam consuetudinem, quæ legitimè probata non fuit, eidem Archipresbytero ad excludendum Archidiaconum sacerdotem in casu, de quo agitur, suffragari. Recitat quoque Barbos. *loc. cit. n. 44.* citatam supra decis. Rotæ *in Viterbien. celebrationis Missarum*, quæ omnino in hac materia singularis est, & quâ clarius & elegantius nihil pro hac sententia afferri potest. Iisdem ferè verbis cum Barbos. idem tenet Pignat. *loc. cit. num 8.* & *consult. 6. n. 5.* contra Fagnanum oppositum mordicus ac fusè tuentem *in c. adhæc h. t.* ferè *per tot.* maximè autem *à n. 17.* ubi inter cætera sic ait: Respondetur, doctrinam Hostiensis esse intelligendam quò ad præcedentiam, ut scilicet in omnibus actibus indifferentibus Archidiaconus presbyter præferatur Archipresbytero; nam alioquin, si eam intelligeremus, ut ministeria ad Archipresbyterum jure pertinentia illi præcipere possit, Hostiensis uno verbo subvertisset totum titulum *de off. Archipresb.* Præterea, cùm jura miro ordine constituerint has duas dignitates ad relevandum Episcopum, & cuique sua propria munia assignaverint, omnia perverterentur solâ Archidiaconi voluntate, ubi scilicet presbyteratûs Ordinem susciperet; tunc enim Archidiaconus tot curis implicitus, quot in hoc & sequente titulo continentur, vix illis par esse posset, & Archipresbyter omni jure sibi adempto ludibrio omnibus esset, quod quàm sit absurdum, nemo non videt; cùm jura nihil magis abhorreant, quàm unum occupare officia plurium &c. Fundatur hæc sententia in eò, quòd præcedentia tam in functionibus pontificalibus absente vel impedito Episcopo, nempe delatio sanctissimi Sacramenti in processionibus, distributio candelarum, palmarum, cinerum, celebratio Missæ solennis &c. quàm in omnibus præeminentiis jurisdictionalibus, & in ceremonialibus, quæ per aliquam dignitatem explicari solent, spectat ad primam dignitatem post pontificalem, quæcunque illa sit, & quocunque nomine appelletur, modò sit in Ordine sacerdotali constituta. Pignat. *loc. cit. n. 2.* juxta quod sæpe declaravit S. Rituum Congregatio, & clarissimè quidem *in Civitatensi. 19. Jan. 1608.* quam declarationem recitat Barbos. *cit. c. 24. n. 43.* & Pignat. *loc. cit. n. 5.* hisce verbis: Rituum Congregatio, ut sæpe aliàs in similibus, ita nunc declaravit, munia prædicta (nempe Missarum solennium celebrationes, sanctissimi delationem, candelarum & palmarum benedictiones similésque, quas Episcopus præsens in sua Cathedrali facere solet ac debet) absente vel impedito ad primam dignitatem, vel eâ impeditâ, ad secundam, & successivè ad tertiam vel quartam, & omnibus dignitatibus absentibus vel impeditis,

peditis, ad primum vel secundum Canonicum pertinere &c. Item *in una Venet. 6. Octobr.* 1640. & *in Parmensi. 28. April.* 1640. quas verbotenus recitat Pignat. *n. 6.* Hinc dum Archidiaconus sacerdos est prima aut saltem major Archipresbytero ad eum præ omnibus, aut saltem præ Archipresbytero spectat has functiones obire. Ratio autem hujus rei hanc dat Pignat. *n. 3. & 4.* quòd hujusmodi præeminentiæ non competant ratione nominis sed dignitatis; in præcedentiis autem servandus sit Ordo Dignitatis juxta *l. fin. c. de Primicerio & Secundicerio & Notariis*; quódque in præeminentiis ille debeat proximè subsequi suum caput, hoc est Episcopum, qui magis participat cum suo capite; magis autem cum Episcopo participet prima dignitas; cùm sit Episcopo conjunctior, & ad eum propiùs accedere videatur. Unde jam etiam cadit fundamentum Fagnani; dum non obstat, seu in contrarium facit (prout expressis verbis ait Rota in citata illa *Viterbiens.* apud Barbos. *cit. c. 24. n. 45.* & apud Pignat. *cit. n. 8.* quòd hoc munus (nempe celebrandi dicta divina) specialiter reperiatur demandatum Archipresbytero *c. 1. de off. Archipresb.* quoniam non idcirco eædem functiones prohibentur Archidiacono, quòd sint demandatæ Archipresbytero, si ex aliis Regulis juris (nempe ratione majoritatis, dignitatis) possint etiam competere Archidiacono; cùm non sit insolens in jure, quòd idem officium pluribus ex ordine competat. Porrò deducta à Fagnano procedere solùm in functionibus parochialibus, nempe in funeribus & Sacramentorum administratione; cùm tunc Archipresbyter fungatur munere proprio, cum habitu sacerdotali deferendo stolam; non autem in aliis functionibus pontificalibus curam animarum non concernentibus, ait Pignat.

3. Resp. tertiò: Nihilominus & hoc in puncto attendenda est consuetudo & speciale statutum ecclesiæ, dum ex illa vel illo competere potest alteri, etsi in dignitate minori Archidiacono, functiones illas præ illo exercere; ita expressè Lotter. *loc. cit. n. 116.* Barbos. *cit. n. 43.* ubi postquam ex Declaratione Congreg. Rituum retulisset prædictas functiones exercere pertinere ad primam dignitatem, & eâ impeditâ ad secundam, & successivè ad tertiam, subjungit: nisi ad alium pertineat, absente Episcopo prædictas functiones facere juxta ecclesiæ constitutiones & antiquam & immemorabilem ejusdem ecclesiæ consuetudinem, ut aliàs censuit eadem S. Congregatio Rituum *in una Invenacens. 9. Maji* 1609. Pignat. *cit. cons. 35. n. 28.* ubi: quamvis de jure Archidiaconus in Ecclesia Cathedrali sit major dignitas post pontificalem, & ex Regula, ubi Archidiaconus est sacerdos, præferatur Archipresbytero in functionibus, quæ ad Episcopum spectant, receptissima tamen conclusio est, quòd attenditur institutio vel consuetudo legitimè præscripta cujusvis ecclesiæ; citat pro hoc Innoc. *in c. de multa. n. 6. de præb.* Host. *ibidem n. 9.* Card. *n. 3.* Abb. *n. 21.* Mascard. *de prob. cons. 115. num. 2.* ac Declarationem S. Congreg. Rituum *in Laudens. 18. Septemb. 1666. & 21. Iul. 1668.* Porrò licet in genere usus & consuetudo decennalis sufficiat in materia præcedentiæ quò ad aliquos particulares actus, quamvis sit contra jus, Pignat. *loc. cit. num. 30.* juxta *decis. Rotæ 85. num. 4. & seq. p. 5. recent.* quam citat, præcipuè si hujusmodi consuetudo ex actibus judicialibus, adeóque etiam ex sententiis inducta sit. Pignat. *ibidem.* Imò sufficiant duo actus juxta Host. *in c. ex parte. n. 16. de consuet.* Præpos. *in c. mos est. n. 5. d. 1.* Bartol. *in l. quibus. ff. de LL.* Paris. *cons. 31. n. 44. l. 4.* citatos à Pignat. qui ait, hoc ultimum intelligendum, dum partes acquiescunt sententiæ. Licèt etiam res omnes ecclesiæ quadragenariâ præscribantur, *c. 1. de præscript.* & gl. *ibi*, & in specie etiam attendatur & sufficiat consuetudo quadragenaria ad dignoscendum, num Archidiaconatus sit prima vel inferior dignitas. Pignat. *loc. cit. num. 10.* ex Barbos. *de Canon. & Dignit. c. 3. num. 39. & seq.* Verumtamen quò ad functiones pontificales, quæ absente Episcopo propter majestatem sanctissimi Sacramenti, & decentiam ecclesiæ fieri debent à prima dignitate seu digniore, S. Cong. Rituum ita inconcussum id retinet, ut ne quidem quadragenariam in contrarium admittat consuetudinem; sed tunc solùm excludit ab iis primam dignitatem, dum constat de immemoriali, & donec formiter probetur immemorialis contra Archidiaconum seu primam dignitatem, mandat istiusmodi functiones fieri per Archidiaconum, intellige, dum is est prima Dignitas & sacerdos. Pignat. *loc. cit. num. 10.* citans verbotenus clarissimas pro hoc S. Congr. Rituum declarat. *n. 11. & seq.* Estque, ut idem Pignat. ea tam constans in hac immemoriali, ut nullâ etiam habitâ ratione Decretorum synodalium ac testium depositionum super probatione immemorialis, velit illam formiter probari, non retardata executione Decreti ad favorem primæ dignitatis, ut constat ex ejus Decreto *in Melphitan. de 24. Ianuar.* 1628. Proinde jam interea, dum formiter immemorialis illa non probatur, jus solum est integrum Archipresbytero alterive inferiori petendi remissoriam ad illam probandam; functiones verò illæ interim peragendæ ab Archidiacono habente assistentiam juris. Pignat. *loc. cit. num. 24.* in iis enim, quæ juri resistunt, & haberi non possunt nisi per privilegium vel immemorialem, donec de hoc cognoscatur, res pertinere debent ad eum, qui habet juris assistentiam; & habenti resistentiam non datur manutentio, ut in materia decimarum pendente discussione præscriptionis super exemptione. Mareschot. *l. 1. var. a. 11. num. 6.* Rota *in Hispal. decimarum 17. Februar.* 1647. apud Pignat. *loc. cit.* Ad probandam porrò illam immemorialem non sufficit, testes deponere, Archipresbyterum functiones ejusmodi peregisse, nisi & asserant, Archidiaconum voluisse illas functiones peragere, & ab Archipresbytero impeditum fuisse, eique perhibenti acquievisse. Potuit id enim aliàs evenisse, vel quia pro eo tempore Archidiaconus non erat sacerdos, vel propter ejus absentiam, vel de ejus licentia, vel quia is noluit. Pignat. *n. 25.* Dum enim sumus in facultativis, per metum non usum jus nullum alteri censetur acquisitum. Burat. *decis. 43. n. 6. & 7.* Seraph. *decis. 718. num. 10.* Rota *decis. 491. num. 8. & 10. p. 1. recent.* apud Pignat. *loc. cit.*

* * *

*Quæst. 633. Dum igitur de eadem Cathedrali concurrerent in funeralibus Archidiaconus, ubi hic est prima dignitas, & Archipresbyter, ubi is est secunda dignitas, & nulla stat pro alterius parte consuetudo, cui danda quoque in via sit præcedentia.*

REsp. dum Archipresbyter, cui incumbit cura animarum, in ecclesia facit officium, defertque stolam, dandam ei præcedentiam ratione stolæ. Pignat. *Tom. 4. consult. 35. num. 8.* Barbos. *jur. eccles. L. 1. c. 24. n. 49.* dicens teste Lavorio. *Var. lucubr. Tom. 1. tit. 2. c. 3. num. 211.* sic declarasse S. Congregat. Rituum in una nullius sub Trojana 4. *Maji* 1613. quæ enim dicta sunt *quæst. præced.* de prælatione Archidiaconi, intelligenda, ut dictum *ibidem* ex Pignat. de functionibus pontificalibus curam animarum non concernentibus.

*Quæst. 634. Num etiam Archidiaconus Sacerdos in celebratione illa missarum solennium, aliarúmve functionum pontificalium sit præferendus Primicerio.*

1. REsp. primò. Dicta hac super re inter Archidiaconum & Archipresbyterum magis urgent contra Primicerium, aliásque dignitates de jure communi Archipresbytero inferiore Pignat. *Tom. 1. cons. 6. n. 6.* quippe si jus prælationis Archidiaconi in hoc potentius est jure Archipresbyteri, multò magis vincit in hoc eas dignitates, quæ ab Archipresbytero vincuntur. Pignat. *loc. cit. n. 8.* Jam verò Primicerius (de quo est *titul. 25. l. 1.* & cujus officium describitur in *c. unico. h. t.* & sic generatim dictus ab ordine ceræ, quo nimirum primus scriptus est in tabulis ceratis, seu aliis pugillaribus, vel etiam, qui in quocunque ordine primum locum tenet, & in præsente, qui primum locum habet tum in choro psallentium, tum in Schola inter Diaconos & Clericos ceteros, & alio nomine in ecclesiis quibusdam vocari solet Scholasticus, vel Cantor, aut præcentor. Pirh. *ad h. t. n. 1.*) est inferior Archipresbytero dignitas de jure communi. Quod ipsum tamen, nempe quòd sit dignitas ecclesiastica vel personatus, intellige, si Primicerius seu Cantor præeminentiam habet inter alios Canonicos, seu illos ratione hujus sui officii in Choro, Capitulo, & processionibus præcedat; si enim hanc præcedentiam vel præeminentiam non habet, nequaquam dignitas, sed nudum officium seu administratio censetur. Pirh. *loc. cit. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 16. q. 6.* Laym. *Theol. mor. l. 4. tract. 2. c. 4. n. 4.* licet hoc ipso beneficium duplex & præbendam pinguiorem obtineat, ut Pirh. ex Laym. *loc. cit.*

2. Resp. secundò. Dum in ecclesia aliqua juxta Concil. Tridentini decretum *sess. 24. c. 12.* dignitates ac præbendæ distinctæ sunt in subdiaconales, diaconales, presbyterales, & v. g. Archipresbyteratus est prima dignitas sacerdotalis, Præpositura secunda dignitas sacerdotalis, Archidiaconatus tertia dignitas diaconalis, Primicereatus quarta dignitas sacerdotalis, & ex ejusdem ecclesiæ statuto disponitur, ut functiones pontificales, v. g. in solennibus vesperis vel missis festivitatum aliquarum exerceantur per Capitulares habentes dignitates & præbendas sacerdotales, easdem exercere spectabit ad Primicerium, & non Archidiaconum, etsi is per accidens Sacerdos sit. Pignat. *cit. cons. 6. n. 10.* attendenda enim in hac materia potissimum distinctio ordinum juxta *c. statuimus. de major. & obed.* & *ibi* DD. communiter. Adeóque cum Archidiaconus habeat dignitatem ac præbendam à statuto ecclesiæ distinctam & determinatam, non potest, nec debet exercere munia, quæ spectant ad dignitatem ac præbendam sacerdotalem, eò vel maximè, quòd à speciali statuto talis ecclesiæ præcisè disponatur, quòd ejusmodi functiones exerceantur per turnum à dignitatibus & canonicis habentibus præbendas sacerdotales; dignitas enim Archidiaconalis in hac ecclesia non est destinata ad hæc munia obeunda; cum non requirat ex sui institutione sacerdotium. Unde, si illud suscipiat, non exinde exercere potest ea, quæ ex tali speciali statuto ordinata sunt dignitatibus (etsi aliàs eo inferioribus) & Canonicis habentibus ex instituto annexum sacerdotium; eo quòd qualitas illa sacerdotalis superaddita pro libitu & devotione Archidiaconatui non sit habenda in consideratione in ordine ad dictas functiones, in quibus attenditur solùm dignitas, cui ea inest ex necessitate, seu vi statuti. Pignat. *loc. cit. n. 11.* Confirmat hoc ipsum Pignat. *num. 14.* vel ex hoc ipso, quòd alius excogitari nequeat finis distinctionis illius dignitatum & præbendarum in diaconales & sacerdotales, quàm ut in solennibus celebratio per integrum corpus obtinentium distinctos ordines adimpleatur, ita ut habens annexum ordinem diaconatûs officium Diaconi impleat, dum aliàs inutilis videri posset dicta dignitatum & præbendarum distinctio, si omnes dignitates & Canonici quo ad functiones illas celebrationis solennioris uniformiter se gererent. Item confirmat idem *n. 13.* ex ipsa praxi Ecclesiæ Romanæ in ipsis Cardinalibus; dum qui Cardinalatum diaconalem habet, tantum exerceat, quæ sui, & non quæ alterius sunt ordinis; licèt aliàs non solùm sacerdotali sed & episcopali Charactere sit insignitus. Neque his obstat, quòd per hujusmodi statutum videatur tolli jus commune, quo videtur disponi, Archidiaconum, modò sit Sacerdos, præferendum esse in his functionibus ceteris dignitatibus, ut dictum supra juxta doctrinam Hostiensis. Nam statutum contra aliquem specialiter conditum tenet in ejus præjudicium. Sed neque ejusmodi statutum tollit jus commune, dum mandat in materia & exercitio hujusmodi functionum, ut stetur consuetudini hujus ecclesiæ, quia idipsum disponit jus commune. Unde licèt absente Episcopo celebratio Missarum & hujusmodi alia spectent de jure ad Archidiaconum, dum is est Sacerdos, id tamen non procedit stante dispositione statutaria in contrarium, vel legitima consuetudine ecclesiarum; dum etiam consuetudo talis vel dispositio specialis super hoc præservatur in ipso ceremoniali Romano. *L. 2. c. 17.* Pignat. *loc. cit. n. 16. & 17.* similiter juxta dicta à nobis supra.

*Quæstio 635. An igitur, dum ad Archidiaconum spectat exercere istiusmodi actiones, is impeditus, aut aliàs nolens eas exercere, sibi substituere possit, quem libuerit.*

REsp. negativè. Barbos. *Jur. eccl. l. 1. c. 24. n. 46. & 47.* sicut enim impedito vel nolente Episcopo per seipsum exercere illas functiones, is non potest in præjudicium primæ dignitatis, (utpote ad quam de jure in eo casu spectat exercere illas functiones) alteri sibi bene viso demandare illas functiones, ut censuit S. Congreg. Rituum *in una Algaren. 2. Febr. 1601. & in Puteolan. præeminentiar. 9. Decemb. 1617.* apud Barbos. *cit. n. 46.* ita nec ipsa prima dignitas pro libitu suo alium sibi bene visum Canonicum aut dignitatem loco sui substituere poterit; sed in eo munere debere succedere proximiorem dignitatem, & deficientium vices ab aliis immediatè succedentibus suppleri, declaravit eadem S. Congreg. *in una Adrien. 22. Jan. 1618.* apud Barbos. *loc. cit. n. 47.*

*Quæst. 636. Vtrum Archidiaconatus dignitate & loco præcedat Vicarium generalem Episcopi?*

1. REsp. in hoc convenire AA. Negativam, nempe Archidiaconum dignitate non præpollere Vicario generali Episcopi, sed hunc illi tam in choro quàm ubilibet præcedere debere illum, tenent Barbos. *Jur. eccl. l. 1. c. 24. n. 55. & 56.* citans pro hoc Seraph. *decis. 639. n 10.* Zerol. *in pr. Epis. p. 1. v. Vicarius. §. 15.* Ferrum *de præcedent. eccl. q. 5. n. 8. &c.* ac sic expressè declaratum esse inquiens S. Congreg. præposita negot. Episcopor. & Regular. *in Theatina 6. Jul. 1618.* Item tenent illam Felin. *in rubr. de major. & obed. n. 10.* Tusch. *v. Archidiaconus concl. 482. num. 2.* Laym. *in c. 1. h. t. n. 4.* dicentes absurdum & stultum videri, si Archidiaconus præcedere velit Vicarium Episcopi ob rationem mox ex iisdem subjungendam. Item Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. q. 25. n. 1.* citans pro hoc Abbatem *cons. 21. per tot. vol. 1.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de Vicar. Ep. num. 7.* Cassan. *catal. glor. mundi p. 4. consid. 46.* Bott. *de Synod. Ep. p. 3. n. 20.* Jacob. *tract. de Concil. pag. 67. col. 1.* Anton. de Prætis *tr. de jurisdict. Epis. c. 6. n. 41.* Joan. de Arnono *singul. 28.* (ubi etiam Archidiaconos, qui volunt præcedere Vicarium, vocat temerarios & arrogantes) Staphil. Pavin. Fusc. & quamplurimos alios, ad quos accedit Pirh. *ad h. t. n. 4.* Ratio hujus sententiæ est, quòd tribunal Archidiaconi inferius sit & subjectum consistorio Episcopi, cui præest Vicarius Episcopi, utpote idem faciens cum Episcopo consistorium; quique, ut Sbroz. *loc. cit. n. 3.* Episcopo dicitur associari in jurisdictione, & repræsentare reverentiam episcopalem, unum cum illo agens, una cum illo persona, & hinc in loco, sessione & aliis tam honorandus quàm Episcopus, & ut idem Sbroz. ex Ant. de Præt. *cit. c. 6. n. 44.* quemadmodum Papa repræsentat Christum, & facit idem tribunal cum eo, & omnibus post Christum præhonoratur, ita Vicarius repræsentans Episcopum, & faciens unum cum eo tribunal, omnibus post Episcopum præhonoratur.

2. Ampliatur hæc doctrina primò, ut procedat, etiamsi Vicarius Episcopi non esset Sacerdos, & Archidiaconus esset Sacerdos; eò quòd ratio jam data militet quoque pro Vicario non sacerdote. Licèt enim Vicarius non sit Sacerdos, gerat tamen vices Episcopi, & eandem habet prærogativam; & ideo in his, qui forum sacerdotale non respiciunt, sit præferendus Archidiacono, Archipresbytero sacerdotibus Sbroz. *loc. cit. n. 18.*

3. Ampliatur secundò ab eodem Sbroz. *loc. cit. n. 7.* ut procedat, etiamsi Archidiaconus haberet privilegium obtinendi primam sedem post Episcopum; eò quòd, ut Abb. *cons. 21. n 5. vol. 1.* quem citat, privilegium illud intelligatur respectu aliorum Clericorum, non habentium jurisdictionem in Archidiaconum, non autem respectu vicarii.

4. Ampliatur tertiò, ut procedat obstante quacunque consuetudine aliisque in contrarium. Barbos. *loc. cit. n. 56.* ubi, quòd Vicarius generalis absente Episcopo debeat habere primum locum super omnes dignitates & Canonicos, non obstante consuetudine aliisque in contrarium; sic expressè ait S. Congreg. Rituum *in una Andrien. 7. Aug. 1610. & in Ferrar. 20. Decemb. 1614. & in Melitens. 13. Jul. 1619.* Sbroz. *loc. cit. n. 5. & 6.* ubi, postquam citasset plurimos in contrarium, subdit: tamen præcedens opinio (nempe quòd præcedat Vicarius Archidiaconum ceterasque dignitates, etiamsi consuetudo vel statutum exstaret in contrarium) est majore DD. calculo fulcita & communis; detestabilisque probatur illa consuetudo tanquam ratione carens, & ex quadam ambitione & stultitia inducta; contraria quæque juri divino, ordini naturali, juri Pontificio & Cæsareo, ut probant Abb. *cit. cons. 21.* Felin. *in rub. major. & obed. n. 10.* Rebuff. *loc. cit. n. 7.* Cassan. *loc. cit. consid. 46.* Melillus *tr. de præced. Vicar. c. 4.* Paphil. &c. quos citat.

5. Verumtamen oppositam sententiam, nempe quòd Vicarius præferendus non sit Archidiacono, tenet Menoch. *cons. 51. vol. 1.* & *cons. 257. vol. 3.* cui consentit Laym. *in c. 1. h. t. n. 4.* eò quòd, ut inquit Laym. *c. ad hæc h. t.* expressè habeatur; quòd secundùm Romani Ordinis constitutionem Archidiaconus major post Episcopum ejusdem Episcopi Vicarius existat. Unde respondit ad rationem oppositæ sententiæ: consideratione diversarum causarum & locorum eandem personam eidem anteferri & postponi, ut constat ex *l. 1. c. de off. Vicar.* ubi dicitur, in causis civilibus atque judiciis Vicarios Comitibus militaribus anteponendos esse, sed in rebus militaribus postponendos. Atque ita, licèt Vicarius in tribunali suo, quatenus Episcopi ibi vices actualiter gerit, superior sit, sive jurisdictionem in alios omnes clericos, etiam Archidiaconum exerceat; tamen extra tribunal suum, ut in ecclesia, processionibus, aliisque conventibus postponi potest, ita ut absolutè loquendo dignitas Vicarii generalis minor censeatur quàm aliæ quædam dignitates Ecclesiæ Cathedralis. Quin &, si agatur de consuetudine, certum est, de facto in pluribus ecclesiis contrarium observatur, ut nimirum Vicarius Generalis sequatur Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconum, Præpositum & Decanum, quin & in aliquibus locis omnes Ecclesiæ Cathedralis Canonicos intellige, dum ipse non est Canonicus

Eccle-

Ecclesiæ Cathedralis de tali consuetudine præter Laym. de variis in particulari ecclesiis testantur alii quamplurimi celeberrimi AA. apud Sbroz. *loc. cit. num. 6.* Talem autem consuetudinem damnare, difficile esse, ait Laym. Certè mirum illam à Sbrozio post tot illustrium virorum testimonium vocari irrationabilem, ambitiosam & stultam, contra omnia jura humana & divina, præsertim cùm & ipse Sbroz. *l. 3. q. 12. n. 5.* dicat authoritatem Archidiaconi juxta textum *c. Romana.* prævalere omnibus. De cetero fatetur & ipse Sbrozius *cit. q. 25. n. 22.* cum Cucho *Inst. Jur. Canon. tit. 8. de Vicar. Episc. num. 29. l. 2.* non præcedere Vicarium, ubi ei subditus non est Archidiaconus v. g. dum Vicarius hujus Diœcesis cum Archidiacono alterius Diœcesis contendant de præcedentia in aliena seu tertia aliqua Diœcesi, uti etiam expressè tradit Sbroz. *ibidem n. 20.* Archidiaconum esse præferendum Vicario Capituli sede vacante, juxta quod docet Jo. And. *in c. fin. de off. Legat. in 6.* ubi; quòd, quando est consuetudo, Præpositus præfertur Archidiacono, etiamsi Archidiaconus gerat vices Episcopi sede vacante.

*Quæstio 637. Vnde factum, quòd Archidiaconus tanta pollea tam in Archipresbyteros quàm clericos inferiores authoritates?*

REspondet Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 6.* id inde ortum, quòd Episcopus adeò amplam Archidiacono concedere solebat jurisdictionem, dum vicariâ illius passim uteretur operâ, utpote liberi ab onere, obligatione, & potestate administrandi Sacramenta; presbyteris verò essent commissi populi, ac propterea à suis ecclesiis sine earum gravi detrimento abesse non poterant.

*Quæstio 638. Quot sint, aut esse possint in Diœcesi aliqua Archidiaconi?*

REsp. Tametsi tot ferè sint Archidiaconatus, quot ecclesiæ, ut Fagn. *in c. adhæc h. t. n. 15.* ex Sylv. *v. Archidiaconus in princip.* quin & in quibusdam ecclesiis nullus sit Archidiaconus, sed ejus officio fungatur Archipresbyter seu Decanus, in quibusdam ecclesiis etiam sit Archidiaconus unus, præeminentiam quidem habens inter Canonicos, sed sine jurisdictione vel administratione Pirh. *ad h. t. n. 1.* videatur quoque de jure cujusvis ecclesiæ Cathedralis unus tantùm esse Archidiaconus, qui primus est in dignitate quò ad stallum in choro, vocem in Capitulo, & præcedentiam super prælatos, Præpositum, Archipresbyterum, tamen talem vix ulla modò Ecclesia in Germania agnoscit, ut Laurent. Dript. *in suo Specul. Archidiacon. sect. 1. art. 2.* cùm in plerisque Ecclesiis Cathedralibus non unus solum, sed plures Archidiaconi reperiantur, quorum cuilibet specialis districtus in Diœcesi, in quo jurisdictionem suam exerceant, assignatur, sive qui totam Diœcesim in certas partes distributam gubernant tanquam Vicarii Episcopi perpetui & intitulati. Laurent. Dript. *loc. cit.* ubi etiam Archidiaconos tam Metropolitanæ Coloniensis, quàm Cathedralium Osnabrugensis & Paderbornensis enumerat. Pirh. *cit. n. 1.* Pignat. *Tom. 9. consult. 114. n. 42.* Fagn. *in c. licèt. de pœnis. n. 2.* ubi: nota ex textu secundùm Abbatem in uno Episcopatu esse posse plures Archidiaconos, & sic eandem dignitatem esse multiplicabilem in eadem Diœcesi, de quo *in c. ex parte 1. c. quoniam de off. deleg.* Adde inferiorem dignitatem multiplicari posse etiam in eadem ecclesia, sicut sunt plures Archidiaconi in ecclesia Callaguritana &c. Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 7.* ubi etiam testatur, esse eorum sex in ecclesia Toletana. Cujus pluralitatis introductæ rationem dat hanc, quòd olim Episcopi ex Diaconis senioribus duos, tres, quatuor vel plures constituebant pro suarum ecclesiarum multitudine, ut bene in omnibus tota Diœcesis, alioqui vasta & ampla gubernaretur, qui Diaconi dein ob jurisdictionem & potestatem sibi ab Episcopo demandatam dici cœperunt Archidiaconi, inter quos unus semper ceteris honore & dignitate præstabat, nimirum is, qui jurisdictionem habeat in clericos & presbyteros Ecclesiæ Cathedralis & aliarum, quæ in urbe, cui præerat Episcopus &c. posse. que istiusmodi Archidiaconatus plures in eadem Ecclesia Cathedrali per seniores Canonicos ex consuetudine ejusdem ecclesiæ optari, indicat Fagn. *loc. cit.* pro ut in Cathedrali Monasteriensi fieri videmus.

CAPVT

# CAPUT SECUNDUM.

## De Iurisdictione & potestate Archidiaconi.

*Quæst.* 639. *An jurisdictionem habeat Archidiaconus?*

1. REsp. primò, Dubitari non potest, habuisse olim & exercuisse jurisdictionem Archidiaconos, eámque amplissimam, ut patet ex toto *tit. de off. Archidiac.* ubi *c.* 1. *dicitur* post Episcopum Vicarius in omnibus, oculus Episcopi &c. dum enim vice Episcopi cuncta observat & circumlustrat, ut dicitur *in c. Diaconi.* Dúmque imperat Subdiaconis & Levitis, sollicitudinemque & observantiam parochiarum habet, & jurgia singulorum audit, & in negotiis minimè arduis, quæ correctione & emendatione egere prospicit, corrigit & emendat &c. ut distinctè refertur in *c. ad hæc h. t.* proculdubio, ut ait Lotter. *de re benef. l.* 3. *q.* 7. *n.* 35. jurisdictionem habet. Patet etiam hoc ipsum ex eo, quòd uti dictum supra, gradus dignitatis constituatur ex administratione & jurisdictione Lotter. *loc. cit. n.* 23. adeóque, cùm Archidiaconus de jure communi sit prima dignitas, necesse est illum de jure communi habere jurisdictionem, quamvis ut dictum ibidem necesse non sit, ut habeat eam actu, sed sufficiat illam habere habitu, ut quoque dictum supra.

2. Resp. secundò. Sed neque dubium spectato jure communi habere illum hanc jurisdictionem fori externi seu judicialis (ad quam spectant præcipere, inobedientes & delinquentes pœnis & censuris coercere, jurgia & causas audire, visitare ecclesias,) Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 3. *in fine.* Laym. *in c. Archidiaconis. h. t.* Lotter *loc. cit. num.* 36. ubi inquit: Licèt Alex. *Conf.* 142. *n.* 5. *l.* 6. pronunciaret, hanc jurisdictionem potiùs esse ex consuetudine, quàm ex jure communi, tamen rectiùs locutus fuisset, dicendo esse de jure communi; Verumtamen aliquando ex consuetudine vitiari sive elidi. Quò spectat, quod dictum *cap. præced. q.* 4. nempe Archidiaconum dici Vicarium Episcopi legitimum, eò quòd directè à lege consequatur suam jurisdictionem ad distinctionem Vicarii Generalis Episcopi.

3. Resp. tertiò. Hodiedum tamen jurisdictio illa ampla Archidiaconi valde est per consuetudinem imminuta, Lotter. *loc. cit.* Barbos. *jur. eccles. l.* 1. *c.* 24. *n.* 37. Zerol. *pr. Episc. p.* 1. *v. Archidiac.* Et ita de facto Archidiaconorum authoritas & jurisdictio accisa in pluribus Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, Belgii locis, ut ferè maneat omni in Clericos, præsertim Cathedralium ecclesiarum jurisdictione destituta, reservatâ tantùm eâ in Clericos alios parochialium civitatis, aut rurales, earumque parochianos. Atque ad diffiniendam cognoscendámque eorum jurisdictionem & potestatem, quousque ea se extendat, standum est hujusmodi consuetudini aut statuto, seu juri speciali singularum ecclesiarum. Lotter. *loc. cit. n.* 37. Pirh. *ad h. t. num.* 1. Quin & contingere potest ex singulari jure vel consuetudine, ut non sit oculus Episcopi, id est, nullum prorsus officium aut jurisdictionem obtineat, ejúsque officium cum omni jurisdictione transfusum sit in aliam personam Capituli, v. g. in Archipresbyterum, Decanum, Vicarium spiritualem Lotter. *loc. cit. num.* 38. & 39. & sic de facto in quibusdam ecclesiis est sine omni jurisdictione & administratione. Pirh. *loc. cit.* Sic hodie in pluribus locis Germaniæ ne quidem superesse nomen Archidiaconi, vel manere absque omni prorsus in alios jurisdictione ac potestate. illiusque loco Vicarium Generalem substitutum fuisse, inquit Laym. *Theol. moral. l.* 4. *tract.* 2. *c.* 4. *num.* 4. Causam verò, cur ita Archidiaconorum authoritas per Tridentinum contrariámque consuetudinem sit imminuta; imò in pluribus locis abolita, eam unà cum sollicitudine eis commissa revocantibus ad seipsos Episcopis, vel Vicarios suos generales, volentibus Episcopis per seipsos intendere gregi suo, fuisse Archidiaconorum, qui ante sæcula præcesserunt (& utinam illorum solorum) negligentiam assignat Laurent. Dript. *loc. cit.* utique ex Barbos. *loc. cit. n.* 8. ubi: *cùm hodie ipsorum Archidiaconorum incuriâ vel imperitiâ, seu Episcoporum potentiâ omnis pene jurisdictio extincta sit &c.* Verumtamen etiam hæc ita universaliter accipienda non sunt, ac si in ecclesiis omnibus, ubi eorum nomen adhuc exstat (uti illud adhuc exstat in plerisque) eorum jurisdictio penitus extincta sit, vel etiam non nisi in mero habitu sit penes illos; sed solùm, quòd jurisdictio competens illis per antiquos Canones adæquatè sumpta, non tamen adæquatè recesserit ab aula. hoc enim vult Barbos. *cit. n.* 8. dum ait: in tota Hispania nullus reperitur Archidiaconus, qui totam illam juris communis retineat potestatem. Item Zerol. *loc. cit.* dum ait: antiquitus Archidiaconus de jure communi habebat multas jurisdictiones, quibus (intellige, non omnibus, sed pluribus) hodie per consuetudinem contrariam est privatus. Postquam enim multa enumerasset, quæ non potest amplius Archidiaconus, addit in fine: cetera remanent in robore suo, nisi per contrariam consuetudinem eis sint ablata. & quod immediatè præmiserat, licèt de jure habeant jurisdictionem, non tamen in actu per consuetudinem: id intelligendum quò ad ea, quæ eis adempta videmus. Nam à plerisque adhuc hujus temporis Archidiaconis exerceri videmus plures antiquæ illius jurisdictionis partes: audiri jurgia, visitari parochias, cognosci de excessibus, eósque ab ipsis puniri, ac ita iis adhuc modò concedenda, & nullatenus adimenda, quæ Tridentinum, Episcoporum consensus, præscriptio

scriptio legitima in districtibus eorum jurisdictioni subjectis permittunt. nec minùs invenire adhuc hodie datur Archidiaconos, qui in partibus Diœcesis sibi ab Episcopo concreditis curæ animarum sedulò invigilant, seque in partem sollicitudinis episcopalis vocatos, & pro animabus sibi commissis, & delinquentium rationem Deo reddituros, ut dicitur in *c. ut Archidiaconus.* & *c. ad hæc. h.t.* bene perpendunt.

*Quæstio* 640. *An jurisdictio Archidiaconi sit ordinaria, an delegata?*

1. Resp. eam non secus ac Vicarii Generalis Episcopi esse ordinariam. Fagn. *in c. ad hæc. h. t. n.* 29. citans Innoc. & Host. *in c.* 1. *h. t.* Laym. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. Pirh. *ad h. t. n.* 5. Et quidem contentiosam, ut addit Pirh. tum quia jurisdictionem ordinariam tribuit Vicaria perpetua juxta *L.* 1. *Cod. de off. qui vices alter. gerit.* Archidiaconus autem in omnibus est Vicarius perpetuus Episcopi *c.* 1. *h. t.* tum quia est ad universitatem causarum. Fagnan. Pirh. *loc. cit.* Unde causæ Clericorum civiles, saltem minores, vel ubi de crimine civiliter agitur, ad Archidiaconum tanquam Judicem ordinarium in prima instantia sunt deferendæ Pirh *loc. cit.* citans Jo. And. *in c.* 1. *h. t. n* 4. & Innoc. *in idem cap. sub princ.*

2. Limitat responsionem Barbos. *l.* 1. *jur. eccles. c.* 24. *n.* 33. nempe quòd non habeat in omnibus jurisdictionem ordinariam, sed in iis tantùm, quæ à jure vel consuetudine ei sine speciali mandato Episcopi ei competunt exequenda, juxta *c. fin. h. t.* de jure autem communi competere ei ait Barbos. jurisdictionem in visitando & corrigendo in modicis tantùm causis; cùm *c. ad hæc. h. t.* dicatur, ardua negotia non debere absque majoris sui præsentia terminare, & sic jurisdictionem illam ordinariam non habet in criminalibus, nec in civilibus arduis, sed tantum in civilibus parvi valoris. Barbos. ex Roman. *cons.* 371 *n.* 4. & Cardin. Tusch. *Lit. A. conclus.* 482. *n.* 9.

*Quæstio* 641. *An, & qualiter hæc jurisdictio ordinaria Archidiaconi sit subordinata jurisdictioni episcopali?*

Resp. est hæc ejus jurisdictio ordinaria illi quidem propria & distincta à jurisdictione Episcopi, dum Archidiaconus tribunal veluti proprium habet, eidem tamen seu Consistorio, & tribunali episcopali tanquam inferior subordinata. Unde & ab Archidiacono ad Episcopum vel ejus generalem Vicarium appellari potest juxta *c. referente. de prab.* non secus ac juxta glos. *in L.* 1. *c. de off. Vicar.* à Principum sæcularium Vicariis & urbium præfectis appellare licet. Laym. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. & *in c. fin. n* 1. Pirh. *loc. cit. n.* 2. & 5. juxta dicta à nobis supra *q.* 4.

*Quæst.* 642. *In quas personas, & in quæ loca se olim extenderit, & modò extendat jurisdictio illa Archidiaconorum?*

1. Resp. ad primum. Spectato jure communi extenditur ordinaria illa fori externi jurisdictio Archidiaconorum (vi cujus visitare, præcipere, corrigere, punire, causas certas cognoscere possunt) præcipuè in cæteros Clericos omnes tam qui in Civitate quàm qui extra illam per ceteram Diœcesim habitant, utpote quibus *c.* 1. & *c. ad hæc. h. t.* omnium Clericorum cura & sollicitudo post Episcopum demandatur Laym. *in c.* 5. *h. t.* Pirh. *ad h. t. n.* 5. Barbos. *loc. cit. n.* 11. Ita ut etiam ipsi Archipresbyteri (qui & ut Laym. Decani vocantur) jurisdictioni Archidiaconi subjecti sint. Pirh. *loc. cit. num.* 4. Laym. *ad c. ad hæc. h. t.* Fagn. *ibidem. n.* 10. juxta expressum *cit. c.* textum. Quod tamen, ut Fagn. intelligendum quòd ea tantùm, quæ Archidiacono competunt de jure vel consuetudine, ita ut ratione hujus jurisdictionis Archidiaconus nullam habeat in Archipresbyterum authoritatem. Neque in Clericos solùm, sed etiam in laicos v. g. parochianos jurisdictionem illam suam exercent. Fagn. *loc. cit. num.* 28. ubi curam habet tam in urbe positorum quàm eorum, qui parochias habitant &c. Et sic constat ex moderna etiam locorum plurium praxi, dum in visitationibus de excessibus parochianorum cognoscunt, eósque puniunt Archidiaconi.

2. Resp. ad secundum. In quibusdam Diœcesibus dicta Archidiaconorum jurisdictio se extendit ad parochias civitatis episcopalis ad certum districtum adjacentem, qui fines Archidiaconatûs dicuntur. In aliis locis, dum plures sunt Archidiaconi, singuli singulas Diœcesis partes certas veluti regiunculas sibi subjectas habent Laym. *ad c. fin. h. t. num.* 1. Ac ita quoque juxta dicta jam sæpe in hac extensione jurisdictionis ratio consuetudinis specialis habenda ac tenenda est.

*Quæst.* 643. *Num ergo etiam Archidiaconus jurisdictionem habeat in regulares ab Episcopo non exemptos, ac monasteria sita intra fines seu districtum sui Archidiaconatûs?*

Resp. non habet illam, nisi fortè generalis aut specialis consuetudo id ei tribuat. Fagn. *in c. dilecto. h. t.* citans Abb. Jo. And. Butr. Anchar. &c. Laym. *in cit. c. dilecto. num.* 2. Pirh. *ad h. t. num.* 16. ubi: Archidiaconus in monasteria sita intra fines suos, etsi exempta non sint à jurisdictione Episcopi, jurisdictionem non habet, nisi eam per diuturnam consuetudinem legitimè præscripserit. Hanc quoque rationem, cur Archidiacono Religiosi etiam non exempti subjecti esse non debeant quo ad correctionem, visitationem, aliósque actus jurisdictionis addit Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *n.* 17. quòd cùm præter Episcopum ordinarius Religiosorum prælatus sit Abbas seu Præpositus regularis, consentaneum non sit, ut alium Ordinarium habeant. Sed neque ex eo, quòd, ut dictum, Archidiaconus spectato jure communi omnem curam totius cleri habeat juxta *c.* 1. & *c. ad hæc. h. t.* quò ad jurisdictionem in regulares fundatam intentionem habet, quoties ostendit, monasterium intra fines sui Archidiaconatûs situm fuisse sicut eam fundatam habet Episcopus, ac proinde in petitorio semper obtinet, ut constat ex *c. si quis Abbas.* 18. *q.* 2. nisi monasterium vel privilegio, vel præscripta consuetudine exemptionem ostendere posset. Nam licèt Archidiacono cura totius Cleri commissa sit, tamen hoc nomine

non

non veniunt religiosi aut monasteria, juxta Regulam communiter traditam; quòd in materia odiosa aut præjudicante appellatione Cleri regulares non comprehendantur. Laym. *loc. cit.* Porrò si Archidiaconus in plena v. g. novem monasteria ejusdem Ordinis ac qualitatis intra eosdem fines diuturna consuetudine comparasset jurisdictionem, præsumptionem juris esse, quòd etiam in decimum monasterium ejusdem qualitatis jurisdictionem habeat; cùm de similibus idem jus censeri debeat, argumento *c. cognovimus. 2. q. 2.* ita tamen ut contra eandem præsumptionem admittatur probatio in contrarium, dum nimirum monasterium illud decimum ostenderet, Archidiaconum jurisdictionem in se nunquam exercuisse, vel etsi eam exercere voluerit, admissum tamen non fuisse, tradit Pirh. *cit. n. 16. notab. 3.* secutus Laym. *loc. cit.* ita explicantem textum alias difficilem *cit. c. dilecto.* pro cujus textûs quoque intelligentia vide, quæ habet Fagn. *in c. nullus. n. 24. de foro compet.*

*Quæstio 644. An sede episcopali vacante, usque dum eligitur Vicarius Capituli, jurisdictionem exerceat Archidiaconus?*

1. Resp. primò: Quòd Archidiaconus, etiam mortuo Episcopo sede vacante, exercere pergat jurisdictionem suam propriam, quam habebat & exercebat Episcopo vivo, seu sede plena, de hoc inquam dubitari non potest; cùm ea utpote ordinaria & distincta à jurisdictione episcopali per mortem Episcopi non elidatur aut suspendatur, quemadmodum jurisdictio Vicarii Generalis Episcopi, utpote facientis idem cum Episcopo consistorium, eo mortuo mox expirat. Verùm illud in dubio remanet, num sede vacante saltem per octiduum illud, intra quod juxta præscriptum Trid. *sess. 24. c. 16.* à Capitulo eligendus Vicarius, exerceat jurisdictionem & munus Vicarii, nempe talis, qualis est Vicarius Generalis Episcopi eo vivente, vel Vicarius Capitularis sede vacante. Ad quod

2. Resp. secundo: Licèt de jure communi absente Episcopo ejusque Vicario Generali, Archidiaconus ipso facto, sine alia constitutione, exerceat jurisdictionem & munus illud dicti Vicarii, ut Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 36. n. 10.* Barbos. *loc. cit. n. 35.* Pirh. *ad h. t. n. 7.* citantes Cardin. Tusch. *lit. A. concl. 482. n. 1.* (de talis autem Vicarii munere loqui citatos AA. ex eo satis patet, quòd signanter dicant, exercere illum munus Vicarii, & esse vices gerentem Episcopi absente Episcopo; siquidem munus Vicarii illi alias proprium seu distincti à Vicario Episcopi, etiam præsente Episcopo exercet Archidiaconus) non tamen exercet illud sede vacante, ne quidem pendente illo termino octo dierum; eò quòd sede vacante intra dictos octo dies totum Capitulum potest & debet administrare. Pirh. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit.* uti & *de off. Episc. alleg. 54. n. 163.* citans Quarant. *in Sum. Bullar. v. Sed. vac. §. duodecimo.* Riccium *in pr. for. eccles. post resol. 505. in not. ab. de Vicar. Capit. sed. vac.* Card. de Luca *ad Trid. d. 31. num. 9.* ubi inquit: in eo octo dierum spatio, quod conceditur ad Vicarii deputationem, frequentiùs antiquiore tempore oriebantur controversiæ inter Capitulum & primam dignitatem super jurisdictionis exercitio, quod à prima dignitate prætendi solebat, ubi ea præsertim sit Archidiaconus, qui antiquorum Canonum authoritati inniti solet, ex quorum dispositione Vicarius natus in temporalibus esset. Verùs autem Capitulo regula assistit; quoniam hæc antiqua & nativa vicarialis potestas Archidiaconi hodie de consuetudine ab Aula recessit, & moderni Archidiaconi sunt potiùs abusivi, & in sola nuncupatione &c. Contra Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 61.* ubi ex Abb. *in c. dilecto. de off. Archid. n. 3.* & Follero ait; interim quòd à Capitulo sede vacante tractatur de Vicarii electione facienda, Archidiaconum sustinere vices Vicarii in iis, in quibus de jure communi est Vicarius, tradit Foller. post Abb. Et expressiùs de suo ait idem Sbroz. *loc. cit. in addit. ad q. 3.* Archidiaconi etiam dici possunt Vicarii Episcoporum ipso jure intra octo illos dies Capitulo non eligente Vicarium &c. Idem cum Sbrozio sentit Zerol. *pr. epis. p. 1. v. Archidiacon.* dum ait: dicipotest, quòd infra octo illos dies Capitulo non eligente Vicarium, Archidiaconus est Vicarius ordinarius. Ratio est; quia à jure antiquo non est recedendum, nisi quòad excepta in novo; sed Concilium dat spatium Capitulo eligendi Vicarium infra octo dies; ergo durante octenio restat Vicarius ipse Archidiaconus de jure communi &c. Sed neque id jure communi, præscindendo à decreto Trident. potuit aliàs Archidiaconus; cùm jura illa, quibus Archidiaconus dicitur fungi munere talis Vicarii, loquantur solùm de sede plena; quia loquuntur in casu Episcopi absentis. Ita expressè Barbos. *cit. n. 35.* à quo dissentire videtur Pirh. *loc. cit.* dum ait: de jure communi absente vel mortuo Episcopo id posse Archidiaconum; hodie tamen vi Tridentini totum Capitulum debere habere administrationem.

3. Resp. tertiò. Potest nihilominus Archidiacono adscribere breve illud exercitium jurisdictionis intra dictum octiduum legitima consuetudo Card. de Luca *loc. cit.* ubi tamen & hoc ipsum limitat; ut id illi tunc competat non ratione Archidiaconalis dignitatis, sed potiùs in ratione primæ dignitatis, quæ, ut ait, nomine Capituli individuos actus explicat, ut in ecclesiasticis ac divinis functionibus Episcopo absente vel sede vacante contingit &c. Quinimo tradit Barbos. *cit. num. 35.* posse quoque Archidiaconum acquirere quasi possessionem administrandi Episcopatum tam in spiritualibus quàm temporalibus sede vacante. &, si de hujusmodi quasi possessione constiterit ex pluribus actis ab eo gestis tempore, quo sedes vacavit concernentibus dictam administrationem & jurisdictionem episcopalem, debere ei dari mandatum de manutenendo, uti id datum fuit per Rotam Archidiacono Vicentino *in una Vicent. administrationis Episcopat. 16. Decemb. 1624.* citatque Barbosa pro hoc Postium *post suum tract. mandati de manutenendo. decis. 194.* ubi etiam *num 2.* probet, quòd licèt de jure communi administratio Episcopatûs sede vacante spectet ad Capitulum juxta *c. bonæ memoriæ. de appellat.* tamen de consuetudine possit etiam spectare ad Archidiaconum. & *num. 6.* dicat, his non obstare, quòd ex dispositione Tridentini *sess. 24. c. 16.* deputatio Vicarii spectet ad Capitulum, quòdque dictum Concilium ibidem in fine habeat decretum irritans, inficiens titulum & possessionem contrariam, eo quòd decretum irritans operetur, quando est justificatum, non ante. ac proinde, cùm in hoc nostro

casu

casu dubium sit, num intret dispositio illa Tridentini, ex quo illud non tollit consuetudinem contrariam de jure communi permissam, meritò non obstet Archidiacono pendente judicio manutentionis dictum decretum, quin interim debeat in sua possessione manuteneri. Ac denique *n.* 10. *& seq.* dicat, similiter non obstare, quòd Archidiacono resistat jus, quo casu non datur manutentio inferiori sine titulo. Tum quia licèt jus assistat Capitulo, non tamen resistat Archidiacono, ex quo potest etiam dicta administratio spectare ex consuetudine ad inferiorem; tum quia datur etiam manutentio inferiori, quando ipsius possessio est diuturna, prout est in præsente casu. Ac denique apud eundem Postium *num.* 13. Rota *in dicta Vicentina* dicat, non obstare, quòd non constet de possessione moderni Archidiaconi; quia sufficit, quòd constet de possessione antecessorum ejus in illa dignitate; siquidem hæc etiam juvat successorem; cùm dicatur possidere ipsa dignitas, ut Felin. *in c. constitutus. n.* 14. *de rescript.* & Rota *decis.* 1. *de restit. spol. in novis.* Verùm de his plura alibi, ubi quis actui electionis Vicarii Capitularis præsidere debeat.

*Quæstio* 645. *Quænam complectatur potestas Archidiaconi.*

1. RESP. in genere, ea haberi ferè in *c.* 1. *& c. ad hæc h. t.* item diligenter ea recenseri à Butrio & Abb. *ad cit. c. ad hæc in princ.* Revocarique posse ad duo præcipuè capita, ut Fagn. *in cit. c. ad hæc. n.* 6. nempe ad ea, quæ ei competunt tanquam principi Diaconorum Cathedralis, & ad ea, quæ sunt simplicis jurisdictionis Episcopalis. illa enim competunt ei ea ratione, qui caput Diaconorum est; hæc verò ei tributa sunt à jure, ut Episcopus faciliùs vacare possit his, quæ sunt Ordinis & authoritatis Episcopalis, à quibus Archidiaconus excluditur. Fagn. *loc. cit. n.* 7. Proinde exigua non est ejus potestas; Cùm jurisdictionem habeat contentiosam, & in ea sit curæ episcopalis socius & administer, Fagn. *loc. cit. n.* 23.

2. Resp. secundò in specie, ea ferè enumerari ab eodem Fagn. *n.* 24. nempe quòd ad ejus potestatem spectet primò audire jurgia singulorum, *c. ad hæc. h. t.* Secundò instituere. *c. si plebibus. dist.* 63. Tertiò præcipere subjectis obsequia. *c. ad hæc. de excess prælat.* Quartò imperare Diaconis ac Levitis *c. ad hæc. h. t.* Quintò examinare promovendos ad sacros Ordines & beneficia. *eod. c. ad hæc.* Sextò quæ corrigenda viderint corrigere & emendare. Septimò curam habere in urbe positorum, & parochias habitantium. *c.* 1. *h. t.* Octavò visitare Diœcesim. Quæ omnia, & si quæ alia præterea ei competant, si Archidiaconus voluerit, pro ut tenetur sedulo adimplere, profectò, ut ait Fagn. *loc. cit. n.* 30. non supererit illi otium ad alieni muneris negotia peragenda. De cetero, dum ex prædictis aliqua ex consuetudine in hac vel illa ecclesiæ ei non competerent, ab ea consuetudine non est recedendum; cùm in prædictis magna sit vis consuetudinis. Fagn. *cit. n.* 30. Nunc de eorum singulis & aliis quibusdam accuratiùs. Unde sit

*Quæstio* 646. *Qualia jurgia audire, & quas causas cognoscere possit Archidiaconus?*

1. RESP. primò. Dum dicitur de Archidiacono. *c. ad hæc. h. t.* audire debet jurgia singulorum; intelligendum id est de jurgiis Clericorum humilibus, id est, minoribus; majora siquidem jurgia, & ardua eorum negotia ad altiorem se, nempe Episcopum, referre debet. Fagn. *loc. cit.* citans Host. & Jo. And. Pirh. *ad h. t. n.* 6. similiter causas Clericorum civiles minoris momenti, vel etiam ubi civiliter agitur de crimine, cognoscere potest. Fagn. Pirh. *ll. cit.* citantes Innoc. *in cit. c. ad hæc in princ.* Jo. And. *ibidem n.* 4. Causæ enim ejusmodi in prima instantia ad Archidiaconum sunt deferendæ Pirh. *loc. cit.* à quo tamen etiam in his datur ab Episcopum vel ejus Vicarium Generalem appellatio juxta dicta superius. Causas verò civiles arduas cognoscere non potest. Pirh. *loc. cit.* Tusch. *v. Archid. concl.* 482. *n.* 9. juxta expressum textum *c. ad hæc.* §. *item in epistola.*

2. Resp. secundò in specie. Primò causas criminales & matrimoniales cognoscere nequeunt Archidiaconi, uti nec Decani, aliique inferiores Episcopo. Zerol. *p.* 1. *v. Archidiac.* Pirh. *cit. n.* 5. juxta expressum textum Trident. *sess.* 24. *c.* 20. de Reform. ubi ait: *Ad hæc causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquuntur, etiamsi in præsenti inter Episcopum & Decanum seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum illarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat &c.* Nil tamen obstat, quò minus Archidiaconi, aliique inferiores Ordinarii dictas causas cognoscant, ubi sunt in immemoriali consuetudine seu possessione; utpote cui possessioni Concilium non derogavit, si hujusmodi quasi possessio tribus coformibus, vel etiam per unam sententiam, quæ transierit in judicatum (hanc enim quò ad hoc punctum tribus æquivalere censuit S. Cong. 12. *Febr.* 1598. apud Gallemart. *ad loc. cit. Trid.*) probata fuerit. Pignat. *Tom.* 4. *consult.* 35. *n.* 24. & *Tom.* 10. *cons.* 67. *n.* 22. juxta ejusdem S. Cong. declarat. 22. *Jan.* 1598. apud eundem Gallemart. *loc. cit.* sic inquientis: *Censuit S. Congregat. Concilii, Decreto ejusdem Concil. c.* 20. *sess.* 24. *non esse sublatam immemorialem consuetudinem, secundùm quam inferiores Episcopo cognoscunt causas matrimoniales & criminales; idque si hujusmodi immemorialem consuetudinem tribus sententiis conformibus probarint, non esse impediendos eam exercere.* Item juxta declarat. ejusdem S. Cong. apud eundem Gallem. *de* 28. *Martii* 1598. quæ sic habet: *Censuit Congregat., quando inferiores Ordinarii volunt procedere in criminalibus, si legitimè constet de immemoriali quasi possessione Archipresbyteri in cognoscendi decidendisque causis criminalibus suorum Clericorum, Decretum illud Concilii non derogare immemoriali quasi possessioni; unde in ea Archipresbyter conservandus est &c.* Interim tamen, donec probetur immemorialis illa, cognitio causarum illarum ad Episcopum spectabit. Pignat. *loc. cit.* item *Tom.* 10. *cons.* 67. *n.* 22. juxta declarat. S. Cong. Concil. *in Burgens. & Salernit.* & alibi, ut & apud Gallem. *de* 28. *Martii.* 1598. uti etiam Pignat. *loc. cit.* ait, declarasse S. Cong. *in Messanensi*, pendente judicio inter Episcopum & Ordinarium inferiorem desuper cognitione causarum matrimonialium, criminalium, legatorum ad pios usus & aliorum Episcopo reservatorum, Episcopus debeat in iis omnibus cognoscere. Sed neque decretum illud Tridentini extendit se ad illos, qui nullius Diœcesis sunt, sicut nec ad Decanum & Capitulum ab Ordinarii jurisdictione exemptos;

nec ad eos, quibus ex privilegio Apostolico causarum & controversiarum contra, & in ipsos, personasque subjectas ratione contractûs cognitio competat. Itaque Abbates, Præpositi, seu Archipresbyteri nullius Diœcesεos, qui Ordinarii juris dictione ab immemoriali tempore funguntur non comprehenduntur hoc decreto. ita ferè Gallemart. *loc. cit.* Procedere verò adhuc dictum decretum, dum Archidiaconi, Decani ceteriquε illi inferiores essent tantùm exempti, probat Pignat. *Tom.* 10. *cons.* 67. *n.* 21. & 24.

3. Secundò causas, concubinatûs Clericorum cognoscere nequeunt Archidiaconi. Pirh. *cit. n.* 5. Zerol. *loc. cit.* juxta expressum textum Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de Reform.* sic inquientis: *dictorum omnium* (agit autem in *cit. c. de concubinatû Clericorum*) *cognitio non ad Archidiaconos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat &c.* Sed neque hoc decretum habet locum, ubi immemorialis consuetudo est pro Archidiacono, aliisque inferioribus. Gallem. *ad cit. loc. Trid.* Testans sic declaratum à S. Cong.

4. Tertiò, Neque causas beneficiales cognoscere potest Archidiaconus Trid. *cit. sess.* 24. *c.* 20. ubi: *Causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat, cognoscantur.* Nihilominus & has Archidiaconi stante immemoriali cognoscunt. Pignat. *Tom.* 10. *cons.* 67. *n.* 16.

## *Quæstio* 647. *An & quas pœnas infligere possit Archidiaconus.*

REsp. pœnas authoritate propria non imponit. Fagn. *ad c. ad hæc. h. t. n.* 27. dum dicitur, *c.* 1. *h. t. paræciam universam circumeat, & cuncta; quæ emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat & emendet &c.* præterquam quòd intelligendum id non nisi de correctione minorum delictorum, majora enim ad Episcopum deferre debet, Pirh. *ad h. t. n.* 8. citans Abb. *in c. h. t. n.* 2. accipitur de correctione, quæ fit verbis, monitionibus ac præceptis. Fagn. *loc. cit.* & ex eo Laurent. Dript. *in Speculo suo Archid. art.* 2. Nihilominus posse eum (intellige de se, & irrequisito Episcopo) modicam pœnam imponere. v. g. suspendere ad modicum tempus, tradit Fagn. *loc. cit.* ubi ait: si quis id dicat, forsan non errabit secundùm Innoc. & Jo. And. *ad c.* 1. *h. t. v. corrigat.* & *ad c. licet. de pœnis.* Atque ita etiam videmus, Archidiaconos in Germania in suis visitationibus, secundùm exigentiam excessuum vel pecuniarias mulctas, vel afflictivas & medicinales corporeas infligere de consensu, ut Laur. Dript, Episcoporum, intellige generali, non speciali. Privare verò beneficiis solùm potest authoritate & nomine Episcopi. Barbos. *jur. eccl. l.* 1. *c.* 24. *n.* 28. Fagn. *cit. n.* 27. ita intelligi posse dicens decretalem *Referente. de præb.* ubi Archidiaconus privat beneficiis. Illud hic notandum ex Laym. *in c. cùm Episcopus. de off. Jud. ordinar.* Quòd si Clericus peregrinus in Archidiaconatu delinquat, Archidiaconus eum sua authoritate punire non possit, sed Episcopus tanquam proprius & generalis loci Ordinarius; eò quòd Archidiaconi & alii prælati inferiores non ita ac Episcopus propriè territorium suæ jurisdictionis habere censeantur.

## *Quæstio* 648. *An excessus puniri possint ab Archidiacono pœnis pecuniariis?*

1. REsp. affirmativè, argumento Trident. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* ubi expressè dicit: *liceat omnibus Judicibus ecclesiasticis cujuscunque dignitatis existant, si eis expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos per mulctas pecuniarias, seu per captionem pignorum, personarum districtionem per suos proprios, aut alienos executores procedere &c.* Jam verò est Judex ecclesiasticus; ergo licebit ei excessus, quorum cognitio & correctio seu punitio ad illum spectat, punire mulctâ pecuniariâ. Idque non solùm, dum jus ipsum aut statutum aliquod v. g. synodale, aut consuetudo pro delicto aliquo pœnam aliquam pecuniariam, vel hanc aut aliam, sed etiam ubi nullam determinat (quidquid sit de eo, num tale statutum aut consuetudo statuens pro quolibet delicto certam pœnam pecuniariam valeat; quod per Fagnanum negari ait Laur. Dript. *in suo Spec. Archid. a.* 4. eò quòd exinde exsurgat dissolutio ad delinquendum, dum delinquens, maximè dives, non pertimescit culpam, sperans, mulctoque magis sciens nummis eam redimi posse, pro quo etiam Dript. citat Abb. *in c. licet. de pœnis. num.* 5. Host. Jo. And. *in c. fin. de constit.* Marian. Socin. &c.) Quidquam inquam de eo sit, poterit pro suo arbitratu pœnam pecuniariam infligere Archidiaconus; cùm in textu Trid. dicatur: liceat, *si eis videbitur*, per mulctas pecuniarias procedere. Sed neque etiam tantùm, dum impositio pœnæ pecuniariæ est pro coercenda contumacia. De quo non dubitat Fagn. *in cit. c. licet* argumento *c. causis. de off. deleg.* & *l.* 1. *ff. Si quis Judici non obtemperet.* Abb. Jo. And. Socin. &c. Sed etiam quando infligitur directè pro excessu diffinitivam pronuntiando sententiam. Sic enim satis indicant verba Tridentini.

2. Neque his obstat *c. irrefragabili. de offic. Jud. Ordinar.* §. *ceterùm* ubi præcipitur, ut ecclesiarum prælati diligenter provideant, ne statutum illud salutare corrigendi subditorum excessus, & reformandi mores ad quæstum pecuniæ convertant. Nam aliud longè est ex tali correctione per mulctas pecuniarias quæstum facere, easque instituere æstu avaritiæ & cupiditatis, quòd utique per se turpe & illicitum est, adeòque rectè vetatur, eidemque satis obviatur per Trid. dum *loc. cit.* expresse vult, ut dictæ mulctæ pecuniariæ eo ipso, quòd exactæ fuerint, mox piis locis assignentur; aliud eas absque tali quæstu & sordido avaritiæ spiritu indicere amore correctionis & coercendi crimina. Unde jam etiam non licet eas imponere, dum pecuniariæ pœnæ videntur vilipendi, & ad emendationem insufficientes. Uti nec id licet Archidiacono, ubi vetat consuetudo.

3. Jam verò, dum pœna alia dictata esset à jure pro hoc vel illo delicto, num possit Archidiaconus ultra pœnam illam juris imponere pœnam aliquam pecuniariam (præscindendo à contumacia) meritò dubitatur. De Episcopo, modò non procedat ex radice cupiditatis, id admittit Fagn. apud Dript. *loc. cit. a.* 4. eò quòd Episcopus Canonem adjuvando

vando novam pœnam adjungere possit, pro quo Dript. citat gl. *in Clem. Romani. v. tolli. de elect.* quod tamen ipsum salvâ tanti viri authoritate ait Dript. se non probare, ne, si præter pœnam juris, quæ supponitur justa & delicto conveniens, superaddatur nova, videatur bis in idipsum puniri delictum.

4. Item adhuc magis dubitatur, num, dum pro crimine imposita est à jure pœna alia quàm pecuniaria, Archidiaconus illam mutare possit in pecuniariam. De Judice alio superiori, qui habet potestatem dispensandi in crimine v. g. Episcopo juxta *c. at si Clerici. §. de adulter. de Jud.* admittitur ordinariè id eum posse, etiam post latam sententiam, & pro hoc à Dript. citantur Butrio. Host. Felin. Anchar. *in cit. c. at si.* Quin & post sententiam condemnatoriam pronunciatam (in genere loquendo) posse Judicem ecclesiasticum, sive is Ordinarius sive delegatus sit, dum adhuc sedet pro tribunali in continente pœnam à jure impositam permutare juxta legem, quæ vult Judicem secundùm qualitatem posse pœnam arbitrari & temperare; id verò non posse Judicem delegatum post diu latam sententiam, qui eâ facultate dispensanda caret, ex Fagn. astruit Dript. vide dicta de hoc de Vicario Generali Episcopi, quæ à fortiore locum habent in Archidiacono.

## *Quæstio 649. Num mulctas pecuniarias à se impositas sibi applicare, seu in suum usum convertere possit Archidiaconus.*

1. REsp. negativè. Sed eæ piis locis aut usibus impendendæ. Hostiens. in *c. irrefragabili. de off. Ordinar. num. 2. vers. Caveat tamen.* ubi dicit cavendum esse Prælatis ecclesiasticis, ne pœnas pecuniarias in pios usus convertendas sibi inbursent; quia tunc vehementer præsumerentur id facere non ad correctionem, sed ad quæstum. Gemin. *in c. si Canonico §. licèt. à n. 4. de off. ordinar. in 6.* Covar. *l. 3. Var. resol. c. 9.* & hæc juxta expressum præceptum Tridentini *sess. 25. c. 3. de Reform.* ubi postquam dixisset: *licet Judicibus ecclesiasticis per mulctas pecuniarias procedere:* hanc adjicit conditionem: ita tamen, *ut dictæ mulctæ pecuniariæ locis piis ibi existentibus eo ipso, quòd exactæ fuerint assignari debeant.* Ex quibus etiam infert Barbos. citans pro hoc Piacen. *in pr. Episc.* Episcopum (idem ut recte addit Dript, est de Archidiacono) ne quidem posse convertere illas mulctas in usum fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut etiam in mercedem seu salarium Vicarii sui Generalis aliorumve Officialium Curiæ. De quo vide dicta à nobis supra, uti de Salario Vicarii Generalis ubi etiam dictum, ne quidem consuetudinem ad hoc suffragari, eò quòd, ut Fagn. S. Congreg. Concil. declaravit istiusmodi pœnas pecuniarias ab Episcopis piis usibus applicandas, contraria consuetudine non obstante. Quidquid sit de eo, num talis consuetudo vergat in grave præjudicium pauperum & piorum locorum, quibus tales mulctæ de jure debitæ occasione talis consuetudinis subtrahantur. unde gravissimè peccare primos authores talis consuetudinis piis locis injuriosæ ait Dript. *loc. cit. a. 5.* quidquid inquam sit de hoc, cùm tales mulctæ, etsi dicantur applicandæ piis locis, non propterea ita debeantur illis, ut aliò eas convertendo illis fiat injuria, non secus ac, licèt dicantur superflua Clericorum eroganda pauperibus, non statim ex eo illis ad ea jus nascitur strictum, ut per subtractionem seu non erogationem illorum in eos dicatur iis fieri injuria. Quin potiùs dicatur consuetudinem talem improbari, quia fomes est avaritiæ & cupiditatis. Jam verò si tales mulctæ ne quidem ab Episcopo converti possunt in salarium Vicarii aut Officialium, multò minùs Episcopus vel etiam Vicarius ipse aut Archidiaconus eas sibi applicare poterit.

2. Illud forte aliqua ratione in contrarium facere videri posset, quòd *in c. dilectus filius. de off. Jud. ordinar.* habetur, ubi Abbas Rhotomagensis, ad quem pertinebat citatio hominum quinque parochiarum, item examinatio & decisio cumulativè tamen cum Episcopo Venetensi, postquam exposuisset Papæ, ab antiquo pertinere ad suum monasterium tertiam partem emendarum, quas homines istarum quinque parochiarum pro suis excessibus solvere compellebantur, (super quo ab Episcopo dicto molestabatur) hoc ipsum ei à Pontifice non fuit abjudicatum. Ex quo inferri videtur, posse Judicem ecclesiasticum applicare sibi saltem partem pœnarum pecuniariarum provenientium ex spirituali jurisdictione, stante saltem antiqua consuetudine. Sed quid si dicatur, ex speciali Papæ concessione id deinceps permissum isti Abbati? aut jam antiquitus obvenisse illi ex privilegio Apostolico, quòd indubitatò & audacter prætendere poterat, ubi illa consuetudo erat immemorialis, quia immemorialitas possessionis illam virtutem habet, ut vi illius præsumatur titulus sufficiens, & allegari possit optimus titulus de mundo. vel si dicatur, dictum Prælatum reipsa applicuisse dictam mulctam locis & usibus piis, dum non suæ mensæ Abbatiali, sed seu monasterio seu Conventui Religiosorum suorum sustentationi applicaret, sive de cetero monasterium illud fuerit dives sive egens. Vel denique si dicatur, Tridentinum juxta memoratam S. Congregationis declarationem consuetudines istius modi deinceps, ne nascerentur, impediviss. Quòd verò in confirmationem benignioris hujus opinionis affert Laur. Dript. nimirum; quòd licèt Judex ordinarius astringatur ad gratis reddendum officium argumento *c. ad Apostolicam. §. fin. de Simon.* & juxta Host. *ibidem num. 3. v. ac emenda.* posse tamen eum sportulas levare juxta eundem Host. *in c. cùm ab omni specie. num. 2. de vita & honest. cleric.* id inquam parum ad rem facit, dum ejusmodi sportulæ non sumuntur ex dictis mulctis pecuniariis.

3. De cetero, dum Episcopus aliique Prælati ecclesiastici, & inter hos Archidiaconi, qui tales mulctas imponere possunt, ipsi verè ac evidenter egent, poterunt illas sibi ipsis applicare, & in proprias necessitates convertere. Host. *in cit. c. irrefragabili.* Jo. And. Felin. But. Gemin. aliique citati à Fagn. *in c. grave. de off. ordinar.* non secus ac obligatus facere eleemosynam nomine alterius sibi ipsi, vel etiam consanguineis suis, si ipse, aut consanguinei evidenter egeant, applicare potest juxta D. Thom. *in 4. sent. dist. 8. q. 2. n. 2.* Abb. Felin. &c. Cum hac tamen adhuc distinctione, ut id possit Judex talis ecclesiasticus

quò ad eas mulctas, quæ à sacris Canonibus vel statutis Synodalibus pro delictis ad rectam quantitatem præfinitæ. Secus verò sit de iis, quæ ejus arbitrio, vel per sententiam, nulla præcedente Canonum vel statutorum synodalium determinatione; eò quòd hæ adhuc piis locis vel usibus sint applicandæ. Fagn. *loc. cit.* & ex eo Dript. juxta quod sæpius censuit S. Congregatio. Quin & hac ratione pœnas non Residentium & concubinariorum applicandas in hoc casu (nempe ipso Judice ecclesiastico egente) adhuc piis locis tradit Barbosa ex decreto Concilii; sic decisum referente Aldan. *in compend. resolut. l. 5. tit. 1. num. 8.*

*Quæstio 650. An, & qualiter Archidiaconus ferre possit censuras, & in specie an possit excommunicare?*

1. Resp. primò. Ex antiqua & primæva institutione Archidiaconi potestatem ferendi censuras, & nominatim excommunicationem non habebant; quia olim seu primitus tantùm rerum ecclesiasticarum custodia & administratio, nulla autem jurisdictio aut cura animarum eidem commissa fuit. Laym. *ad c. Archidiacono. h. t.* Pirh. *ad h. t. num. 14.*

2. Resp. secundò. Sed & postmodum, dum progrediente tempore major evasit Archidiaconi potestas, ita ut & curam animarum haberet, ut constat ex *c. cùm in cunctis. de elect.* & jurisdictionem ordinariam fori externi in alios clericos *c. 1. & 7. h. t.* Quin & excommunicare & censuras ferre posset, ut manifestè constat ex *c. dudum. de elect.* & *c. 1. de eo, qui furtivè ordin. suscep.* & *ibi gl. v. Archidiaconum.* Adhuc tamen hanc potestatem excommunicandi, aliásque censuras ferendi non tam de jure communi habuit aut modo habet, quàm vel ex speciali Episcopi commissione, vel ex consuetudine legitimè præscripta. Laym. *loc. cit.* Barbos. *jur. eccles. l. 1. c. 24. num. 29.* ubi ait: Archidiaconus censuras imponit, non tamen sine Episcopi authoritate (pro quo citat Galgan. *de Jur. publ. l. 3. tit. 2. num. 6.*) vel ex speciali consuetudine; non autem nomine proprio, pro quo citat Zech. *de rep. eccl. tit. 24. num. 13.* Suar. *de censur. d. 2. l. 2. num. 9.* Ant. Fabric. *in pr. benef. tit. de benef. cum dignit. num. 24. &c.* Pirh. *cit. num. 14.* ubi: valde probabile est, quòd Archidiaconus non jure communi, sed solùm vel ex speciali commissione Episcopi, quo sensu accipiendum *cit. c. 1. de eo qui furtive. ord.* vel ex consuetudine legitimè præscripta excommunicare possit, aliásque censuras inferre juxta *gl. in c. Archidiacono h. t. v. promulgare* & *ibidem* Abb. *num. 1.* Et clarissimè Azor. *Inst. mor. l. 3. c. 14. q. 3.* ubi: Archidiaconus jure communi non habet potestatem excommunicandi, suspendendi, sacris interdicendi, & hoc est, quod volunt jura *in c. Archidiacono. de off. Archid.* potest tamen habere Episcopi authoritate demandatam & commissam, aut consuetudine comparatam, quam habebat olim Archidiaconus Ambianensis, ut constat ex *c. dudum. de elect.* ita ille. Sed neque ex eo, quòd de jure communi curam illam animarum consistentem in jurisdictione fori externi habeat, sequitur, habere quoque eum de jure communi potestatem censuras ferendi. Nam licèt Laym. *theol. mor. l. 1. tract. 5. p. 1. c. 3.* dicat ad hanc jurisdictionem spectare, posse inobedientes pœnis ac censuris coërcere, nil tamen vetat dicere, jurisdictionem illam non ita completè acceptam ei de jure communi competere, argumento nimirum aliorum textuum citatorum. Idque satis exprimit Azor, dum post paulò antè citata ejus verba mox subjicit: jure itaque communi Archidiaconus habet curam animarum, quâ possit clericos corrigere, eorum jurgia & causas audire, delicta ad Episcopum deferre. Atque ita tota res hæc pendet à consuetudine. Laym. *loc. cit.* citans *c. legimus. 24. dist. 93.*

*Quæstio 651. An, & qualiter visitare possit Archidiaconus?*

1. Resp. primò. De jure communi competit ei potestas visitandi, ut constat ex *c. 1. & 6. h. t.* estque visitatio hæc præcipuum ferè punctum officii ac jurisdictionis Archidiaconalis, tam salutaris, ut rectè inquit Laur. Dript. quàm necessaria, dum per illam Episcopis rite impensam subsidiariam operam omnis Concilii Tridentini quò ad hæresum & pravorum dogmatum eradicationem, corruptorum morum correctionem, cultûs & honoris divini promotionem intentio efficaciissimè ad effectum deducitur.

2. Resp. secundò circa hanc visitationem statuitur primò *c. 1. h. t.* ut Archidiaconus de tertio in tertium annum (hoc est, saltem tertio quoque anno) si Episcopus non potest paræciam universam (hoc est totam Diœcesim, ut Pirh. *ad. h. t. n. 8.*) circumeat, & cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem Episcopi sui corrigat & emendet. Verumtamen jure novo Tridentini *sess. 24. c. 3.* statuitur, ut Episcopi propriam Diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum Vicarium Generalem aut visitatorem, si quot annis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut toto biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.

3. Statuitur secundò à Trid. *loc. cit.* quòd Archidiaconi, Decani, & alii inferiores in suis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimè consueverunt, debeant deinceps assumpto Notario de consensu Episcopi ibidem visitare per semetipsos. Unde apparet in hoc differentia inter Episcopum & Archidiaconum; nempe quòd Episcopus languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus visitatorem personaliter explere nequiverit, possit per suum Generalem Vicarium aut visitatorem expedire. Archidiaconi autem per seipsos tantum visitare possint, etiam in casu legitimi impedimenti, ut clarè ostendit adversativa illa: *Archidiaconi autem*: nec non taxativè *per seipsos tantùm* Fagn. *in c. procurationes. de censibus. n. 9.* ubi etiam rationem hujus differentiæ addit, & *num. 10.* subdit; hinc Archidiacono suum Archidiaconatum per alium visitare volenti ex S. Congregat. sententia prohibere Episcopum, non obstante, quòd ex immemoriali consuetudine ipse & prædecessores sui per alium visitarint. Ex quibus Fagnani verbis inquit Laurent. Dript. *in Spec. Archidiacon. 4. 9.* à contrario sensu elici posse, posse

posse Episcopum Archidiaconis suis concedere, ut per alios visitent; idque ob rationabiles causas, si vel ægritudine decumbant, aut alio modo inhabiles, si absentes sint, vel aliorum locorum Prælati, & semper residere nequeant, & cum Episcoporum licentia absint &c. & confirmat hæc praxi moderna, inducitque pro hoc statuta Synodalia Osnabrugensia, in quibus dicitur: ut honori suo Archidiaconis provisum sit simúlque officio, volumus non nisi tales Commissarios adhiberi, quàm qui bonæ famæ vitæque inculpatæ, & moribus integris, & zelosi, ob annexam etiam jurisdictionem sufficientis doctrinæ &c. Interim tamen Episcoporum, ut inquit idem, interest scire, an in tali casu ad id munus idonei substituantur ab Archidiaconis Commissarii. Absolutè tamen consentire nequit Episcopus, ut id officii sæcularibus committatur, dum in visitationibus tam episcopalibus quàm Archidiaconalibus super personarum ecclesiasticarum actis, moribus & conversatione debeat fieri inquisitio, & ea laico in personam ecclesiasticam sub pœna excommunicationis interdicatur. *c.* 2. *de for. comp.* Illud quoque notandum, quod ad *loc. cit.* Tridentini ait Gallemart. si jurisdictio istorum inferiorum versaretur solùm in videndis rationibus & computis ecclesiarum, per substitutos possent implere munus suum. De cetero profectò huic decreto minimè satisfit, dum Archidiaconi visitationis istiusmodi molestias declinantes eandem committunt aliis tam in Theologia morali quàm jure Canonico admodum rudibus, nec non sordido quæstui & ventri, etiam ad scandalum grave ipsorum, quos visitant, deditis.

4. Statuitur item *cit. loc.* à Tridentino, ut Archidiaconi aliique inferiores jus illud visitandi habentes visitationis suæ rationem Episcopo intra mensem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur. idque eo fine, ut Episcopus sciat statum suæ Diœcesis & animarum sibi commissarum. Neque tamen ideo Episcopus, aut eo impedito Vicarius aut visitator illius prohibeatur easdem ecclesias seorsim visitare, non obstantibus, inquit Concilium, quacumque consuetudine, etiam immemoriali, atque exemptionibus & privilegiis quibuscumque. Laym. *ad c.* 1. *h. t. num.* 6. Pirh. *n.* 8. Imò, ubi negligentiam adverteret Episcopus, deberet iterato visitare; cum illi principalis cura animarum ex officio incumbat. Ait tamen ad *cit. loc.* Trid. Gallemart. licèt Episcopus possit iterum visitare ecclesias visitatas ab inferioribus, non potest tamen iterum punire punitos ab eis, nec ab eis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam. Quàm verò salutaris foret quandoque iterata illa Episcoporum visitatio satis indicant verba Adolphi III. Archiepiscopi Colonienſis apud Dript. *a* 3. dum inquit: *hactenus alto somno dormierunt Episcopi de Archidiaconorum visitatione securi, qui speciem quandam visitationis retinuerunt, sed deformem, & pravorum officialium seu visitatorum quæstum vitiosum ac reprehensibilem. nunquam profectò, quod nunc serò querimur tot hæreses, & sectæ, morésque corrupti eo usque invaluissent, nec jaceret adeò disciplina ecclesiastica neglecta, si rectè visitatum abiis, quibus hoc munus incumbit, fuisset &c.* Quibus ipse Dript. ex suo addit: sed in his malis non Archidiaconi solùm, sed & Episcopi culpandi sunt, quippe quibus præcipua animarum cura ex officio incumbebat, nec securum erat, Archidiaconorum, quos ipsi negligentes advertebant, curæ omnia credere, sed per seipsos gregi sibi commisso intendere, crebro visitare, & casu quo hæc ob negotiorum multitudinem vel non licebat, vel possibile non erat, saltem per viros, in quibus sciebant esse timorem Domini, zelum domûs Dei ad vitia hæresésque eradicandas, pravosque coercendos magnanimitatem, & suos in Spiritualibus Vicarios Generales similia perficere. Licèt enim Archidiaconus sit Episcopi oculus, est tamen talis oculus, qui & ipse in videndo pati, & ab intrinsecis, nisi videns, cujus est oculus, bene dirigat, defectus varios incurrere potest &c. Poterit quoque Episcopus præstituere terminum Archidiacono ad visitationem expediendam, & præscribere comitatum ac equitatum, ne oneri sit ecclesiis, quas visitat. Pirh. *loc. cit.* juxta declarationem S. Cong. apud Gallemart. *ad cit. loc. Trid.* uti & apud Piasec. *in pr. episc. p.* 2. *c.* 3. *a.* 8. *num.* 12. quem citat Pirh. Porrò visitatores præter victualia moderata sibi ac suis necessaria nihil omnino exigere aut accipere debent Laym. *cit. n.* 6. de quo vide ipsum textum fusum Tridentini *cit. c.* 3. ejusdémque declarationes allatas à Gallemart.

5. Statuitur denique circa hanc Archidiaconorum visitationem *c.* 6 *h. t.* ut non nisi semel in anno ecclesias proprias seu parœcias speciatim ad suum Archidiaconatum spectantes visitet, nisi causa specialis emerserit, ob quam sæpius visitari debeant.

### *Quæstio* 652. *Quid potestatis habeat Archidiaconus circa visitanda monasteria Regularium.*

1. Resp. primò. Archidiaconi nullam habent potestatem visitandi in monasteria, sive sint mendicantium, sive non mendicantium, præterquam enim, quòd de hoc satis constet ex responsione negativa data supra ad quæsitum: num jurisdictio (cujus præcipuum ferè exercitium consistit in visitatione & correctione) Archidiaconorum se extendat ad monasteria non exempta aliàs à jurisdictione episcopali. Hic tamen in specie confirmatur ex eo, quòd ne quidem ipsi Ordinarii seu Episcopi hanc potestatem habeant. Licèt enim Episcopus assistentiam juris communis ac Tridentini habeat super jurisdictione Spirituali in omnibus ecclesiis tam regularibus quàm sæcularibus suæ Diœcesis. *c. cùm olim. de præscriptionib.* Fagn. *ibid. n.* 6. modò tamen monasteria ferè omnia per diversa Pontificum privilegia exempta sunt à jurisdictione Episcopali, præcipuè quò ad hoc visitationis punctum. Fagn. *in c. tuarum. de privileg. n.* 18. ubi: Regulares sunt exempti secundæ speciei, & sic non comprehensi in *decreta i volentia. de privil. in* 6. Sedes enim Apostolica quorumcunque Ordinum Religiosos totaliter exemit ab Ordinariorum jurisdictione, etiam ratione delicti commissi, contractûs initi, ac rei existentis extra locum exemptum &c. nisi forte monasteria sint cõmendata, & in eis non

vigeat regularis obſervantia (ſecus eſt, ſi in iis vigeat regularis obſervantia. Fagn. *in c. grave. de off. Jud. ord. n.* 17. & Gallemart. *ad c.* 8. *ſeſſ.* 21. *Trid.*) quia tunc ipſa monaſteria & eorum commendatarii viſitari poſſunt ab Epiſcopo loci vel viciniore, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato (adeóque adhuc eorum exemptio non violatur; quia authoritas delegata non violat exemptionem Fagn. *in cit. c. tuarum. n.* 33.) modò Capitibus ſui ordinis non ſubſint. Fagn. *in c. de venerabili. de cenſib. n.* 4. junctо c. eod *in cit. grave. n.* 17. juxta Trident. *loc. cit. c.* 20. *ſeſſ.* 25. *de regular.* Adeóque jus Ordinariorum viſitandi monaſteria, ac corrigendi Regulares tantùm eſt habituale, & in defectu & in neceſſitate, dum nimirum ii, quibus ex officio incumbit viſitare & vitia corrigere, id negligunt, vel in ſpeciem ſolùm viſitant. in quo caſu evigilat & quodammodo revivicit jus Epiſcoporum viſitandi actualiter, quod aliàs, dum Abbas aliique viſitatores ſuo fungerentur officio, tantùm eſt in habitu.

2. Reſp. nihilominus ſecundò. Monaſteria in congregationem redacta, ſive ſint virorum ſive mulierum, quibus imminet cura animarum perſonarum ſæcularium præter eas, quæ ſunt de familia illorum monaſteriorum, ut dum eccleſia Regularis ſimul eſt parochialis, indubitatè ab Epiſcopo, ejus Vicario & Archidiacono intra ejus Archidiaconatum ſita, viſitari poſſunt in iis tantùm, quæ curam animarum & ſacramentorum adminiſtrationem concernunt. Fagn. *in c. grave. de off. jud. ord. n.* 14. juxta expreſſum textum Trident. *ſeſſ.* 52. *c.* 11. *de Regular.* Et quòd, ſi eccleſia regularis ſit diviſa, ut pro una parte ſerviat regularibus, pro alia parte parochianis ſæcularibus, in tali caſu ſola illa pars, quæ deſervit parochianis, & parochiæ vicem habet, non autem illa, quæ regularibus propria eſt, ab Epiſcopo, ejus Vicario, vel Achidiacono viſitari poterit Dript. *loc. cit. a.* 7. Idem eſt de eccleſiis parochialibus perpetuò unitis & annexis monaſteriis Regularium; ſi enim eas viſitare poteſt Epiſcopus vi Trident. *ſeſſ.* 7. *c.* 7. *de Reform.* idem poterit Archidiaconus. Notandum etiam hic eſt, quòd habet Gallemart. *ad cit. c.* 7. *ſeſſ.* 7. Nimirum cenſuiſſe, Epiſcopum poſſe viſitare eccleſias parochiales unitas monaſterio Canonicorum Regularium, tametſi Generalis in eo ſedem ordinariam principalem habeat. Item quod habet Fagn. *in cit. c. grave. n.* 16. nimirum, quòd licet viſitari poſſint dictæ eccleſiæ unitæ & annexæ monaſterio, viſitare tamen non poſſit Epiſcopus domos ipſarum parochialium, in quibus non viget regularis obſervantia, ſed ſoli parochi Regulares ab ipſo approbati habitant, ut alias reſpondit S. Congregatio.

*Quæſtio 653. An, & quomodo Archidiaconus viſitare poſſit ipſos Regulares expoſitos ad curam in paſtoratibus?*

Reſp. tametſi ſuperior Regularis Abbas, Prior, Rector, ſeu quocumque alio nomine vocetur ſit ordinarius Judex horum Regularium; adeòque ad ſolum illum ſuperiorem ſpectet regularium correctio. Fagn. *in c. quanto. De off. ordinar. num.* 8. *&* 14. Quin & in Regularium privilegiis apud Fagn. *in c. tuarum de privileg. à num.* 18. expreſsè inhibeatur locorum Ordinariis, ne abſque ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ in perſonas Regularium aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiam ſpecialiter vel generaliter quomodolibet præmulgare præſumant. Quod privilegium tantùm abeſt, ut ſit ſublatum per *c. volentes. de off. Legat.* ut potiùs in eo fuerit præſervatum. Licèt etiam ex decreto Tridentini *c.* 3. *ſeſſ.* 6. Regulares exempti degentes extra clauſtra, ſi delinquant, ſubjiciantur viſitationi, correctioni, punitioni Ordinarii non niſi Sedis Apoſtolicæ delegati. Verumtamen Regulares adminiſtrantes parochias, etiam pleno jure ſubjectas monaſteriis, quà tales ſubſunt viſitationi, correctioni, punitioni Ordinarii, non tanquam exercenti delegatam, ſed Ordinariam juriſdictionem, ſeu viſitari poſſunt non tantùm ab Epiſcopo ejusque Vicario Generali, ſed & ab Archidiacono in iis, quæ curam animarum & ſacramentorum adminiſtrationem concernunt. Proinde ſi parochus Regularis v. g. copulet alienos parochianos ſine dimiſſoriis, vel ſuos ſinè proclamationibus, ſit negligens in peragendis divinis, intermittat lectionem Catecheticam &c. in Epiſcopi, ejus Vicarii vel Archidiaconi poteteſtate erit, illum juxta ſtatuta Concilii Trident. & SS. Canonum punire juxta exceſsûs exigentiam. Quin & eundem verbotenus corrigere, ſi in proceſſu viſitationis, aut rumore fundato intellexerit eum ſcandalosè vivere, eſſe contentioſum, frequentare tabernas, ebrietati deditum, converſari cum perſonis ſuſpectis, idque cum comminatione. Quòd niſi emenderit, velit eum vel Epiſcopo, vel ejus ſuperiori denunciare, & amotionem procurare. De ceterò ſi delictum commiſerit non concernens curam animarum, vel Sacramentorum adminiſtrationem, neè ab Epiſcopo aut ejus Vicario, multóque minùs ab Archidiacono puniri poterunt; ſed in tali caſu Archidiaconus delictum referre debet ad Epiſcopum, qui ſi ſit notorium & probatum, ſuperiori regulari demandare debet ut delinquentem puniat, vel ſi neceſſitas aut gravitas poſtulat à cura eum amoveat, ſéque de punitione certiorem faciat. Quòd ſi ſuperior tali mandato non obtemperet, & delinquentem non puniat, & de punitione coram Epiſcopo non doceat, jam tum in poteſtate Epiſcopi erit, ut tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus defectum ſuperioris ſuppleat, & delinquentem ſecundùm juſtitiam puniat. ut Fagnan. *in c. tuarum. de privileg. n.* 42.

*Quæſtio 654. Qualiter in praxi ab Archidiacono (idem eſt de alio viſitatore Synodali, aut ab Epiſcopo conſtituto) inſtituenda viſitatio.*

1. Reſp. methodum iſtam & praxin conformiter magis ad uſum harum Germaniæ noſtræ partium perſpicuè ſatis & bene tradi à R. P. Laurentio Dript, Ordinis S. Benedicti Profeſſo Gladbacenſi Epiſcopi Paderbornenſis Vicarii ſeu Commiſſarii in Spiritualibus Generali, dum ante annos circiter 29. ibidem Philoſophiam docerem, in libello, quem inſcripſit *Speculum Archidiaconale. ſect.* 2. *a.* 1. Unde eam hic iisdem ferè Authoris verbis apponere lubuit. Quod itaque attinet præmittenda iſti viſitationi.

Archi-

Archidiaconus vel alius visitator Synodalis visitationem instituere intendens, tribus vel quatuor septimanis ante idipsum Archidiaconatûs sui Pastoribus intimari curet, expedito mandato pœnali ad ipsos eorúmque Sacellanos, Vicarios, Custodes, Ludimagistros, templorum & pauperum Provisores, nec non testes Synodales, ut singuli respectivè sua, ecclesiæ, pauperum &c. gravamina: Custodes suppellectilis & ornamentorum ecclesiæ, Ludimagistri puerorum Scholas frequentantium vel frequentare omittentium; testes quoque Synodales specificationem excessuum ab ultima visitatione commissorum & nomine excessistarum, Provisores quoque templorum & pauperum exactum computum redituum ecclesiæ & pauperum tam perceptorum quàm expositorum, & restantium infra octiduum à die insinuationis per Pedellum synodalem faciendæ expediant, & expedita per dictum Pedellum præsentari curent; idque eo fine, ut gravamina singula ponderari, oportunum singulis remedium præparari, & tanto expeditius ipsa visitatio expediri possit. Hujus mandati formulam vide apud eundem *sect.* 3.

2. Catalogum excessuum ad visitationem synodalem & Archidiaconalem spectantiũ, & à testibus synodalibus denunciandorum ponit sequentem. 1. Acatholicos Libros habere domi. 2. diebus festis non audire concionem. 3. diebus festis laborare. 4. diebus festis sub divinis hærere in popinis. 5. diebus prohibitis comedere carnes aut aliis proponere comedendas. 6. tempore paschali non communicasse. 7. infirmos Sacramentis muniendos non satis maturè denunciasse Pastori. 8. in templo sub divinis & in processionibus indecenter & scandalosè se gessisse. 9. Infantes intra octo dies non curasse baptizari, aut ab hæreticis. 10. Sponsum & sponsam antequam in facie ecclesiæ copulati cohabitare in eadem domo. 11. sine proclamationibus, sine venia vel coram Prædicantibus aut alienis Pastoribus contraxisse matrimonium. 12. rixari cum Pastoribus, iisque honorem debitum non deferre. 13. pejerare & blasphemare. 14. Venerea tractare cum liberis, conjugatis, ecclesiasticis, & impudica verba & cantilenas usurpare. 15. personas peregrinas inhonestas & suspectas in ædibus retinere. 16. committere furta sacrilega. 17. uti remediis superstitiosis in pecoribus & hominibus.

3. Exhibitis gravaminibus, rationibus, excessibus, aliisque, Archidiaconus examinare debet singula, & quomodo gravaminibus obviari, excessus puniri debeant considerare; præ omnibus autem delatis ad se contra alterum querelis non statim fidem adhibere, sed judicium suum, donec partem accusatam audierit, suspendere. in quo est maximus lapis offensionis & petra scandali, dum nimirum contra legem divinam naturalem & humanam pars læsa & accusata non citata & audita, à visitatoribus nimia facilitate credendi, & temerariè suspicandi deceptis jam præjudicatur & condemnatur. de quo vitio lege S. Bernard. *lib. 2. de considerat ad Eugen. Papam. c. 3.*

4. Quod attinet inchoationem visitationis, gravaminibus, rationibus, excessibus diligenter excussis, Archidiaconus ejúsve Commissarius, vel alius visitator assumpto secum Notario pergit ad locum, in quo visitationem inchoare intendit, præmisso nuntio Synodali, qui ejus adventum pridie significet, ac excessistas seu delinquentes à testibus Synodalibus denunciatos ad diem sequentem citari curat. Cùm verò loco jam dicto appropinquaverit, in honorem & reverentiam episcopalis officii, cujus in hac parte vices agit visitator, campanæ omnes pulsantur eousque, donec ad hospitium, in quo durante visitatione commoraturus est, pervenerit. Quòd si sat tempestivè in dicto loco compareat, mox ex hospitio pergit ad ecclesiam visitandam, & in suppedaneo ante summum altare sibi præparato genuflexus ad tempus aliquod orans adorat priùs Venerabile, dum salutat loci Patronos, iisque successum visitationis, ut ad promotionem honoris Dei, & proximorum ædificationem perficiatur, commendat.

5. Quæ autem visitanda occurrunt in triplici sunt differentia. Loca, res, personæ. Loca visitanda sunt 1. ecclesiæ parochiales & filiales. 2. Oratoria. 3. Hospitalia. 4. Cœmiterium. 5. Ossuarium. 6. Confraternitates. 7. Scholæ. Res visitandæ. SS. Eucharistiæ Sacramentum. SS. Olea cum Chrismate. Fons baptismalis. Reliquiæ. Capellæ. Altaria. Sacraria. Fons aquæ benedictæ. Sepulchra, Sacristia, Cruces, Calices. Patenæ. Corporalia. Purificatoria. Vestimenta sana. Mappæ & tobaleæ. Mantilia. Thuribula. Lampades. Candelabra. Missalia. Antiphonaria. Gradualia. Chorus, organum. Officia. Juspatronatus. Fundationes piæ. Eleemosynæ. Campanæ. Januæ. Personæ visitandæ. Parochus. Sacellanus. Vicarii. Templarii. Provisores pauperum. Thesaurarius seu Custos. Ludimagister & Ludimagistra. Testes Synodales. Obstetrix. Parochiani.

6. Mane facto, cùm Visitatori visum fuerit, per custodem tribus vicibus datur signum ad divina & visitationem. Cùm verò tertium signum inchoatum fuerit, pergit ex hospitio suo ad Ecclesiam, in cujus introitu Pastor eundem expectat, & pulsantibus organis ad summum altare deducit, ubi genuflexus aliquandiu orat, dein ad Sacristiam pergens, si Sacerdos fuerit, ad celebrandum, vel de Spiritu S. (si festum non fuerit) vel si fuerit, cum collecta de eodem, se disponit. Quòd si Sacerdos non fuerit, superpelliceo se induit, & ante sacrum per Pastorem vel ejus Sacellanum celebrandum curat sibi exponi Venerabile tam in Monstrantia, quàm Ciborio, factáque thurificatione & datâ benedictione, vel à se, si Sacerdos sit, vel à celebraturo cum versu *Genitori, &c.* surgit & visitat ipsam Eucharistiam & inquirit. Primò è quali materia sint Monstrantia & Ciborium. Secundò an sat munda. Tertiò Tabernaculum quale sit, ligneum vel lapideum, an humidum: quo loco situm, an decenter ornatum. Quartò quando Hostiæ ultimò consecratæ, & quoties renoventur. Quintò quis Sacrarii clavem custodiat. Dein thurificato iterum & absque ulteriore benedictione recluso Sacramento, curat sibi sacra olea adferri, quæ si inveniat Sacrario inclusa ad alium locum à se designandum transferri curabit: nihil enim aliud sacrario includi convenit, quàm cui adorationis cultus debetur: inspicere etiam debet vasa, an munda, an ultimo

Paſchate vetere combuſto olea ſint renovata. Illisque iterum recluſis, pergit ad Baptiſterium, illúdque inſpicit, an ſit mundum, clauſum, Vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes renovatum, & penes quem ſit cuſtodia clavis. Dein viſitare debet SS. Reliquias, ſi quæ ſint; Altaria & capellas, & inquirere an conſecrata & inviolata. Si celebretur in portatili, an ſit integrum & ſatis magnum, ut calicem cum hoſtia capere poſſit. Imagines, ſacriſtiam, eccleſiæ pavimentum, feneſtras, ſuggeſtum, confeſſionale, cæmiterium, oſſuarium, & ſi circa hæc quicquam reparandum, ordinandum vel renovandum inveniat, idipſum præ omnibus poſt abſolutum ſacrum, quantùm cum minore communitatis & eccleſiæ gravamine fieri poteſt, ordinet.

7. His ita peractis & per Notarium diligenter annotatis, ipſe Viſitator vel alius ab ipſo deſignatus ſacrum Miſſæ officium pulſantibus continuò organis celebrat. Quo peracto pergit ad menſam in medio chori, vel ante ipſum poſitam, & cum Paſtore, Sacellano & Notario (crucifixo & cereo ardente ſuperpoſitis) illi aſſidens, ante Sacrum inchoatam viſitationem continuat, exceſſibus ſynodalibus tantiſper, donec ad hoſpitium redierit, rejectis; cauſas enim fornicationum, adulteriorum, blaſphemiarum &c. in eccleſia vel ſacriſtia, choro, & eccleſiæ vicina examinare contrariatur reverentiæ tam ſanctis locis debitæ; eò quòd horum judicio ordinariè contentiones, dum unus negat, alter affirmat, &c. interveniant, quas indecentes coram Venerabili quis non videt?

8. Antequam Viſitator ad interrogatoria procedat, priùs curabit ſibi exhiberi prothocollum ultimò habitæ viſitationis, & an ea, quæ in ea ordinaverit, ſint data executioni, inquirat. Si non, & ſub pœna demandata ſint, mulctæ indictæ executionem præcipiat, & ſub nova graviore ejuſdem ordinati executionem mandet; ea tamen quæ ordinat cum diſcretione & ſine magno ſubditorum gravamine, ordinet, ne inobedientes de gravitate mandati queri poſſint, ſed ſoli contumaciæ ſuæ damnum ex inobedientia relatum imputare habeant.

9. Demum accerſitis teſtibus ſynodalibus, tam antiquis, quàm novis, eccleſiæ item Proviſoribus, Cuſtode, Ludimagiſtro & Ludimagiſtra ad interrogatoria procedat & inquirat. *Primò* circa eccleſiam, an ſit parochialis, an filiales & quas habeat. 2. Quis illius Patronus. 3. An, & quo die dedicatio illius ſervetur. 4. An ſit lampas in ea, & ex qua materia. 5. An perpetuò ſit lumen coram Venerabili. 6. Cujus mediis de oleo provideatur. 7. An ſint diſſenſiones ratione ſedilium & inter quos. 8. An ſit organum, & à quo pulſetur. 9. Quis det organiſtæ mercedem, & is officio ſuo ſatisfaciat. 10. An hæretici in eccleſia vel cæmiterio ſepeliantur. 11. An libros pro divinis peragendis neceſſarios habeat, ſcilicet Miſſale, Graduale, Antiphonale. 12. An paſtor habeat Agendam, & qualem. 13. An liber ſit baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum, defunctorum, & is exhibeatur. 14. An qui eccleſiæ ſunt debitores, hypothecam ſufficientem dederint. 15. An mane, meridie & veſpere detur ſignum ad ſalutationem angelicam. 16. An cæmiterium undique ſit clauſum, & ab incurſu pecorum liberum. 17. Quo loco infantes ſine Baptiſmo morientes ſepeliantur. 18. Circa oblata pia quis diſponat, & quibus uſibus applicentur. *Secundò* circa perſonam Paſtoris, eodem tantiſper recedente. 1. Cujus nominis, converſationis & vitæ. 2. An in domo ſua perſonas ſuſpectas habeat. 3. An tabernas frequentet. 4. An contentioſus & ad rixas proclivis. 5. An diligenter faciat ſuum officium concionando, catechizando, infirmos viſitando, ſummum Sacrum diebus Dominicis & feſtivis cantando. 6. An quandoque nocte abſit à parochia nemine ſubſtituto, cum periculo, quòd puer aliquis vel infirmus ſine Sacramentis Baptiſmi, Euchariſtiæ, Extremæ unctionis moriatur. Dein ab eodem revocato quæratur 1. An ſubinde per ſeptimanam viſitet ſcholam. 2. An ſibi à parochianis debitus honor exhibeatur. 3. An ſui Sacellani vel Vicarii, ſi quos habet, ſatisfaciant ſuo officio. 4. An, & quoties per ſeptimanam celebret. 5. An, & quot per annum habeat proceſſiones. 6. An, & quales Confraternitates. 7. An baptizet infantes ab obſtetricibus baptizatos. 8. Quot, & quales patrinos adhibeat, an Acatholicos. 9. An infantum baptiſmus ultra octiduum differatur. 10. An, & qualem in loco habeat obſtetricem, an bonæ famæ. 11. An juramentum fidelitatis & profeſſionem fidei emiſerit. 12. Quando ultimò Sacramentum Confirmationis collatum. 13. An infirmi ſibi tempeſtivè ſignificentur. 14. An in Dominica Paſſionis & ante populo obligationem communionis paſchalis è ſuggeſtu denuncier. 15. An Sacramentum extremæ Unctionis ſit in uſu. 16. An aliquando & à quo ſint contracta ſponſalia non præſente Paſtore. 17. An copulet matrimonio ſine præviis denunciationibus. 18. An ſciat gradus conſanguinitatis & affinitatis. 19. An copulandi matrimonio priùs confiteantur & communicent. 20. An copulandi ſciant rudimenta fidei, & antequam illa ſciant, admittantur. 21. An Paſtor aliquando diſpenſet in laboribus ſervilibus. *Tertiò* circa Parochianos: 1. An Paſtor ſciat numerum familiarum in parochia ſua exiſtentium. 2. An omnes parochiani ſint Catholici; ſi non, quot ſint Acatholici, cujus nominis. 3. An omnes communicaverint in Paſchate, & qui non. 4. An aliqui negligant Sacrum diebus feſtivis, & qui. 5. An mittant proles, famulos & famulas ad Catechiſmum. 6. An ſint Judæi in parochia, & quot, & num diebus feſtivis abſtineat ab emptione & venditione, vel currendo de pago ad pagum emant pecora cum ſcandalo Chriſtianorum. 7. An ſint in parochia blaſphemi, adulteri, fornicarii, concubinarii &c. 8. An augures & divinatores. 9. An puerperæ elapſis puerperii ſeptimanis ſe à ſacerdote benedici, & in eccleſiam introduci faciant. *Quartò* circa Proviſores templi & pauperum: 1. Cujus nominis, an bonæ famæ. 2. An juramentū fidelitatis, & fidei profeſſionē emiſerint. 3. An inſcio paſtore emant, vendant, vel alienēt bona eccleſiæ vel pauperum. 4. An eleemoſynas ſine præſcitu & conſenſu Paſtoris, & illis, qui non ſunt verè pauperes, ex privato affectu diſtribuant. 5. An quot annis ante viſitationem ſynodalem coram Paſtore computum faciant. 6. An ſint obedientes & morigeri. *Quintò* circa Ludimagiſtrum & Ludimagiſtram: 1. Cujus nominis, an bonæ famæ. 2. An juramentum fidelitatis & profeſſionem fidei coram Archidiacono vel Paſtore emiſerit. 3. An ſufficienter doctus. 4. An pueros non minùs in

pietate

pietate & moribus, quàm in literis instruat. 5. An doceat illos ministrare Sacro, & comitetur diebus festivis ad Sacrum & lectionem catechetica. 6. An addictus potui. *Sextò* circa Custodem: 1. Cujus nominis & famæ. 2. An ediderit professionem fidei, & juramentum fidelitatis. 3. An sub divinis utatur superpelliceo. 4. An bene fungatur suo officio. 5. An Pastori in omnibus obsequens. 6. Quoties ecclesiam mundet. 7. An ornamenta & ecclesiæ utensilia sint illi cum inventario extradita, eáque bene custodiat. 8. An ecclesiam & sacristiam extra divina bene claudat, nec ulli sine consensu Pastoris ei aperiat aut claves tradat. 9. An habeat directionem horologii, & illud bene dirigat. 10. An domus Pastoris, Custodis & Ludimagistri sartæ tectæ.

10. His interrogatoriis Archidiaconus seu alius Visitator ex depositione videbit, quæ pro loci, temporis aliarúmque circumstantiarum exigentia ordinanda sint; proinde illa ordinet & Pastori ordinatorum copiam proximo die Dominico vel festo toti communitati publicandam relinquat, ac dein novos testes synodales prævia denunciatione de eorum officio & obligatione, qualésque excessus deferre teneantur ad juramentum admittat; antiquis nihilominus in obligatione ac juramento præstito usque ad finem totius visitationis & judicii synodalis permanentibus. Surgit dein à mensa Visitator, pulsátúrque mox organum, eo usque donec ecclesiam egressus fuerit; exutus dein superpelliceo & stolâ ante summum altare paulisper genuflexus iterato Venerabile & loci Patronos adorat & salutat, pro successu visitationis gratias agit, & excessus secundùm justitiam & divinum beneplacitum dejudicandos ulteriorem gratiam petit, & ad hospitium se recipit.

11. Sumpto prandio, cui nullus nisi Visitator cum suis comitibus, Pastore, & si quem Visitator mandaverit invitari, intererit, procedit ad judicium synodale & excessuum, in singulis dijudicandis Deum & justitiam præ oculis habens, & secluśa omni privata affectione vel passione singulos excessus ex circumstantiis objecti, personæ delinquentis, scandali & aliarum circumstantiarum concurrentium considerans, ut qualitas pœnæ qualitati culpæ commensuretur, in omnibus tamen præferens misericordiam rigori nimio, & ante omnia cavens, ne in punitione magis lucrum & proprium emolumentum, quàm vitiorum emendationem & Dei honorem quærere videatur.

12. Absolútis synodali judicio & omnibus ad visitationem spectantibus Visitator, si tempus patiatur, se suaque disponat, sin minùs, illum in sequentem diem differat; eo verò discedente, sicut in adventu, sic iterum omnes campanæ pulsantur, donec ad spatium aliquod à loco, quem visitavit, discesserit.

*Quæstio 655. Quibus maximè opùs Archidiacono, similibúsque Visitatoribus ad rite & justè procedendum in istiusmodi judicio synodali, puniendísque excessibus?*

1. Resp. hæc ferè revocari ad duo capita, nimirum est insignis prudentia & sapientia, quam tam sollicitè & ardenter rogabat DEUM Salomon 3. *Reg.* 3. ut populum sibi commissum judicare posset, & distinguere inter bonum & malum. Vi cujus Visitator non sit temerarius, & nimis facilis in credendo denuncianti, sciens, quòd qui facilè credit, facilè decipitur, nec nimium in credendo difficilis, ita ut cuilibet discredat, usque dum veritatem oculis & manibus palpet; sed præsumptionem, famam, rumorem, notorium, sive num crimen sit notorium vel publicum, an occultum, prudenter discutiat. Alterum non vulgaris scientia, non tantum in Theologia morali, vi cujus norit præceptorum Dei & Ecclesiæ transgressiones, item distinguere inter earum gravitatem & levitatem, & his similia; sed & in jure Canonico, ad minimùm aliqualem & tantam, ut quid hæc ipsa præsumptio, fama, rumor, notorium, publicum, occultum importent, quam efficaciam ad probandum & condemnandum habeant, intelligant. Jam verò, quòd si fortassis & in hac tantilla scientia canonica in uno alteróve Commissario Archidiaconali defectus aliquis esset, utì quandoque contingere, fateri cogit experientia, dum quidam è scholis philosophicis vix elapsi, Theologiam scholasticam dedignati, Theologia morali per pauculos menses satis discontinuè frequentata, Jure Canonico nequidem salutato unà cum beneficiolo vel Vicaria in Cathedrali obtenta, solertiâ aliquâ œconomicâ, nec non loquendi promptitudine favorem Canonici Cathedralis Archidiaconi adepti, ab eo uti in redituum & rerum œconomicarum inspectores jam delecti, in Archidiaconatus quoque Curatores seu Commissarios Archidiaconales assumuntur. Ut huic inquam defectui aliqua ratione occurratur, dum talibus jam nimia negotiorum multitudine occupatis, Jura ipsa Canonica aut Canonistas ad fusùm legere non vacat, obiter & breviter dictorum terminorum explicationem aliquam subjungere placuit.

2. Circa præsumptionem itaque notandum primò, illam esse actum intellectûs, nempe judicium de re dubia (versatur enim præsumptio semper circa rem dubiam, scilicet quæ se sic vel non sic habere potest. Menoch. *l.* 1. *de præsumpt. q.* 8. *n.* 8. apud Pirh. *ad h. t. n.* 1.) formatum ex indiciis seu concurrentia tali circumstantiarum, in quibus plerumque vel frequenter res se sic habet: ita ferè ex Mascard. *de probat. vol.* 1. *q.* 10. *num.* 8. Farinac. *in pr. crim. l.* 1. *q.* 36. *n.* 72. Pirh. *loc. cit.* Unde vides, præsumptionem à conjectura vix differre, nisi fortè, quòd præsumptio importet assensum seu judicium magis determinatum; conjectura potiùs suspicionem seu opinionem levem cum magna titubatione, utpote ex levibus indiciis procedens. Pirh. *loc. cit. num.* 3. ex Menoch. *loc. cit. q.* 7. *n.* 42. Vides quoque, præsumptionem differre ab ipsis indiciis tanquam effectum indiciorum per modum motivi moventium ad talem assensum. Porrò indicium est notabile signum delicti vel alterius rei, de qua dubitatur, ad veritatem cognoscendam inserviens. Súntque indiciorum alia semiplena seu dubitativa, alia plena seu indubitata, prout ob rariorem vel frequentiorem, & ordinariam sui cum veritate, quæ indagatur, connexionem apta sunt patere opinionem seu suspicionem aliquam cum formidine seu virtuali dubio, vel assensum magis firmum sine tali formidine. Idem ferè est, dum Farinac. *loc. cit. num.* 44. indicium dividit in proximum & remotum, prout nimirum magis verisimile seu aptum vel minùs idone-

idoneum ad rem demonstrandam. Item dum Laym. *Theol. moral. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 5.* dividit indicia in levia, quæ tantùm suspicionem, & gravia, quæ opinionem non levem, non tamen omnino certam, sed conjunctam cum aliquali formidine de opposito gignunt; & gravissima, quæ pariunt assensum moraliter certum, excludentem omnem formidinem. Unde jam etiam juxta Abb. *in c. quanto. num. 3. h. t.* Menoch. *l. 1. de præsumpt. q. 5. num. 12. & 13.* Farin. *cit. q. 36. num. 110. & seq.* apud Pirh. *loc. cit. num. 5.* præsumptio dividitur in vehementem seu violentam, quæ nititur indicio vel indiciis vehementer moventibus ad assensum seu credendum, rem sic se habere; in probabilem, quæ quidem rationabili, non tamen ita urgente ad credendum ratione nititur; & in levem, quæ in minus probabili & levi ratione fundatur, ac propterea non tam est vera præsumptio, quàm suspicio nuda, & plerumque temeraria, quæ à jure rejicitur, & nihil probat. Pirh. *loc. cit.* citans *c. Inquisitioni. de sent. excom.* Durand. *in specul. partic. 2. tit. de præsumpt. §. 2. num. 1.* Exempla singularum harum præsumptionum vide apud Pirh. *loc. cit.*

3. Notandum secundò, præsumptionem aliam esse hominis, quæ ex variis verisimilibus argumentis seu indiciis à viro prudente, scilicet Judice, formatur, etsi in lege seu jure expressa non sit, eidem tamen uti & rationi non repugnat, sed conformatur. Pirh. *n. 6.* Sic v. g. præsumitur commisisse homicidium, qui stricto gladio visus est egredi ex domo occisi. Et quamvis hæc præsumptio eundem effectum habeat probandi, quam præsumptio Juris. Menoch. *cit. q. 5. num. 17. & seq.* Farin. *loc. cit. num. 98. & seq.* tollitur tamen per contrariam probationem; eluescente enim veritate, cessat & evanescit præsumptio. Menoch. *de præsumpt. l. 1. q. 31. num. 2.* Aliam verò esse præsumptionem Juris, quæ in jure expressa, seu à lege approbatur. Dum nimirum lex ipsa seu jus ex alio indicio rem dubiam colligit & censet esse veram. Dicitur hæc præsumptio patens probatio. Barbos. *in collectan. in c. ad nostram. de empt. & vendit. num. 6.* citans Gonz. *ad Reg. 8. Cancell gl. 43.* Covar. *l. 2. variar. c. 6 num. 1.* item *l. licèt, de Legatis.* Item vera & liquidissima probatio. Garc. *de benef. p. 5. c. 1. num. 530.* Paris. *de resign. l. 11. q. 14. n. 15.* citans Card. Paris. *vol. 1. cons. 32. num. 45.* Unde jam etiam vides, præsumptionem juris plurimùm differre à fictione juris; cùm præsumptio hæc, ut constat ex jam dictis, nihil sit aliud, quàm dum Jus ipsum censet ex certis indiciis veritatem rei aliàs dubiæ rectè colligi, & hanc ipsam conjecturam seu præsumptionem pro probatione legitima admittit, etsi non ita directè probet sicut instrumenta & testes, sed tantùm indirectè seu potiùs in consequentiam. Engels *ad tit. de præsumpt. num. 1.* fictio verò juris non est rei dubiæ, sed certæ falsitatis pro veritate assumptio ex certa causa ad inducendum aliquem juris effectum; contra quam proinde fictionem nulla prorsus oppositio seu probatio in contrarium admittitur. Engels *loc. cit. num. 14.* Exempla hujus fictionis juris sunt, dum hæres fingitur eadem persona cum defuncto, ut propterea in omnia ipsius jura tam activa quàm passiva succedat. *l. hæreditas. ff. de R. I. l. vitia. c. de acquir. possess.* Item dum contractus fit sub conditione, evenientе conditione, retrotrahitur conditio, & fictione juris censetur ab initio purè contractum. *l. potior. ff. qui potiores in pignore.* Item præsumptio, etiam juris & de jure, non aliter locum habet in conscientia, quàm si veritas subsit: fictio autem, quamvis sit rei falsæ; tamen in conscientia obtinet. Engels *loc. cit. num. 15.* ubi etiam dat differentiæ hujus rationem, nimirum, quòd in causis, in quibus non potest apparere de veritate, lex quidem subinde aliquid præsumat & pro vero habeat; interim tamen non intendat aliquid statuere vel obligare contra naturalem & genuinam veritatem; in fictione autem lex prægnoscat falsitatem, & nihilominus certè justa de causa aliquid statuit & discernit. Præsumptio hæc juris subdividitur in præsumptionem juris tantùm, & in præsumptionem juris & de jure. Prior est, quando lex in dubio aliquid præsumit, sed ulteriùs non procedit, statuendo aliquid, quod pro jure habeatur. Talis præsumptionis exempla adducuntur ab Engels *num. 13.* v. g. omnes decimæ ad Parochum spectare præsumuntur, quamdiu is, qui contra Parochum jus decimandi prætendit, aliud ostendere nequit. *l. 2. de restit. spol. in 6.* Bona Clericorum præsumuntur acquisita ratione ecclesiæ, nisi constet, habuisse illos bona patrimonialia, dum promovebantur ad Clericatum. *c. 1. de pecul. Clericor. &c.* Præsumptio juris & de jure est, dum lex non tantùm præsumit aliquid, seu censet habendum pro vero; sed insuper super præsumpto statuit aliquid. Pirh. *loc. cit. num. 8.* ex Menoch. *loc. cit. q. 3. num. 17.* ut dum lex non tantùm ex certis indiciis colligit aliquid, sed & jubet idipsum firmiter habendum pro veritate, ita ut probatio in contrarium non admittatur, nisi de aperta veritate constet. Laym. *Theol. moral. tr. 6. c. 2. num. 5.* Pirh. *num. 8.* citans Abb. *in cit. c. quanto. num. 2.* & Felin. *num. 3.* Menoch. *loc. cit. q. 60. num. 2.* Dicitur hæc præsumptio necessaria & violenta; quia ex certis & indubitatis signis desumitur. Pirh. *loc. cit.* citans Durand. *ubi ante. num. 5.* Talis præsumptionis exemplum est, dum cognoscens sibi desponsatam sub conditione, v. g. si nobilis es, præsumitur remisisse conditionem, & absolutè consensisse in matrimonium. *c. per tuas. de condit. appos.* Item cohabitans per sesqui annum viro, cui coacta nupserat, præsumitur liberè in eum consensisse, & adhærere ei tenetur, nec admittitur postea ad probandam violentiam, perinde ac si liberè ab initio ei consensisset. *c. ad id. de sponsal.* Alia exempla hujus præsumptionis vide apud Engels. *loc. cit. num. 11. & 12.*

4. Notandum tertiò, præsumptionem hominis, etsi regulariter plenam fidem non faciat, nisi aliis adminiculis adjuvetur: v. g. famâ, depositione unius testis &c. possunt tamen quandoque esse adeò violentæ & vehementes hæ præsumptiones, ut (intellige sine aliis adminiculis) probationem plenam efficiant, ex qua Judex possit proferre sententiam definitivam. Engels. *loc. cit. num. 2.* Sed neque onus probandi in adversarium rejicit, nisi sit violenta. Menoch. *loc. cit. q. 33. n. 9.* Pirh. *sub num. 6.* Admittit etiam probationem in contrarium, atque ab ea eliditur. Si enim una præsumptio tollit aliam, multò magis probatio in contrariũ elidit præsumptionem. Menoch. *loc. cit. n. 2.* Præsumptio verò juris regulariter relevat ab onere probandi illum, pro quo stat, & adversarium onere probandi inquietat. Menoch. *de præsumpt. l. 1. q. 33. n. 2.* Garc. *de benef. l. 5. c. 1. num. 530.* Paris. *de resign. l. 11. q. 14. num. 15.* citans Cravet. *cons.*

cons. 229. col. ult. Card. Paris. vol. 3. cons. 42. &c. juxta l 1. de probat. Præsumptio juris, & de jure, etsi, ut dictum, inducat firmum jus, habeatúrque pro ipsa veritate exclusiva probationis in contrarium, lege sic statuente. Mascard. loc. cit. q. 10. n. 48. Farinac. cit. q. 36. num. 100. &c. fallit tamen idipsum in pluribus casibus. Pirh. num. 9. Sic primò admittitur contra illum probatio per confessionem, saltem judicialem, ejus, pro quo stat præsumptio, modò sit de facto; quod sit in illius potestate. Pirh. loc. cit. cum Mascard. l. 1. de præsumpt. q. 61. n. 5. Exempla hujus rei vide apud eundem. Quin & per extrajudicialem (ut tenet Menoch. loc. cit. num. 16. cum Baldo contra Alciat. apud eundem Pirh. num. 12.) modò ea postea in judicium deducatur, & per testes probetur; v. g. si is, pro quo sententia lata est, quæ jam transiit in rem judicatam, extra judicium confiteatur, eam falsam esse, hæc confessio, si testibus probetur in judicio, admittitur contra præsumptionem ortam ex re judicata. Menoch. loc. cit. n. 4. Secus tamen est in causa matrimoniali, seu non statur confessioni conjugum, si agatur de matrimonio jam contracto penitus dissolvendo ob impedimentum dirimens; cùm hoc non sit in potestate eorum positum; juxta c. super eo. De eo, qui cognovit consang. Pirh. cit. n. 9. Hujus tamen iterum contrarium est, dum quæritur, an matrimonium contractum, & lex præsumit contractum ob consensum præsumptum ex subsecuta copula; Tunc enim, si vir & mulier fateantur, se habuisse copulam alio animo, quam contrahendi matrimonium, jam eliditur ille præsumptus consensus seu præsumptio juris, statúrque illorum confessione (nisi adsit aliqua fraudis suspicio) ac ita hoc casu matrimonium non dissolvitur, sed non fuisse contractum declaratur. Pirh. ex Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt. 1. num. 11. & 12. Ratio horum est, quod etsi præsumptio juris & de jure habeatur pro ipsa veritate, non est tamen verè & propriè ipsa veritas; & in claris ac indubitatis non habet locum præsumptio. Confessio autem illius, pro quo stat præsumptio, detegit veritatem, cùm nemo præsumatur contra se temerè confiteri, nullaque sit melior & efficacior probatio, quàm proprii oris confessio. Menoch. l. 1. de præsumpt. n. 6. apud Pirh. *Secundò*, etsi contra dictam præsumptionem non admittatur probatio directa, admittitur tamen indirecta. Cùm enim lex ad talem præsumptionem requirat certas qualitates seu circumstantias, semper admittuntur probationes, quòd non sit talis casus, vel non adsit talis circumstantia. Pirh. num. 10. citans Felin. in c. quanto. h. t. Menoch. cit. l. 3. q. 65. n. 1. v. g. contra præsumptionem illam juris & de jure, quâ mulier, quæ per metum incussum contraxit matrimonium, præsumitur ex diuturna cohabitatione cum viro in id liberè consensisse, metúmque purgatum esse, admittitur indirecta probatio, quâ probetur, illam etiam violentè & coactè tamdiu viro cohabitasse. *Tertiò* admittitur probatio in contrarium per notorium; probatio enim, quæ fit per evidentiam facti, nunquam excluſa censetur; cùm, quando certò & evidenter constat de veritate, cesset dubium, circa quod versatur præsumptio. Pirh. n. 11. & notorium non eget probatione, & in claris non est opus conjecturis. Paris. de consid. q. 44. n. 7. & 8. juxta l. continuus. ff. de verbor. oblig. & sic notorium relevat ab onere probandi. Paris. de resign. benef. l. 11. q. 6. num. 82. citans l. 1. c. de Dot. privileg. c. vestra. de cohabit. Cler. modò tamen hoc notorium sit permanens (notorium enim facti transeuntis eget probari per testes, juxta c. vestra. de cohab. Cler. & mulier.) & allegetur; etsi enim notorium non egeat probatione, eget tamen allegatione. Menoch. loc. cit. q. 67. De notorio plura paulò post. *Quartò* admittitur contra illam probatio parte non opponente; cessat enim tunc præsumptio, dum adversarius, qui non oppositit, videtur tacitè consentire, & sic juri suo renunciare, nimirum in casibus, in quibus pars potest renunciare favori suo; secùs enim est in iis, quæ non pendent à voluntate partium, ut in causis criminalibus. Menoch. loc. cit. q. 68. num. 3. apud Pirh. cit. num. 11. *Quintò* admittitur probatio facta per quinque, quin & per duos vel tres testes, si sint valde integri & probi; ut Menoch. l. 1. quæst. 63. & 64.

5. Notandum quartò, præsumptionem juris & de jure habere alios insuper effectus. *Primò*, quòd impediat appellationem. Pirh. loc. cit. num. 12. citans Menoch. lib. 1. quæst. 26. Zoës. Comment. in Decret. h. t. num. 9. quia is, contra quem stat præsumptio, habetur pro victo & confesso; victus autem & confessus appellare nequit l. 2. c. quorum appell. non recipit. Cúmque hæc præsumptio habeatur pro veritate, & non admittat probationem, appellatio contra illam interpolita censeri nequit justa. *Secundò* ad illam refellendam non admittitur juramentum ejus, contra quem stat; cùm illud non deferatur à Judice, nisi ubi causa dubia; causa verò, pro qua stat præsumptio hæc, non sit ampliùs dubia, sed pro certa habeatur. Zoës. loc. cit. num. 8. Menoch. q. 77. num. 1. Quin & idem dicendum de præsumptione juris tantùm juxta Barthol. & alios, aliis id negantibus, aliis censentibus; id relinquendum Judicis arbitrio, cujus sit considerare qualitatem præsumptionis & personæ juraturæ; & sic in foro conscientiæ credi juramento opponentis contra præsumptionem juris; cùm in hoc foro stetur veritate, cujus quisq; sibi est conscius. quidquid præsumatur in foro externo. Pirh. cit. num. 12. ex Menoch. *Tertiò* ex præsumptione juris & de jure potest ferri sententia definitiva; cùm hæc præsumptio, ut dictum, censeatur vera & plena probatio, & habeatur pro veritate, Menoch. cit. l. 1. q. 40. num. 1. & 2. apud Pirh. qui & idem dicat de præsumptione juris tantùm; cùm & hæc sit liquida & manifesta probatio, modò per contrariam probationem non fuerit elisa. An autem idem dicendum de præsumptione hominis, dum lege non nititur, pendere ex arbitrio Judicis arbitrantis, quantum ei fidei haberi possit; pro quo etiam citat Zoës. ubi ante. num. 12. Et sic in genere poterit Judex ex præsumptione vehementi seu violenta, sive ea à parte adversa allegata & manifestata sit sive non, sed aliunde in judicio manifestata, absque alia probatione procedere ad sententiam definitivam, etiam condemnatoriam Argumento c. affinitate. h. t. ubi allegatur judicium Salomonis 3. Reg. 3. ex sola præsumptione, ut gl. hic. v. date huic. ferentis sententiam definitivam, adjudicando illi mulierum

lierum tanquam veræ matri infantem, cujus videbat commoveri viscera ad intentatam infantis divisionem. Simile exemplum ex violenta præsumptione latæ sententiæ definitivæ de faciendo divortio, habetur *c. ex literis. h. t.* Et licèt hoc ipsum, nimirum quòd Judex ex tali præsumptione violenta possit procedere ad sententiam definitivam, habeat potissimùm locum, ubi agitur civiliter, ut contigit in casu *cit. c. affinitate. h. t.* ubi agebatur civiliter ad restitutionem filii, ut Abb. *ibidem num. 6.* uti & *c. ex literis.* ubi agitur de instituendo divortio; potest tamen etiam quandoque in causis criminalibus ex vehementissimis & moraliter certis indiciis, quæ trahunt Judicem quasi violenter ad credendum, procedi ad sententiam condemnatoriam, ut patet ex *c. 2. & 13. h. t.* & Abb. *in cit. c. quanto*, etsi aliàs de crimine gravi quis condemnari nequeat ex solis vehementibus probationibus, ut constat ex *c. literas. h. t.* ubi Papa noluit suspectum de hæresi condemnari ob solam vehementem suspicionem. Abbas *ibidem num. 5.* Barbos. *num. 4.* (qui tamen idipsum limitat: nisi sint præsumptiones juris & de jure; quia ex tali præsumptione crimen patet) & Canonistæ communiter; eo quòd in causis criminalibus requirantur probationes indubitatæ, & luce meridiana clariores *l. fin. c. de probat.* Ubi & illud observandum, quòd quantò crimen est gravius, tantò ad condemnandum præsumptiones debeant esse vehementiores; cùm cautiùs agendum, ubi periculum majus vertitur. *c. 3. de Elect. in 6.* Pirh. *num. 49.* Et sic procedi potest ad pœnam extraordinariam inferendam, argumento *l. ult. c. de probat.* Quin etiam interdum ad ordinariam in criminibus occultis, quæ sunt difficilis probationis, ita ut perfectè probari nequeant. Pirh. *loc. cit. num. 14.* citans Abb. *ubi ante. num. 6.* Laym. *Theol. moral. l. 3. tr. 6. c. 2. num 6.* Zoës. *ad h. t. num. 12.* Imò ad corporalem & capitalem. Paris. *de consid. q. 71. num. 42.* ubi: *quoties præsumptio posita est à lege, tunc ex ea sequi potest condemnatio etiam Capitalis*; addítque esse communem opinionem, de qua attestetur Clar. *l. 5. recept. sent. §. ult. q. 20. vers. etiam scias.* Boss. *in tit. de convict. num. 29.* Pro quo eodem Pirh. citat Menoch. *l. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. num. 3.* ubi id doceat de adulterio. Quamvis idem Pirhing *num. 16.* subjungat, Menochium *loc. cit. num. 15.* putare, cùm adulterium similéve crimen præsumptivè solùm probatum est, non posse imponi pœnam ordinariam & capitalem *Legis Iuliæ de adulteriis*; cùm non constet verè ac propriè commissum adulterium, sed solùm pœnam extraordinariam. Sic itaque indicia violentam præsumptionem commissi adulterii fundantia sunt, dum testes deponunt (qui est casus *c. ex literis*) vidisse se solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto, in locis abditis, & in iis procedi potest ad sententiam condemnatoriam divortii & amissionem dotis; quin & ad pœnam ordinariam adulterii. Pirh. *cit. num. 16.* cum Abb. *cit. num. 3.* cùm licèt adulterium hac ratione non sit probatum verè ac propriè per sensum proprium, sit tamen plenè probatum præsumptive. Et nisi ex tali præsumptione in talibus indiciis fundata procedi posset ad pœnam ordinariam adulterii, vix unquam similibus criminibus occultis, quæ vix unquam directè per testes de visu, vel alio sensu proprio probari possunt, imponi posset pœna ordinaria. Et sic in genere sufficienter probari posse (intellige in ordine ad pœnam ordinariam infligendam) quæ sunt secreta, cum communi tenet Paris. *de confident. q. 71. num. 5.* Lotter. *de rebenef. l. 3. q. 29. n. 54.* Item quæ fiunt fraude ac dolo; eò quòd hæc & similia sint difficilis probationis. Paris. *loc. cit. num. 6.* Et licèt in criminibus, ut dictum, requirantur probationes luce meridiana clariores. *l. sciant cuncti. de probat.* Sufficiunt tamen propter criminis atrocitatem, & quia de exceptis est, præsumptiones (intellige violentæ) Paris. *loc. cit. à num. 23.* Castropal. *de simon. l. 3. p. 27. num. 2. &c.* Et sic in specie ad simoniam & confidentiam sufficiunt tales præsumptiones, ut satis constat ex constitutione Pii V. Paris. Lotter. Castrop. *loc. cit.* potéstque ex iis procedi ad condemnationem, & declarari, collationem, v. g. simoniacam, & committentes incidisse in pœnas iis statutas in dicta Constit. ut Paris. *loc. cit. num. 42.* dicens ita communiter servari & practicari.

6. Illud tamen occasione hujus notandum, quòd certum sit, ex solis osculis & amplexibus non induci violentam præsumptionem, adeóque nec plenam probationem adulterii, vel fornicationis sine aliis adminiculis. Barbos. *in cit. c. literis. num. 2. & 3.* Sanch. *de matrimon. l. 10. d. 12. num. 46.* Menoch. *cit. præsumpt. 41. num 18. & seq.* apud Pirh. Item & illud, quòd nec fama nec rumor viciniæ, nec propria confessio conjugum de interveniente impedimento affinitatis contractæ ante matrimonium initum per fornicatiam copulam cum consanguinea uxoris, etiam simul sumpta sufficiant ad gignendam præsumptionem violentam, sufficientem ad decernendum divortiũ quò ad vinculum matrimonii. *c. super eo, qui cognovit consang. uxor* Si tamen plura concurrant adminicula, v. g. quòd vir & neptis uxoris ante matrimonium visi sint simul vagari per prata, nemora, vias & invia, sitque de hoc fama publica, accedat insuper confessio jurata conjugum de habita dicta copula, vírque propendeat ad uxorem ductam retinendam, evadet præsumptio violenta & plena probatio, sufficiens ad pronunciandum, subesse impedimentum dirimens, & matrimonium nullum, juxta *c. tertio loco. h. t.* De cætero qualiter matrimonium probari possit per præsumptiones & conjecturas, vide apud Pirh. *h. t. à num. 44.*

7. Notandum quintò in delictis semper præsumi dolum, dum omne malefactum vel damnum injustum illatum alteri præsumitur malo animo factum sive illatum. Pirh. *num 19. & 20.* Argumento *c. sicut. h. t.* nisi tamen contrarium probetur vel alia validior præsumptio in contrarium afferatur. Argumento *l. 1. c. ad Leg. Cornel. de siccariis.* ex qua constat, eum, qui occidit hominem, probare debere, se id non fecisse animo occidendi, sed v. g. casu. Sic deprehensus abstulisse rem alienam dicat, se id fecisse, quia putabat dominum non esse invitum, contra illum adhuc manet præsumptio juris, esse illum furem; cùm Dominus non præsumatur rem suam jactare velle, vel consentire, ut sibi ignoranti res sua subducatur.

8. No-

8. Notandum sextò, ex præterito statu rectè præsumi de futuro. Sic ex anteacta vita præsumitur de futura. *cap. mandata. h. t.* Barbos. *ibidem, num.* 1. sic *cap. in juventute. h. t.* de eo, qui in juventute fuit continens, præsumitur non esse incontinens in senio, maximè si literatus est. Sic *cap. scribam. h. t.* de eo, qui negligens fuit tempore præterito, præsumitur, quòd etiam sit negligens tempore futuro. Sic *cap. literas. de restitut. spoliat.* ex præterita sævitia mariti in uxorem fit præsumptio, ipsum etiam futuro tempore sævisurum in eam, ideóque uxor, quæ se ab eo separavit, non est ei restituenda. Sic juxta regulam juris, qui semel malus, semper præsumitur malus. Pirh. *nu.* 27. citato Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæst.* 24. *num.* 2. *& seq.* Verùm præsumptio hæc à præterito ad futurum non habet locum in iis, quæ temporis cursu necessariò, vel verisimiliter immutantur. Sic, qui in pueritia nescivit literas, malè præsumitur, etiam futuris temporibus imperitus; cùm verosimile sit, hominem successivè discere potuisse, quæ antea ignoravit. Sed hæc præsumptio à præterito ad futurum non est unquam præsumptio juris & de jure, sed juris tantùm. Pirh. *num.* 29. citato Menoch. *ubi antè, numer.* 29. Sic quoque quandoque ex præterito fit præsumptio de præsente, verbi gratiâ, qui tempore præterito fuit subditus, etiam nunc præsumitur subditus. Menoch. *loc. cit. num.* 9. qui olim possedit, præsumitur etiam nunc possidere. Argumento *cap. olim. de restitut. spol.* & *L. sive. c. de probat.* Sic quoque quandoque præsumitur ex præsente de præterito, verbi gratiâ, qui nunc non est dives, & ideo non solvendo, rectè præsumitur, etiam tempore præterito non fuisse dives. Pirh. ex Menoch. *loc. cit. nu.* 44.

9 Notandæ septimò præsumptiones quædã non violentę commissi criminis ad institutum nostrum servientes. Primò, præsumi contra illum, qui declinat judicium, & pro illo, qui offert se judicio. *cap. nullus. h. t.* Abb. *ibid. num.* 1. Sic dicitur *cap. decernimus. caus.* 3. *quæst.* 9. manifestum est (scilicet præsumptivè, ut gloss. *ibid. v. eodem*) confiteri eum de crimine, qui, in indulto judicio, purgandi se occasione non utitur, sive qui intra terminum sibi à jure concessum ad se purgandum non comparet, sed contumaciter se absentat. Circa quæ tamen observandum, quòd si quis ante inquisitionem aut accusationem factam metu ejusdem fugiat, fuga illa non faciat probationem, ne quidem semiplenam, præbeat tamen suspicionem ac præsumptionem non levem commissi criminis. Pirh. *num.* 31. citans Mascard. *de probat. conclus.* 819. *num.* 1. 10. *&* 15. Farinac. *in pr. crimin. lib.* 1. *quæst.* 48. *num.* 1. *&* 27. quia plerumque rei & criminis conscii fugâ salutem quærunt. Et hæc, nisi alia causa probabilis fugæ seu discessûs adferri possit; tunc enim, cùm odia sint restringenda, &c. *Reg. Iuris in* 6. benignior in dubio interpretatio sequenda. Sic sola fuga ante accusationem non facit indicium ad torturam, si justus & probabilis timor adsit futuræ accusationis, verbi gratiâ, post comminationem illius. Idem est, dum quis fugit metu incarcerationis; cùm nemo teneatur se exponere, aut ex carcere suam innocentiam probare. Pirh. *cit. num.* 31. citatis Gail. *lib.* 2. *observat.* 109. *num.* 8. *&* 9. Farinac, *loc. cit. num.* 28. *& seq.* Quòd si verò quis fugiat post institutam inquisitionem, vel accusationem, præsumitur non fugisse ex conscientia criminis, sed ob probabilem timorem instituti processûs, qui per se pericula, molestias & vexationes causare solet, quas non omnes, etiam innocentes, subire volunt; quia fortè timent Judicum sævitiam, vel potentiam inimicorum, falsos testes, &c. Pirh *loc. cit. num.* 32. citatis Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæst.* 89. *num.* 39. Farin. *ubi antè, num.* 27. Nihilominus & hanc fugam, etsi non faciat præsumptionem contra fugientem, afferre tamen aliquale criminis indicium, seu suspicionem levem, colligi in *cap. nullus. h. t.* ita ut, si alia accedant adminicula seu indicia, efficere possit semiplenam probationem sufficientem ad torturam, ait Pirh. *loc. cit.* citatis Menoch. Masc. Farin. qui tamen ultimus ultra fugam gravia indicia requirit ad torturam. Sic etiam, dum famulus fugit, seu abit à Domino insalutato hospite, & eodem tempore res aliqua in domo amissa est, fuga non quidem plenam probationem, præsumptionem tamen furti facit. Pirh. *num.* 33. citatâ glosâ *in authen. de exhib. reis.* §. *Si verò semel.* Et hæc defuga, dum ea objicitur ut indicium criminis; aliud enim est, dum ea tanquam speciale delictum objicitur, ut dum miles fugit ex castris.

10. Notandum octavò: dum quis ex duobus sibi objectis unum tantùm negat, alterum tacitè confiteri præsumitur. Sicut è contra, si unum confiteatur, alterum tacitè inficiari præsumitur. *cap. nonne. h. t.* Cujus ratio est, quòd quando quis potest prohibendo, vel negando, aut contradicendo impedire actum, & tacet, tunc taciturnitas habeatur pro consensu; secus, si non possit prohibendo, vel negando. Diligenter tamen hic attendendæ circumstantiæ, quæ tales esse possunt, ut præsumptio hæc locum non habeat. Pirh. *num.* 36. citato Laym. *Theol. moral. tr.* 2. *c.* 3. *num.* 3.

11. Notandum nonò circa præsumptionem, quâ ex vicinitate loci præsumitur notitia facti loci convicini. *cap. quosdam. h. t.* Barbos. *ibidem, nu.* 1. sive quâ vicinus præsumitur scire ea, quæ in vicinia facta, seu sui vicini. *cap. quoniam. h. t.* Barbos. *loc. cit.* citans Parisium. *cons.* 23. *num.* 18. *lib.* 1. Tusch. *v. scientia. concluf.* 62. *num.* 1. Mascard. *de prob. cons.* 752. &c. id intelligendum de factis, quæ sunt communiter nota in loco illo, & tunc contra præsumptionem juris non facilè admittitur volens probare ignorantiam per proprium juramentum. Abb. *ad cit. cap. num.* 3. Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 24. *nu.* 10. quemadmodum si quis alleget ignorantiam legis vel edicti publicè promulgati, ordinariè non auditur, si eam ignorantiam clarè & dilucidè non probet; quia contra talem stat præsumptio juris. *cap.* 1. *de postulat.* Pirh. *num.* 38. citans Innocent. *in cap.* 2. *de constit. in fine.* E contra, si facta in vicinia non sint publicè nota in loco illo, non præsumitur vicinus illa scire, sed alleganti ignorantiam credendum, nisi ex officio tenebatur factum indagare; cùm ignorantia facti alieni regulariter præsumatur, donec scientia probetur. *Regul. Iuris* 47. Quòd si ignorantia talis, spectatis circumstantiis, verisimilis apparet

Judicis arbitrio relinquitur, an ei juramentum deferendum; eóquòd cùm ignorantia in mente hominis lateat, aliter probari nequeat, quàm per juramentum allegantis. Pirh. *num.* 38. ex Menoch. *loc. cit. num.* 3. *& seq.* qui tamen *num.* 8. *& 9.* dicat, non debere in supplementum probationis deferri juramentum alleganti ignorantiam facti alieni, dum contra allegantem est vehemens præsumptio, vel ubi agitur de gravi alterius præjudicio. Ubi etiam illud observandum, quòd si testis deponens de facto vicini, quod palàm fieri solet, interrogetur de causa scientiæ, & is hanc causam reddat, dicendo, se id scire, quia vicinus est, probationem ejus admitti debere, quia probat præsumptivè, sive juxta præsumptionem juris. Deponens verò de facto in vicinia, quod clam & secretò fieri potest & solet, verbi gratiâ, contractus celebratus, testamentum conditum, adulterium commissum à vicino, &c. nihil probat; cùm tales actus vicini non præsumantur sciri. Porrò vicini dicuntur, qui habent prædia vicina; item qui habent ædes in conspectu, sive sint proximæ, sive non. Item qui habitant in eadem contrata secundùm vulgi opinionem. Barbosa *ad cap. quosdam. h. t. num.* 2. citatis Tiraquel. *de retract. lign.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 21. Menoch. *de habit. casu.* 122. *à num.* 13. &c. Notandum etiam, quòd factum notum in loco remoto præsumitur etiam notum in loco vicino, *cap. quanto. h. t.* Admittitur tamen contra hanc juris præsumptionem probatio in contrarium. gloss. *hic. v. non potuit.* Abb. *num.* 1. apud Pirrhum *num.* 39.

12. Notanda decimò: circa hos terminos *Notorium, fama, infamia*, quæ præsumptionem fundare, vel excludere possunt sequentia. Primò, cùm dicatur *cap. consuluit. de appellat. pleraque judicantur notoria, quæ non sunt.* videndum, quid propriè sit notorium. Proinde dico, notorium non esse, quod simpliciter verum est, vel manifestum, sed cujus veritas publicè, adeóque majori parte populi est patens, & ideo nullo modo valet celari. Lotter. *de re benefic. lib.* 3. *quæst.* 18. *num.* 39. citans Surdum *cons.* 188. *num.* 13. &c. addit tamen Lotterius, id non tam crudè intelligendum, quò minùs ad constituendum notorium simplex facti sufficiat id gestum coram decem hominibus, juxta Cynum *in L. ea quidem.* & *de accusat. num.* 1. *&* 2. cùm multitudo conficiatur à turba, turba autem à numero decem hominum. Porrò notorium aliud est tale notoreitate facti, quod nimirum est notorium per evidentiam facti, quæ nullâ tergiversatione celari potest. Aliud notorium notoreitate juris, nimirum delictum, quod ordine judiciario comprobatum & sententiatum est, vel confessum in judicio. Etsi autem notorium notoreitate facti non egeat probatione, sed sufficiat illud allegare. Lotterius *loc. cit. num.* 44. citans Cardin. Gemin. &c. id tamen non sufficit, dum hoc ipsum in dubium revocatur. Lotterius *ibidem* ex Felin. *in cap. si Clericus laicum. de foro compet. num.* 3. ubi enim aliquid debet constare, non sufficit allegari. Lotterius *num.* 45. qui etiam *num.* 46. subdit, vix esse excogitabilem casum, in quo evitari possit necessitas justificandi hanc notoreitatem, etiamsi illa plusquam vera sit, cùm licèt innotescat aliis, tamen adhuc non sit cognita Judici tanquam Judici. Quod ipsum, ut præstetur, necessaria est causæ cognitio, præviâ citatione partis. Lotterius *num.* 47. citans Ferret. *cons.* 31. *num.* 35. cum hac tamen exceptione: nisi agatur de notorio facti permanentis, ut idem Lotterius *numer.* 48. citans Abbat. *in cap. dudum. de elect. num.* 6.

13. Fama est notitia & opinio manifestata & divulgata extrinsecùs voce, orta ex rationabilibus & probabilibus conjecturis (non enim requiritur, ut ii, apud quos, verbi gratiâ, delictum divulgatum & diffamatum, sint testes de visu; quia tunc non esset tantùm diffamatum, sed notorium: vel etiam, ut opinio illa ortum habuerit à pluribus testibus de visu dignis; tunc enim esset manifestum) sufficientibus tamen ad hoc, ut viri providi, graves & honesti opinentur ità esse (aliàs enim non erit fama, sed vox vana populi. Sylv. *v. fama.*) habita à majore parte (ità ut in majoribus criminibus major numerus personarum, quàm in minoribus requiratur ad infamandum, & multò major ad infamandum personas publicas, quàm privatas. Abb. *in cap. inquisitionis. de accusat. num.* 6.) virorum honestorum, prudentum ac gravium (infamis enim non est, cujus fama læsa tantùm apud malevolos, maledicos, pueros, mulieres, aliásve personas leves. Garcias *de benef. part.* 7. *cap.* 8. *num.* 12. Sanch. *opusc. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 90. juxta *cap. quanto & qualiter. de accus.*) qui verisimiliter id scire possunt ac debent, si factum est verum & divulgatum; quales ferè sunt vicini, vel multitudo eorum, quorum interest scire, verbi gratiâ, scholarium Universitatis, etsi hi habitent in diversis plateis seu partibus civitatis, respectu delicti commissi ab uno eorum, ità ut, si eorum multitudo sit parva, & non tanta, ut constituat populum (ad quem constituendum, ut dictum, requiruntur ad minimùm decem, *cap. curio.* 19. *quæst.* 3. Sylv. *v. populus*) non sufficiat major pars illorum, ut dicatur factum famosum. Porrò fama bona excludit præsumptiones malas. Paris. *de consid. quæst.* 74. *num.* 2. citans Tiraq. *de pœnis temp. cons.* 15. *num.* 2. & tollit præsumptionem delicti. Paris. *ibid.* ex Angel. *tract de malef. v. fama publica.* Item regulariter fama facit semiplenam probationem. Paris. *loc. cit. quæst.* 51. *num.* 11. Imò cum aliquibus adminiculis plenè probat in his, quæ sunt difficilis probationis. Paris. *loc. cit. quæst.* 71. *num.* 17. citans *cap. propterea. de testib.* Host. *in cap. ult. quod metus causa.* Alex. *cons.* 53. *l.* 2.

14. Infamia duplex est. Alia facti. Hæc ut condistincta ab infamia juris, est macula quædam moralis, independenter ab omni lege humana ad ipsum factum consurgens, & pariens de operante notitiam obscuram cum vituperatione & reprehensione, per quam in opinione hominum persona tanquam maculata censetur indigna ad actus quosdam legitimos, dignitates & munia. Ego *Fori benef. part.* 1. *qu.* 339. *num.* 1. Privat hæc directè & primò possessione naturali famæ Passer. *de elect. cap.* 25. *num.* 547. Alia est infamia juris, quæ est macula moralis ad factum non nisi ex vi & institutione legis, sive scriptæ, sive non scriptæ, consurgens & maculans in ordine ad effectus à le-

à lege intentos. Unde & definiri potest, quòd sit à jure introducta privatio dominii famæ legalis, seu ejus famæ honorabilis & claræ, quam in hominibus supponunt actus legitimi, ut decenter & validè exerceantur. Unde vides, hanc infamiam juris non dicere opinionem aliorum, nec esse necessariò quid divulgatum, uti requiritur ad infamiam facti; quia hoc famæ dominio privati sunt etiam delinquentes occultissimi, quibus hæc pœna infamiæ juris ipso facto incurrenda statuta est (infames enim sunt, quos lex infamat eo ipso, quòd aliquid commiserint. Jason *in L. cunctos populos. de summa Trinit. lect. 2. num. 44.*) Quòd autem tales delinquentes occultos non liceat infamare extra judicium, inde est, quòd etsi dominium famæ amiserint, eam de facto tamen adhuc possideant; & nec latro sine injuria exturbandus possessione propriâ authoritate. Passer. *loc. cit.* Ex quibus jam etiam infertur, quòd infamia facti & simul juris incursa privet dominio & possessione non tantùm naturali, sed & civili famæ propriæ; & consequenter (qui est effectus secundarius utriusque hujus infamiæ) infamis talis erit inhabilis & impeditus ad actus legitimos, præsertim Ordinum, Prælaturæ, dignitatis, propter excellentem honorem & sanctitatem suam respicientium ministrum, qui in hominum opinione sit claræ famæ & æstimationis commendabilis. Passer. *loc. cit. num. 543.* Porrò infamia facti propriè loquendo est indispensabilis; cùm jus naturæ & dictamen rationis indispensabile prohibeat infamem manentem talem (hoc est, qui dignâ pœnitentiâ, & virtuosâ vitâ præcedentem infamiam non abstersit) promoveri ad beneficia ecclesiastica. Ego *in Foro Benef.* cum Passer. *loc. cit. num. 540.* Docentes contrarium, ut Barbos. *de off. Epis. alleg. 43. num. 30.* Mirand. *tom. 2. qu. 8. art. 5.* Rodriq. *to. 1. qu. 24. num. 6.* &c. nimirum posse in hoc dispensari. Hi, inquam, confundunt infamiam facti cum infamia juris, in qua quandoque dispensari potest etiam ab Episcopo. An verò infamis ipso jure, occultus tamen, teneatur se extrinsecùs habere ut infamem, abstinendo ab actibus legitimis, verbi gratiâ, ab Ordinibus, à beneficiis acceptandis, &c. Vide resolutum à me *in Foro benef. part. 1. qu. 342. nu. 1.* ubi secutus sum partem negativam cum Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 13.* Sanchez *de matrim. l. 7. d. 13. num. 1.* Passer. *num. 555.* contra Suarez. Felin. &c. eò quòd qui manet in possessione famæ suæ, retinétque jus possidendi, eáque utendi, habet extrinsecùs & possidet æstimationem illam laudabilem, quam ratio & jura requirunt ad actus legitimos, dignitates, &c. Vide tamen *loc. cit.* rationem in contrarium AA. contrariæ sententiæ, uti & *num. 2.* limitationem nostræ.

15. Observandum tamen circa hæc de infamia, quòd crimen quàmvis notorium evidentiâ rei seu notoreitate facti, etiam, cui in jure statuta est pœna depositionis (secus est, si statuta sit in specie pœna irregularitatis) non infamet simpliciter civiliter & canonicè, seu legaliter per respectum ad effectus legales, arcendo ab actibus legitimis per modum impedimenti ex se perpetui à jure inducti, sed etiam naturaliter, arcendo quasi naturaliter propter indignitatem, verbi gratiâ, à promotione ad Ordines, ab exercitio ministeriorum ecclesiasticorum, sed non nisi per modum impedimenti temporalis per pœnitentiam & emendationem tollibilis. Suarez *de Censur. d. 48. sect. 2. num. 6.* Layman. *lib. 1. de irregular. cap. 4. num. 10.* Passer. *de elect. cap. 25. num. 562. & seq.* Sylv. *v. infamia. num. 11.* citantes Abb. *in cap. inquisitionis. de accus. num. 2.* Vide meipsum *For. benef. part. 1. quæst. 343. & 344.* &c. Unde jam infertur, Clericum notoriè concubinarium, vel adulterum, post peractam sufficientem pœnitentiam, & vitæ emendationem posse celebrare, aliâque præstare. Quinimo notoreitas Juris, dum crimen solùm notum per solam confessionem rei in judicio coram Judice legitimo non sufficit ad inducendam infamiam juris, consequentésque illam effectus. Passer. *loc. cit. num. 275.* citans Sylv. *ubi antè.* Abb. *in cap. si clerici. de judiciis.* &c. contra Navar. sed solùm notoreitas juris, dum quis ex delicto dolo malo (qui, ut Sylv. *v. culpa.* est machinatio, calliditas, fallacia ad decipiendum alium adhibita) commisso, ita ut citra talem dolum non sufficiat etiam ignorantia crassa. Passer. *loc. cit. num. 569.* Sanch. *opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 6. num. 14.* damnatus per Judicem ordinarium (ità ut non sufficiat sententia arbitri. Sanchez *loc. cit.* Passer. *num. 570.* citans *L. quid ergo. de his qui notantur infamiâ*) sententiâ definitivâ (ità ut non sufficiat sententia lata in contumaciam; hæc enim non infamat) quæ transierit in judicatum (qualis non est, dum interposita appellatio) dum pœna non est severior ordinariâ; tunc enim Judex censetur transegisse super infamia. *cit. L. quid ergo.* & *ibi* Bartol. Item dum pœna ex causa extrinseca est melior ordinariâ, Vide me *loc. cit. q. 345.*

16. Observandum, quòd quando fama & clamor non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis non semel, sed sæpe pervenit ad aures Superioris contra aliquem subditum, Superior quasi nuntiante famâ, vel deferente clamore diligenter inquirere debeat in veritatem. Barbos. *in collect. ad cap. quando & qualiter. de accusat. num. 1.* Inquisitio autem non præcedente famâ sit nulla & invalida; quia contra non infamatum non potest inquiri. Barbos. *loc. cit. num. 5.* citans Farinac. *in pr. crimin. part. 1. quæst. 9. num. 1. & seq.* Sayr. *clavi reg. lib. 12. cap. 10. num. 19.* Bonacos. *commun. crim. part. 3. v. diffamatio.* Clar. *lib. 5. § fin. quæst. 6.* &c. ad procedendum enim præcedere debet criminis diffamatio, quæ vicem accusationis obtinet. Barbos. *loco cit. num. 5.* citans Angel. *de malefic. v. fama publica,* Marant *de ordin judiciar. part. 6. de inquisit. num. 19.* Farinac. *in pr. crimin. part. 1. quæst. 1. num. 50.* &c. & procedere sine diffamatione, & dirigere inquisitionem in peccatorem occultum, & ad detegendum ejus crimen interrogare testes, omni jure prohibitum esse, ait Torreblanc. *tract. de magia, lib. 3. de criminis punit. cap. 16. num. 16.* apud Barbosam *cit. num. 5.* Quinimo fama præcedens inquisitionem non sufficit, quòd sit simplex, sed debet esse vehemens, & à clamosa insinuatione procedens, sæpius ad Judicis aures perveniens, & talis, ut scandalum gigneraretur, nisi Judex inquireret. Barbosa *loc cit. nu. 7.* citans Clar. *ubi antè. vers. quæro nunc.* Marant. *num. 10.* Farinac. *num. 5.* debétque hæc diffamatio præcedere, sive judex procedat ad partis querelam, sive

sive ex officio. Barbos. *loco cit. num.9.* citato Farinac. *ubi antè, n.4.* &c. qui etiam dicat, non credi Judici asserenti in inquisitione processisse famam, nisi de ea aliunde appareat per testes particulariter super dicta fama receptos. Specialiter verò hîc observandum à Commissariis illis Archidiaconalibus, similibúsque Visitatoribus, quod habet Barbosa *loc. cit. num.17.* ex *cit. cap. quandoque & qualiter.* nimirum contra regulares non debere fieri inquisitionem, nullâ præcedente infamiâ. Pro quo citat Duaren. *reg.208. limit. ult.* (ubi etiam asserat, quod *c. in singulis. de statu Monach.* loquatur, quando illa inquisitio fit per Visitatores) Rodriquez *qq. regular. tom.2. q.19. art.6.* Item notandum, quod Barbosa subdit *num.18.* citato Sigismundo à Bononia *de elect. dub.102. num.6.* Joseph à S. Maria *in tribunal. religios. tr.5. c.6. nu.1.* &c. nimirum religiosos faciliùs amoveri posse à suis administrationibus, quàm alios clericos. Limitanda hæc ipsa tamen primò, ut non sit necesse præcessisse formam, dum crimen aliàs occultum vergit in perniciem spiritualem vel temporalem alicujus communitatis, verbi gratiâ, hæresis occulta, proditio civitatis, &c. Barbosa *loc. cit. n.12.* citans Clar. *ubi antè, vers. item scias,* Navar. *in man. cap.25. num.33.* Guttier. *qq. can. lib.1. quæst.11. ex num.48.* Farinac. *cit. quæst.9. num.14.* Menoch. *cons.100. num.63. & seq.* &c. Secundò, ut teneat inquisitio, infamiâ non præcedente, dum pars non opponit de non præcedente fama. Barbosa *loc. cit. num.13.* citato Claro *ubi antè, vers. scias ulteriùs.* Farinac. *cit. quæst.9. num.12.* Menoch. *de arbitr. lib.1. quæst.78. num.4.* &c. Alias limitationes vide apud Barbosam *loc. cit. num.14. & 15.* qui tamen *nu.16.* ait: hodie communi ubique terrarum usu receptum est, ut Magistratus ad crimina punienda procedant etiam occulta, quæ probari possunt, nullâ præcedente infamiâ, vel ex officio, vel ad Fiscalis denuntiationem. Pro quo citat Clarum *lib.5. §. fin. qu.2. nu.5. & qu.6. nu.1.* Farinac. *cit. qu.9. à nu.20.* & hoc jure utitur Hispania. Unde Lessius *de iure & iust. lib.1. cap.19. dub.15. num.132.* ait, hanc praxin sustineri posse in delictis, quæ rempublicam turbare solent, & quando non tam ad punitionem proceditur, quàm ut bono communi consulatur, maleficia impediantur, respublica criminibus purgetur.

Atque hæc pro rudi aliqua terminorum, & quorundam principiorum notione & explicatione in præsens sufficiant.

## *Quæstio 656. Archidiaconus an & qualiter concedere possit dimissorias?*

1. REsp. primò prænotando hæc duo, literas dimissorias & commendatitias sumi quandoque pro eodem, & inter se confundi, uti fit *in c. significâsti. de off. Archid.* juxta paulo post dicenda, eséque varias tam harum, quàm illarum species. Nam commendatitiæ accipiuntur primo pro literis testimonialibus, quibus simpliciter perhibetur testimonium de vita & moribus; & concedi possunt à Parocho, & Magistro scholarum, Fagn. *in cit. cap. significâsti. num.2.* juxta Tridentinum *sess.23. cap.5.* Dein pro literis testimonialibus, quæ promovendos ad Ordines de moribus ac vita simpliciter commendant Ordinatoribus. Quæ etiam dicuntur commendatitiæ pacificæ à Jo. And. *in cap. fraternitati. num.2. de cleric. non resid.* conceduntúrque à Prælatis etiam inferioribus, modo habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Fagn. *loc. cit. & nu.26.* juxta *cit. cap. fraternitati.* Verùm neque his hodiedum Ordinatores contenti esse debent, dum Innocentius XII. requirit pro Ordinibus suscipiendis ab Episcopo domicilii vel benefícii testimoniales de moribus & vita datas ab Episcopo originis. Sic quoque dimissoriæ accipiuntur primò pro illis, quæ dantur appellantibus, & vulgò Apostoli nuncupantur *l. dimissoriæ, ff. de verbor. signif.* gl. *in cit. cap. fraternitati.* dicuntúrque tales; quia ad eum, ad quem appellatur, causa dimittitur. Fagnan. *loc. cit. num.4.* citans Jo. Andr. *in cap. fraternitati. num.3.* dum accipiuntur pro iis, de quibus *in cap.1. & 2. de Cleric. peregrin.* quibus nimirum conceditur Clerico licentia peregrinandi, & is quasi dimittitur & absolvitur à potestate Episcopi, perhibetúrque hunc in finem Clerico peregrinaturo testimonium de moribus, vita, & Ordinibus illius. Quæque etiam formatæ dicuntur, & quarum formulam addidit Nicænum Concilium, prout refertur *cap.1. dist.73.* quas minor Episcopo concedere nequit, cùm, ut Jo. And. *locis cit. num.1.* sint species quædam alienationis. Fagn. *loc. cit. nu 2. & 3.* Denique accipiuntur pro iis literis, quæ non solùm commendant subditum, sed & illi facultatem dant suscipiendi Ordines ab Episcopo alieno. Trident. *sess.23. cap.10.* quæ & ipsæ formatæ dicuntur à Concilio Niceno relato *dist.73. cap.1. & 2.* & à Trident. *loc. cit. nu.7.* reverendæ dicuntur. Et de his in præsente procedit quæstio. Hinc

2. Resp. secundò: dictas dimissorias licentiales peregrinandi concedere nequit Archidiaconus; quia id superat potestatem omnium inferiorum Episcopo, juxta dicta immediatè antè: inferior autem Episcopo est Archidiaconus, ut patet. Sed neque dimissorias ad suscipiendos Ordines ab Episcopo alieno concedere potest Archidiaconus, aut alius Episcopo inferior ob eandem rationem. Azor. *Inst. mor. p.2. l.3. c.14. q.2. in fin.* Fagn. *cit. n.2.* juxta *cap. quamvis. dist.68. cap. extraneo.* & *cap. primatus. dist.71.* & *cap. non oportet. de consecr. dist.5.* quos textus citat Fagnan. Et de Archidiacono in specie, quòd is eas sine expresso consensu Episcopi dare nequeat, est textus in *cit. cap. significâsti.* quod licèt utatur termino *commendatitias,* is tamen de his dimissorialibus accipiendus est, ut ostendit fusè Fagn. *cit. num.2.* In quod *cap.* Layman. *in paraphrasi* ait: Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest; sed neque Clerici freti talibus literis absque licentia Episcopi datis Ordines accipere possunt, alioquin de executione Ordinum prohiberi possunt. Rationem etiam addit hisce expressis: quia per literas dimissorias derogatur juri Episcopali; quod habet ad ordinandum Clericos sibi subjectos. Quæ ipsa est causa, cur vacante sede (prout ipsum quoque ex Jo. And. ait Fagnan. *loc. cit. nu.3.*) Capitulum dimissorias concedere nequit; quia jura Episcopalia successori reservari debent. Et dein *in notand. unic.* addit idem Layman. si dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario generali datæ sint, pro non datis haberi debent, ità ut pœnæ & inhabilitates incurrantur, de quibus se dixisse ait *in cap.2. de tempor. ordinat. in 6.*

3. Sed

3. Sed & (quod non ineptè occasione Archidiaconi hîc inseritur) Prælatos alios, & in specie Abbates habentes cum separato territorio jurisdictionem quasi episcopalem in parochos & parochianos privativè ad Episcopum posse hodiedum, stante decreto Tridentini *sess. 23. c. 10.* (uti id poterant olim, & ex pluribus textibus ostendit Fagn. *loc. cit. n. 13.* & uti id possunt adhuc hodiedum respectu suorum Regularium, præservante hanc eorum facultatem respectu horum expresè Tridentino, ut Fagnan. *ibidem*) suis subditis sæcularibus concedere dimissorias ad Ordines suscipiendos, fusè tradit Fagnan. *loc. cit. à n. 17.* contra quosdam contrarium sentientes apud eundem *n. 14.* eò quòd censeant decretum illud Tridentini non tenere ex eo, quòd non deroget Synodo 7. generali, de qua *in c. quoniam. dist. 69.* nec privilegio corpori juris inserto, nempe *c. Abbates. de privileg. in 6.* quorum sententiam omnino falsam esse, probâsse se fusè ait *in c. fin. de rescript.* Item contra alios apud eundem *ibidem.* & in specie contra Gratian. *discept. for. to. 2. c. 212. per tot.* modestiùs sustinentes, illo decreto Tridentini non comprehendi ejusmodi Abbates. Stabilit sententiam suam Fagnan. *cit. cap. 17.* ex eo, quòd Tridentinum statuendo, quòd Abbatibus & aliis quibuscunque intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti dicantur, non liceat cuipiam, qui eorum subditus regularis non sit, Tonsuram vel minores Ordines, nec dimissorias concedere, apertè dictos Abbates includat. Quin & hoc idem sonet & sit, ac si expresè id prohibuisset Abbatibus jurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem privativè ad Episcopos habentibus; dum idem important: *esse nullius diœcesis*: & habere proprium territorium separatum à territorio Episcopi, juxta gl. *in Clem. 1. de form. compet.* & *ibi* Cardin. *num. 2.* Imol. *nu. 38.* Vitalin. *nu. 4.* Abb. *nu. 15.* territorium verò acquiri (sive hæc acquisitio fiat per præscriptionem immemorialem, ut Archid. & Jo. And. sive per privilegium) nequeat sine omnimoda jurisdictione privativè ad Episcopum; cùm inferior efficiatur Ordinarius cum territorio separato à quacunque diœcesi non nisi habendo jurisdictionem Episcopalem in cletum ac populum excluso Episcopo. gl. *in cit. Clem. §. volumus. v. diœcesani.* Anchar. *ibid. n. 10.* &c. Et tunc demum separatur territorium à diœcesi Episcopi, & fit proprium Abbatis, quando privilegium nedum eximit, sed & tribuit jurisdictionem. Jo. And. *in c. nimis. de jurejur. circa medium.* Anchar. *in cap. postulâsti. de for. compet. n. 4.* Abbat. &c. apud Fagnan. *cit. nu. 17.* qui etiam *à nu. 20.* solidè solvit, quæ in contrarium obmoventur. Quorum illud ferè potissimum est, quod Tridentinum *sess. 24. c. 20. §. ad hæc.* decreto suo non comprehendat Abbates hujusmodi nullius diœcesis, habentes ante Concilium facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus & criminalibus in suos subditos, & omnem jurisdictionem. Siquidem hoc decretum loquitur aliis omnino verbis, quàm decretum illud *sess. 23. c. 10.* quippe prohibet, ne hujusmodi causæ Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio reliquantur, quæ verba non conveniunt Abbatibus nullius diœcesis; quia hi excellentiorem dignitatem, & primam post Pontificalem habent, ut apud Fagn. Bald. *in c. pastoralis. de off. deleg. v. superiores.* Felin. *ibid. col. 4.* Lap. *alleg. 84. n. 15.* Abb. *in Clem. diœcesanis. de vita & honest. Clericor.* ubi quòd nomine diœcesani veniant inferiores Episcopo, habentes dictam jurisdictionem. Neque hanc objectionem promovent verba illa *cit. §. ad hæc. & aliorum.* ita ut iis comprehendi videantur omnes Episcopo inferiores; quia illa important omnimodam similitudinem ad expressa, ut citatis quamplurimis Fagn. *cit. n. 22.* expressi autem fuerant Decani, Archidiaconi, &c.

4. Resp. tertiò: Nihil tamen obstat, quò minùs Archidiacono, alterive inferiori ab Episcopo specialiter concedi possit facultas dandi dimissorias ad Ordines. Fagn. *loc. cit. nu. 5.* juxta *cap. cum Bertoldus. de sent. & re judic.* Non tamen censetur hæc facultas data in generali commissione, nisi fortè quis gerens generaliter vices Episcopi, absque eo, quòd specialiter in ejus commissione hic casus expressus esset, aliqui similes casus essent expressi cum apposita clausula generali: *super præmissis, & in omnibus aliis ad nos spectantibus.* Fagnan. *loc. cit. n. 6.* quamvis Host. tradat, & tunc non debere hoc expedire sine conscientia Episcopi, si is præsens esset; Episcopo verò absente in remotissimis, Vicarium generalem Episcopi posse dare hanc licentiam ordinandi juxta *c. cùm nullus. de tempor. ordinat. in 6.* Quid verò hac in parte possit Capitulum sede vacante, dictum est supra. Vide Fagn. *loc. cit. à n. 7.*

5. Resp. quartò: Episcopo absente à sua diœcesi, & imminente necessitate aut utilitate ordinandorum posse Archidiaconum præsentare aliis Episcopis ordinandos, per quos ordinentur; si tamen id habeat consuetudo, tenet gl. *ad cit. c. significâsti.* quam sequuntur Butrio & Abb. *ibid.* apud Fagnan. *nu. 11.* Hanc quoque glossam sequi videtur Laym. *loc. cit. notand. unic.* remittens tamen ad ea, quæ dixerat *cap. 3. de temp. ordin. in 6.* Verùm hanc glossam reprobat Host. *ibid. n. 4.* cui inhæret Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. c. 41. n. 13.* eo quod litera hujus *cap.* ei contradicat; dum Papa nullum casum excipiat. Item contradicat illi alia litera *cap. 2. §. si Episcopus defuerit. de off. Archipresb.* Fagn. *cit. n. 11.*

## *Quæstio 657. Num Archidiaconus unire & dividere possit beneficia?*

1. REsp. ad primum negativè. Sbroz. *l. 2. q. 112. nu. 4.* citans Rotam apud Mohed. *decis. 337.* & Put. *decis. 1. de off. Vicar.* Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 28. nu. 20.* ex Innoc. *in c. ad hæc. de off. Archid. n. 1.* ubi: quod etsi Archidiaconus sit Vicarius Episcopi ordinatus à lege, unire tamen non potest beneficia. Unde etiam Gemin. *cons. 38. n. 10.* infert, id non posse Vicarium generalem Episcopi.

2. Resp. ad secundum quoque negativè: cùm dividere ecclesias sit species alienationis. Sbrozius *loc. cit. quæst. 116. nu. 6.* citans Innocent. & Abbat. *in citat. cap. ad hæc.*

* *
*

*Quæst.* 658. *An, & qualiter Archidiaconus possit instituere in beneficiis, maximè curatis?*

1. REspond. primò: Decanos rurales instituere uti & destituere (intellige, quò ad hoc eorum officium) potest Archidiaconus, sed non sine consensu Episcopi; cùm illi tam Episcopo quàm Archidiacono subsint. Laym. *in c. ad hæc. de off. Archid.*

2. Respond. secundò: Archidiacono quà tali quemadmodum jure communi seu regulariter non competit conferre beneficia; potest tamen id ei competere jure quodam speciali, non secus ac aliis prælatis Episcopo inferioribus, vel etiam aliis Clericis in dignitate non constitutis. Egò *in For. benef. p. 2. q. 723. num. 1.* cum communi; ita etiam & non aliter jus instituendi in beneficiis curâ animarum carentibus eidem competere potest. Et quidquid sit de eo, num olim jure communi, nempe vi *cap. ad hæc.* spectaverit ad illum instituere in beneficiis jurispatronatus, quod affirmat Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. Archid.* etsi addat, *ad illud c. ad hæc.* dici posse, institutionem ibi sumi pro missione in possessionem.

3. Respond. tertio: in beneficiis verò curatis regulariter non nisi de authoritate & mandato Episcopi instituere potest. Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid. num. 24.* Barbos. *Iur. eccles. l. 1. c. 24. n. 30.* Vel sine tali mandato (nomine tamen & vicè Episcopi) si id habeat ex præscriptione seu consuetudine legitimè præscripta. Neque obstat textus *c. cùm satis. de offic. Ordinar.* cùm per illum prohibeatur solùm consuetudo seu magis præscriptio, per quam Archidiaconus intendit instituere in beneficiis istiusmodi nomine proprio. Barbos. *loc. cit.* citans seipsum *de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. num. 185.*

4. Resp. quartò: sed neque ulla consuetudine instituere, vel aliter providere potest curatis sine approbatione Episcopi; consuetudo enim, utpote ecclesiis summè pernicioſa prævalere nequit, ut ministri curati in ecclesis Episcopo subjectis instituantur absque summi in diœcesi Pastoris, nempe Episcopi, cognitione & consensu. Unde etsi alii quoque Prælati Episcopo inferiores jus acquirere possint instituendi curatos, nunquam tamen sine examine & approbatione Episcopi. Pirh. *ad tit. de off. Archid. num. 13.* Laym. *ad c. cùm satis. tit. eod.* Azor. *p. 1. l. 3. c. 19.* juxtà Trident. *sess. 7. c. 13.* Hinc quoque

5. Respond. quintò: nequit Archidiaconus instituere institutione authorizabili, seu curam animarum committere. Barbos. *loc. cit. num. 31.* citans *c. cùm satis.* Galganet. *de Iur. publ. l. 3. tit. 21. num. 1.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 2.*

* * *

CAPVT

# CAPUT TERTIUM.

## De Officio & Qualitatibus Archidiaconi.

*Quæst.* 659. *Quid possit Archidiaconus, aut quid muneris sit illius circa examen promovendorum ad beneficia, vel etiam ad Ordines?*

1. REspond. primò: Archidiaconus habens jus conferendi curata, non potest instituere examen per concursum, aut etiam proponere edicta. Paris. *de resignat. l. 8. q. 9. num. 99.* sic resolutum testans à S. Congreg. Sed neque debere illum huic examini intervenire cum Examinatoribus, sive non debere illum simul examinare, nisi sit unus ex Examinatoribus. Fagn. *in c. ad hæc. num. 25.* Pignat. *tom. 4 consult. 181. num. 17.* testantes sic expressè ad interrogationem desuper factam respondisse S. Congr. Concilii. Fallitur proinde Zerola, dum *p. 2. v. Archidiaconus* dicit, per hoc, quòd Concilium Tridentinum statuerit, eligendos Examinatores in synodo diœcesana, non excludi Archidiaconum, cui de jure communi & antiquo id competit; sed Examinatores illi electi intelligantur simul cum Archidiacono, cui de jure id competit cumulativè. Fallitur, inquam, si id intelligat de examine in concursu ad parochiales, ut ampliùs patebit ex mox dicendis.

2. Respond. secundò: Clericos promovendos ad beneficia alia examinare de jure spectat ad Archidiaconum; sic enim expressè statuitur in *c. ad hæc. de off. Archid.* ut nimirum qui beneficiis ecclesiasticis præficiendi fuerint, à suo priùs examinentur Archidiacono, & per ipsum postmodum Episcopo præsententur. Neque hanc de jure antiquo competentem Archidiacono facultatem Concilium Trident. sustulit illi, ut expressè respondit S. Congreg. nisi quò ad parochiales, quæ conferendæ sunt prævio examine per concursum. Fagn. & Pignat. *ll. cit.* His tamen non obstantibus, poterit quoque hoc examen seu potestas examinandi promovendos ad beneficia non parochialia competere aliis ex consuetudine, v.g. Episcopo aut ejus Vicario generali, intellige, privative ad Archidiaconum.

3. Respond. tertiò: Clericos promovendos ad Ordines examinare, eósque ordinandos offerre Episcopo jure communi spectat ad Archidiaconum. *c. ad hæc. c. ut nostrum. de off. Archidiac.* Fagn. *loc. cit.* Barbos. *Iur. eccles. l. 1 c. 24. num. 22.* citans quamplurimos. Laym. *ad c. ut nostrum.* Zerol. *in pr. p. 2. v. Archid.* Pignat. *loc. cit. à num. 1.* ubi ex Quarant. *in sum. Bull. v. Ordo.* quod officium Diaconi est; ordinandos primùm examinare, & inquirere an habeant sufficientem titulum, & postmodum illos præsentare Episcopo ordinanti; censerique ab AA. hoc munus examinandi promovendos ferè præcipuum inter officia Archidiaconi testatur Pignat. *loc. cit. num. 13. in fine.* Porrò, dum examen illud in istum finem demandatur Archidiacono, ut quemadmodum debet (ut constat ex pontificali Romano *p. 1. tit. de ordinat.* ubi interroganti Episcopo à Diacono præsentante ordinandos; scis illos esse dignos? is respondet: quantùm humana fragilitas nosce finit, scio & testificor esse dignos) possit testari Episcopo ordinanti de qualitate ordinandorum, patet super quibus illud instituendum, nempe non tam super scientia (eruditionis enim ac literarum dijudicatio ab aliis quoque, puta Examinatoribus & Episcopo ipso facilè fieri potest) quàm super titulo, ætate, & vel maximè super conversatione, moribus, integritate vitæ, quæ discussio à nullo meliùs fieri potest, quàm ab Archidiaconis, qui oculi sunt Episcoporum, oberrantes & circumlustrantes ea, tam quæ in Clero, quàm quæ per parochias geruntur, ut Episcopis sæpe ob multitudinem negotiorum ad similia attendere non valentibus referant; consistitque in hac inquisitione ferè examen illud, quod Archidiacono demandatur per *c. ad hæc. & c. ut nostrum. de off. Archidiac.* Proinde jam, cùm, ut notat S. Chrysostom. *l. 2. de sacerdot. c. 4.* ea fides, quæ à vulgi opinione facta est, non debeat esse præcipuum ac unicum signum, quo ordinandi approbari debeant, debent Archidiaconi per seipsos in mores & vitam eorum sedulò inquirere ac cognoscere, examinando quoque vulgi famam, ut non solùm quid de iis populari rumore perferatur, sed etiam quæ rumorum causa & conditio, prægnoscat, faciendóque se informari virorum fide dignorum testimoniis aliisque viis, (quas videre est apud Pignat. *loc. cit. num. 7. & 8.*) ne, si pro indigenis aut ignotis testentur, peccent mortaliter, ut idem Pignat. *num. 2. cit. c. unico. de scrutin. in ordin. faciend.* quin & ne, si inidoneum præsentent, teneantur ipsi providere tali ordinato de sustentatione, donec facti idonei beneficium consequantur, ut Laym. *ad c. accepimus. de ætat. & qualit. præficiendorum. num. 4.* citans Innoc. *in idem. c. num. 1.* & gl. *v. examinari.* aut ne Archidiacono non valente talem à se perperam præsentatum alere, hæc obligatio cadat in Episcopum ordinantem, utpote qui Archidiacono attendere debeat, & curam gerere, ut non nisi digni promoveantur. Laym. *loc. cit.*

4. Respond. quartò: Nihil tamen obstat, quò minùs Episcopus alios præter Archidiaconum ad examen illud, quod ferè de scientia ordinandorum instituitur, examinatores, quotquot, ad-

scissere possit, ita ut votum Archidiaconi tunc sit singulare; siquidem id pendet ab Episcopi arbitrio, quod in hac parte ei limitatum non est à Concilio. Pignat. *loc. cit. num.* 4. Quin etiam nil verare videtur, quò minùs, etsi Archidiaconus habeat à jure, ut possit ordinandos examinare (quod tamen maximè intelligitur de examine illo seu indagine, quam facere tenetur Archidiaconus in vitam & mores, ut videre est apud Pignat. *loc. cit. num.* 9.) Episcopus præterito Archidiacono id facere possit per seipsum, vel etiam per alium à se designatum (præsertim accedente consuetudine) Pignat. *loc. cit. num.* 5. ex Abb. *in c. ad hæc.* etsi ipse videatur in oppositam Innocentii in *idem c.* doctrinam inclinare.

5. Respond. quinto: oblationem illam seu præsentationem ordinandorum ab Archidiacono faciendam Episcopo duplicem ex Host. *in cit. c. unic. de scrutin.* assignat Pignat. *loc. cit. num.* 10. *juncto num.* 13. unam, quæ sequitur examen illud seu inquisitionem Archidiaconi, & antecedit examen alterum episcopale; & hæc est illa præsentatio, quam jura in citatis textibus *c. ad hæc.* & *c. nostrum.* competere volunt Archidiacono, ut nimirum ab ipso Archidiacono ordinandi debeant præsentari examini Episcopali. Alteram, quæ fit palàm in ipsa ordinatione, juxta quod in pontificali Romano præscribitur Archidiacono, ut tam Subdiaconos ad Diaconatum, quàm Diaconos ad presbyterium promovendos præsentet Episcopo ordinanti hac formula: *postulat sancta mater Ecclesia &c.* in quo officio, seu in qua præsentatione faciendâ sæpe contingit supplere alium, qui Archidiaconus non est; & quis sit usus illius modò in Ecclesia, & quis fuerit olim, vide apud Pignat. *loc. cit. num.* 11. & 12.

*Quæst.* 660. *An, & qualiter Archidiaconus, ubi non examinavit, seu non inquisivit in idoneitatem & sufficientiam ordinandorum, nec examini interfuit, sive de sibi ignotis adhuc testari possit Episcopo, illos dignos esse, qui promoveantur ad Ordines?*

1. Respond. primò: dum Archidiaconus Episcopali examini non interfuit, vel etiam alterius, non solùm Archidiaconatûs, sed & diœcesis, cum literis tamen dimissoriis & testimoniis offeruntur, quorum nec mores, nec vitam, nec doctrinam compertam habet, adhuc is aliúsve præsentator tutâ conscientiâ testari potest de eorum moribus ac doctrina, nixus nimirum aliorum fide dignorum de iis testimonio, & rectè respondere, se æstimare illos idoneos & dignos, qui ordinentur, dum aliunde illi nullus eorum defectus aut impedimentum constat. Laym. *in c. ex parte. de scrutinio in ordin. faciend. num.* 2. qui etiam *num* 1. præmiserat per modum notandi, testes deponentes de alicujus innocentia, probitate, idoneitate ad officium, beneficium, Ordinem, testari potiùs de credulitate sua, quàm de veritate, id est, verisimiliter credere seu existimare se hominem probum & dignum esse, quamvis absolutè loquendo propter humanam fragilitatem decipi aut errare possint; citátque pro hoc seipsum *Theol. mor. l.* 4. *tract.* 2. *c.* 4. *num.* 4. Item Pignat. *cit. consult.* 181. *num.* 14. & 16. ubi; quòd depositâ omni anxietate & scrupulo eorum etiam, quos ignorat, probitatis publicus testis assistere queat, excutiens peccandi timorem generali illa Ecclesiæ consuetudine, ac pia illa præsumptione & probabili Episcoporum suos ad ordinationem dimittentium & Examinatorum, suo, ut creditur, munere functorũ diligentiâ ac studio, fidéq; securus. Et quia, qui judicio Episcopi admissus, publico testimonio bonus esse & idoneus præsumi debet; cùm, & pro judicio Principis semper præsumendum sit, idoneúsque ille credendus, qui publica Judicis authoritate fulcitur. Quin &, quos istiusmodi publico testimonio ornatos novimus, non solùm dignos æstimare debemus, sed & profiteri possumus, nos scire sufficientiam illorum, & testari eam nobis perspectam. Unde, cùm Archidiacono constare debeat, ordinandos omnes publico priùs examine (intellige ab Episcopo dimittente vel ordinante, aut designatis ab eo Examinatoribus) probatos esse, quàm in ordinandorum Catalogum referrentur, tutò dein (nempè in præsentatione illa, quæ fit palàm in ipsa Ordinum collatione) dicere potest, scire se & testari eos dignos, saltem quantùm humana patitur fragilitas. Et hæc juxta doctrinam Innoc. *in cit. c. unic. de scrutin. in ordin. fac.*

2. Respond. secundò: si verò præsentandus ad Ordines ignotus est Archidiacono, nullóquè istiusmodi judicio publico aut testimonialibus instructus, nullatenus de eo, quòd dignus & sufficiens ad Ordines esset, testari valeret. Ad istiusmodi enim testificationem requiritur, ut testis habeat probabilia saltem & bene examinata indicia, quæ prudentem existimationem gignant de personæ innocentia, probitate & idoneitate, ac proinde in eo casu Archidiaconus prudenter dubiùs manere deberet, bonúsque an malus, dignus an indignus esset, de cujus promotione agitur. Laym. *loc. cit.* citans seipsum *Theol. mor. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 2. *assert.* 4. Et sanè in præsenti inniti non licèt unicè præsumptioni illi, quâ quis præsumendus est bonus ac probus, quamdiu non constat aut probatur contrarium. Præterquam enim, quòd id in qualitatibus physicis extrinsecis & ascititiis, quales sunt titulus, ætas, scientia, legitimitas &c. ut patet, locum non habeat, dum eæ non præsumuntur inesse alicui, sed positivâ egeant probatione. Laym. *in c. postquam. de elect. num.* 5. Passerin. *de elect. c.* 33. *n.* 86. Pirh. *ad tit. de elect. num.* 318. Qualitates etiam illæ intrinsecæ (quæ unde sic dicantur, dixi *in For. benef. p.* 2. *q.* 482. *num.* 4.) puta quòd quis sit castus, sobrius, pacificus &c. Quòd præsumendæ sint inesse alicui, habendúsque sit pro viro bono & integro, quamdiu non est, quod præsumptionem contrariam inducat, id inquam intelligendum quò ad privatum cujusque judicium, dum nimirum nihil illi est negotii cum tali; adeóque nec tunc in vitam illius inquirere oportet, nec in sinistram partem interpretari, quod dubium est. D. Thom. 2. 2. *q.* 60. *a.* 4. *in corp.* Secus tamen est in judiciis publicis aut testimoniis dandis (maximè dum agitur de promovendo aliquem ad officia & munia ecclesiastica, Ordines &c.) ita ut tunc bonitas illa intrinseca non præsumatur, nec

suffi-

sufficiat illa negativa notitia ex eo consurgens, quòd nemo præsumatur malus. Ac ita in eo casu dubio in utramque partem, ita ut non adsint indicia majora pro hominis probitate seu bona qualitate in oppositum, testimonium legitimum dari non potest pro illius probitate & habilitate, cùm tale testimonium periculo errandi & falsò judicandi expositum, & in præsente casu error sit practicus Ecclesiæ valde nocivus; cujus contrarium est, dum in judicio privato habendo aliquem pro bono, quamdiu de contrario non constat, error sit speculativus. Laym. Pirh. *ll. cit.* Verùm esto jam posset Archidiaconus vel quilibet alius generali illa suffultus præsumptione absque mendacio aliquem dignum officio sacerdotali vel diaconali respondere, quem non temerè accedere ad hoc officium præsumeret, quamvis de ejus dignitate vel indignitate nihil resciret: At vix videtur à mendacio excusari, si responderet, se scire & testificari eum dignum; cùm his verbis amplius aliquid asserat, quàm si simpliciter responderet, eum dignum esse; nam non tantùm dignitatem illius, quam præsumit, affirmat; sed asserit quoque sibi inesse scientiam de illius dignitate, quam scientiam non habet, & legitimum se testem jactat ejus idoneitatis, quam ignorat. Pignat. *loc. cit. n.* 15. Ad hæc quorsum Archidiaconus ab Episcopo de ordinandorum dignitate consulitur? quorsum ejus testimonium inquiritur, si ejus tota justificatio in generali illa præsumptione fundetur.

*Quæstio 661. Quid faciendum Archidiacono, dum novit defectum ordinandi (idem est de Parocho sciente impedimentum occultum contracturi matrimonium) quò minus Ordines suscipere valeat?*

Respond. Si per secretam admonitionem se aliquid profecturum arbitratur, tenetur illam præmittere ad dimovendum illum à susceptione Ordinis; si verò se nihil profecturum arbitratur, tenetur ad Superiorem deferre, ut is impediat. Laym. *ad cit. c. unic. de scrutin. num.* 3. Si tamen nec delatione ad Superiorem se quicquam profecturum prævideat, eò quòd noverit fidem sibi non habendam, monet Laym. *loc. cit. num.* 4. debere illum dare operam, si sine suspicione aut infamatione possit, ut officium illud præsentandi ea vice declinet; si autem illud declinare nequeat, dicat verba illa, quæ juxta præscriptum pontificalis Romani dici solent. Neque enim tunc mentietur aut contra conscientiam loquetur; cùm ea verba proferat ut persona publica, seu in persona Ecclesiæ, quo sensu verum dicit, si defectus occultus manserit, & in præcedente examine aut inquisitione non fuit proditus. Ita docere ait Innoc. Jo-And. Butr. *in cit. c. unic. de scrutin.*

* * * * * * *

*Quæstio 662. Quodnam de cætero sit officium Archidiaconi?*

1. Respondeo primò in genere: Archidiaconi uti potestas ita & officium neque olim, neque modò est idem in omnibus ecclesiis. Unde si cognoscere velimus Archidiaconi officium, potiùs inspicienda cujusque Ecclesiæ consuetudo, aut statutum tanquam jura scripta. Laym. *ad c.* 1. *de off. Archid. num.* 2. ex Innoc. *ibid.* & Sylv. *v. Archidiacon. num.* 1. Sic in quibusdam ecclesiis Archidiaconus nullus est. Laym. *loc. cit.* Pignat. *tom.* 4. *consult.* 181. *num.* 11. ubi: omnium Ecclesiarum non sunt Archidiaconi, ut innuit Gl. *in c. ad hæc. de off. Archid. v. examinentur*; & sic testatur Pignat. nullum in Ecclesia Romana esse Archidiaconum, etsi fuerit olim. Atque ita officium Archidiaconi, quod describitur in *tit. de off. Archid.* præstat alius, v. g. Archipresbyter, Decanus, Vicarius generalis Episcopi. Laym. *loc. cit.* uti in Ecclesia Romana officium de cætero proprium Archidiaconi ordinandos præsentandi à primo Diaconorum exerceri consueviſſe, testatur Pignat. *loc. cit.* In quibusdam verò ecclesiis est quidem Archidiaconus, sed administrationem nullam habet aut jurisdictionem, sed solùm præeminentiam inter Canonicos. Laym. *loc. cit.* Lotter. *l.* 3. *q.* 7. *num.* 36. ubi: contingere potest, ut ex singulari jure aliquo Archidiaconus non sit oculus Episcopi, id est, nullum officium aut jurisdictionem obtineat, sed ventosa sit Dignitas. Quin &, ut habet *num.* 40. ut officium hujusmodi cum omni ejus prærogativa jurisdictionis transfusum sit in aliam personam Capituli. Sic etiam in aliquibus ecclesiis non est nisi unus, in aliis sunt plures 6. ad 7. Archidiaconi. Azor. *Inst. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 7. Qui id ea factum occasione arbitratur, quòd olim Episcopi ex Diaconis duos, tres aut plures antiquiores constituebant pro suarum ecclesiarum seu diœcesium vastitate, ut vel sic iis melius provideretur earum in plures partes divisarum gubernatione plurium curæ commissa.

2. Respond. secundò: in primitiva Ecclesia officium Archidiaconi erat tum Diaconis & hypodiaconis omnibus imperare, eósque ad altaris ministerium instruere; tum verò bona ecclesiastica administrare & dispensare, uti posterius colligitur ex *Actor. 6.* Laym. *loc. cit. num.* 1. Erat quoque olim Archidiaconi munus Episcopo proximè assistere in sacrificio eúmque ubique comitari. Laym. *ibid.* De cetero illius, in quantùm est Episcopi Vicarius ejusdémque oculus dicitur, munia & partes exprimuntur *c.* 1. *de off. Archid.* ubi: Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium ejus in omnibus, & omnem curam in Clero tam in urbe positorum, quàm eorum, qui per parochias habitare noscuntur ad se pertinere, sive de eorum conversatione & restauratione ecclesiarum, sive doctrina ecclesiastica & ceterarum rerum studio & delinquentium rationem coram Deo redditurus est, & ut de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, parochiam universam circumeat, & cuncta, quæ emendatione egent, vice sui Episcopi corrigat & emendet &c. *c. officium. de off. Archid.* dicitur proprium ejus munus esse cum Episcopo Sacris operari, Diaconos aliósque ministros inferiores ad altaris minis-

sterium instruere, Evangelium cantare, si voluerit, aut si noluerit, mandare, quis aliorum id facere debeat, & similia alia huc spectantia dirigere. Vide Azor. *loc. cit. q.* 2. *Cap. ea quæ. de off. Archid.* demandatur ei custodia rerum ecclesiasticarum, ejusque muneris esse dicitur, vasa divinis ecclesiæ usibus dicata sedulò custodire. Azor. *loc. cit. Cap. ut nostrum. c. ad hæc. de off. Archid.* ad officium Archidiaconi spectare dicitur, ordinandos examinare, & præsentare Episcopo. Prælatos in sede locare, sive in corporalem possessionem mittere. Item *eodem cap.* ei committitur audire singulorum presbyterorum causas & jurgia. *Cap. prælectis. dist.* 24. dicitur ad illum spectare, pecuniam Ecclesiæ pietatis causâ datam accipere, & Episcopo reddere; Diaconorum delicta ad Episcopum deferre; monere presbyteros de temporibus instantium festorum & jejuniorum. Azor. *loc. cit.* Vide etiam Fagn. *in c. ad hæc. num.* 6. ubi quòd hæc & similia spectantia ad officium Archidiaconi diligenter recenseantur à Jo. And. *in c. officium.* Sylv. *v. Archidiac.* Abb. & But. *in c. ad hæc.* sub initium enumerat & ipse eorum plura. *n* 24. Addit etiam Fagn. *loc. cit. num.* 6. officium proinde Archidiaconi ad duo ferè Capita reduci; nempe ad ea, quæ ei competant tanquam Principi Diaconorum Cathedralis, & ea, quæ sunt jurisdictionis; illa enim ei competere eâ ratione, quâ Caput Diaconorum constituitur: hæc verò ei tributa esse à jure, ut Episcopus facilius vacare possit his, quæ sunt Ordinis & authoritatis episcopalis, à quibus Archidiaconus excluditur. Jam verò de his ferè omnibus exactius vel jam actum in præcedentibus, ubi de potestate Archidiaconi; aut agetur in sequentibus. Porrò in quibus officium Archidiaconi ab officio Vicarii generalis Episcopi, uti & ab officio Archipresbyteri differat, satis indicatum sub initium *hujus Tract.*

*Quæstio* 663. *An Archidiaconus officium suum exercere possit, v. g. examinare ordinandos, visitare & pleraque agere, quæ habentur in* c. 1. *&* c. ad hæc. de off. Archid. *contra prohibitionem Episcopi, seu prohibitus ab Episcopo ea exercere.*

1. REspond. Non convenire in hoc AA. Negativam, nempe posse Episcopum Archidiacono, uti & Archipresbytero prohibere, ne muneribus sibi per Canones attributis fungantur, & stante hac prohibitione, eorum nihil eum posse, tenent, de Archidiacono quidem post But. Abb. *in c. officium de off. Archid. num.* 5. de Archipresbytero Hostiens. *in sum. tit. de off. Archiep. §. quæ pertinent.* apud Fagn. *in c. ad hæc. num.* 3. & *in c. litera. de matrim. contract. contra interdict. Eccles. num.* 22. eâ nixi ratione, quòd in his sint Vicarii Episcopi.

2. Contrarium, nempe Archidiaconum & similes ideo dici Vicarios Episcopi; quia exercent ea, quæ etiam ad Episcopum pertinent; non esse tamen tantùm Vicarios, sed certâ dignitate potiri; adeò ut propterea removeri non possint ad libitum Episcopi, nec ipso pro suo velle illorum officia exercere, tenent Innoc. *in c.* 1. *de off. Archid. num.* 1. Jo. And. *ibid. num.* 4. Anchar. *n.* 3. Archid. *in c. prælectis. d.* 25. Quin & But. & Abb. *in cit. c.* 1. apud Fagn. *cit. num.* 31. Quam sententiam Innocentii teneri communiter à Canonistis, & videri sibi veriorem, asserit Fagn. *loc. cit. num.* 32. ubi de suo quoque eam confirmat: nempe quòd Archidiaconus sit Vicarius non ab Episcopo assumptus, sed datus à jure, & sic non amovibilis habeat Vicariam perpetuam suæ dignitati annexam ex privilegio Canonis, quod in totum vel in partem à quoquam Pontificum (intelligit eo nomine Episcopos) convelli vel mutari non potest, ut est textus *in c. institutionis.* 25. *q.* 2. cui, ut Archid. *in c. licèt Canon. de elect. in* 6. *num.* 3. non potest responderi.

*Quæstio* 664. *Quid muneris sit Archidiacono circa institutionem corporalem seu missionem in possessionem?*

1. REsp. primò: Ad Archidiaconum spectat, Prælatos (intellige electos & confirmatos) in sede locare. Pignat. *tom.* 4. *cons.* 183. *num.* 14. hic de jure communi spectat ad Archidiaconum collocare Abbates & Abbatissas in sua sede. Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid. num.* 22. Barbos. *Iur. eccles. l.* 1. *c.* 24. *num.* 25. juxta *c. ut nostrum. de offic. Archidiac.*

2. Resp. secundò: De jure communi spectat ad Archidiaconum, Clericos provisos seu institutos ab Episcopo (idem est de institutis aut provisis ab aliis inferioribus) mittere in corporalem possessionem beneficiorum Fagn. *loc. cit.* Zerol. *in pr. Episc. v. Archidiaconus.* Parii. *de resign. l.* 10. *q.* 6 *num* 32. & expressius *l.* 8. *q.* 9. *num.* 57. Barbos. *loc. cit. num.* 32. citans Per. Gregor. *Syntagm. juris. l.* 15. *c.* 20. *n.* 6. Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 7. *&c.* juxta *cit. c. ut nostrum.* ubi § *in quadam.* dicitur, institutionem corporalem tam super beneficiis, quàm dignitatibus debere ad Archidiaconum pertinere. Nec obstat, quòd in *c. licèt Episcopus. de præb. in* 6. dicatur, ad Episcopum spectare missionem in beneficiorum possessionem; quia id intelligi potest, non quidem de ipsa missione in corporalem possessionem, sed de sententia seu decreto, quo Episcopus pronunciat seu decernit, institutum mittendum in possessionem. Barbos. *loc. cit.* vel potest intelligi, ut procedat de consuetudine, quâ id spectat hodiedum ad Episcopum. Barbos. *ibidem.* Quòd si autem vi *citati c. licet Episcopus.* id de jure spectaret ad Episcopos, ut volunt aliqui apud Paris. *loc. cit. num.* 33. dicendum foret, per dictum *c. licet Episcopus*, utpote posterius derogatum *cap. ut nostrum.* tanquam priori.

3. Resp. tertiò: Tametsi autem de jure spectaret aut spectasset aliquando ad Archidiaconum, potest nihilominus idipsum ex consuetudine particulari hic & nunc spectare ad Episcopos, Vicarios, aliósque Ordinarios, prout illud hodiedum de consuetudine spectare ad Episcopos, Vicarios aliósque Ordinarios affirmat Paris. *cit. n.* 33. citans Covar. & *l.* 8. *q.* 9. *n.* 58. ubi: quamvis id (nempe emittere in possessionem) de jure spectet ad Archidiaconum. *c. ad hæc. de off. Archid.* tamen generalis consuetudo hoc extendit etiam ad alios; pro quo citat Rebuff. *in pr. tit. de miss. in possess.* Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 15. Quemadmodum è contra, si illud spectaret de jure ad Episcopos, nihil vetaret, quò minùs hic & nunc sive in quibusdam locis

locis id spectet privat vè ad Archidiaconum, uti simile quid habes in facultate conferendi.

*Quæstio 665. Quodnam sit officium Archidiaconi quò ad Chorum?*

1. REsp. primò in genere: in choro habere Archidiaconum primam Dignitatem post pontificalem; alisque ibidem superiorem & majorem haberi; pronunciat Barbos. *Iur. eccles. l. 1. c. 24. num. 20.* spectare ad eum ratione proprii muneris in absentia Episcopi ejúsque Vicarii regimen chori, ait Pignat. *tom. 4. consult. 183. n. 1.* Dátque ipse ordinem gerendorum in choro. Pignat. *loc. cit. num. 2.* citans Barbos. *de Can. & Dignit. c. 5. num 20.* Grammat. *decis. 24. num. 7.* & Rotam apud Put. *decis. 8. num. 3. l. 3.*

2. Resp. secundò in specie: ad illum permanentem in choro spectat in principio Matutini, Horarum Canonicarum & Vesperarum intimare *Pater noster.* Item hoc recitato, dare manu signum, ut incipiatur: *Domine labia.* vel *Deus in adjutorium.* Item ad primam dicere: *Dies & actus nostros &c. Adjutorium nostrum &c. Deus nos benedicat &c.* ad Completorium: *Noctem quietam &c. Benedicat & custodiat &c.* & in fine Horarum & Matutini: *Dominus det nobis &c.* & antequam signum per ipsum detur, nemo expleto officio è choro egredi debet. Barbos. *cit. c. 24. num. 20.* testans sic statuisse S. Congr. Card. præpos. negot. Episc. & Regular. *in Theatina sub die 18. Aprilis 1617.* Pignat. *cit. cons. 183. num. 3. & num. 2.* ubi, quòd Archidiaconus Cathedralis, ut prima dignitas post pontificalem, dum est in choro, recognosci debeat tanquam superior & major, & ad ipsum spectent nutus & versiculi superiores, & officio finito dare signum egressûs à choro, & licentiam exeundi antequam sit finitum &c. Declaratum sit *in dicta Theatina.* sic *c. officium. de off. Archid.* dicitur, ipsum omne officium ecclesiasticum providendo Lectiones & Responsoria in matrice ecclesiâ dare debere & auscultare, in tantùm, ut nullus Evangelium aut Epistolam, responsoria vel quamlibet in ecclesia Lectionem legat & cantet, donec ab illo auscultetur. Verùmtamen, cum sæpius inter Archidiaconum & Primicerium seu Cantorem excitata fuerit controversia super officium dirigendi chorum, teste Pignat. *tom. 4. cons. 27. à num. 1.* nonnunquam in favorem Cantoris rescripsit S. Congreg. Rituum, ut videre est apud eundem *in Cassanens. 5. Martii 1633.* ubi: Cantoris Dignitatis in Cathedrali munus est, distribuere Lectiones, Antiphonas & prophetias, chorum regere & gubernare, ordinare tabellas & functiones ecclesiasticas per turnum ordine successivo; nec non dicere potest, quò & quæ ducendæ dirigendæve processiones, &c. Quandoque è contrà in favorem Archidiaconi declarasse visa est eadem S. Congregatio, ut videre est apud Pignat. *loc. cit. num. 2. & seq.* ubi Archidiaconus opponens se dictæ Ecclesiæ Cantori exercenti ista munia, juxta præscriptum illud S. Congr. aliam attulit de 15. Sept. ejusdem anni in favorem sui emanatam declarationem, in qua statuitur primò, Capitulares de choro exire volentes ab Archidiacono primâ dignitate, si præsens est, veniam petere debere. Secundò tabellam, in qua describi debent illi, per quos exercendæ sunt functiones ecclesiasticæ per turnum, ad Archidiaconum spectare, præscribere & ordinare: Cantoris autem munus esse chorum regere, juxta præscriptum in tabella. Tertiò ad Archidiaconum spectare, pro inchoando divino officio & pro discessu à choro &c. dare signum. Quas tamen S. Congregationis declarationes hac ratione conciliare nititur Pignat. *loc. cit. n. 7.* Quòd præter functiones, quæ in prima illa S. Congreg. declaratione speciatim in favorem Primicerii sunt expressæ, aliæ supersint, de quibus favore Archidiaconi potuit S. Congr. intelligere; nempe nominare sacerdotes, qui debeant celebrare & canere Missam, item Diaconos & Subdiaconos, & alia facere, quæ spectant ad Altare; non autem ad cantum & chorum, cujus directio nedum est reservata Cantori in prima declaratione, sed & in secunda, licèt hæc emanarit instante Archidiacono. & hæc quidem, ut ait Pignat. *num. 8.* conformiter dispositioni juris communis *in c. prælectis. d. 25.* in quo exprimuntur omnia munia Primicerii à muniis & officio Archidiaconi distincta juxta tenorem primæ declarationis ante relatæ. Videtur nihilominus quò ad hæc quoque deferendum consuetudini, præsertim immemoriali ecclesiarum particularium; constitutiones enim & consuetudines per diversa loca prævalent in officiis. Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid. n. 13.* ex Innoc. & juxta *c. cum olim. de consuetud.* Quamvis Pignat. *loc. cit. num. 9.* asserat, ad confundenda hæc munia Cantoris & Archidiaconi non sufficere, quòd eorum prædecessores sic concordarint, si concordia hæc confirmata non fuerit authoritate pontificia; eò quòd juxta Trid. *sess. 6. c. 4.* Extrav. *Ambitiosæ de rebus Eccl. non alien.* & *c. venens. de transact.* Transactio inter personas eccles. nisi sit confirmata à Papâ speciatim ex certa scientia cum causæ cognitione, non teneat (intellige quò ad ligandos successores) & concordiæ non confirmatæ ex certa scientia à Trident. fuerint sublatæ; licèt subjungat idem Pignat. quòd in materia præeminentiarum concordia coram Ordinario facta à prædecessoribus liget successores, etiam sine beneplacito Apostolico, indicasse Rotam apud Seraph. *decis. 36.* & *in Consentin. præcedentiæ. 6. Iun. 1618. coram Dunozetto.*

*Quæst. 666. Quodnam sit officiũ Archidiaconi circa celebrationem Missarum solennium?*

1. REsp. primò: præter ea, quæ hac de re dicta sunt supra ad Archidiaconum spectare omnia, quæ ad divinorum celebrationẽ (inter quæ videtur præcipuum celebratio Missarum: pertinent, ait Pignat. *cit. cons. 27. n. 6.* citans Gl. & DD. communiter *in c. 2. de off. Archid.* Nihilominus Archipresbyterum debere providere cuncta, quæ in Sacerdotum ministerio sunt præstanda, dicitur *c. ministerium. de off. Archid.* juxta quæ Host. *in sum. de off. Archip. §. quæ pertinent.* ait, Archipresbyterum debere providere ministeriũ presbyterorum Cardinalium, id est, ecclesiam Regentium, sic dictorum à cardine, quo ostium sustentatur, ut idem Host. cúmque dicta decretalis ministerium apertè concedat Archipresbytero, ut provideat cuncta præstanda in ministerio Sacerdotum, exceptis iis, quæ sunt prohibita, quæ omnia sunt Ordinis Episcopalis; & exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, sequitur in omnibus, quæ ad Sacerdotum ministerium spectant, & non sunt Ordinis Episcopalis (inter quæ utique est quoque celebra-

celebratio Missarum) Archipresbyterum esse præordinatorem, hæcque eum per se præstare debere aut aliis committere. Fagn. *in c. ad hæc. num.* 11. & 12. Quin & *c.* 1. *de off. Archip.* expressè & speciatim attribuitur Archipresbytero, ut Missarum solennia celebret. Unde jam celebrationem Missarum solennium absente Episcopo non spectare de jure ad Archidiaconum, sed ad Archipresbyterum, fusè defendit Fagn. *loc. cit. à num.* 13. per plures *num. seq.* ubi: non obstare, quòd Host. *loc. cit.* postquam explicaret jus Archipresbyteri quò ad divinorum celebrationem, subdat; illud spectare principaliter ad Archidiaconum, & secundariò ad Archipresbyterum sub Archidiacono; eò quòd Host. non asserat id convenire Archidiacono de jure, sed de consuetudine, ubi nimirum sic habent diversæ ecclesiæ. Uti etiam textus *c. officium. de off. Archid.* maximè favens Archidiacono, & pugnare visum cum *c. Ministerium. de off. Archip.* loquitur de consuetudine, quæ ubi non est, non competit Archidiacono jus ordinandi officium ecclesiasticum. pro quo Fagn. citat Jo. And. *in c. ad hæc.* dicentem, omnia, quæ in citata decretali *ad hæc.* de jure spectare ad Archidiaconum; cetera verò omnia, quæ continentur in *cit. c. officium* & reliquo *tit. de off. Archid.* procedere de consuetudine, quam nisi probet Archidiaconus, debeat succumbere: adeóque jam jus celebrandi divina competere Archipresbytero de jure; Archidiacono verò tantùm, ubi est consuetudo. Item, ut Fagn. *num.* 16. non obstare, quòd ad Archidiaconum spectent omnia sub Episcopo; cùm sit illius Vicarius in omnibus; & ad Archipresbyterum omne sub Archidiacono; adeò, ut post Episcopum Archidiaconus omnibus præsit; eò quòd id optimè sic intelligi possit, ut dicta quidem ministeria spectent quidem de jure ad Archipresbyterum, & non ad Archidiaconum; Archipresbyter tamen, etiam cùm illa præstat, subsit Archidiacono; adeò ut ab eo visitari & corrigi possit, & si in eis perperam quid aut inordinatè gesserit, coërceri, uti id de jure spectat ad Archidiaconum. Item, ut habet *num.* 17. non obstare, sive ex eo nudum Archipresbyterum in hisce debere cedere Archidiacono, quòd Archidiaconus hic & nunc sit presbyter, adeóque jam Ordine par Archipresbytero, & eo major administratione, ne alioquin ob susceptum ab Archidiacono sacerdotium, is jam posset Archipresbytero præripere ministeria omnia ad Archipresbyterum de jure spectantia, subvertatur totus titulus *de off. Archipresbyteri*; ac ita si, quæ jura miro ordine constituentia hâsce duas dignitates ad relevandum Episcopum, assignando cuique sua propria munia, nihilque magis abhorrentia, quàm unum occupare officia plurium. *c. singula. dist.* 89. dependerent à solius Archidiaconi voluntate, hic tot curis implicitus vix par illis esse posset. Econtra Archipresbyter omni jure sibi adempto ludibrio omnibus esset. Ad hæc, ut habet Fagn. *num.* 19. & 20. quemadmodum ratio, cur Archipresbyter præsit presbyteris, & presbyteralibus illis officiis, non est Ordo presbyteratus, utpote in quò ei æquales sunt ceteri presbyteri; sed quia id specialiter ejus dignitati à jure annexum: ita multò minùs Sacerdotium, ad quod promotus est Archidiaconus ratio esse potest; cur ea, quæ spectant hac in parte ad Archipresbyteratum, sibi sumere possit Archidiaconus; quin potius dicendum, eum ratione hujus Ordinis tanquam unum ex presbyteris Cardinalibus, de quibus *cit. c. ministerium*, quo ad celebrationem divinorum subesse Archipresbyterò ut presbyterorum capiti. Denique, quod facit pro hac sententia, Archidiaconus per accidens est presbyter, utpote cujus dignitati tantùm annexus est Ordo Diaconatus; Archipresbyter verò per se est presbyter, & ejus dignitati per se annexus Presbyteratus; Ordines enim sacri non annectuntur personis sed dignitatibus, ut patet ex Trident. *Sess.* 22. *c.* 4. proinde ex officio incumbit Archipresbytero celebratio Missarum, & nequaquam ille Ordo Archidiacono accidentalis attendendus in illo in præjudicium Archipresbyteri, cui is est naturalis; neque ex inde sequitur, quòd Archidiaconus sit par Ordine Archipresbytero quò ad hoc, ut in celebratione Missarum sit ei præferendus. Fagn. *numer.* 20. Uti & hoc confirmatur ex eo, quòd Canonici habentes Canonicatus Diaconales, licèt sint presbyteri, Missam solennem non celebrent, sed inserviant in officio Diaconi. Quin & in Capella pontificia Cardinales Diaconi, licèt in presbyteros ordinati, & habeant Archiepiscopatus, tamen non celebrent. sed assistant celebranti in officio Diaconi, & sedent ultimi post Cardinales presbyteros. Fagn. *num.* 21.

2. Eidem sententiæ iisdémque principiis inhæret Pignat. *Tom.* 1. *consult.* 6. ubi non tantùm *num.* 4. ait, quod ad Archidiaconum spectet munus celebrandi Missas solennes, quando Archipresbyter est impeditus (loquitur autem de Ecclesia, in qua de consuetudine Archipresbyteratus est prima dignitas sacerdotalis, & Archidiaconatus dignitas tertia Diaconalis) sed & *num.* 10. censet, functiones pontificales & Missas solennes celebrare spectare potiùs ad Primicerium, tametsi Primiceriatus in ea ecclesia non esset, nisi dignitas quarta sacerdotalis, innixus, ut ait, generali regulæ, quæ nimirum in hac materia potissimum attendenda est distinctio Ordinum juxta *c. statuimus. de major. & obed.* & *ibi* DD. passim. Adeóque cùm Archidiaconatus sit dignitas Diaconalis, non potest nec debet exercere munia, quæ spectant ad dignitatem vel præbendam sacerdotalem; nec exinde, quòd Archidiaconus pro libitu suscipiat Presbyterium, possit exercere, quæ sunt destinata dignitatibus & præbendis sacerdotalibus; eò quòd qualitas superinducta non sit habenda in consideratione in ordine ad has functiones, in quibus attenditur dignitas, cui per se & ex statuto inest talis Ordo. Neque incongruum sit, unam eandemque personam ob varios respectus censeri diverso jure, & sic unum in uno casu esse majorem & digniorem alio, & in alio minùs dignum eodem. Pignat. *loc. cit. num.* 12. citans Decium *in c. sanè. de off. delegat.* Tiraquel. *de Nobilit. c.* 10. *num.* 11. Menoch. *cons.* 902. *num.* 71. *& seq.* Adeóque nec incongruum, minùs dignum, qualis est Archipresbyter, ratione administrationis respectu Archidiaconi, præferri in his functionibus magis digno juxta *c. Officium. de off. Archid. & Archip.* Pignat. *cit. nu.* 12. citans Nav. *Cons.* 636. *num.*

*num.* 1. Menoch. *conſ.* 51. *n.* 56. *&c.* incongruum verò & non minus abſurdum, Archidiaconum ſe ingerere in illis functionibus, quæ ſpectant ex inſtituto ad Ordinem ſacerdotalem, quàm Archipresbyterum vel Primicerium exercere ea, quæ propria ſunt Ordini Diaconali. Quin & ait Pign. *loc. cit.* eſſe contra jus publicum conſuetudinem illam, quâ dignitas Diaconalis illa exercet, quæ ſunt dignitatis ſacerdotalis, prout citat Decium *conſ.* 21. *nu.* 4. *& ſeq.* Abbas. *Conſ.* 21. *num.* 1. *&* 5. præſertim cùm ſancitum ſit non ſolùm à jure communi, ſed & ſtatutario, ne hujuſmodi conſuetudo attendatur conſtituta dignitatum diſtinctione in Sacerdotales, Diaconales, Subdiaconales.

3. Verumtamen in contrarium eſt manifeſta, & in hac materia ſingularis reſolutio Rotæ *in Viterbienſi celebrationis Miſſarum* 11. *Decemb.* 1609. *coram Card. Sacrato.* Quam verbotenus recitatam vide apud Barboſ. *de jur. eccleſ. c.* 24. *num.* 44. & eſt in impreſſis *deciſ.* 244. *p.* 3. *recent.* ubi reſolvitur Archidiaconum, ſi Sacerdos eſt, in celebratione Miſſarum, Epiſcopo abſente præferendum Archipresbytero. Diciturque idipſum bene fundatum authoritate (nimirum Hoſt. in *cap.* 1. *de off. Archip.* quem ſequuntur *ibi* Jo-And. Archid. Butr. Item Bero. *Conſ.* 22. *num.* 31. *l.* 1. Tuſch. *v. Archid. concl.* 482. *num.* 15.) & ratione, nempè quia Archidiaconus ſimpliciter loquendo eſt dignior & eminentior Archipresbytero, ideóque illum tam intra, quàm extra eccleſiam præcedere debet, ut Barbat. *Conſ.* 5. *l.* 2. *per tot.* Conveniens verò ſit majeſtati SS. Sacramenti & decentiæ eccleſiæ, ut per digniorem celebretur, niſi aliàs obſtet defectus Ordinum. Diluuntur quoque, quæ in contrarium aſſeruntur, nempe quòd hoc munus ſpecialiter demandatum Archipresbytero *c.* 1. *de off. Archip.* non enim propterea prohibeatur Archidiacono, ſi ex aliis juris Regulis poteſt ad illum ſpectare; cùm novum non ſit in jure, idem officium competere pluribus, ordinativè tamen ita ut unus alteri præferatur; ut in terminis celebrationis Miſſarum Bero. *loc. cit. n.* 23. Item alterum, quòd celebratio Miſſarum ſit ex iis, quæ ſpectant ad Ordines, in iis verò Archipresbyter ſit major Archidiacono, & Sacerdotium per ſe ſit annexum Presbyteratui. Præterquam enim dum Archidiaconus eſt Sacerdos, eo major eſt Ordine Archipresbytero, Ordo ſacerdotalis non ineſt dignitati, ſed perſonæ, in cujus anima imprimitur Character, & licèt una dignitas requirat perſonam majoris Ordinis quàm altera, non tamen ideo dici poſſit propriè, quòd una dignitas ſit Ordine ſacro major alterâ; adeóque jam parum referat, quòd qualitas Sacerdotis ſit accidentalis Archidiaconatui; eò quòd ſi conſiderentur ſolæ dignitates, nullo modo eis ineſt Ordo ſacer; ſi autem attendantur perſonæ, utrique ineſt accidentaliter, unde jam in hoc ſunt pares, illa debet præferri, quæ eſt ceteris eſt dignior. Ad quam deciſionem Rotæ non aliud reſpondet Fagnanus *loc. cit. num.* 21. quàm: certè obſtant jura & fundamenta ſuperiùs ponderata. Huic quoque ſententiæ & deciſioni Rotæ inhæret Lotter. *L.* 1. *q.* 16. *à n.* 144. ubi: in divinis Archidiacono videtur præferri Archipresbyter. Quod tamen provenit ex mera contingentia; quia Archidiaconus non ſit presbyter; ſi enim initiatus ſit ſacro Presbyteratûs Ordine, & velit ipſe celebrare, nihil eſt, quin etiam in divinis, ipſaque Miſſæ celebratione is præferri debeat, ut docuit Hoſt. Bero &c. & probavit Rota *in Viterbienſi.* Licèt, ut addit Lotter. *nu.* 116. *& ſeq.* in hac re ſemper prævaleat conſuetudo, ut Hoſt. *loc. cit.* Ruin. *conſ.* 156. *num.* 4. *l.* 4. Seraph. *deciſ.* 716. *num.* 1. quantumcunque repugnet juri communi, ut idem Seraph. *deciſ.* 335. *num.* 3. *& deciſ.* 964. *num.* 1. modò non ita repugnet, ut ſonet in meram corruptelam, ut Abb. *conſ.* 155. *num.* 11. *l.* 4.

4. In ſpecie verò ad funera Magnatum impedito Epiſcopo, vel etiam Sede vacante, Miſſam ſolennem celebrare ſpectare ad Archidiaconum tanquam primam dignitatem, & eo impedito ad ſecundam dignitatem, & ſic gradatim ad alias dignitates; eò quòd dignitates illæ præferantur omnibus aliis, etiam Vicario Capitulari in his, quæ ſpectant ad exercitium Ordinis, tradit Pignat. *Tom.* 4. *conſ.* 183. *num.* 9.

## *Quæſtio* 667. *Quodnam ſit Officium Archidiaconi in aſſiſtendo & miniſtrando Epiſcopo.*

REſp. ad officium Archidiaconi ſpectat, Epiſcopo miniſtrare, ut cenſuit S. Congreg. Rituum *in una Piſaurienſi.* 10. *Jun.* 1600. Barboſ. *jur. eccleſ. L.* 1. *c.* 24. *num.* 18. & Epiſcopo ſolenniter celebraturo, S. Evangelium, ſi voluerit, legere. Barboſ. *ibid.* Sic in ipſa Ordinatione, & in confectione chryſmatis & aliis ſimilibus miniſtrare debet. Barboſ. *loc. cit. num.* 22. *in fine,* citans *c. Acolytus. c. Oſtiarius. diſt.* 23. Item Epiſcopo ſolenniter celebranti, vel Miſſam ſolennem & Veſperas audienti à dexteris aſſiſtere debet. Barboſ. *loc. cit. num.* 23. citans Caſtald. *in pr. cærem. l.* 1. *ſect.* 8. *c.* 7. *num.* 3. Sic debere illum exercere officium presbyteri aſſiſtentis cum pluviali Epiſcopo ſolenniter celebranti juxta plures S. Cong. Rituum reſponſiones, ait Pignat. *To.* 4. *conſ.* 183. *num.* 7. Barboſ. *loc. cit. num.* 50. ubi etiam, quòd debeat Epiſcopo candelam & palmam benedictam miniſtrare, ſi ſit in ſacerdotali Ordine, ut Cong. Rituum *in Reatina.* 10. *Jan.* 1609. & ex quo Archidiaconus debet exercere officium presbyteri aſſiſtentis, etiam debere illum aſſiſtere Epiſcopo prædicanti, *cæremoniale. L.* 2. *c.* 8. diſponente de Miſſa ſolenni Epiſcopo celebrante, quod Epiſcopo prædicante ad ejus dexteram ſedere debeat presbyter ille aſſiſtens, & ſic ille idem aſſiſtens celebrationi Miſſæ. Pignat. *loc. cit. num.* 10. Verùm quò ad aſſiſtentiam illam, quâ in officio presbyteri aſſiſtit Epiſcopo ſolenniter celebranti ſupponunt AA. Archidiaconatum eſſe primam dignitatem; & ubi talis non eſt, non competere id Archidiacono, ſed primæ dignitati. Sic enim expreſsè Barboſ. *cit. num.* 50. Archidiaconus, ſi ſit prima dignitas, debet exercere officium presbyteri aſſiſtentis &c. Pignat. *cit. n.* 7. Archidiaconus prima dignitas, debet exercere officium presbyteri aſſiſtentis Epiſcopo pontificaliter celebranti; & illa aſſiſtentia ſemper facienda eſt à prima dignitate, quocumque nomine nuncupetur. Unde abſente aut impedito Archidiacono, ea procul dubio pertinet gradatim ad alias dignitates, & demum ad Canonicos, ut

S. Cong.

S. Congr. Rituum apud Barbos. *collectan. 57. num. 20. & collect. 253. num. 6. & 14.* Porrò Archidiaconum recusantem illam assistentiam, cogendum pœnis & censuris habet S. Cong. *in una Brixien. 28. Maji 1616.* apud Barbos. *cit. num. 50.* Dum verò est in assistentia Episcopi, intelligitur esse præsens in choro tam in Cathedrali quàm in alia. Barbos. *ibidem* juxta S. Cong. in *Camerien. 15. Martii 1608.* Denique Archidiaconum, qui sustinet baculum Episcopi solenniter celebrantis, thurificandum immediatè post Diaconos assistentes, etsi ipse sit primus Diaconus, censuit S. Cong. Rituum *in Bracharen. 28. April. 1607. & 29. Jan. 1608.* teste Barb. *loc. cit. num. 52.*

### *Quæstio 668. Quod sit Officium Archidiaconi circa custodiendas res sacras?*

1. Resp. primò in genere, Archidiacono rerum ecclesiasticarum custodiam præcipuè commissam esse; ideóque, si quid per culpam vel fraudem cujuspiam perierit, ab eo repetendum ait Laym. *ad c. ea quæ. de off. Archid.* ubi expressè dicitur: *Scire à te volumus, quòd à te districtè quæsituri sumus, quia vel propriæ ecclesiæ, vel ea quæ de diversis ecclesiis cimelia sunt collecta, non sub omni sollicitudine & fide serventur: quòd si quid ex iis vel negligentiâ, vel cujuspiam fraude deperiit, tu hoc reatu astringeris, qui per Archidiaconatûs ordinem custodiæ ejusdem ecclesiæ arctiùs deputaris &c.* circa quæ illud notat Laym. *loc. cit.* supremum rerum ecclesiæ custodem teneri non tantùm ex culpa propria, lata aut levi; sed etiam si ex culpa aut dolo inferiorum. v. g. sacristæ aliquid perierit: id verò intelligendum, si ipse superior negligentiæ argui possit, quòd inferioribus non attenderit; quamvis priùs obligetur inferior, qui perdidit aut destruxit, & in defectum illius superior, cui ex officio incumbebat impedire. Citat seipsum pro hoc *Theol. mor. tract. 2. c. 6. num. 2.*

2. Resp. secundò in specie pertinebat ad illum, pecuniam ecclesiæ causâ pietatis donatam accipere, & Episcopo deferre Azor. *Inst. mor. l. 3. c. 14. q. 2.* Item pertinet ad eundem vasa divinis ecclesiæ usibus dicata sedulò custodire. Azor. *loc. cit.* Barbos. *Jur. eccl. l. 3. c. 24. n. 24.* Custodiam quoque Eucharistiæ spectare ad Archidiaconum, & non ad Archipresbyterum satis indicat Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid. num. 21. in fine.* ubi ex Decio *cons. 420. num. 4.* dicit, Eucharistiæ custodiam separatam esse ab iis, quæ per Canones mandatur Archipresbytero.

### *Quæstio 669. An, & quid Officii sit Archidiacono circa convocationem Capituli?*

Respondet Fagnanus *ad cap. ut Abbates. de ætat. & qual. num. 29.* esse Archidiaconum caput Capituli, pro quo citat Butr. *in c. dilecti. de major. & obed. num. 2.* & hinc ad illum tanquam majorem spectare, convocare Capitulum, pro quo citat Host. *in c. 1. de major. & obed. num. 2.* Jo-And. *num. 5.* Bellam. *num. 4.* Butr. *num. 10.* Quin & ait. *nu. 28.* Quòd si Archidiaconus renueret convocare Capitulum, cogi possit ad hoc ab Ordinario. Verùm rectè subjungit ex Abb. *in c. auditis. de elect. notab. 3.* de consuetudine hoc jus convocandi Capitulum spectare ad Decanum, & sic passim in Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ videmus fieri.

### *Quæstio 670. Quæ ætas requiratur in Archidiacono?*

Resp. dum Archidiaconatus annexum habet curam animarum, requiri 24. annos ætatis completos, ait Laym. *in c. indecorum. de ætat. & qual.* & citat *c. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora.* & Trid. *sess. 24. c. 12.* Requiri ad illum ætatem 25. annorum ait Barbos. *de jur. eccles. c. 24. n. 10.* Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 3 §. 11. num. 18.* Neque per hoc disconveniunt hi AA. cùm posteriores loquantur de 25. annis non completis, sed attactis, seu de 25. annis inchoativè, uti & ipse Laym. *loc. cit. num. 1.* cum communi ait ad beneficium curatum qualecunque infra Episcopatum requiritur ætas 25. annorum cœptorum. Plus enim ad curata non requirit Tridentinum, quàm ut quis annum 25. attigerit, & incepisse annum 25. est illum attigisse. Porrò cùm procedat idipsum in omni beneficio curato, etiam minùs strictè tali, seu habente solùm jurisdictionem spiritualem fori externi Barbos. *ad cit. loc. Trid. numer. 2.* Lotter. *l. 2. q. 49. num. 24. ego for. benef. p. 1. q. 217. num. 2.* convenit utique Archidiaconatui, dum is curam jurisdictionalem seu fori externi habet. Si verò est solùm dignitas sine cura animarum, etiam jurisdictionali, more aliarum dignitatum non requirit, nisi annos 22. completos. Laym. Barbos. Tond. *loc. cit.* juxta Trid. *loc. cit.*

### *Quæstio 671. An & qualem S. Ordinem annexum habeat Archidiaconatus?*

Resp. Archidiaconatus in propria institutione requirit Sacrum Ordinem. Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. num. 2.* & quidem requirit necessario Diaconatum, sive qui Archidiaconatum obtinet, de jure ordinari debet Diaconus. Laym. *in c. ut Abbates. de ætat. & qual.* Fagn. *in idem c. numer. 12.* Pignat. *Tom. 1. cons. 6. num. 5.* Non est tamen de sui natura seu de jure sacerdotalis Pignat. *loc. cit.* Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid. num. 20.* cum communi. In ecclesiis tamen, ubi est prima dignitas, requirit Ordinem Presbyteratûs Fagn. *in c. ut Abbates. num. 13.* ubi: quia in plerisque ecclesiis hæc dignitas est prima post pontificalem, pro ut esse de jure affirmat Bellam. *in c. 1. de off. Archid. in pincip.* & ideo illius collatio per regulas est Sedi Apostolicæ reservata, in literis collationis ex stylo apponi consuevit clausula: ut provisus teneatur infra annum in presbyterum ordinari, alioquin Archidiaconatus eo ipso vacare censeatur.

### *Quæstio 672. An, & quo gradu insigniri debeat Archidiaconus?*

1. Resp. Archidiaconus debet esse Magister seu Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel in jure Canonico. Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. numer. 16.* Fagn. *in c. licèt. de pœnis. num. 2.* Pignat. *Tom. 9. cons. 114. nu. 42.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 4. num. 68.* (idem dicens magis præcisè disponi quòd ad Scholasteriam) Garc. *de benef. l. 7. c. 7. num. 36.* Barbos. *jur. eccl. l. 1. c. 24. num. 5.* citans quam-

quamplures alios juxta expressum textum Trid. *sess. 24. c. 12.* ubi : *Archidiaconi, etiam qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, aut Licentiati in Jure Canonico.* Proinde jam non sufficit Doctoratus vel Licentiatus in Jure civili vel Medicina, Garc. *loc. cit. num.* 37. ex Navar. *in Manual. c.* 25. *num.* 135. Unde jam etiam, ut Barbos. *loc. cit.* stylus curiæ inhærendo isti Decreto Concilii exigit in promovendo ad Archidiaconatum gradum Magisterii in Theologia, vel saltem in Jure Canonico ; ita ut, dum porrigitur supplica pro Archidiaconatu hujusmodi obtinendo, ea aliter non signatur, quàm si positivè narratum sit, Oratorem esse Magistrum in Theologia aut Doctorem in Jure Canonico vel Licentiatum : vel si talis non sit, non aliter rescribatur supplicationi, quàm sub hac clausula : Quòd dictus Orator infra annum proximum Magisterium in Theologia seu Doctoratûs aut Licentiaturæ in Decretis gradum prævio examine in aliqua approbata Universitate studii generalis, ac aliàs servatis servandis suscipere omnino teneatur ; alioqui præsens gratia nulla sit, ipse Archidiaconatus vacet eo ipso. Unde etiam patet, tales debere esse promotos in Gymnasio publico. Garc. *loc. cit. num.* 40. ex Zecho *de rep. eccles. c.* 24. *de Canonico. num.* 3. sive, ut verba dicta clausulæ habent ; *in Universitate approbata studii generalis*, ita ut aliàs gradus illis non suffragetur ex Bulla Pii V. Barbos. *loc. cit. num.* 7. citans Massob. *in pr. habend. Concurs. requisito* 10. *dub.* 6. *num* 6. Novar. *in singul. Canonic. concl.* 41. *num.* 4. Squillante &c. Adeóque nec Doctoratûs ex privilegio ad hujusmodi dignitatem promoveri valeat, Barbos. *cit. num.* 7. citans Novar. *in qq. forens. q.* 143. *concl. unic.* Menochium *de arbitr. casu.* 425. *num.* 42. *&c.*

2. Extenditur hoc ipsum Decretum Tridentini non solùm ad Archidiaconum majorem, sed ad omnes, ubi fortè plures sunt in ecclesia hac dignitate cum jurisdictione fulgentes. Pign. Fagn. *loc. cit.* eò quòd Concilium loquatur indefinitè. Quamvis tamen uterque addat, propter verba illa Concilii : *ubi fieri poterit* : dum agitur de optione, quæ competit tantùm Canonicis antiquioribus, & non est sublata per Tridentinum si inter omnes Canonicos adsit aliquis Doctor, illi dandum esse Archidiaconatum vacantem, & non antiquiori ; si autem nullus adsit Doctor, admittendum esse antiquiorem Canonicum licèt non Doctorem.

3. E contra non extenditur ad illos Archidiaconos, qui omni prorsus curâ animarum & jurisdictione carent. Pignat. *cit. num.* 42. *in fine.* Garc. *loc. cit. num.* 39. recitans *num.* 41. quatuor pro hoc expressas S. Cong. Concilii declarationes. Barbos. *loc. cit. num.* 6. citans Piasec. *in pr. Episc. p.* 2. *c.* 5. *num.* 20. & plures alios. Porrò si ex consuetudine ecclesiæ alicujus potestas & jurisdictio aliàs de jure competens Archidiacono competeret Archipresbytero, deberet esse Doctor vi dicti Decreti Trident. Garc. *loc. cit. num.* 42. ex Menoch. *de arbitr. casu* 425. *numer.* 42. Barbos. *loc. cit. num.* 7. *in fine* citans Riccium *part.* 4. *decis.* 248.

# FINIS.




ERRA-

*Errata primi & secundi Tractatus posita sunt supra post finem Tractatus secundi:*

*Sequuntur nunc hic*

# ERRATA

## TERTII ET QVARTI TRACTATVS

Quæ sic corrige:

QUæstione 456. lin. 16. *jam* lege *eam*. Quæst. 466. lin. 29. *per* lege *pro*. Quæst. 486. n. 2. lin. 2 *ipsa* lege *ipsæ*. Quæst. 494. n. 4. *consensu* lege *consensum*. Quæst. 496. lin. penult. *impositione* lege *impositioni*. Quæst. 502. n. 1. lin. 34. *circulum* lege *circulus*. ibid. n. 1. omissum est *à*. Quæst. 504. lin. 9. *à fine quam* lege *quem*. Quæst. 509. n. 3. lin. 20. *expressum* lege *expressam*. Quæst. 412. lege 512. Quæst 512. n. 4. lin. 6. à fine *dimissorias* lege *dimissoriarum*. Quæst. 523. n. 2. *clericus* lege *electus*. Quæst. 531. lin. 4. à fine *extra* lege *circa*. Quæst. 532. n. 5. lin. 2 *licè* lege *licèt*. Quæst. 533. n. 1. lin. 5. omissum est: *resignationes*. Quæst. 545. n. 2. lin. 18. *tantam* lege *tantùm*. Quæst. 551. n. 4. lin. 7. à fine *vocabulis* lege *vocalibus*. Quæst. 557. n. 6. lin. 45. *licentiatose* lege *licentiatos*. Quæst. 566. n. 1. linea 30. *in re* lege *jure*. Quæst. 586. lin. penult. *Leagtorum* lege *Legatorum*. Quæst. 594. lin. 1. *Pagn.* lege *Fagnan*. Quæst. 604. n. 4. lin. 4. à fine redundat *nimirum*. Quæst. 612. n. 1. lin. 34. *est* lege *&*. Quæst. 622. lin. 2 *vocabus* lege *vocabulis*. ibidem lin. 14. omissum est *attendere*. Quæst. 624. n. lin. 2. à fine omissum est *constituendi*. Quæst. 629. n. 1. lin. 7. *Synomina* lege *Synonima*. Quæst. 634. n. 1. lin. 4 *inferiore* lege *inferiores* Quæst. 636. n. 1. lin. 1. omissum est *non*. ibidem n. 4. lin. 1. omissum est *non*. Quæst. 643 lin. 17. à fine *plena* lege *plura*. Quæst. 648. n. 4. lin. 4. à fine *dispensanda* lege *dispensandi*. Quæst. 651. n. 3. lin. 9. *visitatorem* lege *visitationem* ibidem lin. 18. omissum est *posse*. Quæst. 654. n. 5. lin. 11. *sana* lege *sacra*. Quæst. 655. n. 11. lin. 25. *dudi.is* lege *judicis*. lin. 26 *heferendum* lege *deferendum*. lin. 27. *pominis* lege *hominis*. lin. 28. *nec* lege *per*. lin. 29. *docti* lege *nocti* lin. 30. *icat* lege *dicat*. lin. 41. *viceia* lege *vicinia*. ibidem n. 15. lin. ult. *melior* lege *mitior*. ibidem n. 16. lin. 27. à fine *formam* lege *famam*. Quæst. 659. n. 3. lin. 13. à fine *indigenis* lege *indignis* Quæst. 666. n. 1. lin. 41. *visum* lege *visus*. ibidem lin. 65. *nudum* lege *necdum*. ibidem n. 3. lin. 32. *presbyteratui* lege *Archipresbyteratui*. ibidem lin. 46. redundat *est*. Quæst. 667. lin. 7. *chrysmatis* lege *chrismatis*. Quæst. 668. n. 2. lin. 3. à fine *Eucharistai* lege *Eucharistiæ*.

INDEX

# INDEX
# ACCURATUS ET COPIOSUS
## RERUM OMNIUM IN HOC OPERE CONTENTARUM.

*Numerus Quæstionem significat; ubi duo sunt numeri, secundus Paragraphum quæstionis indicat.*


### *Abbas.*

Abbatibus exemptis dari nequit Coadjutor nisi à Papa. 333. 2
Abbatibus regularibus aliis dare Coadjutorem temporalem spectat ad Abbatem generalem, sive ad Definitorium. 333. 2
Abbati necdum consecrato reddito inutili non est dandus Coadjutor; sed in totum removendus: secus est de Abbate, qui non consecratur. 341
Abbatum non exemptorum confirmatio num competat Vicario Episcopi sine hujus speciali mandato. 238
Abbas Monasterii Canonicorum Præmonstratensium est Vicarius Episcopi Virdunensis. 5. 5
Abbas potest esse Vicarius Episcopi. 51. 2
Abbas immediatè post Episcopum sedere debet. 61. 1
Abbatem tamen præcedit Vicarius Episcopi. 61. 2
Abbates & Abbatissas benedicere nequit Vicarius Episcopi sine hujus speciali mandato. 12. 4
Abbatum benedictio est ordinis episcopalis. 113. 1
Abbati similive Prælato Capitulum sede vac. dare potest licentiam transeundi ad prælaturam alterius diœcesis. 503 2.
Abbates nullius diœcesis excellentiorem dignitatem & primam post pontificalem habent. 656. 3
Abbatibus intra fines diœcesis alicujus existentibus, etiamsi exemptis, nulli, qui eorum subditus non est, licet dare primam tonsuram aut minores. 664. 1
Abbates propter pinguedinem redituum usurpant sibi dignitatem supra Archidiaconum. 628. 1. 629. 2
Abbates, si sint cum territorio separato, & habeant jurisdictionem quasi episcopalem, dare possunt dimissorias, non tantum suis regularibus, sed & sæcularibus ad Ordines. 656. 3
Abbates & similes Prælati quando censeantur habere territorium separatum à diœcesi. 656. 3

### *Abbatissa.*

Abbatissa, quæ puellam admisit ad habitum vel professionem omissa exploratione voluntatis ejusdem faciendæ per Episcopum, puniri debet. 210
Abbatissæ dari potest Coadjutrix temporalis. 326. 1

### *Abbatia.*

Abbatias exemptas qualiter visitare possit Episcopus ejusque Vicarius. 167. 1

### *Abesse, Absentia.*

Abessendi studiorum causa an concedere possit beneficiato Episcopus ejusque Vicarius. 184
Absentia Episcopi non auget facultatem Vicarii nisi in casibus in jure expressis. 228. 1. 229. 2
Absentia à loco cum obligatione residendi alibi æquiparatur morti. 290. 2

### *Absolvere, Absolutio.*

Absolvere à quacunque excommunicatione non reservata Papæ potest Episcopus. 476. 1
Item à casibus papalibus occultis in foro conscientiæ. 477. 1
Idem potest Capitulum sede vacante. 477. 1
Absolvere potest Archiepiscopus excommunicatum ab Episcopo Suffraganeo. 129. 1
Limitatur hoc ipsum. 129. 2. & 3
Absolvere à casibus reservatis Episcopo qualiter possit Vicarius? 130
Absolvendi potestas ex eo ablata non est, quòd ablata sit potestas condemnandi. 126. 2
Absolvere excommunicatum ab Episcopo potest ejus Vicarius. 127
Et contra. 128
Absolvere à suspensione qualiter possit Vicarius Episcopi. 123
Absolvere qualiter ab interdicto possit Vicarius? 124
Absolvere qualiter possit Vicarius ab excommunicatione? 125.
Absolutio ab excommunicatione est actus voluntariæ jurisdict. 125. 2
Absolvere ab excommunicatione honestiùs committitur presbytero. 125. 2
Eam delegare alteri potest Vicarius Episcopi. 125. 2
Absolutio ab excommunicatione quotiescunque à Canone relinquitur inferioribus, intelligitur de solis Episcopis. 125. 4
Absolvere ab excommunicatione potest Capitulum sede vacante. 476. 1
Uti etiam ab aliis censuris. 476. 2
vide v. *Censura*.
Potest etiam absolvere ab hæresi in foro conscientiæ tam Capitulum sede vac. quàm Episcopus. 477. 1
Absolvere à casibus Papæ & Episcopo reservatis potest Capitulum sede vac. 477. 1

### *Accessus.*

Accessus & regressus ad quoscunque beneficiorum prohibiti per Tridentinum. 309. 4

### *Acta.*

Acta coram Officiali Episcopi valent, licet per literas patentes non probetur ejus potestas.
Acta à Vicario post ejus revocationem qualiter valeant? 269
vide v. *Collatio*.

### *Actus.*

Actus gestus per metum in carcere, quando reddatur nullus, 366.
Actus repugnantes rationi neque jus neque possessionem dant. 632. 1

### *Administratio, Administrator.*

Administrationem, donec electus confirmetur à Papa, Capitulum sede vac. committere nequit electo à se. 523

Administrationem quandonam ante confirmationem obtentam, & literas desuper expeditas adire possint Episcopi aliique Prælati. 615. 2 & 3
Administrator quandoq; Episcopatui dari solet à Papa. 24
Succedit is in ordinaria jurisdictione. 24
Æquiparatur Capitulo sede vacante. 24
Constituere potest Vicarium generalem. 24
Probabiliter etiam, dum datus fuit Episcopo vivente v. g. ob ejus minorem ætatem. 24
Administratores quandoque solent ad regendam Ecclesiam, donec Episcopus perveniat ad legitimam ætatem. 274. 3
Administratores tales possunt recipere resignationes, attentis verbis apponi solitis in concessionibus. 274. 3
Administrator talis Apostolicus constituere potest Vicarium generalem, cum potestate conferendi beneficia & recipiendi resignationes. 274. 4
Administratorem sede vac. potest, sed non solet Papa, Capitulo nihil delinquente. 447. 1
Administratorem in spiritualibus & temporalibus dare potest Episcopus monasterio non exempto, mortuo ejus Prælato. 452. 1
Administratorem, etiam in iis, quæ spectant ad regularem disciplinam, statuere potest in tali monasterio, Prælato ejus id negligente; secus si is faciat officium suum. 452. 1
Administrator si nullus mortuo Prælato constituatur ab Episcopo, potest Prior vel Senior juxta statuta & consuetudines cujusque Ordinis administrare.

### *Ætas.*

Ætas in Vicario Episcopi requisita sunt 25. anni inchoati. 41. 1.
Ætas 25. annorum inchoatorum requiritur in habente curam animarum. 43. 1
Item in omni habente spiritualem jurisdictionem, etiamsi sit solùm fori externi. 43. 1
In ætate ista requisita in Vicario Episcopus ne quidem pro una die dispensare potest. 43. 2. 59
Neque in ætate certa directè requisita ad beneficia, etsi hæc cultata non sint. 43. 2
Inter ætatem senilem & ingravescentiæ quæ distinctio. 339. 4
Ætas quæ requiratur in coadjutoribus? 377
Ætas quæ requiratur in Vicario Capituli. 59
Ætas 25. annorum ad quascunque Dignitates, quibus subest cura animarum. 559
Ætas 40. annorum requiritur in Vicario à Capitulo deputato in causa hæresis. 59
Ætas in Archidiacono requisita est annorum 24. completorum. 670
Ætas ad curata à Tridentino major non requiritur quam anni 25. attacti. 670

### *Affectio.*

Affectionem num pariat Coadjutoria? 323

### *Alienare. Alienatio.*

Alienare bona nequit Administrator Episcoparûs, habens plenam etiam in temporalibus administrationem. 493. 3
Alienationes factas à Capitulo sede vac. sine consensu Papæ potest successor Episcopus rescindere vel confirmare. 493. 4
Alienationes bonorum ecclesiæ propriæ Capitulum sede vac. facere nequit. 493. 1
Limitatur idipsum. 493. 2
Alienationes bonorum ecclesiæ inferioris authorizare potest Capitulum sede vac. in casibus, in quibus id potest Episcopus. 492
Alienationes authorizare est jurisdictionis. 492
Alienare potest Capitulum sede vac. bona, quæ servando servari non possunt. 436
Alienationis nomine prohibitæ administratori intelligitur administratio voluntaria, non necessaria. 409. 1
In alienationibus nomine ecclesiæ authoritatem & consensum interponere nequit Vicarius sine speciali mandato. 173.
Alienationis bonorum Ecclesiæ authorizatio est de arduis. 173.
In alienationibus minorum decretum aut consensum suum interponere nequit Vicarius Episcopi. 171. 1
Alienationes bonorum ecclesiæ, vel etiam coadjuti facere nequit Coadjutor. 409

### *Alimenta.*

Alimenta qualiter præbenda Coadjutori, 423.
vide v. *Coadjutor.*

### *Alternativa.*

Per Alternativa non conceditur Episcopis privilegium. 213. 9
Alternativa signanter excludit omnes exspectativas, reservationes & collationes. 352. 1
Alternativa an competat Capitulo? 527
Non competit inferioribus Episcopo collatoribus. 527. 1

### *Amentia* vide v. *Furiosus.*

Amentia est causa sufficiens dandi Coadjutorem. 342. 6
Amentis beneficium impetrari nequit. 342. 6
Potest tamen istius beneficii coadjutoria perpetua impetrari à Papa. 342. 6

### *Appellatio.*

Appellatio à sententia diffinitiva Vicarii generalis Episcopi datur ad Metropolitanum. 76
Appellatione à Vicario ad Episcopum prohibitâ, prohibita quoque est ad eum supplicatio. 77. 1
Appellationis & supplicationis differentia. 77. 1
Appellationis medio rejecto conceditur medium supplicationis. 79. 1
Appellationis admissionem factam per Vicarium revocare potest Episcopus eo casu, quo id potest Vicarius & contra. 79. 2
Appellatio à delegato Episcopi ad Vicarium non datur. 81. 1
Appellatio ad Vicarium num quoque interdicta sit per hoc, quòd illi inhibitum in causa judicare. 81. 1
Appellatio ad Vicarium ab ejus delegato, aliisque Prælatis inferioribus datur. 82. 1
Appellatio datur à non admissione recusationis. 90. 1
Appellatio in jure civili datur à Vicario ad Ordinarium 90. 1
Appellatio datur ab Archidiacono ad Episcopum ejusque Vicarium. 646
Appellatio non datur à Vicario generali ad Episcopum. 69. 1 74. 1.
Appellatio datur à delegato ad delegantem. 69. 1
Appellatio datur à Vicario foraneo ad Generalem vel Episcopum. 70. 1. 75
Appellatio in iis, quæ speciale mandatum requirunt, quandonam datur à Vicario ad Episcopum. 70. 2
Appellatio datur à Vicario ad Episcopum in temporalibus. 73. 2
Appellandi consuetudo à Vicario ad Episcopum non valet. 74. 1.
Appellationis ratio & substantia in eo consistit, quòd sit ad alium, eumque majorem Judicem provocatio. 74. 1
Appellatione facta à Vicario ad Episcopum processus inde secutus est invalidus. 74. 2
Appellatio à Vicario ad Episcopum ne quidem datur in requirentibus speciale mandatum, dum ea simul cum postate ordinaria commissa sunt. 74. 2
Tam de appellatione judiciali quàm extrajudiciali hæc procedunt. 74. 2
Appellatio à Vicario ad Episcopum datur in causis specialiter delegatis extra commissionem generalem Vicariatûs. 74. 3
Appellatio à Vicario ad Episcopum datur, quotiescunque procedit non ut Ordinarius, sed ut delegatus Episcopi. 74. 3.
Appellatio interlocutoria per viam recursûs à gravamine à Vicario ad Episcopum datur. 74. 4
Appellatio datur à Vicariis quibuscunque ad eos, à quibus constituti, dum hi sunt supremi Principes. 74. 5
Appellatio à Vicario foraneo ad Episcopum quando non detur. 75
Appellatio ad Metropolitanum à Vicario foraneo, prætermisso Episcopo ejusque Vicario non datur. 75

### *Approbare.*

Approbare confessarios sine speciali mandato potest Vicarius Episcopi. 136
Potest idipsum Capitulum sede vacante. 482. 1
Ejusque Vicarius. 596. 1
Item Capitulum inferius, cujus Prælatus habet jurisdictionem quasi episcopalem etiam in populum sæcularem. 482. 2.
Id possunt dicti Prælati inferiores. 482. 2
Approbatos ad examen revocare qualiter possit Episcopus & Capitulum sede vac. 485
Potest id Vicarius Capituli sede vac. sine speciali mandato. 569. 2.

### *Arbiter.*

Arbitri constituendi ad causam recusationis Episcopi cognoscendam, 92. 3

Arbitri qualiter cognoscere possint de causa restitutionis in integrum. 208. 2
Arbitros ad cognoscendum de causis suspicionum contra suum Vicarium an constituere possit Capitulum? 474

*Archidiaconatus* vide *Archidiaconus.*

Archidiaconatus tot ferè sunt quot ecclesiæ. 638
Archidiaconatus appellatur quandoque officium. 627
Archidiaconatui munus Vicarii Episcopi à jure annexum. 16. 2. 624. 1
Archidiaconatus est beneficium. 626. 1
Archidiaconatus est Dignitas. 627
Archidiaconatus in ecclesia cathedrali per seniores Canonicos optari potest. 638
Archidiaconatus ex propria institutione requirit Diaconatum. 671
Non est de jure sacerdotalis. 671
In ecclesiis tamen, ubi est prima Dignitas post pontificalem, requirit sacerdotium. 671
Et ideo est Dignitas reservata Papæ. 671

*Archidiaconus.*

De Archidiacono ubi tractetur in Jure, & à quibus AA. 621.
Archidiaconi nomen unde? 622
Vocatur oculus Episcopi, & cur? 623. 1
Dicitur Vicarius Episcopi natus, quia constituitur à lege. 623. 2
Dicitur Vicarius Episcopi intitulatus & perpetuus. 623. 3. 16. 2. 19.
Item Vicarius specialis Episcopi. 623. 4
Archidiaconi jurisdictio directè provenit à lege, indirectè ab homine. 624. 2
Habet jurisdictionem propriam jurisdictioni Episcopi subordinatam. 624. 4. 641
In quo differat ab Archipresbytero? 625
Archidiaconus numeratur inter Vicarios Episcopi. 19
Archidiaconus est Vicarius Episcopi à lege constitutus 4. 2. 16. 2. 623.
Archidiaconus Vicarius generalis Episcopi. 5. 4
Archidiaconi qui? 7
Annumerantur Vicariis foraneis. 12. 1
Ab Archidiacono appellari potest ad Episcopum. 12. 1 624. 4 641.
Ab Archidiacono qualiter differat Vicarius generalis Episcopi. 16. 624
Archidiaconus ordinariam, sed non eandem cum Episcopo jurisdictionem habet. 16. 1. 640. 1
Limitatur id ipsum. 640. 2
Archidiaconi officium non exspirat morte Episcopi. 16. 2
Archidiaconus a Jure, non ab homine constituitur. 16. 2
Est Vicarius natus Episcopi. 16. 2 19
Archidiaconus post Vicarium cum cæteris dignitatibus & Canonicis sedet. 16. 3
Archidiaconus qualiter à jure habeat suam jurisdictionem. 16. 2
Officium ei aufferri nequit. 16. 2
Archidiacono principaliori censetur facta commissio inscripta simpliciter Archidiacono, dum eorum sunt plures. 34. 4
In Archidiaconum creari potest Canonicus regularis. 50. 1
Archidiaconum spectato jure communi præcedit Vicarius generalis Episcopi. 60
Idque tam in ecclesia & choro quàm extra in processionibus, etiam in actibus promiscuis, v. g. conviviis. 61. 1
Idque etiamsi Archidiaconus haberet privilegium obtinendi primam sedem post Episcopum. 61. 1
Archidiaconus volens præcedere Vicarium censetur temerarius & arrogans. 61. 1
Archidiaconum non præcedit Vicarius, ubi Archidiaconus nec ei, nec ejus Episcopo est subditus. 63. 1
Vel ubi consuetudo est contraria. 63. 2
Non obstante tamen etiam consuetudine contrarium tenent alii. 63. 2
Archidiaconus est præferendus Vicario Capituli. 63. 4. 612. 1
Contrarium sentiunt alii. 612. 1
Coram Archidiacono pendentem causam avocare ad se non potest Episcopus. 80. 2
Archidiacono potest dari coadjutor temporalis. 326. 1
Archidiacono non valenti loqui dandus coadjutor. 342. 1
Archidiaconus habet curam animarum minùs propriè talem. 626. 2
Archidiaconus est dignitas etiam in sensu rigido. 627
Est una ex dignitatibus in jure expressis. 627. 1
Archidiaconus qualiter referatur inter Prælatos? 627. 1
Appellatur impropriè dignitas cum sola sonantia in dignitatem. 627. 1
Archidiaconi hodiedum solùm aliquam antiquæ dignitatis imaginem seu reliquias retinent. 627
Est prima post episcopalem dignitas regulariter, & quantum est de jure communi. 628. 1
Præcedit dignitatem abbatialem. 628. 1. 629. 2
In Archidiacono ad effectum præcedentiæ sufficit jurisdictio in habitu. 628. 2
Archidiacono de jure communi commissæ totius Cleri curæ. 629. 1
Præcedit omnes alias Dignitates. 629. 1
Est præferendus Præposito, spectato jure communi, & præscindendo à consuetudine. 630
Ejus jurisdictioni subjacet Archipresbyter. 630. 1
Archidiaconus qualiter referendus inter personatus? 627. 1
Est simpliciter majoris dignitatis quam Archipresbyter. 630. 1
Est major in dignitate primicerio. 630. 3
Postponitur tamen quandoque in aliquibus ecclesiis aliis dignitatibus v. g. Præposito, Archipresbytero, Decano Cantori. 631. 1
Archidiaconus non sacerdos non potest de jure prætendere in divinis prælationem supra Archipresbyterum. 632. 1
Secus dum est sacerdos; tunc enim præferendus in celebratione Missarum solemnium, in delatione SS. Sacramenti, in benedictione cinerum, candelarum, &c. 632. 2
Attendenda tamen in his omnibus ecclesiarum consuetudo. 632. 3
Ut in his Archidiaconus postponatur; qualis consuetudo, & qualiter probata requiratur. 632. 3
Archidiaconus cedere debet præcedentiam Archipresbytero, dum is in ecclesia facit officium & defert stolam. 633.
Archidiaconus in istiusmodi functionibus pontificalibus & celebratione Missarum solemnium præfertur primicerio. 634. 1
Quando in iis postponatur Primicerio? 634. 2
Quando habet ex statuto alicujus Ecclesiæ Dignitatem & præbendam distinctam & determinatam, non debet exercere munia spectantia ad dignitatem vel præbendam sacerdotalem. 634. 4
Archidiaconus seu prima Dignitas, si ad eam spectat exercere illas functiones, is impeditus vel nolens eas exercere, non potest substituere alium, sed succedit proximior dignitas. 635
Archidiacono quandoque ex consuetudine præfertur Præpositus. 636. 5
Quod Archidiaconus tanta polleat in Archipresbyterum & Clericos inferiores authoritate, unde factum? 637
Archidiaconus in aliquibus Ecclesiis nullus est, sed ejus officio fungitur Archipresbyter seu Decanus. 638
Archidiaconus in quibusdam ecclesiis unus præeminentiam quidem habens inter Canonicos, sed sine jurisdict. & administratione. 638
Archidiaconus cujusvis Cathedralis tantùm unus est, primus in dignitate quò ad stallum in choro, vocem in Capitulo, præcedentiam super Præpositum, Archipresbyterum exterosque Prælatos. 638
Talem verò vix ulla in Germania agnoscit ecclesia 638
Archidiaconi in plerisque ecclesiis plures, quorum quilibet specialem districtum diœcesis habet, in quo jurisdictionem exercet. 638. 642. 2
Archidiaconorum pluralitas unde inducta? 638
Archidiaconus habet jurisdictionem fori externi seu judicialis. 639. 2
Archidiaconi jurisdictio consistit præcipuè in visitatione, correctione, cognitione certarum causarum. 642. 1
Extendit se ea jure communi præcipuè in Clericos cæteros omnes tam civitatenses quam foraneos. 642. 1
Etiam in Archipresbyterum. 642. 1
Item in laicos Archidiaconatui suo subjectos. 642. 1
In extensione hujus jurisdictionis habenda ratio consuetudinis. 642. 2
Archidiaconus jurisdictionem non habet in Regulares & Monasteria, etsi exempta non sint, nisi fortè ex consuetudine. 643
Archidiaconis cur subjecti esse non debeant Regulares non exempti? 643
Archidiaconus, Episcopo mortuo, seu sede vac. pergit exercere jurisdictionem propriam. 644. 1

Archidiaconus de jure communi Episcopo, ejusque Vicario absente, hujus munus exercet. 644. 2
Non tamen illud exercet sede vac. termino illo 8. dierum dato ad Vicarium Capituli eligendum pendente. 644 2
Contrarium dicendum, dum ita habet consuetudo legitima. 644. 3
Ita tamen, ut tunc id ei competat non ratione Archidiaconalis, sed ratione primæ Dignitatis. 644. 3
Archidiaconus potest acquirere possessionem administrandi Episcopatum sede vac. tam in spiritualibus quàm temporalibus. 644. 3
Archidiaconus in jurisdictione contentiosa est curæ Episcopalis socius & minister. 645. 1
Archidiaconi potestas quænam complectatur. 645. 1
Audire debet jurgia Clericorum minora, majoribus Episcopo relictis. 646. 1
Potest causas civiles Clericorum minoris momenti cognoscere, & dum civiliter agitur, de crimine cognoscere. 646. 1
Causæ istiusmodi in prima instantia ad Archidiaconum deferendæ. 646. 1
Causas arduas v. g matrimoniales & criminales cognoscere nequit præscindendo à consuetudine. 646 2
Idem est de causis concubinariis Clericorum, & beneficialibus. 646. 3. & 4
Non nisi modicam pœnam imponere potest. 647
Archidiaconi in Germania tamen de consensu generali Episcoporum mulctas pecuniarias & pœnas corporales medicinales imponunt. 647
Archidiaconus ad modicum suspendere potest. 647
Privare beneficiis non nisi nomine Episcopi potest. 647
Clericum peregrinum in suo Archidiaconatu delinquentem punire nequit. 647
Archidiaconus an & quando mulctas pecuniarias imponere possit. 648
An & quando eas in usus suos impendere possit. 649
Censuras ferre v. g. excommunicare potest non tam de jure, quàm ex consuetudine & permissione speciali Episcopi. 650. 1. & 2
Archidiacono de jure competit visitare. 651. 1
Archidiaconis nolentibus visitare per seipsos inhiberi potest ab Episcopo visitatio. 651. 3
Archidiaconus indulgeri potest ab Episcopo ex rationabili causa, ut visitent per alium. 651. 3
Archidiaconi ut per alios visitent, habet moderna praxis. 651. 3.
An ab iis statuantur idonei commissarii, interest scire Episcoporum. 651. 3
Archidiaconi intra mensem reddere debent rationes visitationis, & ejus acta præsentare Episcopo. 651. 4
Ab Archidiacono visitatas ecclesias iteratò potest Episcopus per se vel suos visitare. 651. 4
Archidiaconis quò ad visitationem invigilandi quanta sit necessitas & obligatio Episcoporum. 651. 4
Archidiaconus intra annum non nisi semel visitare potest, nisi fortè causa specialis emergat. 651. 5
Archidiacono ad visitationem expediendam terminum, comitatum, equitatum &c. præscribere potest Episcopus. 651. 4
Archidiaconus nequit visitare monasteria sive mendicantium sive non mendicantium. 652. 1
Archidiaconi jurisdictionis exercitium consistit potissimùm in visitatione & correctione. 652. 1
Archidiaconus potest visitare ecclesias Regularium, quæ simul sunt parochiales, quò ad spectantia curam animarum & Sacramentorum administrationem. 652. 2
Et quidem, dum ecclesia pro una parte deservit Regularibus, pro altera parochianis sæcularibus, hanc solam partem visitare potest Archidiaconus. 652. 2
Potest quoque visitare ecclesias parochiales perpetuò unitas monasterio. 652. 2
Potest visitare Regulares administrantes parochias etiam pleno jure subjectas monasteriis, non tanquam delegatam, sed ut ordinariam exercens jurisdict. 653
Potest etiam eos punire juxta excessus exigentiam, si delinquant in iis, quæ curam animarum spectant. 653
Item verbotenus corrigere cum comminatione, se eos delaturos Episcopo vel Superiori, si in aliis scandalosè vivant. 652
Non tamen realiter punire ob delictum commissum extra Sacramentorum administrationem; sed deferre eos debet ad Episcopum, & ab hoc, si delictum notorium, ad Superiorem. 653
Archidiacono ejusque commissariis Visitatoribus maximè opus scientiâ & prudentiâ. 655
Archidiaconus dare nequit dimissorias licentiales peregrinandi Clerico. 656. 1
Neque etiam dimissorias ad ordines ab alieno Episcopo suscipiendos. 656. 2
Ab Archidiacono datæ hæ dimissoriæ habendæ pro nullis. 656. 2.
Archidiacono ab Episcopo concedi potest facultas dandi dimissorias. 656. 4
An Archidiaconus, absente à diœcesi Episcopo, imminente necessitate vel utilitate ordinandorum possit illos præsentare aliis Episcopis? 656. 5
Archidiaconus unire non potest beneficia. 657
Potest instituere & destituere Decanos rurales, sed non sine Episcopi consensu. 658. 1
Instituere in beneficiis non curatis quà talis non potest. 658. 2
In curatis instituere nequit sine consensu Episcopi. 658. 3
Etsi ex consuetudine id habet, adhuc id non facit, nisi nomine & Vice-Episcopi. 658. 3
Vi nullius etiam consuetudinis sine examine & approbatione Episcopi instituere potest curatos. 658. 4
Nullatenus instituere instituto authorizabili seu curam animarum committere potest. 658
Archidiaconus habens jus conferendi curata, non potest instituere examen per concursum aut edicta proponere. 659. 1
Ad Archidiaconum de jure communi spectat examinare promovendos ad beneficia. 659. 2
Archidiaconi ferè præcipuum officium est examinare ordinandos super titulo & idoneitate, & sic examinatos offerre Episcopo ordinanti. 659. 3
Archidiaconus de inidoneis & ignotis testando Episcopo ordinanti, quòd sint idonei, peccat mortaliter. 659. 3
Missas solennes celebrare ad magnatum funera spectat ad Archidiaconum Episcopo impedito. 666 2

*Monachus.*

Moachus assumi potest in Vicarium Episcopi. 50. 2
Sed tunc debet habere monachum socium. 50 2
Monachus solus stare non debet. 50. 1
Monachus utilitatis gratiâ ab Episcopo evocari potest è claustro. 50. 1
Monachus sine licentia Abbatis sui ad studium proficisci nequit. 184 1
Monacho tali licentiam ad hoc dare nequit Vicarius Episcopi sine hujus speciali mandato, dum is simul est Abbas. 184
Limitatur hoc ipsum. 184. 1
Monachos qualiter recipere possit conventus mortuo Prælato. 452. 1

*Monasterium.*

In Monasteria non exempta Archidiaconus non habet jurisdict. 643
Si tamen ex consuetudine haberet eam in novem v. g. monasteria talia ejusdem Ordinis & qualitatis, præsumptionem juris haberet pro sua jurisdict. etiam in decimum Monasterium. 643
Monasteria monialium etiam exempta an visitare possit Capitulum s. v. 503. 2. & 3
Monasteria moniales intrandi veniam dare potest Capit. sed vac. 505
Monasteria seu Conventus Mendicantium erigi possunt sine Licentia Papæ 591
Monasterii utilitas requiritur, ut Religiosus membrum illius assumatur validè in Vicarium Episcopi. 153
Monasteria nova ædificandi veniam dare nequit Vicarius Episcopi sine speciali mandato. 172. 1
Neque Vicarius Capituli. 591
Monasteriorum erectio est de majoribus. 172. 1
Monasteria nova ædificandi veniam quo jure dare possit Episcopus. 172. 1
Monasteria nova recipiendi sine Sedis Apost. licentia prohibitum mendicantibus a Bonifacio VIII. 172 1
Ad Monasteria nova ædificanda datio licentiæ est jurisdictionis voluntariæ, & sapit gratiam, 172 1
Monasterium novum erigi nequit, nisi erigatur nova Dignitas vel saltem plura beneficia regularia. 172. 1
Erigi nequit sine Abbate vel Priore & monachis. 172. 1
In Monasteriorum novorum erectione modus & forma servanda. 172. 2.
In Monasteria omnia diœcesis non exempta jurisd. habet Episcopus. 532. 1
Monasteria nova ædificandi licentiam dare nequit Capitul, sed. vac. 517. 1
Monasteria tam mendicantium quàm non mendicantium visitare nequit Archidiaconus, vel etiam Episcopus. 652. 1.
Monasteria ferè omnia hodiedum per diversa Pontificum privilegia exempta sunt à jurisdict. episcopali, præsertim quò ad visitationem. 652. 1
Monasteria tamen commendata, in quibus non viget observantia regularis, ab Episcopo loci visitari possunt. 652. 1.
Secus, si in iis vigeat regularis observantia. 652. 1
Monasteria visitandi jus Ordinariorum & corrigendi Regulares est tantùm habituale, & in defectu & necessitate. 652. 1.

*Monialis.*

Moniales consecrare, iisque velum concedere nequit Vicarius Episcopi non Episcopus etiam de speciali commissione. 113. 1
Monialium consecratio & concessio illa veli sunt Ordinis Episcopalis. 113. 1
Monialium clausuram nemini sub excomm. licet ingredi. 181.
Licentiam tamen ad hoc dare potest Vicarius Episcopi. 181
Monialium clausuram restituere potest Vicarius. 220
Monialium monasteria gubernare potest Vicarius. 220
Monialibus exemptis an Capitulum sed. vac. dare possit licentiam exeundi monasterio in casu necessitatis. 504
Moniales non debent esse sine Prælato, ad quem tempore necessitatis confugiant. 504
Monialium monasteria ingrediendi veniam dare potest Capit, sed, vac. 495

*Mors.*

Morte Coadjuti exspirat Coadjutoria temporalis. 428. 1
Morte Coadjuti exspirat Coadjutoria perpetua quò ad primam gratiam in ea contentam. 428.
Item morte Coadjutoris exspirat. 429
Morte concedentis Papæ re adhuc integra exspirant exspectativæ. 431
Limitatur hoc ipsum. 431. 1. & 2
Morte præbentium consensum ad exspectativas qualiter hæ exspirent? 431 1
Mors civilis vel spiritualis Prælati non æquiparatur morti naturali, nisi ubi id in jure cautum 454
Morte concedentis non exspirat gratia facta absolutè. 510. 2

*Mulcta.*

Mulctas pecuniarias imponere potest Vicarius Episcopi sine speciali mandato. 140. 3
Ex mulctis pecuniariis salarium Vicario solvi nequit 289
Mulctas pecuniarias in reparationem Palatii impendi quandoque Episcopis pauperibus permisit Papa. 289
Mulctæ pecuniariæ sede vac. non debentur Capitulo, nec Cameræ Apost. sed piis usibus applicandæ, 465. 2
Ex iis præterea salarii nihil sibi usurpare potest Vicarius Capituli. 465. 2. 579
Episcopus pauper potest eas retinere. 465. 2
Mulctis pecuniariis excessus punire potest Archidiaconus, etiam ubi jus vel statutum synodale eas non determinat. 648. 1.
Possunt id quicunque Judices ecclesiast. 648. 1
Mulctas pecuniarias non licet imponere, ubi videntur viliendi & insufficientes ad emendandum. 648 2
Mulctam pecuniariam, dum pœna alia à jure determinata, non licet Archidiacono superaddere, præsciendo à contumacia. 648. 3
In mulctam pecuniariam an, & à quo, & quando mutari possit pœna alia statuta à jure. 648. 4
Mulctas pecuniarias in suum usum convertere nequit Archidiaconus, sed piis usibus applicandæ ab eo. 649. 1
Mulctæ illæ non tamen ita debitæ piis locis, ut si alio convertantur, iis fiat injuria. 649. 1
Mulctas istas aut saltem earum partem applicandi Judicibus ecclesiasticis an valeat? 649. 1. & 2

Possunt

Possunt tamen applicari ipsis imponentibus, dum ipsi verè & evidenter egent. 649. 3
Quod ipsum adhuc distinguendum. 649. 3

*Mutilatio.*

Mutilatio non venit nomine homicidii. 478. 5
In mutilatione voluntaria dispensare potest Capitulum sed, vac. 478. 5

*Necessitas.*

NEcessitas præsertim maxima sæpe recessum à jure permittit & facit licitum. 493. 2
In necessitate maxima & subitanea sine requisito Papæ alienare bona potest Capitulum sed. vac. 493. 2

*Nominatio.*

Nominatio pro omnibus ecclesiis Indiarum competit Regi Catholico. 526. 4
Hæc nominatio non habet rationem collationis sed præsentationis. 526. 4

*Notarius.*

Notarios scrutari & imperitos ab officio suspendere potest Vicarius Episcopi sine speciali mandato. 150
Notarios in sua diœcesi creare potest Vicarius Episcopi. 211. 2.

*Novitius.*

Novitiis licentiam dare potest Capitulum sed. vac. & ejus Vicarius sine speciali mandato disponendi de bonis temporalibus. 592

*Obedientia.*

OBedientiæ votum non præstatur Priori claustrali vel Conventui, sed ipsi Prælato. 452. 2
In virtute obedientiæ an præcipere possint Priores claustrales, similésque Officiales & Vicarii in præsentia Prælati? 452. 2.
Obediri tamen tali debet in conscientia sicut Magistro in scholis. 452. 2

*Oblatio.*

Oblationes & eleemosynas sibi factas retinere potest Vice-Rector deserviens parochialis pro Rectore infirmo. 423. 5.

*Officialis.*

Officialis principalis à Vicario generali re non differt. 17. 1
Officiales quandoque duo sunt in diœcesi, unus principalis alter minùs principalis. 17. 1
Officialis minùs principalis quis? 17. 1
Officialis minus principalis, etsi subordinatus Vicario, simpliciter tamen dicitur Officialis. 17. 1
Officiali inscribuntur literæ Apostol. directæ ad Regiones transmontanas. 17. 2
Officialis nomine apud nos venit principalis, sive cui jurisdictio generatim tam quò ad causas, quàm loca diœcesis commissa. 17. 2
Officiales æquè principales dum duo sunt in diœcesi, utrique literæ Apost. præsentari possunt. 17. 2
Dum verò unus eorum generatim, alter tantùm ad certa loca vel causas constitutus, huic literæ illæ committi nequeunt. 17. 2
Officialis culpa non debet nocere domino. 267. 2

*Officium.*

Officium ab alio obtentum dum quis habere dicitur, non intelligitur respectu tituli, sed respectu exercitii tantùm. 411.
Ad officia sæcularia concedi nequeunt Coadjutoriæ seu superventiæ. 431. 2

*Optio, Optare.*

Optio in beneficiis quomodolibet reservatis seu affectis, & in Curia impetratis locum non habet. 413. 4
Optioni adhuc locus est quò ad præbendam annexam non stabiliter canonicatui post mortem Coadjuti, non obstante Coadjutoria. 426. 1
Optari possunt ex consuetudine à senioribus Canonicis Archidiaconatus in Cathedrali. 638
Optari non sibi sed Coadjutò potest Coadjutor. 406
Quò minùs optare valeat aliam præbendam Coadjutus, an & qualiter impedire possit Coadjutor. 407. vide v. *Coadjutor.*
Optare novam præbendam indistinctè potest Canonicus, ita tamen, ut nova optata maneat Coadjutori obnoxia. 407. 3.
Optare minùs pinguem præbendam dimissa pinguiore nequit Coadjutus in præjudicium Coadjutoris 407. 4
Quandonam Coadjutor optare possit præbendam pinguiorem, Coadjuto nolente eam optare? 407. 4
Ad optandum quando Coadjutor compellere possit Coadjutum? 407. 4
Ubi in optione mutatur titulus v. g. portionarius optat Canonicatum, potest Coadjutus adhuc optare beneficium. 407. 5.
Coadjutus optare potest beneficium retinendum cum præhabito non obstante Coadjutoria. 407. 6

*Ordinarius.*

Ordinarii nomine venit Vicarius generalis Episcopi. 18. 69. 1. 120. 1.
Ordinarii nomine æquè venit Vicarius quàm Episcopus. 69. 1.
Ordinarius toleratus à Superiore habet jurisdictionem ordinariam. 52
Ordinarium non facit sola commissio universitatis causarum. 70. 2.
Ordinarius, qui habet jurisdictionem cum administratione restituere potest in integrum. 78. 2
Ordinarii quicumque simul creati simpliciter habent jurisdictionem in solidum. 93. 2
Ordinarius dicitur habere jurisdictionem jure proprio. 94. 2.
Ordinarii superiores debent esse legitimi. 561.

*Ordo, Ordinare.*

Ordinum & Sacramentorum collatio est de lege jurisdictionis. 466
Ad Ordines minores dispensare potest Capitulum sed. vac. epusque Vicarius, non tamen sine speciali ejus mandato. 479. 2.
In Ordinum interstitiis qualiter dispensare possit Capitul. sed. vac. 480
Ad Ordines recipiendos Capitulum sed, vac. intra primum annum dare nequit licentiam. 480. 2
Ordinati sine interstitiis observatis non incurrunt censuram. 480. 4
Ordo quis requiratur in Coadjutore. 378
Ordines conferre nequit Vicarius Episcopi Episcopus, Episcopo suo agente in remotis sine speciali mandato 112. 2
Ordinum collatio à Papa committi nequit non Episcopo. 113. 3.
Ordines conferendi potestatem Episcopus non impeditus nequit committere alteri Episcopo. 115. 2
Ordinati subditos non arctatos intra primum annum vacantiæ, ubi hi non egent dimissoriis v. g. in casu, ubi Episcopus quis eligeretur in Vicarium Capituli, non vetat Tridentinum, 509. 5
Ordinari etiam tales tunc poterunt intra annum vacantiæ ab Episcopo non Vicario exercente in ista diœcesi vacante pontificalia. 509. 6
Ordinati non possunt ad titulum patrimonii vel pensionis sine ecclesiæ utilitate & necessitate ex arbitrio Episcopi. 512. 7.
Ordinati in vim dimissoriarum datarum à Capitulo s. vac. intra primum annum, si arctati non fuerint, quam pœnam incurrant? 514. 2
Ordo major non requiritur in promovendo vel promoto in Vicarium Capituli. 560.
Ordinandi qualiter ab Archidiacono examinandi & præsentandi Episcopo ordinanti? 659. vide v. *Archidiac.*
Ordinem quem requirat Archidiaconatus? 671.

*Originarius.*

Originatius num esse possit Vicarius Episcopi. 47
Originatius urbis vel diœcesis non potest in ea esse Judex, Officialis, Assessor. 47. 1

## *Papa.*


Papa supremus & absolutus dominus in beneficialibus. 363. 2.
Papa nunquam intendit juri tertii derogasse. 363. 3
Papa repræsentat Christum, habéque idem eum eo tribunal, 636. 1. 60
Papa qualiter constituatur Vicarius Christi, 4. 2
Papa quandoque constituere solet Vicarium generalem Episcopi. 26
Papa delegare potest causas Clericorum etiam criminales laicis, 37. 1
Papa committere potest Vicario non Episcopo, quæ sunt ordinis Episcopalis ex dispositione humana, 113. 3
Secùs est de iis, quæ isti Ordini annexa ex dispositione divina, 113. 3
Papa solus Prælato non Episcopo concedere potest insignia & ornamenta dignitatis episcopalis, v. g. usum mitræ, baculi &c. 114
Papa solus est Episcopus exemptorum. 125. 5
Papa concedere potest facultatem conferendi beneficia etiam certa. 249. 8
Papa non constringitur à Concilio Trid. vi coactiva, sed vi quadam directiva rationis. 310. 4
Papa est supra ejus. 311. 1
Papa tollit vitium, quod est in provisione præbendæ vacaturæ, scilicet votum captandæ mortis. 311. 1
Papa qualiter necesse habeat derogare Tridentino concedendo coadjutorias in beneficiis inferioribus perpetuas? 312.
Papa sine consensu nationis Germanicæ an contravenire possit Concordatis. 313. 2
Papa potest cum ordinariis collatoribus in 6. eorum mensibus concurrere & conferre beneficia sine læsione concordatorum Germaniæ. 313. 3
Papa apponit manus dando Coadjutorem. 313. 6
Papa concedendo Episcopis 6. illos menses, adhuc potest in illis cum iis concurrere. 314. 2
Papæ competit potestas dispensandi generaliter in Conciliis generalibus. 327. 2
Papæ voluntas non præsumitur, nec simplex derogatio sufficit absque scientia perfecta & rationab. causa vera. 327. 2
Papæ authoritas tollit omnem suspicionem, & de illicito facit licitum accedente scientia certa facti & juris. 327. 2.
Papa an sibi assumere possit Coadjutorem? 328
Ejus idoneitas supplenda per Camerarium aliósque Officiales. 328
Papæ fuerunt alieni in designandis sibi successoribus. 328 2,
Papa invito coadjuvando potest dare Coadjutorem perpetuum, etiam illæsis Concordatis Germaniæ. 3 2 2
Non tamen inconsultis electoribus. 355. 2
Papa potest monere Capitulares vel etiam invitos astringere, ut postulent Coadjutorem perpetuum, idque illæsis Concordatis Germ. 355
Non tamen obtrudere hunc vel illum, etsi Episcopus eum desideret. 355 2
Papæ arbitrii meri non est, stantibus Germaniæ Concordatis, Coadjutorem non perpetuum dare. 355. 2
Papæ potestatem in datione Coadjutoris habere omnimodam dependentiam à consensu Capitularium, absurdum est. 3 5. 2
Papa solus & principaliter est causa efficiens Coadjutoriarum. 351. 2
Num Papa ex plenitudine potestatis possit derogare Concordatis. 355. 3
Papa non censetur eis derogare, quando gratia Coadjutoriæ nullam vel falsam continet causam, sed potiùs ipsi æquitati. 355 3
Papa non tenetur ex Justitia propriè tali concedere Coadjutorem, etiam dum adest necessitas, vel magna ecclesiæ utilitas. 359. 1
Tenetur tamen ad hoc ex debito aliquo justitiæ legalis & caritatis, dum adest urgens ratio. 359. 2
Tenetur vi officii sui consulere utilitati boni publici. 359. 2
Non contravenit concordatis negando Coadjutorem postulatum à Capitulo. 359. 3
Papa invito coadjuvando dare potest Coadjutorem perpetuum. 363. 2
Papa ex justa causa cogere potest Episcopum ad dimittendum Episcopatum. 363. 2


## *Papatus.*


In Papatum num cadat Coadjutoria? 318


## *Paralysis.*


Paralysis est justa causa dandi Coadjutorem. 342. 3


## *Parochia.*


Circa parochiæ vacantis provisionem quid possit Vicarius Capituli. 606
Parochiam omnino novam constituere nequit Vicarius. 222. 1.
Videtur etiam sine speciali mandato constituere novam, quæ fit cum dismembratione antiquæ, 222 2
Parochias novas constituere dividendo antiquas etiam Rectoribus invitis, Tridentinum committit Episcopis. 222, 2.
Poterant hoc ipsum quoque jure ordinario Episcopi. 222 2
Ad parochiam jus non habet electus magis idoneus ex approbatis. 242. 2
Limitatur hoc ipsum. 242. 2
Parochiam dividendi sufficiens causa non est numerositas populi, sed assumendi cooperatores. 347


## *Parochus.*


Parochus in eadem urbe & ecclesia eligi potest in Vicarium Capituli. 558. 2
Secus est de parocho extero seu diœcesano. 558. 2
Parochus & Vicarius sunt officia malè compatibilia. 558. 2
Parochum occupare in suo vel Ecclesiæ Cathed. servitio sine licentia Papæ nequit Episcopus, 558
Parochus non potest esse Vicarius Episcopi. 54
Parochus an de licentia sui Ordinarii ex justa causa abesse possit diu, 54
Parochis concessum bimestre ad abessendum. 54
Parochi opera in servitio suo vel Ecclesiæ ultra illud bimestre uti nequit Episcopus. 54
Parocho quandoque à Congregatione concedi solet licentia abessendi per 6. menses causâ exercendi munus Vicarii. 54
Parochus ejusdem urbis potest simul esse Vicarius, si Vicarius non habeat magnam occupationem, 54
Parochorum Superior est Vicarius. 132 1
Parochus, etiam non sacerdos potest loco sui constituere alium sacerdotem ad assistendum matrimonio. 133. 2.
Parochus potest alteri sacerdoti approbato ab Ordinario delegare potestatem audiendi confessiones suorum. 133. 2
Parochos sine speciali mandato cogere potest Vicarius Episcopi ad assumendos cooperatores. 217
Parochus habens in ipsa Cathedrali curam animarum hoc ipso residere censetur materialiter non formaliter. 558. 1
Parochi tenentur ad residentiam formalem, quæ consistit in exercitio muneris pastoralis. 558. 1
Parochus non censetur residere residentiâ formali, si ea, quæ muneris pastoralis sunt, vi muneris Vicarii exercere impediretur, 558
Parochus tenetur jure divino & Canonico residere. 558. 2
Parochum à residentia nulla excusat consuetudo. 558. 2
Parocho ad hoc, ut sit Vicarius Capituli, non suffragatur, quòd fuerit Vicarius defuncti Episcopi. 558. 3
De parochi residentia remissivè. 558. 3
Parocho quid faciendum, dum novit occultum impedimentum contracturi matrimonium. 661


## *Patronus.*


Patronus ab eo, cui commisit potestatem præsentandi, præsentari nequit 233
Patroni laici consensus requiritur in collatione beneficii patronati. 354
Item in datione Coadjutoriæ perpetuæ respectu talis beneficii 354
Patronorum laicorum omnium consensus requiritur in permutatione beneficii; non tamen ab omnibus necessario præstandus, 357. 1
Patronis etiam omnibus contradicentibus fieri potest hæc permutatio, si ita exigit utilitas ecclesiæ, 357. 1

## *Pensio.*

Pensionem beneficiis imponere nequit Vicarius Episcopi sine hujus speciali commissione. 282

## *Permutatio.*

In permutatione contingit vacatio beneficii & ecclesiæ. 290. 7.
Ad permutationem beneficii requiritur consensus patronorum laicorum. 354
Requirendus hic consensus ab omnibus, non tamen necessariò ab omnibus præstandus. 357. 1
Sive ante permutationem sive post præbeatur, perinde est. 358. 1.
Permutatio perficitur sine alia collatione. 533. 4
In permutatione admissio resignationis separari nequit à collatione. 533. 4
Permutationes coram Ordinariis impedit reservatio. 533. 4
Permutationis admissio est actus jurisdictionis sepiscopalis. 533 4
Permutatio beneficii fieri potest contradicentibus omnibus patronis, si ita exigit utilitas vel necessitas ecclesiæ. 537. 1.
Permutationibus Capitulum s. v. quando possit præstare authoritatem? 533. 4
Permutationi nemo authoritatem præstare potest, nisi qui beneficia permutata conferre potest. 533. 4

## *Pæna*, vide *Mulcta.*

Pænam remittere sine speciali mandato nequit Vicarius Episcopi. 151.
Potest tamen id ex speciali mandato in casibus, in quibus id potest Episcopus 151
Pænam à jure canonico vel statuto diœcesano in leviorem mutare nequit Vicarius. 153
Neque pænam sine causa mutare aut minuere potest Episcopus. 153
Pæna depositionis transmutari in pecuniariam nequit nisi ab eo, qui in crimine dispensare potest. 302. 3
Pænam qualiter statuere possit Capitulum transgressoribus statutorum suorum. 471
Pænas adjicere possunt, quicunque statuta condere possunt. 471
Pænâ capitis punire potest sæculares Capitulum s. v. 472. 6
Pæna Capituli s. v. dantis dimissorias non arctatis intra primum annum vacantiæ; Item Ordinatorum in vim talium dimissoriarum. 514. 1
Pænas quas imponere possit Archidiaconus. 647
Pænas à defuncto Episcopo vel etiam à se aut à Capitulo spatio illorum 8. dierum datorum ad electionem Vicarii irrogatas remittere potest Vicarius Capituli. 580. 1

## *Pœnitentia.*

Pœnitentias publicas & solennes an imponere possit Vicarius Episcopi. 146

## *Possessio.*

In possessionem mittendus Coadjutor post mortem Coadjuti cum integro statu prælaturæ seu beneficii. 426
In possessionem corporalem mittere spectat ad Archidiaconum. 664. 2
Potest id (uti hodiedum contingit) de consuetudine spectare ad Episcopos, Vicarios, aliósque Ordinarios. 664. 3
Possessio in materia præeminentiali maximè locum habet. 413. 1
Possessione nova non eget existens in possessione beneficii sine legitimo titulo, dum dein ejusdem beneficii provisionem obtinet à Papa. 414. 1
Possessione Coadjuti non juvatur Coadjutor in ordine ad gaudendum Regula de annali & triennali. 416
Possessionem officii Coadjutoriæ capere debet Coadjutor in vita Coadjuti. 424. 1
Possessionem hanc impedire nequit Capitulum vel etiam Coadjutus. 424. 2
Possessionem respectu successionis, sive beneficii, in quo datus Coadjutor, capere nequit nisi post mortem Coadjuti. 425. 1
Contrarium tamen sentiunt alii. 425. 2
Possessionem non impedit defectus tituli. 425. 4
Possessor sine titulo in beneficialibus dicitur intrusus 425 4
Possessio beneficii post obitum Coadjuti non vacat. 425. 5
Possidere eandem rem simul qualiter possint duo, 425. 5 69. 2.
Ad possessionem Prælatum admittenti Capitulo vel Conventui ante expeditas & ostensas Capitulo literas confirmationis seu provisionis factæ à Papa quæ statutæ pœnæ. 572
Possessio conferendi acquiritur ex unica collatione affectuata. 533. 7

## *Postulatio.*

A Postulatione differt denominatio illa facta per vota Capitularium in Coadjutorem. 386. 2
Postulatio suo modo innititur gratiæ. 356. 2
Postulationi locus non est, nisi vacante Dignitate. 356. 2
Per eam petitur gratiosè & dispensativè concedi in Prælatum, qui laborat impedimento canonico, in quo dispensari solet & potest. 356. 2
Per postulationis admissionem confertur postulato jus plenum in Prælatura. 356. 2
Postulationis admissio sapit electionem & confirmationem. 356. 2.
Postulatio ferè eandem formam præscriptam habet, quam electio. 356. 2
Postulatio rigorosè talis requirit consensum omnium. 357. 1
Verius est, quòd postulatio propriè talis requirat duas tertias votorum, dum concurrit cum electione. 357. 2
Ad postulationem, dum non concurrit cum electione sufficiunt majora vota. 357. 2
Postulationem Papa, etiam ubi adest utilitas vel necessitas Ecclesiæ, non tenetur admittere ex Justitia propriè tali. 359. 1.
Postulatio fundatur in jure eligendi. 359. 1
Ad postulationem admittendam in Concordatis se non astrinxit Papa. 359. 3
Postulationis admissio habet rationem collationis, omnino liberæ. 524
Postulatio cum summo jure rejici potest. 524
Postulationis admissio qualiter spectet ad eum, cujus est confirmare electum. 524
Postulatio jus nullum dat ad prælaturam. 524

## *Preces.*

Precum Cæsarearum insinuatio qualiter fieri possit Vicario Episcopi, dum hic est collator beneficii, in ordine ad quod concessæ. 237
Precum Cæsarearum insinuatio fieri potest Vicario etiam existenti extra diœcesim. 237
Post precum insinuationem factam Vicario collatio facta ab Episcopo est invalida. 237

## *Primicerius.*

Primicerio in dignitate major est Archidiaconus. 630. 3
Ad primicerium spectat celebratio Missarum solennium. 666. 2.
Primicerius unde sic dictus. 634. 1
In aliquibus Ecclesiis alio nomine vocari solet Scholasticus, Cantor, Præcentor. 634 1
Primicerius seu Cantor, si præeminentiam habet inter alios Canonicos in Choro, Capitulo, processionibus, est Dignitas. 634. 1
Secus, nudum officium seu administratio censetur. 634. 1
Primicerius in celebratione missarum solen. aliarúmque functionum pontificalium qualiter præponatur vel postponatur Archidiacono. 634. 1. & 2

## *Princeps.*

Princeps aliàs legibus solutus ligatur ex contractu. 313. 2

## *Prior.*

Priores claustrales similésque officiales Vicarii an in præsentia Prælati præcipere possint in virtute S. obedientiæ. 452.
Ad Priorem claustralem non devolvitur jurisdictio mortuo prælato Monasterii non exempti. 452. 2
Devolvitur tamen ad eum gubernatio, si Episcopus negligat constituere administratorem. 452. 2

Non habet jurisdictionem adhuc propriè talem, nec erit Prælatus aut Vice-Prælatus. 452. 2
Quod tamen limitatur. 452. 2
Obediri tamen debet tali in conscientia. 452. 2

*Privilegium.*

Privilegium insertum juri communi facit jus commune. 450.
Privilegia concessa Episcopis ratione Ordinis & Dignitatis Episcopalis non transeunt ad Capitulum sed. vac. 460. 2.

*Præcedentia.*

Præcedentia in functionibus pontificalibus, item in præeminentiis omnibus jurisdictionalibus & ceremonialibus spectat ad primam dignitatem post pontificalem. 632. 2.
Præcedentia Archidiaconi super quos, & in quibus vide v. *Archidiac.*
In præcedentiæ materia sufficit consuetudo decennalis. 632. 3
In præcedentiæ materia maximè locum habet possessio. 483. 1.
Præcedentiam habet Vicarius Episcopi supra omnes Canonicos & Dignitates in omnibus. 61
In præcedentiis servandus ordo dignitatis. 632. 2
Præcedentiâ illa fruitur Vicarius etiam præsente Episcopo. 62.
Præcedentia illa Vicarii quas patiatur exceptiones. 63
Præcedentiam nullam supra alios presbyteros habet Vicarius foraneus ex eo, quòd sit Vicarius foraneus, nisi consuetudo habeat contrarium. 63. 4
Quæ præcedentia debeatur Vicario Capituli? vide v. *Vicar. Capit.* 612. 1

*Prælatus.*

Prælati habentes Jurisdictionem quasi episcopalem possunt beneficia erigere. 518 2
Si tamen soleaniter benedicti & insigniti pontificalibus ornamentis. 518, 2
Prælati habentes jurisdict. quasi episcopalem veniunt nomine diœcesani. 489. 3
Prælati qualiter sibi asciscere possint Coadjutores vel Vicarios. 334.
Prælatus ob morbum supervenientem non est privandus prælaturâ. 341.
Prælati Episcopo inferiores ob lepram amoventur à prælatura. 341. 5
Contrarium tamen verius. 342. 5
Prælati inferiores Episcopo etsi exempti & habentes jurisdictionem ordinariam quasi episcopalem absolvere nequeunt ab hæresi, neque à casibus reservatis Papæ; neque dispensare in irregularitate. 478. 3
Prælatus amissâ prælatura an & qualiter possit pergere procedere in causa sibi delegata? 298. 3
Prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem possunt compellere executores testamentorum ad ea exequenda. 419 3
Prælatorum exemptorũ subditi an subjicere se possint Episcopo in ordine ad obtinendam absolutionem & dispensationem in casibus Papæ reservatis. 478. 3
Prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem in populum etiam sæcularem approbare possunt confessarios.
Prælati tales in ordine ad hoc in Tridentino veniunt nomine Episcopi. 483. 2

*Præscriptio.*

Præscriptionis discussione pendente non datur manutenentia habenti resistentiam juris. 632. 3
Præscribuntur res omnes ecclesiæ quadragenaria. 632. 3
Præscribere nequit Capitulum s. v. receptionem resignationis beneficiorum spectantium ad solius Episcopi collationem. 533. 7
Præscriptio est stricti juris, & ultra præscribentem non extenditur. 451. 1
Præscriptio contra ecclesiam non currit tempore sedis vacantis. 500. 533

*Præsentare, Præsentatio.*

Præsentare ad beneficia jurispatronatus competentis Episcopo nequit Capitulum s. v. 520.
Præsentare num possit Vicarius vi facultatis conferendi. 259.
Præsentatio dici potest donatio. 231. 1
Præsentatione pertinente ad Episcopum, sine hujus speciali mandato præsentare nequit Vicarius. 231. 1
Idque etiamsi habeat facultatem conferendi. 231. 2
Ad præsentandum habens speciale mandatum præsentare nequit seipsum. 232
Neque Vicarius in eo casu præsentare potest Episcopum suum. 233
Præsentare non tam jure communi sicut collatio, quàm jure speciali competit Episcopo. 520

*Præsumptio.*

Præsumptioni soli, qua quis præsumendus bonus, quamdiu non probatur malus, inniti non potest testimonium publicum dandum promovendo ad officium publicum, Ordines, &c. de ejus probitate, moribus, &c. 661.
Præsumptio quid sit & quotuplex. 655 2. 3
Quotuplicia sint ad illam indicia. 655. 2
Præsumptio Juris differt à fictitia Juris. 655 3
Præsumptio violenta quandoque facit plenam probationem. 655. 3
Contra præsumptionem quandoque admittitur probatio. 655. 4
Præsumptio Juris & de Jure impedit appellationem: nec eliditur juramento, sed ex illa deveniri potest ad sententiam definitivam. 655. 5
Quandonam præsumatur adulterium vel fornicatio. 655. 6
Damnum injustum præsumitur malo animo illatum. 655. 7
Ex præterito præsumitur de futuro, aut etiam de præsente statu: quandoque etiam ex præsente de præterito. 655. 8
Fuga non semper facit præsumptionem commissi delicti. 655. 9
Negans unum è duobus delictis sibi objectis censetur fateri alterum. 655. 10
Vicinus præsumitur scire facta publicè in Vicinia. 655. 11
Quid dicatur notorium & quid famosum; ac quando procedi possit ex fama vel infamia per præsumptionem. 655. 12. & seq.

*Processio.*

In processionibus honorabilior locus etiam præ prima dignitate debetur Vicario Capituli. 612. 1
In processionibus deferre Eucharistiam aut Reliquias non spectat ad Vicarium Episcopi quâ talem. 117. 1
Processiones indicere & ordinare potest Vicarius Capituli. 598. 1
Non potest tamen processiones publicas indicere sine consilio & consensu Capituli. 598. 2

*Procurator.*

De procuratore facta mentio intelligitur de illo, cui universa negotia mandata. 9. 2
Procuratorem etiam ad negotia ardua constituere tenetur. 27. 1.
Procurator censetur revocatus per mortem Prælati, etiamsi dominus litis sit effectus. 28. 2
Procuratores plures in solidum constitui possunt. 30. 1
Procuratoribus pluribus constitutis sine adjectione *in solidum*, unus sine alio admitti nequit. 93. 2
Procurator sine speciali mandato domini nequit donare. 231
Procurator ad præsentandum nequit seipsum præsentare. 232. & 233.
Procurator ad conferendum omnia beneficia spectantia ad collationem Episcopi vel etiam Legati de Latere, vel alterius cujuscunque constitui nequit. 249. 7
Procuratores tamen omnium bonorum generales, dando etiam illis potestatem conferendi beneficia & præsentandi, constituere possunt Reges & Principes. 249. 8
Per procuratorem potest præstari consensus in beneficialibus. 365.
Qualiter id fieri possit in concessione Coadjutoriæ vel resignatione, principali jam defuncto. 367

*Professio.*

Professio facta omissâ exploratione voluntatis puellæ per Episcopum vel ejus Vicarium est valida. 210

*Publicatio.*

Publicationi seu Regulæ de publicandis non subjacet Coadjutoria. 318. 2

Publicatio seu dicta regula locum non habet nisi in beneficiis vacantibus per resignationem. 318. 2

*Pupillus.*

Pupillus alienare nihil potest sine consensu Tutoris. 493. 1

Pupilli bona ex pietatis lege administrant mater & agnati proximi, non percepto inde emolumento. 499. 2

*Ratificatio.*

Ratificatio quandonam locum habeat. 105

*Recusatio.*

Recusationis Vicarii causa coram Episcopo probanda. 92. 1.

Item recusationis delegati Episcopi. 92. 2

Si Episcopus degeret in remotis, probanda coram Vicario generali 92. 3

De recusationis Vicarii causa, Episcopo agente in remotis, dum plures in solidum constituti Vicarii, cognoscit unus illorum non suspectus. 92. 3

*Regressus.*

Regressus ad beneficia non repugnant Concordatis Germaniæ. 311. 4

Regressus hi habent causam juris de præterito, nimirum ex voluntate resignantis non aliter. 313. 4

In regressibus fingitur nulla intervenisse vacatio beneficii. 313. 4.

Regressus conceditur ex causa onerosa, nempe cessionis, 313. 5.

Non dicitur propriè gratia? 313. 5

*Regularis.*

Cum Regularibus etiam exemptis in interstitiis dispensare potest Capitulum sed. vac. 480. 2

Regulares de licentia suorum Superiorum subjicere se possunt Episcopo in suscipiendis gratiis Dispensationum absolutionum. 480. 2

Regulares non exemptos punire potest Episcopus jure ordinario 142. 2

Exemptos tanquam Sedis Apost Delegatus. 142. 1

Potest id etiam ex speciali commissione Episcopi ejus Vicarius. 142. 1

Regularis seu Religiosus num esse possit Vicarius Episcopi? 50

Regularis illegitimè natus nequit esse Vicarius. 50. 4

Regularis ad hoc, ut sit Vicarius Episcopi eget licentia suorum prælatorum. 51. 1. & 2

Regularis sine sui Superioris licentia nullius operis pii prætextu potest se addicere servitio aut obsequio ullius personæ. 51. 2

Cujus sui Superioris licentia egeat ad hoc? 51. 2

Regularis, si non est exemptus, præter licentiam sui Superioris eget ad hoc licentia sui Episcopi. 51. 3

à Regulari sine licentia sui prælati in Vicarium assumpti acta num valeant? 52

Ex quo talem Episcopus toleravit Vicarium, præsumptio est, quòd eum constituerit cum illa licentia. 52

Ut Regularis assumatur validè in Vicarium, an præter licentiam prælati requiratur quoque utilitas monasterii, 53.

à Regularibus etiam exemptis, dum sunt testamentorum executores, exigere rationes potest Vicarius. 157

Regularibus an Vicarius concedere possit facultatem administrandi extremam unctionem & Eucharistiam laicis. 185

Regulares de licentia diœcesani administrantes illa Sacramenta non incurrunt pœnas. 185

Regulares semel approbati qualiter possint ab Episcopo vel Capitulo sed. vac. revocari ad examen. 484 2, & 3

Quòd ad Regulares Capitulum sed. vac. nihil potest innovare. 484 2

Regulares non veniunt nomine Clericorum in odiosis. 509. 7. 643.

Regulares non egent dimissoriis aliis quàm acceptis à suis Prælatis ad suscipiendos Ordines ab Episcopo alterius diœcesis. 509. 7

Regulares non sunt propriè subditi Capituli s. v. 509. 7

Regulares non comprehenduntur à Trident. vetante concedi à Capitulo s. v. pro primo anno vacantiæ dimissorias subditis illius. 509. 7

Regularibus suæ diœcesis ordinandi licentiam dare potest Capitulum s. v. intra primum annum. 509. 7

Regularibus Capitulum s. v. dare nequit licentiam ædificandi novas ecclesias. 517

In Regulares etiam non exemptos ab Episcopo, jurisdictionem non habet Archidiaconus, nisi fortè ex consuetudine. 643.

In eos illum non habere jurisdictionem cur expediat. 643

Regularium judex ordinarius est solus Abbas, Prior, Rector, & ab eo solo corrigi possunt. 653

In Regularium personas Ordinarii locorum promulgare non possunt excomm. suspensionem vel interdictum sine speciali commissione Papæ. 653

Regulares degentes extra claustra, si delinquant, subjiciantur visitationi, correctioni, punitioni Ordinarii tanquam Sedis Apostol. delegati. 653

Regulares administrantes parochias etiam pleno jure subjectas monasteriis quà tales subjiciuntur visitationi, correctioni Ordinarii non tanquam exercentis jurisdictionem delegatam, sed ordinariam. 655

Regulares administrantes parochias, si in administratione Sacramentorum vel cura animarum deliquerint, ab Episcopo puniri possunt juxta excessûs exigentiam. 635.

Si deliquerint extra Sacramentorum administrationem, corrigi quidem possunt verbotenus ab Archidiacono, non tamen puniri nequidem ab Episcopo; sed delictum si notorium, ab Archidiacono deferendi ad Episcopum, ab hoc ad Superiorem. 653

Quòd si Regularis delictum tunc non puniat Superior, & de hoc doceat Episcopum, potest is tanquam Sedis Apost. delegatus punire delinquentem. 653

*Religio, Religiosus.* vide v. *Regularis.*

Religionem ingressurus sine licentia nequit se abdicare bonis suis intra duos menses ante professionem. 182

Hanc licentiam dare potest Episcopus ejusque Vicarius. 182.

*Rescriptum.*

Rescriptum delegationis quandonam vitietur ob incertitudinem dati judicis. 34 1

Rescriptum Apost. non vitiatur ex eo, quòd neutri ex duobus Vicariis æquè principalibus nominatim inscriptum. 34. 1.

In Rescripto gratiæ ille ex duobus Vicariis istis erit Judex seu delegatus, cui illud ab impetrante fuerit delegatum. 34. 2

Quis in Rescripto contentioso sive ad lites ex talibus duobus sit Judex delegationis. 34. 3

Dum ex duobus Vicariis unus est principalior, & delegatio à Papa fit simpliciter Vicario, censetur facta soli principali. 34. 4

Rescriptum non debet extendi ad alios, neque ad multos. 195. 1.

In Rescriptis ad lites ex pluribus narratis sufficit justificari unum, quod moveret Principem. 339. 4

Secus in Rescriptis gratiæ. 339. 4

Rescripta ad lites sunt strictæ interpretationis, quatenus concernunt jura ex præjudicio partium. 562. 2. 298. 2.

Amplam tamen merentur interpretationem, quatenus decernunt, facultatem seu potestatem Principis concedentis aut delegantis. 562. 1. 298. 2

*Reservatio.*

Non reservantur Papæ beneficia simultaneæ collationis Episcopi cum Capitulo, dum vacant sed. vac. in mense ordinario. 525 4

Reservata sunt Papæ beneficia parochialia & curata vacantia sede Episcopali vacante. 529.


Reser-

Reservantur Papæ omnia beneficia vacantia sede episcopali vacante. 532. 4
Reservatio impedit permutationes coram Ordinariis. 533. 4
Reservatur Papæ Archidiaconatus, ubi is est prima Dignitas. 671
Reservatio num ex eo resultet, quòd Papa statuat in beneficio Coadjutorem. 313. 6
Reservatio Papæ inserta corpori juris facit jus commune. 450.
Reservatio non debet esse contra charitatem, ne vergat in periculum animarum. 476. 2
Reservare casus est actus jurisdictionis. 477. 2
Reservare jus potest Capitulum s. v. sicut Episcopus. 477. 2

## *Residentia, Residere.*

A Residentia non liberatur Coadjutus per concessionem Coadjutoris. 435. 1
Pro residente habetur Coadjutus legitimè impeditus, etiam Coadjutore absente. 435. 2
Residere non tenetur Coadjutor præcisè, sed tantùm causativè. 321
Contrarium tenent alii. 321.
Ad Residentiam personalem tenentur Coadjutores Parochorum. 387. 2
Idem est de Coadjutoribus dignitatum, Canonicorum, &c. 387. 3
Est hæc Residentia præcisa. 387. 4
Residens reputatur Coadjutor infirmus & lucratur. 388.
Residere jure divino & Canonico tenentur Parochi. 558. 2
Et quidem Residentia formali, quæ consistit in exercitio muneris pastoralis 558. 1
Residentia materialis Parochi in eo consistit, quòd habiter in urbe & prope ecclesiam, in qua exerceat curam animarum. 558. 1
Residentia illa Parochi aliter non est dispensabilis quàm ex suppositione majoris commodi ejusdem ecclesiæ per interpretationem ejusdem juris divini. 558. 2
A Residentia Parochum nulla excusat consuetudo. 558. 2
De Residentia parochi remissivè. 558. 3

## *Resignatio, Resignare.*

Resignare quis potest literis & juri ad beneficium sine consensu Superioris. 430. 2
Resignari potest Coadjutoria perpetua in favorem accedente consensu Papæ & Coadjuti respectu personæ resignatarii. 430. 2
Resignationes recipere valens non eo ipso potest recipere illas factas permutationis gratiâ. 279
Resignationes in favorem circa tempora Caroli M. fiebant absque eo, quòd Romam recurreretur. 315. 5
Per Resignationem sortitam effectum abdicatur titulus. 318. 1
Vim Resignationis non habet consensus Coadjuti in Coadjutoriam. 318. 1
Resignationes beneficiorum etiam spectantium ad solius Episcopi collationem recipere potest Capitulum sede vac. 533. 1
Quò ad Resignationes beneficiorum recipiendas, quid possit Vicarius Capituli. 605
Resignatio debet fieri in manibus illius, qui invitum potest spoliare beneficio. 533. 1
Resignationis receptio non est propriè alienatio. 533. 1
Resignatio omnis requirit causam. 533. 2
Resignationis admissio pertinet ad justitiam. 533. 2
Resignationes admittere non permutationis gratiâ sed simpliciter est communiter necessitatis. 533. 1
Resignationes reservatorum Papæ potest admittere Episcopus. 533. 4
Resignationes factas permutationis gratiâ recipere & resignata permutantibus conferre sunt quidem distincta, sed omnino connexa. 280. 2
Resignationis receptio facta post mortem Episcopi vel revocationem à Vicario qualiter subsistat. 281
Resignationes admittendi facultas non infert facultatem conferendi 252. 1
Secus tamen est in facultate admittendi resignationes permutationis gratiâ. 252. 1
Resignationes recipere est quid minus quàm conferre, 252. 1.
Resignationes factas permutationis gratiâ recipiendi facultas non censetur data ex eo, quod data sit simpliciter facultas recipiendi resignationes. 252. 3
Ad Resignationes recipiendas an se extendat facultas Vicarii conferendi. 260
Resignatio solùm postulat fieri coram Superiore potente beneficium resignatum conferre. 260
Resignationes recipere sine speciali mandato nequit Vicarius. 274
Resignationes recipere regulariter potest is, qui potest invitum destituere. 274. 1
Resignationes recipiendi facultas quandonam ex clausulis generalibus concessa censeatur Vicario? 275
Resignationem beneficii recipere posse aliquem ex eo non sequitur, quòd quis possit illud conferre. 276
Neque ex eo, quòd habeat instituere in eo beneficio. 276
Resignationis definitio. 277
Resignationes recipiendi facultas non infert facultatem privandi beneficiis, neque ex ea infertur. 278
Resignationes recipere & dare authoritatem permutare volentibus sunt diversa. 279
Resignationes permutationis gratiâ factas nemo recipere potest, nisi qui beneficia permutata conferre potest, 533. 4.
Resignationis admissio in permutatione separari nequit à collatione. 533. 4

## *Restitutio in integrum, Restituere.*

Restituere principaliter in integrum nequit Delegatus Principis ad universitatem causarum contra sententiam suam diffinitivam. 208. 5
Sed neque ipse princeps seu Judex ordinarius habens administrationem contra suam aut etiam Vicarii vel delegati sui sententiam diffinitivam restituere potest. 208. 5
Restituere in integrum contra sententiam & impugnare sententiam sunt diversa. 302. 1
Restituere in integrum contra sententiam sui Vicarii potest Episcopus. 77. 3. 108
Quin & ipse Vicarius contra sententiam à se latam. 77. 3 208. 4.
Restituere in integrum possunt Ordinarii, qui habent jurisdictionem cum administratione. 78. 1, 208. 1
Restituere in integrum contra sententiam Episcopi potest ejus Vicarius. 78. 1, 208
Ampliatur idipsum tam ad majores quàm minores. 78. 2 & 3.
Extenditur id ipsum à Sbrozio ad Vicarium foraneum delegatum ad universitatem causarum, sed malè. 78 2
Restituere in integrum non potest Vicarius aliusve Judex, postquam sententia transiit in rem judicatam. 78. 3, 208. 5.
Hoc enim competit soli Principi. 78. 3
Restitutio in integrum est actus imperii mixti ex nobili officio Judicis provenions. 208. 1
Restituere in integrum non competit Judicibus ordinariis, qui administrationem rerum seu jurium in aliquo territorio non habent aut imperium saltem mixtum. 208 2
Multò minùs id possunt delegati à talibus Judicibus. 208. 2
De causa restitutionis in integrum cognoscere nequeunt arbitri & compromissarii. 208. 2
Restitutio in integrum contra sententiam tractari debet coram superiore judicantis. 208. 4
Restituere in integrum contra sententiam Superioris non potest inferior Judex. 208. 4
Restituere quis potest in integrum contra sententiam propriam vel eorum, qui inferiorem vel æqualem, vel etiam eandem habent jurisdict. 208. 4

## *Reus.*

Reum extrahendi ab ecclesia licentiam dare potest Vicarius sine speciali mandato. 183. 1
Id non potest Vicarius foraneus. 183. 1
Facultas ista ab Episcopo ejusque Vicario alteri delegari nequit. 183. 1
Rei extractio ab ecclesia est odiosa ecclesiæ. 183
Reum confugientem ad ecclesiam, etiam in casibus, in quibus non gaudet immunitate, extrahere nequit Judex sæcularis sine licentia Episcopi & interventu personæ ecclesiasticæ. 183. 2

Talis extrahens sine ista licentia adhuc incurrit pœnas statutas violantibus immunitatem ecclesiasticam. 183. 2

*Salarium.*

Salarium ex fructibus beneficii Coadjuti debetur Coadjutori. 423. 1. & 2
Limitatur idipsum. 423. 2. & 3
Salarium Vicarii Capitularis non potest sumi ex mulctis. 465. 2. §79.
Potest illud consequi ex fructibus ecclesiæ vacantis. §79. 613. §
Salarium competens debetur Vicario Capituli. 612. 1
Etiam dum vi detinetur extra diœcesim. 613. 1
Non debet esse minus ex eo, quòd sit Canonicus. 613. 1
Debet taxari ejus quantitas juxta solitum accipi ab immediato ejus prædecessore. 613. 2
Ad salarium hoc Vicario Capituli, etiam non conventum aut solitum præstandum tenetur Episcopus, vel quilibet alius, qui emolumenta ecclesiæ vacantis percepit. 614
Potest de eo ejusque quantitate pacisci. 632
Non tamen pacisci de eo dividendo cum cæteris Canonicis. 613 2
Salarium debetur Vicario Episcopi ab Episcopo. 284
Salarii constitutio & datio pecuniæ loco salarii, officio complectente jurisdictionem jam commisso, non est simonia, aut illicita. 284 2
Salarium debetur Vicario, nisi de hoc conventum non sit. 285.
Salarium non conventum regulariter non debetur. 285
Salarium non conventum ex æquitate Judicis officio peti potest. 285
Salarium debetur adhuc Vicario, etsi is sit Canonicus, & de sua præbenda vivere possit. 268
Salarium mortuo Episcopo Vicarius consequi debet à Capitulo pro rata temporis, quo vixit Episcopus. 287
Salarium Vicario ignoranti suam revocationem debetur pro rata temporis post illam revocationem. 288
Salarium ex sua Camera Episcopus tenetur constituere Vicario. 289
Salarium mortuo Episcopo pro rata temporis, quo servivit Episcopo, solvi ei debet à Capitulo ex bonis ecclesiæ vacantis. 289
Non tamen ex mulctis solvi potest.

*Scriptura.*

Scripturâ opùs non est in constitutione Vicarii. 35. 2
Scripturâ opùs est ad probationem Vicariatûs, dum is in dubium revocatur. 35. 2
Non nisi per scripturam probatur mandatum Principis. 35. 2
Scripturæ authoritas requiritur ad probandum Judicem ordinarium. 35. 2

*Sedes*, vide *Ecclesia.*

Sedes verè vacat, Episcopo notoriè existente hæretico, 454.
Sedes interpretativè vacat ob prælati excommunicat. aliamve inhabilitatem. 454

*Senium, Senex.*

Senium se solo est causa sufficiens dandi Coadjutorem perpetuum. 339. 1. & 2
Cum senio dum narrata fuit ih ordine ad hunc effectum infirmitas, an sufficiat justificare solum senium. 339. 4
Ad senium justificandum quæ ætas justificanda. 339. 4
Senex quis dicatur in ordine ad obtinendum Coadjutorem? 339. 3

*Sententia.*

Sententia interlocutoria mutari potest. 74. 4
Quando mutari non possit. 74. 4
Sententiam interlocutoriam pronunciatam à Vicario Episcopus corrigere potest. 74. 4. 79. 2
à sententia Vicarii generalis supplicari nequit ad Episcopum. 77. 1
De sententiæ latæ à Vicario nullitate cognoscere potest Episcopus & contra. 79. 2
Sententia lata ab uno, dum plures eandem causam terminare debent, non est nulla. 93. 1
Per sententiam merè interlocutoriam non finitur jurisdictio. 93. 1
Secus est de diffinitiva. 93. 1
Contra sententiam diffinitivam qualiter detur restitutio in integrum. 208, §
Sententiam suam exequi potest Vicarius generalis non tamen foraneus. 214
Sententia lata contra Coadjutum non nocet Coadjutori. 444. 1.
Sententia lata contra unum Coadjutorem, eo fortè decidente vel decedente non nocet ejus in Coadjutoria successori. 444 1
Limitatur hoc ipsum. 444. 2
Sententia lata contra minorem carentem tutore & curatore est nulla. 494 1
Sententia lata contra ecclesiam vacantem ut valeat, debet ea habere defensorem ad agendum à Papa. 494. 1

*Sequestrare.*

Sequestrare possessionem beneficii cum fructuum custodia potest Vicarius Episcopi. 213

*Sigillum.*

Sigillo publico Capituli, non suo privato, uti debet Vicarius Capituli in scripturis publicis, quas expedit ut Vicarius Capituli. §99
Sigillo proprio privato uti potest Vicarius Capituli constitutus, & non tantum confirmatus à Papa. §99. 2. & 3
Sigillum apponitur & requiritur, ut authoritatem det mandatis & Ordinationibus. §99

*Simonia.*

Simonia est, dum Canonici inter se conveniunt, ut quicumque eligatur in Vicarium Capituli, dividat cum cæteris emolumenta. §57. 8
Non incurritur tamen per hoc excommunicatio. §57. 8

*Statutum.*

